School of Theology at Claremont
1001 1386032

The Library

SCHOOL OF THEOLOGY
AT CLAREMONT

WEST FOOTHILL AT COLLEGE AVENUE
CLAREMONT, CALIFORNIA

BX
1751
A1
T5
v. 21

THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICÈ CONFLATUS;

Plurimis annotantibus presbyteris ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTAVIT VERO SIMUL ET EDIDIT

J.-P. M....

~~Oblate Fathers~~
~~Castroville, Texas~~
~~22~~

TOMUS VIGESIMUS-PRIMUS.

21

APPENDICES AD SACRAMENTA IN GENERE.

TRAITÉ HISTORIQUE ET DOGMATIQUE SUR LES PAROLES OU LES FORMES DES SEPT SACREMENTS.

DE BAPTISMO. — DE CONFIRMATIONE.

DE MAZENOD SCHOLASTICATE
OBLATE FATHERS
SAN ANTONIO
797

M. Rimaud, curé de St-Christo
Loire
p. St-Hran

PARISIIS,
APUD EDITOREM,
IN VIA GALLICÈ DICTA:
RUE D'AMBOISE, BARRIÈRE D'ENFER.

1840.

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

—

APPENDICES AD TRACTATUM DE SACRAMENTIS IN GENERE.

BILLUART.

Appendix prima : De fine propter quem instituta fuit Circumcisio

IDEM.

Appendix secunda : De intentione ministri Sacramentorum.

TURNELIUS. — COLLET. — EDITORES.

Appendix tertia : Des ubjecto Sacramentorum.

MERLIN.

Appendix quarta : Traité historique et dogmatique sur les paroles ou les formes des sept Sacrements de l'Église.

—

TURNELIUS.

De Baptismo.

VITASSIUS.

De Confirmatione

—

INDEX RERUM.

Theology Library
SCHOOL OF THEOLOGY
AT CLAREMONT
California

Excudebat Migne,
in viâ dictâ D'AMBOISE, hors la barrière d'Enfer.

Appendices

AD TRACTATUM DE SACRAMENTIS IN GENERE.

APPENDIX PRIMA.

DE FINE PROPTER QUEM INSTITUTA FUIT CIRCUMCISIO.

« Circumcisionem fuisse figuram Baptismi constat : tum quia sicut in Baptismo fit professio fidei et homo cœtui fidelium aggregatur, sic in Circumcisione fiebat professio fidei in Christum venturum, et homo populo Dei aggregabatur ; tum quia sicut in Circumcisione abscindebatur pellicula carnis, sic in Baptismo spoliamur vitiis et peccatis. (D. Thom., q. 70, a. 1, O.)

« Quantùm ad ritus Circumcisionis, convenienter fuit instituta in membro generationis, 1° quia erat signum fidei in Christum ex semine David nasciturum ; 2° quia erat in remedium peccati originalis, ut mox dicam, quod per actum generationis traducitur ; 3° quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipuè in illo membro viget ; 4° ut sugillarentur sacra Veneris et Priapi in quibus hæc corporis pars honorabatur. (Ibid., a. 3, ad 1, et 1-2, q. 102, a. 5, ad 1.)

« Ritus cultri lapidei non erat de necessitate sacramenti (ibid., ad 2), quia in ejus institutione nullum instrumentum determinatur. Justinus in Dialogo cum Triphone dicit primam Circumcisionem factam fuisse cultello ferreo, et ita etiam à Judæis suo tempore testatur S. Thomas.

« Leguntur quidem quædam circumcisiones factæ cultello lapideo, ut Circumcisio filii Moysis à Sephorâ, Exod. 4, et secunda Circumcisio Josue à Deo mandata, Jos. 5 : *Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundò filios Israel.* Sed inde non sequitur quòd sic fuerit præceptum in ejus institutione, quòdque semper sic factum fuerit, aut debuerit fieri ; quinimò, si consuevissent Judæi circumcidere cultris lapideis, non fuisset necesse præcipere Josue ut tales adhiberet. Pro illâ ergo duntaxat secundà Circumcisione ita præceptum est, idque in figuram Christi, qui in S. Scripturâ dicitur *Petra.* Sephora autem sic egit propter festinationem et trepidationem Deo mortem minante Moysi marito suo.

« Dies octavus erat de necessitate præcepti : Constat ex ejus institutione. (Ibid., ad 3.) Præveniri non poterat ob mortis periculum, quia per eam accelerata fuisset mors infantis, et aliunde poterat illi succurri per remedium legis naturæ. Poterat tamen differri, si immineret periculum mortis, quam non licebat periclitanti accelerare ; ex quo patet quòd non erat de necessitate Sacramenti.

« Suppono Circumcisionem propter varios fines fuisse institutam : 1° Sicut jam dictum est, ut esset figura Baptismi et Circumcisionis spiritualis ; 2° ut esset signum rememorativum fidei Abrahæ et fœderis Dei cum illo, et simul protestatio fidei in Christum ex semine Abrahæ nasciturum ; 3° ut per illam populus Dei consignaretur, ejusque cultui deputaretur ; 4° ut esset signum visibile distinctivum Judæorum à cæteris nationibus, et quasi frenum eos cohibens à commixtione cum illis. Sed quæstio est utrùm præter istos fines fuerit etiam instituta in remedium peccati originalis ? Negant Bellarm., Vasquez, l'Herminier, Natal. Alex., Honoratus Tournely, et quidam alii ; contra quos

« Dico : Circumcisio fuit instituta in remedium peccati originalis. (Ibid., a. 4, O.)

« Est ita communis, ut auctor cit. conceptis terminis dicat : *Ab omnibus communiter ponitur quòd in Circumcisione peccatum originale remittebatur.* Idque probat ex S. Aug. Verùm hanc sententiam non denegant S. Augustino adversarii, sed volunt ipsum illius parentem esse, et in hoc à præcedentibus Patribus recessisse.

« Prob. conclusio 1° ex S. Scripturâ, Gen. 17, ubi refertur institutio Circumcisionis : sic legitur versu 12 et 14 : *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris... Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Sicut ergo ex illo Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum,* colligimus Baptismum esse institutum in remedium peccati originalis, ita ex illo : *Masculus,* etc., rectè colligitur Circumcisionem fuisse institutam in remissionem peccati originalis ; *masculus,* enim ibi indefinitè ponitur, sicque debet intelligi de omnibus etiam infantibus, sicut τὸ : *Nisi quis renatus,* etc. ; idque indicant verba præcedentia : *Infans octo dierum circumcidetur :* et ita expressè habent 70 Interpretes : *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit octavo die ;* ita ut sensus legis Circumcisionis sit : Quicumque non fuerit circumcisus, peribit, quia reus est trangressionis Adæ, et in eo non fuit observatum pactum Circumcisionis institutæ ad illius transgressionis remissionem.

« Hinc S. Aug. arguens cont. Pelag., l. 2 de Nupt. et Concup., cap. 11, dicit : « Sed ipse jam dicat quare « interiret anima ejus de genere suo, si circumcisus « die non esset octavo ; quid ipse peccàsset, quid of- « fendisset Deum, ut de alienâ in se negligentiâ tam « severâ sententiâ puniretur, si nullum esset originale

A11753
31
School of Theology
at Claremont

« peccatum? De circumcidendis enim Deus sic man-
« davit infantibus : *Masculus*, etc..... Ex quo enim
« instituta est Circumcisio in populo Dei, quod erat
« tunc signaculum justitiæ fidei, ita ad significationem
« purgationis valebat et in parvulis originalisque ve-
« terisque peccati, sicut et Baptismus ex illo valere
« cœpit ad invocationem hominis, ex quo est institu-
« tus. » L. 3 contra Jul., c. 18 : *Cur ipse Isaac, nisi Baptismatis Christi signo circumcisus fuisset, periisset anima ejus de populo suo.* Iterùm infra : *Quid meruerat ut anima ejus de populo suo periret, nisi Circumcisio subveniret?* Unde Epist. ad Dardanum 57, nunc 187, cap. 11 : *Circumcisio antiquis sanctis pro Baptismo fuisse creditur.* Et lib. contra Litt. Petil., c. 72 : *Certè antiquus populus Dei Circumcisionem pro Baptismo habebat.*

« Multa reponunt adversarii ut auctoritatis S. Scripturæ et interpretationis S. Aug. vim elidant.

« Dicunt 1°, legem hanc circumcisionis : *Masculus*, etc., spectare tantùm adultos et non parvulos, tum quia neque in Hebraico textu, neque in nostrâ Vulgatâ legitur, *octavo die ;* tum quia spectat illos duntaxat, qui pactum Circumcisionis irritum faciunt, quod facere non possunt infantes.

« Sed contra : Quamvis neque in Hebræo, neque in Vulgatâ legatur, *octavo die*, attamen, ut dixi, sic debet intelligi, tum ex versu præcedenti, tum quia *masculus* indefinitè ponitur, tum quia legitur in versione 70 Interpretum ; vera enim est ista versio, neque quidquam in eâ reprehendi potest, dicit ipse Bellarm., de Verbo Dei, lib. 2, c. 6 ; nisi *vitia quæ in eam postea irrepserunt negligentiâ vel malitiâ aut etiam ignorantiâ aliorum*, quod dici non potest de præsenti textu, cùm sic uniformiter legatur in omnibus exemplaribus Græcis : quapropter dicendum illos has particulas apposuisse ad clariorem intelligentiam textûs Hebraici, et quia antiqua Synagoga sic intelligebat. Ita etiam legitur in Polyglottis Anglis in Pentateucho Samaritano, quem quidam dicunt fuisse scriptum tempore Esdræ, alii ante Christum natum. Quantùm autem ad hæc verba : *Quia pactum meum irritum fecit*, sensus est : Quia pactum meum in eo non fuit observatum.

« Dicunt 2°, hæc verba : *Delebitur anima illa de populo suo*, non designare mortem æternam, sed vel mortem temporalem, quam minatus est Deus Moysi ob negligentiam circumcidendi filium suum, vel exclusionem à cœtu Judæorum et populo Dei : alterutrum enim importat ista phrasis pluries repetita in S. Scripturis, Exod. 12 et 31, Levit. 7, et Num. 19.

« Sed contra : Inprimis certum est his verbis non significari morte temporali plectendum esse eum qui non fuerit circumcisus ; nemo enim unquàm ob circumcisionem omissam fuit capite damnatus. Exemplum Moysis non est ad rem ; non enim agitur in textu, quem versamus, de illo qui negligit suos circumcidere, sed de illo qui non circumciditur. Aliunde specialiter culpandus erat Moyses negligendo circumcidere suum filium, tum quia erat constitutus princeps gentis, tum quia proximè dimicaturus contra idololatras patiebatur in filio fomentum et semen idololatriæ, scilicet peccatum originale. Denique factum unius non constituit legem generalem, maximè cùm constet de usu contrario.

« Itaque intelligenda est illa phrasis de exclusione à populo Dei vel per mortem æternam, vel per separationem ab Ecclesiâ visibili. Primum videtur dicendum, quia juxta phrasim Hebraicam in pluribus locis, Genes. 25 et 49, 1 Machab. 4, et alibi, *apponi ad populum suum*, significat hæreditatem sanctorum ; ergo ista contraria, *deleri de populo suo*, significat hujus hæreditatis privationem. Sed esto intelligatur separatio ab Ecclesiâ visibili, perinde est : quisquis enim ab Ecclesiâ sanctorum ejicitur, à regno cœlorum excluditur.

« Dicunt 3°, S. Augustinum in hanc descendisse sententiam, partim quia legebat cum versione Græcâ in textu, *octavo die*, quæ tamen verba non leguntur in Hebræo, nec in Vulgatâ ; partim quia intelligebat *pactum* de pacto cum Adamo de non comedendo fructu vetito, cùm tamen communiter intelligatur et debeat intelligi juxta textum de pacto Circumcisionis cum Abraham ; partim quia disputans contra Pelagianos, colligebat undequàque argumenta quibus probaret peccatum originale, quod commodè demonstrabat ex remedio contra ipsum instituto, cujus tamen remedii non meminerunt Patres ipso S. Aug. antiquiores : *Quapropter*, inquit Honoratus Tournely, *ab ejus sententiâ, salvâ quæ ipsi debetur reverentiâ, recedere nobis fas est.*

« Contra primum jam respondi independenter à textu Græco, τὸ *octavo die* subintelligi in Hebræo et in Vulgatâ : item veram esse versionem Græcam, neque aliquid Hebræo vel Vulgatæ contrarium continere, sed utriusque clariorem explicationem. Contra secundum, utramque intelligentiam adhibuit S. Aug., lib. 16 de Civit., c. 27. Contra tertium, argumenta quæ colligit S. Aug. contra Pelag. optima sunt et à sequentibus Patribus ac theologis probata, nec præcedentibus contraria, ut patebit ex mox dicendis. Unde

« Prob. 2° ex iis qui S. Aug. præcesserunt. In Thalmud., tract. *Sanhedrim*, c. 11, juxta interpretationem Josephi de Voisin, l. de Lege divinâ, c. 6, legitur : *Quæritur quando infans particeps esse possit futuri seculi? Rabbi Machman filius Isaac respondet : Statim ac circumcisus est.*

« S. Basilius, hom. 13, comparans Circumcisionem Baptismo dicit : « Circumcisionem Judæus minimè
« differt ob comminationem ; quoniam omnis anima
« quæ die octavâ non circumcidetur, è populo suo
« exterminabitur ; at tu Circumcisionem non manu
« factam, quæ per Baptismum in depositione carnis
« perficitur, differre queris ; ipsum audisti Dominum :
« Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit. » Ibi S. Basilius circumcisionem circumcisioni, comminationem comminationi comparat ; quod est ergo octavo die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari ; et quod est perire de populo, hoc est non intrare in

regnum cœlorum. Ita arguebat S. Aug., l. 2 contra Jul., c. 6, ex hoc testimonio quod citaverat sub nomine S. Chrysostomi.

« S. Ambros., lib. 2 de Abraham, cap. 11, dicit : « Egregiè autem infantiæ in primis vagitibus circum- « cidi mares lex jubet etiam vernaculos, quia sicut ab « infantiâ peccatum, ita ab infantiâ circumcisio. Nul- « lum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum « est culpæ vacuum..... Nec senex ergo proselytus, « nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas « peccato obnoxia, et ideò omnis ætas Sacramento « idonea. »

« Isychius Jerosol., qui floruit circa finem quarti seculi, l. 3 in Levit. : « Incircumcisum de populo suo « perire ostendit, quia ante Circumcisionem abomina- « bilem habet carnem et immundam : mundatur au- « tem per Circumcisionem, quæ imaginem gerit resur- « rectionis mortuorum. »

« Non ergo novam opinionem invexit S. Aug., sed à Patribus haustam tradidit, et tanquàm suo tempore communiter receptam : *Certè*, inquit lib. 2 contra Litt. Petil., c. 72, *antiquus populus Dei Circumcisionem pro Baptismo habebat*. Et Epist. 57 ad Dardanum, nunc 187, c. 11 : *Circumcisio antiquis sanctis pro Baptismo fuisse creditur*.

« Prob. 3° ex Patribus S. Aug. posterioribus. Sanctus Prosper, lib. de Prædictionibus, 1 p., c. 14, dicit institutam Circumcisionem, *ut per integritatem Deus id repararet quod fuerat vitiatum*.

« S. Greg., lib. 4 Moral., c. 3 : « Quod apud nos va- « let aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro « parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacri- « ficii, vel pro his qui ex stirpe Abrahæ prodierant « mysterium Circumcisionis. » Referuntur in Jure, de Consec. d. 4, can. 5.

« S. Bernardus, serm. 1 de Cœnâ Dom. : *Quæ est ergo gratia, unde per Baptismum investimur? utique purgatio delictorum; hujus quidem gratiæ Sacramentum priùs erat Circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet*. Lege insuper Epist. 77 ad Hug., et serm. 4 de Circumcisione.

« Innoc. III, cap. *Majores*, extra. de Bapt., lib. 3, tit. 4 : *Baptisma successit circumcisioni..... Sicut sine distinctione quâlibet Mosaica lex clamabat : « Anima « cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de « populo suo, » ita nunc indistinctè intonat vox evangelica : « Nisi quis renatus fuerit, »* etc. Postea ponit discrimen inter Circumcisionem et Baptismum, quòd *etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cœlorum, quod usque ad mortem Christi fuit observatum*.

« His jungendi sunt Venerab. Beda, lib. 1 in Luc., c. 8; Magist. Sent., l. 4, d. 1; Hugo Vict., l. 1, p. 2, c. 3; S. Th. hìc et alibi; S. Bonav., Alensis, Scotus, Durandus et alii innumeri.

« Hos quidem pro majori parte sibi opponit Tournely, sed ad solum S. August. respondet eo modo quem refutavimus supra, ad alios verò obmutescit.

« Prob. 4° rationibus theologicis. Omni tempore tam in lege naturæ quàm in lege scriptâ fuit pro parvulis remedium contra peccatum orig., institutum in aliquo signo visibili protestativo fidei in Christum venturum; ita docet ipse Tournely, q. d. 2 de Sacram. in genere, a. 3. Istud autem signum secundùm D. Th., q. 60, art. 5, ad 3, debuit esse magis determinatum post Incarnationem revelatam Abrahæ, et in lege scriptâ quàm in lege naturæ ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur; atqui nullum aliud est assignabile quàm Circumcisio : aut assignent. Ergo.

Verùm, quod fortè miraberis, hoc ipsum, cogente veritate, agnoscit Tournely, non satis sibi constans. laudato enim art. 3, postquàm primâ conclusione posuit et probavit ex Patribus, exstitisse pro parvulis in lege naturæ aliquod adversùs peccatum originale remedium, dicit : *Atque hoc ipsum legis naturæ contra originalem noxam remedium perseveravit etiam in lege Moysis, ac locum habuit tum in infantibus, qui ante octavum à nativitate diem circumcidi non poterant, tum in mulieribus quæ à lege Circumcisionis erant immunes; pro illis enim non aliud fuit remedium, quàm quod tempore legis naturæ usurpabatur*. Hæc verba, ut arbitror, non indigent glossâ; apertè enim indicant pro parvulis octo dierum, qui poterant circumcidi, non perseverâsse remedium legis naturæ, sed illi subrogatam fuisse Circumcisionem.

« Conf.: Juxta SS. Patres et omnes theologos, annuente Tournely, q. cit., art. 3, Circumcisio erat Sacramentum antiquæ legis; atqui de ratione Sacramenti est quòd sit signum practicum gratiæ et perfectæ sanctitatis; hoc quidem negat theologus Paris., sed nos probavimus de Sacram. in genere, diss. 1, a. 2; ergo.

« Quomodò verò Circumcisio conferret gratiam, dixi diss. 3 de Sacram. in genere, a. 6, eam scilicet conferre parvulis ex opere operato, non activè, sed passivè, hoc est, Circumcisionem non habere in se vim efficiendi gratiam, sicut habent Sacramenta novæ legis, sed Deum ad ejus positionem ex fide Mediatoris gratiam conferre. Vide diligenter loco cit.

« Insuper adverte Circumcisionem posse considerari dupliciter : 1° Nudè, ut erat signum carni impressum, quo Judæi sensibiliter à gentibus distinguebantur; 2° ut erat Sacramentum fidei et regenerationis, seu ut erat professio fidei in Christum venturum; sic enim Deus illam instituerat, ut quicumque rectâ intentione illam adhiberet, profiteretur per illam, fidem Christi venturi. Primo modo considerata nihil conferebat, ad gratiam et ad remissionem peccati, quamvis de illâ ut tali gloriarentur Judæi, quos ideò redarguit Apostolus. Secundo autem modo considerata conferebat, sicut dixi, passivè et moraliter, non præcisè ratione sui, sed ratione fidei hoc signo significatæ et applicatæ. Ad hæc duo si benè attenderis, facilè solves argumenta ex Apostolo et Patribus deprompta.

« Obj. 1° cum Tournely : Gen. 17, v. 10 et 11, ad hoc unum instituta legitur Circumcisio, ut esset signum fœderis inter Deum et Abraham ejusque posteros : *Hoc est pactum meum*, inquit Deus, *quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te ; circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me et vos ;* nihil de remedio peccati ; ergo. — Resp. : Nego ant. : Versu enim 14 legitur lex generalis quòd qui non circumcidetur, delebitur de populo Dei. Vide primam probationem. Insuper Deus non init fœdus cum impiis ; si ergo circumcisio sit signum fœderis Dei cum posteris Abrahæ, necesse est ut hi habeant fidem, gratiam, sanctitatem ; illam autem parvuli non habebant in præputio, sicut Abraham adultus habuerat ; nascebantur enim filii iræ : ergo illam habebant per Circumcisionem, ut erat protestativa fidei quam habuerat Abraham.

« Obj. 2° cum eodem : Apost., Rom. 4, v. 11, dicit Abraham *accepisse signum circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio ;* super quem locum S. Aug., l. 4 contra Donat., c. 24, docet circumcisionem fuisse in Abraham signaculum justitiæ præcedentis ; in Isaac verò et iis qui parvuli circumcidebantur, fuisse signaculum justitiæ sequentis, quando scilicet ad adultam ætatem pervenerint. Insuper multa alia in eamdem rem profert Apost. — Resp. equidem Abraham accepisse justitiam fidei in præputio, quia ex fide justificatus erat antequàm institueretur circumcisio, ut esset pater omnium credentium, sive circumcisorum, sive incircumcisorum ; at Isaac et alii posteri Abrahæ justitiam fidei acceperunt in circumcisione. Cùm autem S. Aug. dicit in Isaac fuisse signum justitiæ secuturæ, non intelligit de remissione peccatorum et justitiâ habituali, sed de actuali. Sicut enim in Abraham operatio virtutum præcesserat Circumcisionem, sic in Isaac et parvulis circumcisis secutura erat, si in domo justitiæ, quod acceperant, perseverarent.

« Quantùm ad alia quæ profert Apostolus, iis tantùm vult ostendere justitiam non haberi, sive per legem, sive per circumcisionem nudè et carnaliter consideratam, sed per fidem Christi, cujus Circumcisio erat sacramentum et professio, sicque Circumcisionem sine illâ fide nihil prodesse ad justitiam, cum illâ verò prodesse ; sicut quamvis ibidem dicat Apostolus opera legis sine fide non justificare, id tamen non denegat operibus fidei conjunctis ; similiter de Circumcisione. Item sicut dicimus nihil valere Baptismum ut est nuda ablutio corporis, multùm autem valere ut est sacramentum ; ita dixit Apost. Circumcisionem carnalem, seu ut est abscissio carnis, nihil valere, licèt multùm valeat ut est sacramentum et professio fidei. Et ita loquebatur Apostolus, ut fidem commendaret et compesceret superbiam Judæorum, qui propter Circumcisionem gloriabantur et gentes contemnebant.

« Inst. 1° : Apost., ibid., cap. 3, dicit : *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas Circumcisionis? Multùm per omnem modum, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Ergo ibi sistit privilegium Circumcisionis, quòd Judæis sint concessæ lex et prophetiæ, justitia autem habeatur ex fide, sive in circumcisione, sive in præputio. — R. 1°, ut ante, sensum Apostoli esse legem et Circumcisionem carnalem prout spectant ad vetus Testamentum absque fide Christi et circumcisione cordis, nihil aliud conferre ad justitiam quàm notitiam mandatorum, quæ peccata arguunt, non tollunt ; 2° juxta plures per *eloquia Dei*, oracula et promissa Dei intelliguntur, inter quæ reponitur illud, quòd per Circumcisionem ex fide deleatur peccatum in homine, ut ipse non deleatur de populo Dei ; 3° juxta Estium, ista responsio Apostoli non spectat secundum membrum suæ interrogationis, hoc scilicet : *Aut quæ utilitas Circumcisionis?* Illi enim respondet capite sequenti ; sed primum, hoc scilicet : *Quid ergo amplius Judæo est?*

« Inst. 2° : Idem Apost., Galat. 5, dicit : *In Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet neque præputium ;* ergo. — R. Apostolum ibi redarguere quosdam, qui volebant legem tunc adhuc vigere et necessariam esse ad salutem ; sensus ergo illius est : Nunc in Christo, id est, in Religione christianâ, nihil valet ad justitiam consequendam, sive Circumcisio, sive præputium, sive sis circumcisus sive non, sed fides non otiosa seu quæ per charitatem operatur.

« Obj. 3° cum eodem, ex Patribus S. Augustino anterioribus. Justinus, in Dialogo cum Triphone : *Circumcisionem*, inquit, *in signum, non in justitiam accepit.* S. Irenæus, l. 4 contra Hæreses, c. 30 : *Circumcisionem non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus.* Tertull., l. adversùs Judæos, c. 2 : *Si Circumcisio purgat hominem, Deus Adam incircumcisum non faceret ; cur eum non circumcidit vel posteaquàm deliquit, si purgat Circumcisio?* Et cap. 3 de Abraham : *Acceperat Circumcisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogativam.* Idem S. Chrysostomus, hom. 27 in Genes. ; S. Ambros., ep. 72 ; S. Greg. Nyss., de Trinit. adv. Judæos ; S. Cyprian., lib. 1 contrà Judæos, cap. 8 ; S. Hieronym., in cap. 3 Galat., et alii ; ergo. — R. 1°, laudatos Patres loqui de Circumcisione eo sensu quo superiùs dixi locutum fuisse Apostolum, seu eo sensu quo Galat. 4 vocat instituta veteris legis *infirma et egena elementa*, quatenùs scilicet Circumcisio ex se et undè considerata ut sigillatio carnis, à Christo et ejus fide separata nihil confert ad salutem, licèt conferat ut est sacramentum et professio fidei regenerationisque symbolum ; vel quatenùs non habet vim causandi activè gratiam, sicut habent Sacramenta novæ legis, quamvis conferat passivè, hoc est, à Deo conferatur ad ejus positionem ex fide tanquàm ad signum divinæ promissionis. — R. 2° : Quidquid senserint laudati Patres, magis standum est in hâc parte S. Augustino et sequentibus Patribus, qui occasione hæresis Pelagianæ rem attentiùs expenderunt, quàm præcedentibus, qui nullâ tali pulsati quæstione obiter rem tetigerunt. Ita ipse S. Aug., l. de Prædest., c. 14, respondit iis qui ejus sententiam de prædestinatione ut novam traducebant.

« Obj. 4°, cum eodem, à ratione : 1° Lex Circumcisionis feminas non obligabat, nec masculos ante octavum diem, ex quo sequitur pro ipsis fuisse peccati originalis remedium à Circumcisione distinctum, sicque meliorem fuisse feminarum conditionem, quæ nec octavum diem expectare debebant, nec dolori Circumcisionis subjiciebantur ; 2° Judæi per 40 annos in deserto non fuerunt circumcisi ; ergo aliud erat pro peccato originali remedium ; 3° neque Philo, neque Joseph, neque Rabbini uspiam mentionem faciunt virtutis illius spiritualis, quam nonnulli doctores catholici Circumcisioni affingunt ; ergo. — R. ad primum : In his quæ pendent ex solâ voluntate divinâ, tota ratio facti est voluntas facientis. Congruum tamen erat ut pro masculis et non pro feminis institueretur Circumcisio (ibid., a. 2, ad 4) : 1° Quia fuit instituta ut signum fidei Abrahæ, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi ; 2° quia peccatum originale, contra quod specialiter Circumcisio ordinabatur, à patre trahitur, et non à matre ; solus enim pater, juxtà S. Doctorem, est causa activa generationis, aut saltem, juxta alios, causa principalis. Nec sequitur inde meliorem fuisse conditionem feminarum, quia in provectiori ætate subjiciuntur doloribus partûs et variis aliis calamitatibus. Item congruum erat ut masculus non statim ab ortu circumcideretur, sed expectaretur octavus dies, ne operatio dolorosa in eo statu illi mortem adferret. Ad secundum, triplex adhiberi solet responsio (ibid., a. 4, ad 3) : Prima, quòd ex voluntate Dei sive expressâ sive interpretativâ fuerit cum Israelitis in deserto dispensatum ut sine Circumcisione per remedium legis naturæ possent salvari, eò quòd essent in continuo motu, nescientes quando castra movenda essent aut contra hostes præliandum. Secunda, quòd reverà fuerint culpabiles, qui se vel suos circumcidere neglexerunt. Ita S. Aug., q. 6 super Josue. Tertia est, quòd nulli incircumcisi mortui sint in deserto, quia ut dicitur Ps. 104 : *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Sed illi soli videntur mortui in deserto, qui fuerant circumcisi in Ægypto. Secunda solutio magis arridet Estio et pluribus aliis. Ad tertium, inter probationes protulimus ex Josepho de Voisin testimonium Thalmud, alia plurium Rabbinorum apud eumdem leguntur. Sed et argumentum negativum ex silentio Rabbinorum, si ità esset, non prævaleret probationibus nostris. »

Ita Billuart dissert. 5, art. 1, de Baptismo. Sed cùm multis gravibus theologis opinio contraria non minori probabilitate gaudere videatur, necesse est ut inducamus aliquem, qui breviter ostendat priorem sententiam validis sanè rationibus impugnari posse. Id præstabit doctissimus Collet, qui sic habet cap. 3, art. 1, sect. 4 de Sacramentis in genere :

« Conclusio. Certum non est Circumcisionem institutam fuisse in remissionem peccati originalis. Ita post antiquos plures Estius in Paulum, c. 4 ad Rom., qui tamen aliud docet in 4, dist. 1, § 30.

Prob. Ille effectus Circumcisioni certò attribui non potest, qui neque ex Scripturis, neque ex Patribus certò colligitur ; atqui talis est peccati originalis per Circumcisionem remissio. Et quidem 1° nedùm effectus ille erui possit è Scripturâ, parùm est quin inde contrarium erui posse videatur. Vix enim concipi potest quòd Scriptura primarium Circumcisionis effectum semper reticuerit, satisque habuerit effectus ejusdem secundarios recensere, etiam dùm in commendandâ illius utilitate tota erat ; atqui si Circumcisio in remedium originalis noxæ instituta fuerit, dicendum erit nobiliorem ejus effectum semper suppressum fuisse in Scripturis. Nam Genes. 17, v. 10 et 11, ubi imponitur præceptum Circumcisionis : *Circumcidetur*, ait Deus, *ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos ;* porrò non dicit : *Ut sit in remedium peccati*, sed *ut sit in signum fœderis*, ejus nimirùm singularis benevolentiæ, quâ Deus stirpem Abrahæ prosequebatur ; cultûs item religionisque quam Deo spondebat gens præ cæteris dilecta.

« Confirm. 1° : Signum fœderis independenter à Circumcisione initi, erat signum justitiæ independenter ab eâdem Circumcisione collatæ ; atqui Circumcisio erat signum fœderis independenter à Circumcisione initi. Nam Rom. 4 dicitur Abraham accepisse *signum Circumcisionis* ut *signaculum justitiæ, quæ est in præputio*, id est, quam acceperat adhuc incircumcisus. *Si autem*, ait hìc Estius, *cui primo data est Circumcisio, nihil ex eâ consecutus est justitiæ, consequens apparet nec cæteros ex eâ justificari potuisse.*

« Confirm. 2° : Circumcisio fuit signum justitiæ iis omnibus collatæ, quorum pater fuit Abraham ; atqui Abraham fuit pater eorum etiam fidelium, qui independenter à Circumcisione fideles fuerunt ; ergo Circumcisio ejus erat signum justitiæ etiam independenter à Circumcisione collatæ ; ergo proinde Circumcisio justitiam practicè non efficiebat, sed supponebat factam seu in Judæis seu in gentilibus. Atque hæc ipsissima videtur esse ratiocinatio Apostoli, qui post citata verba pergit : *Ut sit* Abraham *pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam ; et sit pater Circumcisionis, non iis tantùm qui sunt ex Circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.*

« Confirm. 3° ex S. Paulo, ibid., c. 3, ubi quærenti quæ sit circumcisionis utilitas, respondet : *Multùm per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei ;* atqui si Circumcisio in peccati remedium instituta esset, singularis ille effectus inter primaria ejus privilegia recenseri debuisset ; non autem concessio legis, quæ quamvis ingens esset Dei beneficium, per se tamen mortua erat, nihilque adducebat ad perfectum ; ergo, cùm de peccati remissione siluerit Apostolus, hæc non Circumcisioni adscribenda est, sed fidei, juxta id ejusdem Apostoli ibid. v. 30 : *Unus est Deus qui justificat Circumcisionem* seu Judæos *ex fide, et præputium* seu gentiles *per fidem.*

« Jam quòd certò è Patribus erui non possit an Circumcisio in originalis noxæ remedium fuerit instituta, paucis et evidenter probatur in hunc modum :

Tunc certi nihil è traditione erui potest, cùm oppositi Patres Patribus diversas abeunt in sententias; atqui Patres Patribus oppositi circa præsentem controversiam diversas abeunt in sententias. Verissimè enim dixit Estius, loco jam citato : *Nec facilè quempiam reperias Augustino priorem, qui in signaculo Circumcisionis virtutem agnoscat animas à peccato mundandi ; tametsi hæc opinio post Augustinum, eoque, ut apparet, auctore, multùm apud Latinos recepta fuerit.* Et verò Circumcisionem nihil ad justitiam profecisse tradunt S. Justinus Dialogo cum Triphone, p. 234, ubi sic : *Abraham Circumcisionem accepit in signum, non ad justitiam ; quemadmodùm et Scripturæ, et res ipsæ nos fateri cogunt.* S. Irenæus, lib. 4, c. 16, aliàs 30 : *Circumcisionem non quasi justitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ ;* et infra : *Et quia non per hæc justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit quòd ipse Abraham sine Circumcisione credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Tertullianus, lib. contra Judæos, c. 3 : *Providens Deus quòd hanc Circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus*, etc. Concinunt Cyprianus, lib. 1 contra Judæos, c. 8, Epiphanius, hæresi 8, Chrysostomus, hom. 27 in Genesim, ubi Circumcisio *ad justitiam nihil* conferre dicitur ; Ambrosius demùm atque Hieronymus, ille epist. 74, aliàs 72, iste in cap. 3 ad Galatas.

« Cùm autem ab eâ antiquiorum Patrum opinione recesserit Augustinus, *eoque, ut apparet, auctore*, complures alii, puta SS. Prosper, Fulgentius, Beda, Innocentius III, in cap. *Majores*, probata manet secunda conclusionis nostræ pars, scilicet certum nihil et unanime in præsenti negotio colligi posse ex Patribus.

« Addit Tournelyus ex opinione quæ Circumcisionem in remedium originalis peccati institutam docet, hæc absurda sequi, 1° nec feminas quæ nullatenùs, nec mares, qui ante octavum diem circumcidi non poterant, ab originali noxâ mundari potuisse ; quòd non patitur effusa Dei voluntas de omnium salute ; 2° neminem Israelitarum, qui per annos 40 in deserto commorati sunt, ab originali noxâ mundatum fuisse ; quandoquidem toto eo tempore observata non fuerit lex Circumcisionis. His adjunge altum esse silentium de istâ Circumcisionis efficaciâ, tum apud peritiores Rabbinos, tum apud Josephum, lib. 1 Antiq., cap. 12, tum et apud Philonem Judæum, qui tamen in libro de Circumcisione plures ejusdem causas recenset.

« Fatendum tamen in re quæ à solâ Dei voluntate pendet, nullam afferri posse rationem quæ satis facilè non diluatur. Unde

« Ad primum, reponent adversarii exteriorem fidei protestationem, quæ feminis in remedium erat, maribus applicatam fuisse quoties hi circumcidi non poterant ; idque suadere summam Dei benignitatem.

« Ad secundum, dicent vel Judæos in deserto ex Dei dispensatione usos esse naturæ remedio ; vel eos gravis negligentiæ reos fuisse ; vel denique ex iis qui in deserto nati sunt, neminem in eodem deserto mortuum esse ; unde et omnes postea circumcisos fuisse subindicat liber Josue, cap. 5.

« Ad tertium, regerent auctoritatem S. Augustini, quem tot Ecclesiæ doctores secuti sunt, prævalere Philonis et Josephi silentio ; cùm hi præsertim plura reticuerint Judaicæ religionis mysteria, sive quia iis haud satis instructi erant ; seu quia eadem apud gentes evulgari noluerint. Nequidem enim dixerunt Circumcisionem esse signum orituri ex Abrahamo Messiæ, quod tamen non videbatur omittendum.

« Obj. id Genes. 17, v. 14 : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, et quidem *octavo die*, ut habent Græci codices 70 Interpretum, Latinique non pauci, quibus utebatur Augustinus, *delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Unde sic : Eò loci præcipitur 1° ut masculus circumcidatur octavo die ; 2° ut nisi circumcisus fuerit, deleatur anima ejus de populo, quia pactum Dei irritum fecit ; atqui hæc manifestè ostendunt Circumcisionem in remedium peccati originalis institutam fuisse ; quemadmodùm hæc phrasis : *Infans, qui baptizatus non fuerit, delebitur de populo Dei*, ostendit Baptismum in ejusdem peccati medelam institutum esse. Prob. min. : Pactum de quo sermo est spectat ad infantem etiam octo dierum, et ita ad eum spectat, ut propter ejus violationem infans à populo Dei deleri debeat, id est, in æternum perire ; atqui pactum quod infans violat, et violando damnari meretur, est ipsum pactum quod Deus inierat cum Adamo, ut vel abstineret à fructu vetito, vel alioqui æternæ temporalique morti obnoxius fieret. Infans enim nullius alterius pacti infractor esse potest ; unde non potest censeri infractor pacti Circumcisionis, cùm præcepti hujus omninò sit incapax ; ergo pactum de quo hìc sermo est, est ipsum pactum Dei cum Adamo. Ita Augustinus, lib. 16 de Civ. Dei, cap. 27. — R. neg. maj. : hæc enim verba, *octavo die*, quæ in mendosis codicibus legebat Augustinus, et propter quæ pactum Dei ab ipsis etiam infantibus irritum fieri, ac proinde pactum hoc, non pactum cum Abraham, sed cum Adamo initum esse credidit ; hæc, inquam, verba assuta sunt et Scripturæ extranea ; unde nec in Vulgatâ editione, nec in codicibus Hebraicis, nec in Paraphrasi Chaldaicâ habentur, ut notat Pererius. Quapropter, corruente Augustini fundamento, superstructam ei opinionem corruere necessum est. Itaque, juxta germani hujusce textûs lectionem, præceptum Circumcisionis dirigitur ad adultos, quos capite plecti mandat Deus, si pactum circumcisionis irritum fecerint, id est, si se suosve circumcidi non curent. Atque hinc Exodi 4, propter omissam filii Moysis Circumcisionem, non filium, quia innocens erat, sed patrem, quia reum Deus occidere voluit ; et si, jubente Deo, occisus esset Moyses, ratiocinaretur profectò ; qui eum æternæ damnationi addictum diceret ob culpam, quæ in magno Dei servo nonnisi levi negligentiæ adscribenda videretur. Unde falsum etiam est, quod generaliter dicit Augustinus verba hæc : *Delebitur anima illa de populo suo*, æternum interitum sonare. Adi eumdem Pererium, disp 6,

in v. 13 et 14 Genes. Resp. 2° : Neg. min. et probationis majorem; pactum enim quod violabant qui non circumcidebantur, est pactum de quo dicitur v. 10 : *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos: circumcidetur ex vobis omne masculinum ;* quod quidem pactum ibidem octies nominatur; non autem esse potest pactum cum Adamo, de quo ibidem silet Scriptura, imò quod nullibi apud eam pacti nomine vocatur; atqui pactum de quo agitur v. 10, non spectabat infantes, quasi ob ejusdem transgressionem plecti deberent, sed solùm sub eo transgressionis puniendæ respectu spectabat adultos, qui et se ipsos et infantes suos sub pœnâ mortis circumcidere tenebantur, ut patet ex eâdem pœnâ, Moysi ob neglectam filii sui circumcisionem intentatâ; ergo.

« Inst. : Verba hæc, *octavo die*, quæ in falsis codicibus legisse supponitur Augustinus, reipsâ habentur cit. cap. 17 Genes., v. 12, ubi dicitur : *Infans octo dierum circumcidetur in vobis;* ergo stat totum Augustinianæ ratiocinationis robur. — R. Neg. ant. et conseq.; neque enim hinc solùm petita erat Augustini ratiocinatio, quòd infans octavo die circumcidendus esset, sed quòd omissâ hâc Circumcisione infans ille è populo sanctorum deleri deberet; hanc porrò comminationem quam è codicibus suis benè vel malè colligebat S. doctor, non importat versus 12, ubi solùm præcipit Deus ut infans non ante octo à nativitate dies circumcidatur, ne ferendo dolori impar succumbat.

« Sunt qui, ut anteriores Patres cum Augustino ejusque sequacibus concilient, fateantur Circumcisionem, nullam ex primævâ suâ institutione habuisse vim justificandi, sed solùm datam fuisse ut signum quo populus fidelis ab infideli secerneretur. Sed contendunt simul iidem, quòd cùm parvuli, ut in lege naturæ, sic et in lege scriptâ, justificari debuerint per cæremoniam aliquam religiosam, quæ internæ fidei de Christo venturo fidem involveret, et cujus determinatio hominum libertati à Deo permissa erat; Judæi in locum cæremoniæ quâ ante Circumcisionis præceptum utebantur, Circumcisionem ut fidei suæ protestativam elegerint quoad parvulos ante octavum diem non morientes; eodem semper, qui priùs in usu erat, retento ritu, seu quoad feminas, seu quoad mares qui vel periclitabantur, vel ob morbum aliudve impedimentum die octavo circumcidi non poterant. Opinionem hanc latè et eruditè, ut solet, evolvit card. de Lugo, disp. 5, n. 40 et seq.

« Isthæc conciliationis ratio id fortè incommodi cuipiam habere videbitur, 1° quòd, juxta ipsam, felicior quoad remissionem originalis noxæ fuerit Judæorum conditio quàm Christianorum : hi enim sine aquâ infantes suos regenerare non possunt; illi quocumque vellent signo suos poterant regenerare; 2° quòd Patres plerique ante Augustinum, non modò scripserint Circumcisionem ex primævâ suâ institutione fuisse merum signum quo justitia non conferebatur, sed de eâ, tanquàm cæremoniâ ex se perpetuò sterili, quæque nihil unquàm profuerit, locuti sint; qui autem fieri possit, ut Patres Synagogæ viciniores, tam contemptim loquerentur de ritu, qui, Deo saltem approbante, penè totam Judæorum gentem sanctificâsset?

« Quæres an, admissâ Augustini sententiâ, qualem admisit ipse, Circumcisio labem originalem deleverit ex opere operato. — Resp. affirm. : sic enim loquitur S. doctor, lib. 2 de Nuptiis et Concup., c. 11 : *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum fidei, ita ad significationem* (practicam scilicet, unde exemplaria quædam legunt *sanctificationem*) *purgationis valebat et in parvulis originalis veterisque peccati, sicut et Baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo institutus est;* et lib. 4 contra Donatistas, cap. 24 : *Ipsum per seipsum* Circumcisionis *Sacramentum multùm valebat; quod in filio Moysi per angelum manifestatum est.* Unde sic : Quod per se ad originalis peccati purgationem valebat, sicut ad hominis regenerationem valet Christianorum Baptismus, illud non secùs ac idem Baptismus originale peccatum delebat ex opere operato; atqui ex S. Aug., etc.

« Confirm. ex eodem S. doctore, lib. 1 contra Cresconium, c. 31, ubi hæc loquitur : *Numquid apud Samaritanos circumcisus, si fieri tunc vellet Judæus, posset iterùm circumcidi? Nonne illius hominis error corrigeretur, signaculum autem fidei probaretur?* et infra : *Cur Circumcisio et apud hæreticos Judæorum esse potuit, iste autem Baptismus apud hæreticos Christianorum non potest esse?* Unde sic : Id quod valet independenter à merito tum ministri tum suscipientis, valet per se, seu ex opero operato; atqui ex Augustino Circumcisio valebat independenter... In parvulo enim, aut in adulto hæretico, qui ab hæretico alio circumciditur, nullum est meritum seu ministri seu suscipientis; atqui tamen ex Augustino tunc valebat hujusmodi Circumcisio, sicut valet collatum ab hæreticis Baptisma; unde sicut istud jam non potest, sic nec illa tunc poterat iterari; corrigebatur error malè credentis, sed *probabatur signaculum* veræ *fidei;* ergo.

« Eadem est S. Gregorii Magni opinio; sic ille, lib. 4 Moral., c. 3 : *Quod valet apud nos aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides* exteriùs applicata, *vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium Circumcisionis.* Idem docere videntur Innocentius III, cap. *Majores*; S. Bernardus, Epist. 77 ad Hugonem; Beda, lib. 1 in Lucam, etc.

« Cæterùm sive erraverit Augustinus circa vim Circumcisionis, sive non, difficile est ut remedium contra originalem noxam usurpatum ab antiquis, aliter quàm ex opere operato gratiam in parvulis peperisse intelligatur : vel enim opus operantis vi cujus iidem justitiam obtinuisse fingentur, consistebat in actu parvulorum, vel in actu aliorum à parvulis, puta parentum aut ministrorum; atqui neutrum dici potest : non primùm, quia parvuli actûs proprii incapaces sunt; non secundùm, tum quia alioqui valdè incerta fuisset originalis peccati remissio, cùm facilè parentes aut ministros actuali fide carere contingat; tum quia vel actus ille fidei fuit actus fidei informis, vel actus fidei per charitatem formatæ. Si actus fidei informis, ut vo-

lunt adversarii, quæro cur actus ille, qui eum à quo elicitur justificare non potest, alium ab ipso, puta infantem, justificare possit. Utique quòd nullam cum propriâ justificatione proportionem habet, nullam à fortiori cum alterius justificatione proportionem habere potest. Si actus ille, actus fuisse dicatur fidei formatæ, quæram 1° quâ ratione actus, qui nunc in alio gratiam producere non valet, ad id valuerit sub lege scriptâ? quæram 2° an fidei formatæ actus iis à quibus eliciebatur profuisset ad obtinendum gratiæ augmentum, an non? Si non, ergo vir justus nihil ex opere undecùmque bono sibi merebatur gratiæ, quod absurdum est; si sic, ergo, cùm parentes jam boni sui operis fructum accepissent, et aliunde duplex non sit ejusdem actûs præmium, id quod parvulis ex bonâ suorum parentum actione concessum esset, ex Dei liberalitate potiùs quàm ex opere operantis concessum fuisse censeri deberet.

« At, inquies, argumenta hæc probant quidem remedium naturæ, vel Circumcisionem, in mente Augustini, fuisse conditiones sine quibus gratia non producebatur; sed non probant ea gratiam ex opere operato produxisse. Et verò si id admittatur, pessimè consultum erit Decreto Eugenii IV, secundùm quod legis Mosaicæ Sacramenta, ac proinde Circumcisio, *gratiam non causabant.* — R. esse quidem theologos qui remedium naturæ et Circumcisionem nolint fuisse veras gratiæ causas, sed tantùm conditiones sine quibus non conferabatur eadem gratia. Ratio eorum præcipua est, quòd quidquid ex opere operato gratiam producit, quodammodò continere debeat pretium gratiæ quam vi solius suæ applicationis producit; item et esse quadamtenùs actio Christi, quæ quà talis vim habeat ad movendum Deum; atqui, inquiunt post S. Thomam, 3 p., q. 62, art. 6, id non conveniebat Circumcisioni aut remedio naturæ; hæc enim nec Christi nondùm nati actiones esse poterant, nec Christi nondùm passi merita et pretium involvere; ergo. Ita cum aliis pluribus Grandin, p. 64, et Lugo, disp. 5, n. 61.

« Verùm solutio hæc haud difficilè confutabitur ab iis qui cum Augustino Circumcisionem originalis noxæ medelam fuisse volent: nam 1° S. doctor, ejusque sequaces de Circumcisione loquuntur perinde ac de Baptismo, ac proinde parem utriusque efficaciam esse decernunt; 2° si antiqui Judæi per Messiæ aliquando venturi et passuri merita justificati sint, quidni ritus per quos Deus parvulis succurri voluit, Christi merita involvisse, et ideò præviæ ejusdem Christi actiones fuisse dicantur? Certè si *agnus ab origine mundi occisus est* (Apoc. 13), potuit ab origine mundi operari.

« Neque ex hoc Augustini systemate quidquam detrimenti patitur Eugenii IV Decretum. Is enim pontifex nonnisi *antiquæ legis* Sacramentis efficaciam ademit; atqui Circumcisio, quæ quadringentis ad minus annis ante legem sancita erat, non fuit sacramentum antiquæ legis, sed legis naturæ; unde id Christi apud Joannem 7, v. 22: Circumcisio *non ex Moyse est, sed ex Patribus;* ergo.

« Circa cæteras quæ hìc moveri possent quæstiones, adi Lugo, cit. disp. 5, sect. 4. » (Editores.)

APPENDIX SECUNDA.

DE INTENTIONE MINISTRI SACRAMENTORUM.

(Deprompta ex Billuart.)

Hic primùm cum hæreticis, deindè cum quibusdam doctoribus catholicis est decertandum.

Hæretici nullam requirunt in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia, sed volunt quòd ritus sacramentalis, sive mimicè et irrisoriè repræsentatus exteriùs, sicut histriones in theatris aliorum personas et facta repræsentant et fingunt, sive ab ebrio aut amente exercitus, sit verum Sacramentum. Ita Lutherus, lib. de Civit. Babyl.: *Non enim,* inquit, *in conferentis tantùm, quantùm in suscipientis fide vel usu sita est virtus Baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato.* Et in art. 12, inter eos quos Leo X damnavit: *Si sacerdos,* inquit, *non seriò sed joco absolverit, si tamen credat se esse absolutum, verissimè absolutus est.*

Et quamvis Calvinus, Kemnitius et alii recentiores hoc Lutheri dogma emollire videantur, ac tantùm rejicere intentionem internam, constat tamen ex eorum capitali dogmate eos nullam in ministro requirere intentionem faciendi quod facit Ecclesia; uno ore enim omnes tenent Sacramenta nihil aliud esse quàm signa quibus excitatur in nobis fides quâ justificamus; quovis autem modo frequententur, sive mimicè et irrisoriè; sive à stulto vel ebrio, seclusâ quâvis intentione faciendi quod facit Ecclesia, semper sunt signa quibus fides in nobis excitari potest; idque probat Kemnitius, 2 parte Exam. Conc. Trid., ad can. 11, sess. 7, ex paritate cum verbo evangelico: « Ex quo intelligitur, inquit, quòd quemadmodùm verbum Evangelii prædicatum sine ullâ intentione, esse verbum Evangelii non desinit, et qui ei assentitur, justificatur, quantùmvis perversam, tam interiorem quàm exteriorem, vel etiam nullam habeat minister; ita neque desinit esse Sacramentum, modò applicetur forma materiæ, etiamsi absque intentione rectâ applicetur, sed è contra, cum perversâ interiori, vel exteriori, vel etiam nullâ. »

Quidam doctores catholici improbato Sacramento exteriùs mimicè et irrisoriè frequentato, seu ab amente, ebrio, vel dormiente collato, dicunt requiri et sufficere ad perfectionem Sacramenti, quòd minister exteriùs seriò ritum peragat, quamvis interiùs ridere,

fingere et jocari, aut actum materialiter ut naturalem et profanum exercere tantùm intendat, et hanc intentionem vocant exteriorem, de quâ § subseq. Itaque 1° contra hæreticos dogma fidei adstruemus; 2° contra Catholicos externæ intentionis defensores disputabimus; 3° de variis qualitatibus intentionis requisitæ disseremus.

§ 1. *Dogma catholicum de intentione ministri contra hæreticos asseritur.*

Dico: Ad perfectionem Sacramenti requiritur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia; ita ut Sacramentum exteriùs mimicè et irrisoriè, seu à ministro rationis impote collatum, sit nullum. (S. Thom. q. 64. art. 8, O.)

Prob. 1° ex S. Scripturis: Apost., 1 Cor. 4, dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Atqui nemo dicet ministrum et dispensatorem regis qui non seriò et ex rationis proposito, sed mimicè et histrionis instar, vel dormiens aut ebrius mandata et munera regis dispensaret; ergo.

Item: Christus non solùm Sacramenta instituit, sed etiam illorum potestatem Apostolis tradidit, juxta illud Joan. 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.* Atqui potestas faciendi vel non faciendi non est nisi in iis rebus, quæ ex deliberatione et proposito agunt; ergo.

Conf.: Si judex vel dormiens vel ebrius, vel exteriùs mimicè sententiam absolutionis proferret, nulla censeretur ejus absolutio; ergo similiter.

Prob. 2° ex conciliis: Conc. Constant., sess. ult., in Constitutione Martini V, præscribit ut suspectus de hæresi Wicleffi interrogetur: *Utrùm credat quòd malus sacerdos cum debitâ materiâ et formâ et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, verè conficiat, verè absolvat, verè baptizet, et verè conferat alia Sacramenta;* ubi supponit intentionis necessitatem.

Conc. Florent. in decreto Eugenii declarat, quòd *omnia* Sacramenta *tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquàm materiâ, verbis tanquàm formâ, et personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.*

Conc. Trid., sess. 7, can. 11, sic definit: *Si quis dixerit in ministris, dùm Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.*

Prob. 3° rationibus theologicis, ibid.: Prima; quando aliquid ex se est indifferens et potest ordinari ad multa, si effici debeat, oportet quòd per aliquid determinetur ad unum; atqui quæ in Sacramentis aguntur, sunt ex se indifferentia, et possunt ordinari ad multa, v. g., ablutio aquæ in Baptismo potest fieri ex joco vel seriò, potest exerceri ut naturalis et profana, nimirùm ut ablutiva aut sanativa corporis tantùm, vel ut sacra et religiosa; neque dici potest quòd determinetur ad esse sacrum et religiosum per verba *Te baptizo*, etc.; quia et hæc sunt indifferentia ut significent naturalem ablutionem corporis, vel sacram lotionem animæ; ergo restat quòd res et verba debeant determinari per intentionem ministri, nihil enim aliud est assignabile.

Secunda; ministri Sacramentorum sunt instrumenta Christi non inanimata, sed animata et ratione prædita, ibidem, ad 1; atqui hujusmodi instrumenta non solùm moventur, sed etiam movent seipsa ex deliberatione et intentione; ergo.

Tertia; ea quæ sunt præter intentionem, sunt casualia; atqui non est dicendum de operatione. Sacramentorum quòd sit casualis; id enim repugnat cùm ministri tum Sacramenti dignitati.

Quarta; collatio et ministratio Sacramentorum sunt actus morales; ergo humano modo, id est, ex consilio et intentione peragendi: utquid enim Christus constituisset homines Sacramentorum ministros, nisi ut hominum et non brutorum more se gererent?

Prob. 4° ab absurdis. Si vera esset hæreticorum sententia, sequeretur: 1° quòd mater abluens domi infantem à sordibus sub invocatione Trinitatis, ut benè illi sit, ipsum baptizaret. 2° Quòd stultus infundens è fenestrâ catechumeno transeunti situlam aquæ, proferens jocando formam Baptismi, ipsum baptizaret. 3° Quòd sacerdos lector mensæ apud regulares qui legeret c. 26 Matth., omnes panes mensæ appositos, et omnes vini phialas consecraret. Hæc autem apertè sunt absurda; ergo.

Hæc argumenta pro majori parte redibunt § sep., et alia adjicientur.

Solvuntur objectiones hæreticorum.

Obj. 1°: Ex historiâ ecclesiasticâ. 1° S. Athanasius admodùm puer, ludens cum aliis pueris in littore maris, eos baptizavit; hunc autem Baptismum ratum habuit S. Alexander Alexandriæ episcopus, ut referunt Sosomenus, lib. 2, c. 17; Nicephorus, lib. 8, c. 15; Rufinus, lib. 1 Hist., c. 14. 2° Puer Hebræus pariter ab aliis pueris ludentibus in littore maris fuit baptizatus, quem Baptismum probavit episcopus Constantinop. apud eumdem Nicephorum, lib. 3, c. ult. 3° S. Genesius, circa annum 286, minicè repræsentans in theatro mysteria nostræ religionis, subitò conversus, ab altero mimo baptizatus est; qui Baptismus non fuit iteratus, ideòque reputatus validus. 4° Ex S. Aug., epist. ad Alipium 67, nunc 227, colligitur quemdam Dioscorum architheatrum nugaciter ludentem in theatro et mysteria religionis nostræ subsannantem, recepisse Baptismum, qui probatus fuit, siquidem *omnis ab eo fuerit deleta nugacitas*, ut scribit S. Aug.

Responsioni præmitto ritum sacramentalem posse duplici modo exerceri per jocum et ludum. 1° Ut verè intendatur fieri quod facit Ecclesia, quamvis secundariò referatur ad ludum et animi oblectationem tanquàm ad finem extrinsecum. 2° Sic ut omninò simulatè et mimicè repræsentetur, eo modo quo Judæi coram Christo genuflectebant eumque regem salutabant. Sacramentum hoc secundo modo collatum per jocum est nullum, quia ludus est actioni sacramentali intrinsecus, ideòque integritati Sacramenti officit; at

primo modo collatum est validum, non minùs quàm Sacramentum quod minister administrat lucri causâ : sicut enim intentio lucri est extrinseca substantiæ operis et ipsam non destruit, ita intentio se recreandi.

Hoc præmisso, ad primum, resp. 1°, hoc factum magnâ suppositionis suspicione laborare : si enim credamus S. Hieronymo in Chronico, S. Alexander non fuit ordinatus episcopus Alexandriæ, nisi an. 321; anno autem 325, S. Athanasius jam diaconus et doctrinæ famâ celebris interfuit Nicænæ synodo, et an. seq. 326, mortuo Alexandro, ejus successor renuntiatus est : ex quo sequitur Athanasium annos ad minus 22 natum fuisse, tempore quo S. Alexander inauguratus fuit episcopus Alex.; si verò alios audiamus, Pagium ad annum 311, et Patres Benedictinos S. Mauri, in vitâ S. Athanasii, S. Alexander creatus fuit episcopus anno 313; sed cùm omnium consensu constet S. Athanasium S. Alexandro successisse in sede Alexandriæ, anno 326, consequenter tunc annum saltem trigesimum attigisse (juxta enim canones et mores hujus temporis nullus ordinabatur episcopus ante annum 30; nec usquàm legimus Arianos Athanasio exprobrâsse quòd junior arripuisset episcopatum, quod procul dubio non omississent, cùm id exprobarent Pauliciano, S. Hieronymi fratri), sequitur saltem quòd anno 313, quo Alexander fuit consecratus episcopus Alexandriæ, S. Athanasius decurreret annum ad minus 17, ideòque non esset admodùm puer et impubes; ut ex Rufino narrant Socrates et Sosomenus, sed capax perfectæ deliberationis et intentionis. Insuper diversitas auctorum in circumstantiis facti referendis indicat suspicionem. Socrates refert Alexandrum prætereundo hunc ludum vidisse. Sosomenus, dùm convivas solus exspectaret. Nicephorus, dùm in loco sublimiori esset. Adde Rufinum à quo alii hanc historiam exscripserunt, illam referre nullo alicujus probati auctoris testimonio fultam. Resp. 2° : Datâ veritate hujus facti, S. Athanasium intendisse seriò facere quod per episcopum fieri viderat, licèt id ad recreationem referret; narrat enim Rufinus primus hujus historiæ scriptor, Alexandrum ex puerorum interrogatione deprehendisse quòd *illi omnia secundùm religionis nostræ ritum servàssent*, quòd S. Athanasius nonnisi catechumenos, ut erat ipse, baptizâsset, et habuisset intentionem faciendi *quæ per episcopum in Ecclesiis geri mos erat.*

Ad secundum, resp. pariter pueros baptizando hunc puerum Judæum intendisse facere quod viderant fieri in Ecclesiâ, quamvis id retulerint ad recreationem ut ad finem extrinsecum; narrat enim Nicephorus hunc puerum Hebræum non fuisse invitum, omnes cæremonias consuetas adhibitas fuisse, trinam immersionem cum invocatione Trinitatis observatam fuisse, pueros baptizantes deduxisse baptizatum in Ecclesiam, ubi communionis signum accepit, et antistitem Constantinopolitanum jussisse *ut etiam in illo, quod deesset, juxta mysterii executionem compleretur.* Quod potest intelligi vel de Baptismo conferendo, quia jam annuerat, vel de Confirmatione.

Ad tertium, resp. 1° multis videri fabulosam hanc Baptismi S. Genesii historiam, 1° propter silentium veterum, Ado enim primus post 800 circiter annos hanc historiam refert; 2° propter auctorum dissonantiam : Ado narrat Genesium baptizatum fuisse à sacerdote christiano ad theatrum vocato; alii ab altero mimo edocto ab angelo; alii ab ipso angelo; 3° propter narrationum ineptias; ineptum enim et omninò inverisimile reputant quòd sacerdos christianus mimi rogatu theatrum conscenderit et ludentibus mysteria religionis operas suas locaverit; item quòd angelus inter histriones partes suas egerit, aut monuerit mimum ut seriò Genesium baptizaret; cùm è contra debuisset priùs monere ut se ad fidem converteret, et à re sacrâ in theatro faciendâ potiùs abstineret.

Respond. 2° quidam S. Genesium baptizatum fuisse Baptismo sanguinis, et non fluminis. Et si, præter Adonem et alios, opponas martyrologium Romanum, in quo Baptismus et martyrium S. Genesii referuntur ut duæ actiones distinctæ, respondent martyrologium Romanum, non secùs ac breviarium non esse inconcussæ fidei, sed correctioni subjacere.

R. 3° : Probabiliùs, suppositâ veritate facti, S. Genesium baptizatum fuisse à sacerdote christiano, non in theatro, sed extra paulò post suam conversionem, et statim raptum à militibus, ad imperatorem Dioclétianum, qui præsens aderat, cùm fidem nostram coram illo constanter confiteretur, capite damnatum fuisse. Unde martyrologium Romanum, quod subitam S. Genesii conversionem, Baptismum et martyrium refert, de tempore et ministro Baptismi silet.

Ad quartum resp. 1°, juxta recentiores operum S. Aug. editores, ex fide variorum codicum, non esse legendum *architeater*, hoc est, comœdorum dux, sed *archiater*, id est, medicorum princeps, qui cùm religioni christianæ ante conversionem sæpè insultàsset, suscepto Baptismo, *omnis est ab eo deleta nugacitas.* Resp. 2° : Dato legendum esse *architeater*, et hunc in theatro sæpè lusisse Christianorum ritus, non tamen inter ludendum et in theatro fuisse baptizatum, sed extra, in solemnitate Paschali, post votum pluries emissum et neglectum de suscipiendo Baptismate, ut refert ibidem S. Aug.

Obj. 2° : Ex Patribus. 1° S. Aug., lib. 7 de Bapt., c. 53, dubitabat utrùm Baptisma ludicrè et mimicè collatum, esset validum, dicitque exspectandum *eâ de re divinum judicium per alicujus revelationis oraculum;* ergo antiquitùs non erat saltem asserta necessitas intentionis faciendi quod facit Ecclesia. 2° Idem, tract. 80 in Joan., dicit : *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum;* nulla itaque requiritur intentio. 3° De Consec., dist. 4, cap. *Baptismus*, ex eodem S. Aug., tract. 5 in Joan. dicitur : *Non timeo adulterum, non ebrium, non homicidam, sed columbam attendo, per quam mihi dicitur : Hic est qui baptizat.* 4° S. Chrysostomus, hom. 85 in Joan., dicit : « Neque angelus « neque archangelus quidquam in his quæ à Deo data « sunt efficiunt, sed Pater, Filius et Spiritus sanctus « omnia facit; sacerdos et linguam et manus præbet;

« neque enim justum est propter alterius malitiam ad « salutis nostræ symbola fide accedentes offendi. » Et ibidem comparat sacerdotem impium asinæ Balaam per quam locutus est Dominus. Idem S. Isidorus Pelusiota, l. 2, epist. 37; ergo.

Ad primum, resp. hoc quod S. Aug. exspectabat et optabat, scilicet divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, completum esse per definitiones et oracula duorum conciliorum generalium Florent. et Trid., per quæ nunc saltem, si non antiquitùs, asserta est necessitas intentionis faciendi quod facit Ecclesia. Vel dicas S. Augustinum non dubitâsse an Baptisma mimicè et sine ullâ intentione faciendi quod facit Ecclesia collatum, esset validum; sed an mimicè baptizans posset habere hanc intentionem, sicut diximus S. Athanasium ludendo habuisse; etenim ipsi mimi quamvis plerumque fictè omninò et simulatè se gerant, ut, v. g., dùm se aut alios occidere simulant; possunt tamen interdùm intendere facere, et reverà faciunt aliquid quod ad delectationem animi referunt; ut dùm convivium repræsentaturi, veros cibos comedunt et comestionem illam ad suam et aliorum oblectationem referunt: juxta hanc interpretationem cupiebat definitionem et oraculum, non quoad factum particulare; utrùm hic vel iste habuerit intentionem sufficientem, id enim internum est et definitioni Ecclesiæ non subjacet, sed generaliter quoad probationem vel improbationem Sacramenti hoc modo collati. Cæterùm impudentiæ meritò arguuntur hæretici qui nobis hìc objiciunt S. Aug. dubitantem de tali Sacramento, nihilque de eo affirmare audentem absque definitione et judicio Ecclesiæ, dùm ipsi contra iteratas Ecclesiæ definitiones et judicia pertinaciter contendunt hujusmodi Baptisma esse validum.

Ad secundum, resp. S. Augustinum tantùm illìc velle demonstrare aquam nudè sumptam absque verbis evangelicis non esse Sacramentum Baptismi; dicit enim : *Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* At non dicit verbum non debere accedere ad aquam per actionem humanam cum deliberatione et intentione.

Ad tertium, non legitur in S. Aug. unde iste canon desumptus est, *ebrius*, sed *ebriosus*, et ita nunc legitur in emendatis decreti editionibus. Ebriosus autem non dicit actum, sed habitum seu consuetudinem, quæ non impedit quin homo possit habere rectam intentionem, quandò non est ebrius.

Ad quartum, S. Chrysostomus nihil aliud eò loci intendit quàm ostendere improbitatem ministri non tollere virtutem Sacramenti, quæ est à Deo; dicit sacerdotem præbere manum et lingnam humano scilicet modo cum deliberatione et intentione, non brutorum more; adhibet comparationem cum asinâ Balaam eodem semper fine, ut ostendat dona sacramentalia non esse ab hominibus, sed à Deo, non excluso tamen hominum ministerio. Mens S. doctoris patet ex his quæ habet ibidem; comparat namque sacerdotes ministris principum, sicut autem mandata ministri in somno vel ebrietate vel cum ludicrâ simulatione facta, nullius sunt roboris, ita nec Sacramenta à sacerdotibus non humano modo aut non seriò collata. Idem est scopus Isidori, qui loco citato dicit quòd omnis qui recipit Sacramenta, *ex improbâ sacerdotis vitâ nullo damno afficitur.*

Obj. 3° : A ratione. Verbum Dei concionatorium prolatum absque ullâ intentione vel etiam jocosè efficax est; ergo et verbum sacramentale. — R. N. conseq.: Disparitas est quòd verbum concionatorium sit signum speculativum tantùm et vim habeat à significatione sibi inditâ; unde cùm retineat significationem quovis modo et à quovis, etiamsi à psittaco, proferatur, retinet etiam suam vim et efficaciam; at verbum sacramentale non est signum speculativum tantùm, sed etiam practicum, hoc est, ultra sibi inditam significationem habet efficere aliquid, scilicet Sacramentum, et hoc habet ex institutione Christi, qui voluit ut ad hunc effectum proferrentur humano modo, nisi dicas Sacramentum posse perfici à psittaco.

Inst. 1° : Ideò secundùm nos minister Sacramenti debet habere intentionem, quia est dispensator mysteriorum Dei; atqui concionator est dispensator verbi, et tamen ut verbum sit efficax in eo non requiritur intentio; ergo. — R. concionatorem proponentem verbum Dei mimicè, vel dormientem aut ebrium, et sine ullâ legitimâ intentione, non esse actu dispensatorem verbi; verba sunt tamen efficacia, id est, excitant conceptus in audiente : quia, ut dictum est, habent hanc vim ex significatione sibi inditâ, quæ remanet non obstante ministri dispositione; secùs verbum sacramentale.

Inst. 2° : Minister regis sine ullâ intentione, per solam exhibitionem litterarum aut denuntiationem mandati regii, suum officium implet, quâvis intentione id faciat; ergo similiter.— R. D. ant. : Minister regis qui sit præcisè nuntius et delator mandati, concedo; qui sit missus cum potestate faciendi et non faciendi prout libuerit, nego. Duplex itaque distinguendus est minister in civilibus : unus qui simpliciter defert voluntatem regis aut reipublicæ, et dicitur nuntius, præco, orator, et ille, quâvis intentione, quovis modo prodat mandatum, sufficit; alter est qui deputatur cum potestate faciendi et non faciendi, secundùm propriam deliberationem et judicium, qualis est judex, consul, prætor, etc., et is debet agere ex deliberatione et intentione; nemo enim pareret mandato vel sententiæ judicis aut prætoris dormientis, vel ebrii, vel mimicè agentis : hujus autem secundi generis sunt ministri Sacramentorum.

Inst. 3° : Ministri Sacramentorum sunt instrumenta animata; atqui in confectione operis non attenditur intentio ministri sed causæ principalis; ergo. — R. Distinguo maj.: Sunt instrumenta animata (ibidem, ad 1), concedo; inanimata, nego; et distinctâ minore ad sensum majoris, nego consequentiam. Solutio patet ex probationibus conclusionis.

Quædam alia argumenta quæ contra præsentem conclusionem militant proponentur et solventur § seq.

§ 2. *Quæ intentio requiratur et sufficiat in ministro ad perfectionem Sacramenti?*

Probavimus § præcedenti contra hæreticos requiri in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia, et hoc admittunt omnes Catholici. At gravis inter eos orta est controversia à 200 circiter annis, quid sit intelligendum per has particulas, *quod facit Ecclesia.* Plura namque spectari possunt in eo quod facit Ecclesia : 1° ipse ritus externus præcisè et materialiter; 2° ritus ut frequentatur sacer et religiosus in Ecclesiâ, abstrahendo ab hoc quòd sit vel non sit in se talis; 3° ut est absolutè in se sacer et religiosus seu Sacramentum; 4° ut est causa efficax gratiæ et characteris. Et hinc diversitas opinionum.

Quidam ergo volunt perfici Sacramenta, modò minister intendat facere et faciat exteriùs seriò ritum externum, quamvis in corde non intendat facere quod facit Ecclesia, sed fingere tantùm, simulare aut irridere, vel exercere præcisè actum materialiter. Et hæc intentio vocatur *externa*, non quòd non sit interna, omnis enim intentio est actus voluntatis, sed quia ejus objectum est totum externum et per illud certò physicè manifestatur; impossibile namque est quòd homo suî compos spontè faciat quod non vult facere.

Alii dicunt ad integritatem Sacramenti requiri quòd minister intendat ritum externum, saltem secundùm quod frequentatur in Ecclesiâ, seu ut sacrum et religiosum in Ecclesiâ Dei, quæcumque illa sit. Et hæc intentio vocatur interna, quia ejus objectum, scilicet ratio rei ut sacræ in Ecclesiâ, quæ potest adesse et abesse à ritu exteriori, non est exterior, sed solâ mente concipitur, et per eam intentio non manifestatur certò physicè.

Alii existimant requiri intentionem faciendi ritum externum ut absolutè in sé sacrum et Sacramentum, seu ut frequentatur in Ecclesiâ Romanâ.

Alii tandem requirunt intentionem faciendi ritum externum, non solùm ut absolutè in se sacrum, sed etiam ut gratiæ productivum.

Primæ sententiæ auctor communiter dicitur Ambrosius Catharinus ordinis nostri, primùm summi Pontificis theologus in conc. Trid. postea nominatus episcopus Minorensis, deindè archiepiscopus Compsensis in Italiâ, cui subscripserunt Alphonsus Salmeronius, soc. Jesu, et Marius Scribonius Minorita. Sunt quidam, inter quos novissimè Honoratus Tournely, qui conantur revocare sententiam Catharini et Salmeronii ad secundam, contenduntque eos tantùm exclusisse intentionem faciendi ritum externum ut absolutè in se sacrum et Sacramentum atque ut gratiæ effectivum, non intentionem faciendi illum ut sacrum et religiosum in Ecclesiâ Dei. At illustres Catharini vindices, Vincentius Contenson et Hyacinthus Serry primam sententiam ex integro illi adscribunt, et meritò; postquàm enim Catharinus in opusculo *de Intentione ministri* dixit requiri in ministro intentionem faciendi *quod Christus et Ecclesia facit*, etiamsi ipse nihil credat fieri, in quo à sententiâ communi non recedit; proponit quæstionem : *Si minister omnia exteriùs faciat quæ jubet Ecclesia, intùs aliud servet animo, ita ut intendat derisoriè baptizare, satisne hoc fuerit, ut completum dici possit Baptismi Sacramentum?* Hanc quæstionem affirmativè resolvit, et auctoritate S. Thomæ atque multis aliis probare contendit.

Hanc sententiam ex recentioribus, præter Contensonum et Serrium jam nominatos, propugnant Farvacque, Decocq, Duhamel, Juenin, sub aliquâ tamen restrictione, saltem illustriores ejus patroni Contenson, Serry, Juenin, etc. Nolunt enim hanc externam intentionem sufficere in omni casu, sed tùm demùm quandò minister rogatus confert Sacramentum in loco sacro, aliisque circumstantiis adhiberi solitis, sicque se exhibet Ecclesiæ ministrum; quia dicunt per has circumstantias externum ritum de se indifferentem determinari ad esse sacramentale. *Ritus externus*, inquit Juenin, dissert. 1 de Sacramentis, q. 5, cap. 2, a. 3, § 1, *ex seipso ad rem sacram indifferens, determinatur ad esse sacramentale ex loco in quo celebratur, ex eorum petitione quibus applicatur, aut ex aliis circumstantiis. Seria externi ritûs celebratio*, inquit Serrius, cap. 14, diss. de ministri Intentione, *à Catharino nobisque hactenùs propugnata, uti ad valorem Sacramenti sufficiens, non illa solùm est quæ joco ludoque opponitur, sed et illa quæ in his circumstantiis fiat, ex quibus sacerdos determinatur ad agendum ut minister Ecclesiæ ejusque nomine.* Et quia hoc est commune eorum effugium, id exprimemus in conclusione, et plerùmque in probationibus, ac specialiter ultimatè confutabimus. Itaque

Dico 1° : Ad veritatem et integritatem Sacramenti non sufficit in ministro intentio externa, sed requiritur interna. Seu ut magis explicitè loquar; non sufficit quòd minister actum externum seriò ponat, si in corde habeat intentionem non faciendi illum saltem ut sacrum et religiosum in Ecclesiâ Dei, quæcumque illa sit, sed fingendi tantùm, simulandi aut irridendi, vel illum ponendi merè materialiter ut rem naturalem et profanam, etiamsi in circumstantiis adhiberi solitis. Est ad minùs communior et probabilior.

Hanc conclusionem probant omnia ferè argumenta, quæ produximus § præcedenti contra hæreticos; hæc instaurantur et alia proponuntur. Undè

Prob. 1° : Ex S. Scripturis. Juxta S. Scripturas § præced. citatas, ministri Sacramentorum sunt dispensatores mysteriorum Christi et Ecclesiæ, eaque conficiendi vel non conficiendi habent potestatem; ergo debent in nomine Christi et Ecclesiæ ea ministrare, baptizare, consecrare, actum judicialem exercere, etc. At quomodò qui, actum externum seriò et in circumstantiis peragens, intùs dicit, nolo facere quod Christus instituit et Ecclesia facit, nolo baptizare, consecrare, absolvere, etc., potest concipi quòd agat in nomine Christi et Ecclesiæ, verè baptizet, consecret, absolvat? præsertim cùm opus externum seriò peractum et in circumstantiis sit indifferens, ut ampliùs dicam infra, ut in nomine Christi vel alterius peragatur, ut sit sacrum vel profanum, ut sit absolutio in foro externo tantùm, an etiam in interno.

Respondent hos ritus non habere ab intentione ministri quòd sint sacri et sacramentales, sed à Christo eorum institutore, ministrorumque partes esse duntaxat opus divinitùs imperatum exteriùs seriò exequi, insulsumque esse dicere quòd qui ritum externum seriò ponit præsertim in circumstantiis, non velit Sacramentum conficere, sicut insulsum foret, si admovens ignem stupæ, diceret: Nolo quòd ignis comburat stupam.

Sed contra 1°: Equidem ritus illi habent à Christo institutore quòd sint sacri et sacramentales, sed mediante ministro tanquàm instrumento animato et agente modo humano, ideòque cum deliberatione et intentione; si ergo nolit conficere rem sacram, sacra non erit, non utetur potestate sibi collatâ, nec aget in nomine Christi; sicut qui accepisset à Deo potestatem faciendi miracula, si diceret exteriùs et seriò mortuo, surge, et intùs diceret, ne surgas, non uteretur potestate sibi collatâ, nec ageret in nomine Dei, mortuusque non resurgeret. 2° Si à solâ institutione Christi res est sacra, quare mimicè peracta aut extra circumstantias non est sacra? quia, inquiunt, debet fieri humano modo et cum animo seriò agendi; ita est: Ergo non ex solâ institutione Christi pendet ut sit sacra, sed etiam à ministro, et insuper fit seriò et humano modo extra circumstantias, et tamen sine intentione internâ non est sacra, secundùm adversarios. 3° Exemplum ignis admoti stupæ est prorsùs ineptum; ignis namque ex suâ naturâ est necessariò combustivus, et ritus externus etiam seriò peractus et in circumstantiis, non est ex naturâ suâ necessariò sacer, sed opus morale quod perficitur per voluntatem et intentionem agentis: pone quòd combustio ignis sit opus morale sicut collatio Sacramenti, et igni stupæ admoto dicas, nolo ut comburas, non comburet. 4° Si istud exemplum valeat, poterit sic argumentari Lutheranus: Ignis mimicè admotus stupæ illam comburit; ergo minister mimicè peragens ritum externum conficit Sacramentum.

Prob. 2°: Ex conciliis. Ad perfectionem Sacramenti juxta concilia Florent. et Trid., § superiori laudata, necessaria est in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia; atqui qui habet tantùm intentionem externam, non intendit facere quod facit Ecclesia, sed fingere tantùm et simulare, et tota disparitas inter ipsum et histrionem est quòd histrio sit derisor apertus, iste autem derisor occultus; ergo.

Si dicas: Facit ritum externum quem facit Ecclesia; ergo intendit facere quod facit Ecclesia.

Contra 1°: Ecclesia non facit ritum externum utcumque materialiter, scilicet ut rem naturalem et profanam, sed ut sacram et religiosam; hoc autem ille non intendit facere, sed fingere tantùm. Histrio qui mimicè repræsentat actionem sacramentalem, facit ritum externum materialiter, et tamen non intendit facere quod facit Ecclesia, sed deridere. Similiter mulier quæ infantem domi lavat cum invocatione Trinitatis ut benè illi sit, facit ritum externum, et tamen non dicitur quòd intendat facere quod facit Ecclesia. Item qui non postulatus et privatim formam profert supra materiam sine intentione internâ, aut qui nescit hæc fieri ab Ecclesiâ, juxta adversarios non facit quod facit Ecclesia, et tamen ritum externum facit. Quid ita? Quia cùm dicitur aliquis facere quod alter facit, id intelligitur formaliter et non materialiter.

Conf. 1°: Laudata concilia præter applicationem formæ ad materiam requirunt intentionem faciendi quod facit Ecclesia; atqui intentio externa est inseparabilis ab applicatione formæ ad materiam; ergo præter intentionem externam, âliam requirunt, scilicet internam.

Si dicas intentionem externam etiam esse separabilem ab actu externo, quando nempe mimicè peragitur, contrà: Quando concilium Florent. definit Sacramentum tribus perfici, scilicet materiâ, formâ et intentione faciendi quod facit Ecclesia, loquitur de materiâ et formâ seriò applicatis, his enim solùm perficitur Sacramentum, et ultra hoc requirit intentionem faciendi quod facit; ergo, præter intentionem externam quæ est inseparabilis à materiâ et formâ seriò applicatis, requirit internam.

Respondet Contensonus hoc argumento, si valeret, probari quòd ad perfectionem Sacramenti minister etiam deberet intendere facere rem sacram seu Sacramentum absolutè in se et ut productivum gratiæ, hæc enim Ecclesia facit: quod tamen non admittimus. Sed contra: Non admittimus quidem necessariam esse intentionem explicitam faciendi rem absolutè in se sacram et veri nominis Sacramentum gratiæ productivum; at admittimus et sustinemus requiri ad hæc intentionem implicitam, quatenùs qui explicitè intendit ritum ut in Ecclesiâ sacrum, implicitè intendit verum Sacramentum gratiæ productivum, quia hoc secundum continetur in primo. Sed qui intendit ritum externum materialiter tantùm ut rem naturalem et profanam, non intendit etiam implicitè illum ut sacrum, quia hoc secundum non continetur in primo, cùm ritus externus materialiter exercitus sit indifferens ut sit sacer et profanus.

Conf. 2°: Conc. Trid., sess. 14, cap. 6, definit non perfici Sacramentum Pœnitentiæ, *si sacerdoti animus seriò agendi et verè absolvendi desit.* Ubi concilium præter intentionem seriò peragendi ritum externum, aliam requirit verè absolvendi, id est, intentionem exercendi actum judicialem in foro interno et perficiendi rem sacram, ut in Ecclesiâ fieri solet.

Respondet Juenin et Serry concilium duntaxat damnâsse errorem Lutheri asserentis ratum esse Sacramentum mimicè collatum, et validam esse absolutionem joco datam. Sed contra 1°: Per hæc verba, *animus seriò agendi*, proscribitur error Lutheri de collatione mimicâ et jocosâ Sacramenti; ergo aliquid aliud intendit sacra synodus per hæc sequentia, *et verè absolvendi*, nimirùm intentionem internam; quod quamvis ex se pateat, ulteriùs indè probo quòd Lutherus non solùm dogmatizabat Sacramentum jocosè et mimicè collatum esse validum, sed etiam sacerdo-

tem non exercere actum judicialem, nec verè absolvere à peccatis, sed tantùm declarare esse remissa, quod sequitur ex communi eorum principio, solam fidem justificare, et patet ex eodem capite Trid., ubi definit absolutionem sacerdotis *non esse solùm nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actûs judicialis, quo ab ipso velut à judice sententia pronuntiatur*. Primis ergo verbis damnatur primus error Lutheri, posterioribus secundus. Ergo concilium præter intentionem externam, quæ est in seriâ pronuntiatione formæ absolutionis, exigit intentionem verè absolvendi seu exercendi actum judicialem in foro interno, prout fit in Ecclesiâ Christi. 2° Qui ritum externum seriò ponit, et intùs in corde dicit, nolo absolvere, esto habeat animum seriò agendi, quod mox examinabimus, non tamen habet animum verè absolvendi, sed simulandi tantùm et subsannandi; ergo. 3° Dato gratis concilium damnâsse duntaxat jocosam collationem Sacramenti, nihil indè obtinent adversarii; non enim concilium damnat tantùm jocosam collationem quæ exteriùs se prodat, ut autumant adversarii, sed etiam internam; dicit enim, *si desit animus seriò agendi*; qui autem interiùs vult tantùm simulare et fingere, licèt id non manifestet exteriùs, non habet animum seriò agendi.

Instant: Concilium post verba laudata subjungit: *Nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus qui sacerdotem jocosè absolventem cognosceret; et non alium seriò agentem sedulò requireret*. Manifestum est ergo concilium loqui tantùm de eo qui sic animum jocandi exteriùs prodit, ut pœnitens id dignoscere possit. Undè card. Pallavicinus, lib. 12 Hist., cap. 10, ex his verbis infert sententiam Catharini non esse à concilio rejectam. Contra D. conseq.: Concilium loquitur tantùm de eo qui sic animum jocandi exteriùs prodit, ut id pœnitens dignoscere possit, quoad imputationem culpæ in pœnitente, concedo; quia sciens et volens se exponit aperto periculo nullitatis absolutionis, quod non facit, qui nescit eum jocari. Concilium loquitur tantùm de eo, etc., quoad integritatem Sacramenti, nego. Sive enim exteriùs prodat irrisionem, sive solùm interiùs irrideat, deest ipsi animus seriò agendi et verè absolvendi, quem requirit concilium ad validam absolutionem.

Quantùm ad illationem Pallavicini, eam ut legitimam cum pluribus aliis non admittimus, nisi intellexerit sententiam Catharini, sicut eam intelligunt Vasques et Turnelius, scilicet non requiri intentionem internam ad effectum Sacramenti, vel intendat dicere non fuisse expressè damnatam à concilio, quod fatemur; quia concilium expressè intendebat damnandis hæreticorum erroribus, non opinionibus inter catholicos controversis; et ideò dicimus damnatam fuisse sententiam Catharini consecutivè tantùm. Et hæc videtur mens eminentissimi scriptoris; nam lib. 9, cap. 6, dicit: *Equidem existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideò per Tridentinos canones disertè damnatam*.

Prob. 3° ex definitionibus summorum Pontificum. Alexander VIII, 8 septemb. 1690, damnavit hanc propositionem: *Valet Baptismus collatus à ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intùs verò in corde suo apud se resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia*. Est 28 inter damnatas. In hâc porrò propositione manifestè continetur sententia quam oppugnamus, eamque reprobat summus Pontifex assentiente Ecclesiâ.

Mirum sanè quot et quanta effugia excogitaverint adversarii, ut hoc fulmen à suâ sententiâ deflecterent.

Respondent 1°: Juxta canonistas Gallos nullum decretum Transalpinum in his provinciis esse alicujus roboris, nisi sit immediatè emanatum à summo Pontifice: ideòque hoc Inquisitionis decretum, in quo damnatur præfata propositio, non ligare Gallos. Ita Gaspar Juenin. Sed contra 1°: Quidquid sit de Gallis, non ita censent aliarum provinciarum theologi et canonistæ. 2° Quæro quo jure iste theologus et ejus Symmistæ summo applausu recipiunt, laudant, amplificant hujusmodi decreta dùm proscribunt propositiones ipsis invisas, ea autem rejiciunt dùm ipsis non favent? Pondus et pondus. 3° Errat Juenin dùm dicit hoc decretum etsi generalis inquisitionis non esse à summo Pontifice immediatè emanatum: Hic est tenor decreti: *In Congregatione generali S. Romanæ et generalis Inquisitionis, habitâ in palatio apostolico montis Quirinalis coram sanctissimo domino nostro Alexandro divinâ Providentiâ Papa* VIII, *ac eminentissimis*, etc. Deindè recensitis 31 propositionibus, inter quas, numero 28, legitur ea de quâ agitur, subjungit: *Quibus maturè consideratis, idem sanctissimus statuit et decrevit* 31 *supradictas propositiones tanquàm temerarias, scandulosas*, etc., *respectivè esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat et prohibet*. Ergo immediatè à summo Pontifice emanavit hoc Decretum. 4° Dato non à summo Pontifice, sed ab Inquisitione generali immediatè emanâsse approbante duntaxat summo Pontifice, ideòne contemnendum, et judicio quorumdam privatorum theologorum postponendum? Hâc igitur missâ responsione.

Respondent 2° hanc propositionem, cùm sit indefinita et generalis, comprehendatque casum quo quis per jocum et irrisionem externam Baptisma conferret, esse falsam, ideòque damnatam in sensu Lutheri, cujus dogma quidam in Belgio renovabant, aut dicebantur renovare. Ita idem Juenin, Serry et alii. Sed contra 1°: Falsum est hanc propositionem esse sic indefinitam et generalem ut etiam comprehendat casum Baptismi per irrisionem externam collati: manifestum namque est ipsam loqui de eo solo qui seriò ritum externum agens, intùs apud se resolvit, non intendo facere quod facit Ecclesia; id apertè indicant hæc tria vocabula quasi de industriâ adhibita, ut præoccuparetur futilis hæc cavillatio: *Qui intùs, in corde suo, apud se resolvit*: non ergo qui exteriori signo, vel irrisione, resolutionem suam manifestat. Insuper, in eâ sermo est de eo qui omnem ritum adhibet, seria autem applicatio formæ ad materiam pertinet ad ritum externum. 2° Ut quid novum decretum

ad proscribendum hæreticam assertionem, quæ tam apertè, tam expressè, tam solemniter damnata est in concilio Tridentino, etiamsi à quibusdam diceretur innovari? Numquid quotidiè Catholici transeunt ad partes hæreticorum, et eorum errores damnatos asserunt? Ideòne efformantur nova decreta ad eos damnandos? 3° Sed et figmentum est quosdam theologos in Belgio Lutheri errorem in hâc parte renovàsse, cùm nullus hujus asserti auctor assignari possit; quin è contra auctores propositionis damnatæ illam intelligebant de eo qui seriò ritum externum ponit et in eo sensu esse damnatum agnoverunt, ideòque ab eâ propugnandâ deinceps abstinuerunt, ut testatur Henricus à S. Ignatio theologus Belga, l. 1, de Sacrament., c. 11, sub finem, et Franciscus Henno alter theologus Belga disertè pronuntiat: *Dicta propositio desumpta est ex thesi cujusdam doctoris mihi cogniti et familiaris, qui præcisè adversariorum sententiam sustinebat.*

Respondent 3° propositionem saltem comprehendere casum quo minister, metu gravi et injusto adactus, servaret ritum externum et intùs diceret, nolo baptizare. Item et casum quo non in circumstantiis consuetis, sed privatim, non rogatus, neque in loco sacro ritum externum seriò adhiberet, cum intentione non faciendi quod facit Ecclesia: In quo utroque casu fatentur non valere Sacramentum, ideòque propositionem esse falsam et jure damnatam. Ita Serrius. Sed contra primum: Actus ex metu gravi etiam injustè incusso remanet simpliciter voluntarius, consequenter ex illo capite, si cætera adsint, propositio non est falsa nec jure damnata quoad Baptismum de quo loquitur, nec quoad alia Sacramenta, excepto matrimonio, quod metu gravi injustè incusso initum jure ecclesiastico irritatur. Contra secundum: Propositio loquitur de eo *qui omnem ritum externum observat;* ergo de eo qui ministrat in circumstantiis quæ requiruntur ad ritum externum et ad valorem Sacramenti. At de eo communi effugio latiùs infra.

Respondet 4° laudatus Serrius, cap. 12, propositionem loqui de eo qui intra se diceret: *Non intendo facere quod facit Ecclesia;* at negat in suo systemate ministrum id intra se dicere posse, quia supponitur minister seriò et liberè faciens quidquid Ecclesia facit; implicat autem ut qui seriò et liberè facit quod facit Ecclesia, intùs intra se dicat, non intendo facere quod facit Ecclesia; ergo. Sed contra 1°: Non sibi constat præclarus auctor; dixerat enim cap. 9: *Ministrum impium liberè serióque omnique semoto joco Sacramentum publicè ministrantem, illud idem nullatenùs irritare, tametsi secretam occultamque irritandi voluntatem animo gerat, ac secum ipse mente internâ deliberet, non intendo facere quod facit Ecclesia.* 2° In hâc suppositione volvitur systema Catharini et propugnatur ab omnibus ejus defensoribus; nam quæstio est an minister qui ritum externum seriò peragit et interiùs dicit, non intendo facere quod facit Ecclesia, perficiat Sacramentum: supponitur ergo in eo systemate ministrum sic intùs dicere posse; quòd si id negetur, nulla erit controversia, tunc enim minister intendit non solùm exteriùs, sed et interiùs facere quod facit Ecclesia, jamque non externam solùm, sed etiam internam intentionem habebit. 3° Sed et in hoc allucinatur Serrius quòd putet ritum externum seriò peractum, esse id quod facit Ecclesia, quem cùm ponit minister non potest seriò dicere non intendo facere quod facit Ecclesia. Allucinationem deteximus probatione secundâ. Insuper ritus externus potest spectari dupliciter: 1° Ut res naturalis et profana, qualis præcisè esset, si non esset institutus à Christo in signum sacrum. 2° Ut cæremonia sacra et religiosa in Ecclesiâ, et hoc est quod facit Ecclesia, ut dixi loco citato: liquet autem ministrum posse velle facere exteriùs rem naturalem et profanam, et interiùs dicere, nolo facere quod facit Ecclesia, sed volo simulare tantùm.

Respondent 5°: Post damnatam hanc propositionem, plures theologi apprimè catholici et eruditione præstantes, sententiam Catharini libris editis sustinuerunt, scilicet, Juenin Genettus, Natalis Alexander, Summa Alexandrina, jussu Benedicti XIII, Romæ edita. Item hæc sententia persæpè defenditur Romæ in publicis circulis, probante, ut illic moris est, sacri palatii magistro. Hæc autem nec fierent, nec permitterentur, si hæc sententia decreto Alexandri VIII esset inusta. Ita iterùm Serrius qui religiosè profitetur se, quo tempore illud decretum editum est, consultores qui in ferendâ sententiâ Judices fuerant, interrogâsse, nùm Catharini sententiam eo decreto proscribere voluisset, eosque id pernegâsse. Sed contra 1°: Huic integræ responsioni sufficeret reponere non omnes libros continentes quasdam propositiones damnatas semper damnari à S. Sede, vel quia non semper illi deferuntur, vel propter alias rationes. 2° Ad singula. Quid Juenin censeat de decreto Alexandri et quâ veneratione illud prosequatur vidimus supra. Nego Genettum tueri opinionem de intentione externâ saltem in editione septimâ Parisiensi 1695, quam lego. Natalis Alexander postquàm multa scripsit de sententiâ Catharini, concludit quòd, si casus occurrat, *in hoc ambiguitate* consulendus sit episcopus. Summa Alexandrina vult tantùm non requiri intentionem producendi effectum Sacramenti, non ipsum ritum ut sacrum in Ecclesiâ. Catharini sententiam sæpè defendi Romæ in publicis circulis, negat erudit. P. Lambertus Gaud ordinis nostri in academiâ Avenionensi doctor aggregatus et professor publicus, in dissertatione theologicâ, quam solidè adornavit adversùs theologum Patavinum, illustrem scilicet Serrium eruditionis præstantiâ et famâ ubique notum, et post inquisitiones eâ de re factas refert ex testimonio duorum sacerdotum congregationis doctrinæ christianæ, quorum alter ab annis quindecim, alter ab annis triginta Romæ commorantur, esse in urbe neminem qui opinionem de externæ intentionis sufficientiâ, vel tueri publicè, vel privatim dictare audeat. Ad ultimum, suppositâ veritate protestationis Serrii, quâ pro sinceritate et religione colendissimi viri in dubium revocare fas non esse arbitror: re-

spondeo illos consultores Romanos intellexisse sententiam Catharini eo sensu quo illam intelligunt Vasques, Tournelius et alii, scilicet per illam non excludi intentionem faciendi ritum externum ut in Ecclesiâ sacrum, sed faciendi Sacramentum formaliter in se et ut gratiæ productivum.

Confirm. ista tertia probatio ex damnatione hujus alterius propositionis ab Innocentio XI, anno 1679 : *Non est illicitum in Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiore.* Atqui sententia de intentione internâ, quam propugnamus, est tutior quàm sententia de externâ intentione quam propugnant adversarii; ergo. Prob. min. Adversarii conveniunt nobiscum Sacramentum cum intentione internâ collatum, esse validum, et nos negamus cum majori parte theologorum cum solâ intentione externâ collatum esse validum : ergo.

Si dicas cum Contensono nec nostram sententiam esse tutam, quia exponit periculo sacrilegæ iterationis Sacramentorum, respondeo nullum esse periculum iterationis sacrilegæ quando probabilius est Sacramentum esse iterandum : sed esto esset æquè probabile non esse iterandum, appositâ conditione, abstergitur periculum sacrilegii. Verùm et ipsimet adversarii, cogente veritate, agnoscunt nostram sententiam esse tutiorem, siquidem in casu quo quis esset baptizatus sine intentione internâ, dicant consulendum esse episcopum, vel summum Pontificem; ita Natalis Alexander et Farvacques. Confugiunt equidem ad testimonia S. Augustini et S. Thomæ, Innocentii IV, et plurium theologorum tam veterum quàm recentiorum quibus conantur demonstrare suam sententiam esse probabilem et probabilissimam; sed irrito conatu; hos enim auctores nullatenùs ipsis favere ostendemus infra. Et quamvis concederemus eorum sententiam esse probabilem, negare non possunt nostram etiam esse probabilem, cum fatente Serrio, cap. 14 : *Sit frequentior et communior in scholis* : Et aliundè, cùm sit tutior, stat vis argumenti.

Prob. 4° : Ex communi sensu et praxi Ecclesiæ. In rubricis missalis Romani de defectibus in missarum celebratione occurentibus, § 7, sic legitur : « Si quis « habeat coram se undecim hostias et intendat conse- « crare solùm decem, non determinans quas decem « intendit, in his casibus non consecrat, quia requiri- « tur intentio. » Atqui in hoc casu est intentio ritûs externi, quæ à seriâ prolatione formæ super debitam materiam inseparabilis est, adsunt consuetæ circumstantiæ, et tamen non est Sacramentum; ergo præter intentionem externam est necessaria interna. Item, si decem designet quas consecrare intendit illæ erunt consecratæ et non undecima, quamvis sit præsens ut aliæ. Unde hoc? Non defectu ritûs externi qui adhibetur cum circumstantiis debitis, sed ratione intentionis interioris quâ dicit intùs se nolle consecrare hanc undecimam hostiam.

Hoc argumentum ita contemnit Serrius, ut irrisoriè vocet *lepidos* theologos qui illud proponunt. At videamus num fortè non sint lepidæ ejus responsiones. Itaque

Respondet 1° rubricas missalis Romani non esse Ecclesiæ definitiones, alii dicunt, leges, ex quibus peti possit argumentum decretorium; sed privatorum querumdam theologorum resolutiones de moribus et rubricis scribentium. 2° Illam rubricam intelligendam esse de eo qui aliquo signo exteriori indicaret se nolle omnes hostias consecrare. Sed contra : Ad primum, sacra congregatio rituum sic decernit : « Demùm re- « novando decreta aliàs facta mandat sacra congrega- « tio in omnibus et per omnia servari rubricas missa- « lis Romani, non obstante quocumque prætextu et « consuetudine, quam abusum declarat. Et factâ rela- « tione horum decretorum S. D. N. Urbano VIII, « Sanctitas sua annuit, et ab omnibus ubique servari « et in missali Romano noviter imprimendo apponi « mandavit. » Ita legitur in capite missalis ex registro decretorum sacræ rituum congregationis. Neque dicas hoc decretum esse intelligendum de rubricis tantùm cæremonias missæ præscribentibus; indefinitè enim loquitur; imò dicit *per omnia* rubricas esse servandas, non distinguens inter rubricas et rubricas, dicitque prætextum aut consuetudinem contrariam esse abusum. Adde plures Ecclesias particulares quibus licet habere missalia propria, inter quas Parisiensem, has rubricas suis missalibus inseruisse. Non ergo illæ rubricæ censendæ sunt opiniones privatorum theologorum, sed definitiones et leges Ecclesiæ sacerdotibus præscriptæ et ab eis sub peccato observandæ, ita ut Gavantus commentat. in rubricas missalis, parte 3, tit. 11, prop. 2, expressè dicat rubricas quæ spectant panem, vinum, intentionem, etc., obligare sub mortali.

Ad secundum : Nemo non videt esse merum figmentum ad eludendum argumentum excogitatum; ubi enim in decreto vel minimum indicium hanc rubricam esse restringendam ad illum qui signo aliquo exteriori manifestat se non intendere consecrare omnes undecim hostias? Nullum planè : sed propositio est indefinita nullâ distinctione restrictâ; ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Respondet insuper quidam recentior, 1° in his rubricis contineri falsa et incerta. Incertum namque est quòd, § 3, legitur non confici Sacramentum Eucharistiæ, *si panis non sit triticeus;* plures enim theologi id negant. Falsum autem est quòd, § 5, legitur post verba consecrationis apud Latinos usurpari solita : *Si quis autem aliquid diminuerèt, vel immutaret de formâ consecrationis, non conficeret Sacramentum;* cùm certum sit Græcos non proferre omnia verba consecrationis calicis quæ proferunt Latini. 2° Multa quæ sunt dubiæ fidei referuntur in breviario Romano, quidni in rubricis? 3° Consilium hujus sacerdotis foret insulsum et ridiculum, si namque vult tantùm consecrare decem hostias, cur undecimam non removet? si non removet, omnes consecrat. Sed contra. Ad primum : Panem triticeum esse materiam Eucharistiæ declaravit concilium Florentinum in decreto unionis; unde id non dici debet incertum. Cæterùm disputant theologi quid nomine tritici sit intelligendum.

Ad secundum : Rubrica non dicit simpliciter quâlibet mutatione formæ non confici Sacramentum, sed addit : *Si in ipsâ verborum immutatione verba idem non significarent*, quod subticuit respondens.

Ad tertium : Nego consequentiam. Quòd enim referantur dubiæ historiæ bonis moribus non repugnantes, nullum sequitur inconveniens; at grave foret, si proponeretur et assereretur sententia de nullitate Sacramentorum quæ foret falsa aut dubia.

Ad quartum : Esto sit ridiculum et insulsum consilium hujus sacerdotis, non est ridiculum nec insulsum quærere et definire quid indè sequatur, et quid facto opus, si casus contingat, sicut contigisse certò testatur doctiss. Berti sacerdoti diœcesis Samminiatensis, qui ex simplicitate et ignorantiâ resolvit apud se undecimam hostiam non consecrare, ut communicaturo, quem noverat sacrilegè ad sacram mensam accedere, absque cæterorum scandalo porrigeret particulam non consecratam, nec tamen hanc ex aliarum numero amovit, ne id communicaturus deprehenderet. Ita laudatus theologus.

Confirm. : Praxis communis Ecclesiæ est ut in dubio de valore Sacramenti cujuscumque, etiam iterabilis, ut sunt Sacramentum Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis, iteretur Sacramentum sub intentione conditionatâ, ita ut, si primò collatum validum fuerit, secundò collatum sub conditione sit nullum ; unde autem nullum non ex defectu intentionis externæ, hæc est inseparabilis à ritu externo seriò posito in solitis circumstantiis ; ergo defectu intentionis internæ.

Respondent 1° : Hoc Sacramentum denuò collatum sub conditione est nullum, puta Sacramentum Pœnitentiæ, defectu materiæ scilicet peccatorum quæ jam nulla sunt, et defectu subjecti, quod jam supponitur absolutum. 2° Conditionem debere exteriùs exprimi, ut jubet Alexander III, cap. *De quibus*, Extra. De Baptismo et ejus effectu, sicque Sacramentum iteratum, quod anteà erat validum, est nullum defectu intentionis externæ. Sed contra. Ad primum : Peccata jam remissa, si denuò subjiciantur clavibus Ecclesiæ ex communi theologorum sensu, sunt materia absolutionis, et homo justificatus sive per contritionem perfectam, sive per anteriorem absolutionem, iteratæ absolutionis est capax. Sed non sistamus in Sacramento Pœnitentiæ; dùm iteratur Sacramentum Extremæ Unctionis adhibetur nova materia et nova forma, et subjectum est capax hujus Sacramenti iterati; ergo est nullum, non defectu sive materiæ, sive formæ, sive subjecti; ergo defectu intentionis internæ; ergo et alia Sacramenta; est enim eadem ratio de omnibus.

Ad secundum : Ex canone laudato habemus quidem conditionem esse exteriùs exprimendam, non quòd id sit necessarium ut impediatur iteratio Sacramenti aliàs validi, quasi non sufficeret conditio mente retenta, neque hoc dixit Pontifex ; sed quia ita convenit, maximè ubi esset periculum scandali ex iteratione Sacramenti, ut dicam infra : communis namque sensus et praxis est quòd absolutè sufficiat, si conditio sit tacita ; neque puto id negari ab adversariis.

Prob. 3° auctoritate et rationibus invictissimis D. Thomæ, quas § præcedenti jam delibavimus.

1° S. Thomas, hìc, q. 64, art 8, ubi ex professo quærit utrùm intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti, sic ratiocinatur : Quandò aliquid se habet ad multa, oportet quòd per aliquid determinetur ad unum si illud effici debeat : atqui ea quæ in Sacramentis peraguntur possunt diversimodè agi, sicut ablutio aquæ quæ fit in Baptismo, et hæc verba : *Te abluo*, seu *baptizo*, etiam in consuetis circumstantiis possunt ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad alia hujusmodi ; ergo oportet quòd determinetur ad unum, id est, ad esse sacramentale per aliud : ergo per intentionem ministri distinctam ab intentione ponendi præcisè actum externum seriò et in circumstantiis solitis, consequenter per intentionem saltem faciendi aliquid ut sacrum in Ecclesiâ ; nihil enim aliud est assignabile.

Si dicas S. Thomam hìc dictis immediatè subjungere quòd *hæc intentio* determinativa *exprimitur per verba quæ in Sacramentis dicuntur ;* atqui intentio quæ exprimitur per verba sacramentalia non est intentio interna faciendi quod facit Ecclesia, siquidem hæc secundùm nos possit abesse ab expressione verborum ; ergo. — R. D. min. : Intentio quæ exprimitur per verba sacramentalia non est necessariò et indefectibiliter interna, concedo; ordinariè et secundùm moralem æstimationem, nego. Hoc ipso enim quòd quis seriò et religiose profert verba sacramentalia super legitimam materiam ex communiter accidentibus, certò moraliter conjicimus ipsum habere intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia.

2° S. doctor, ibidem, ad 1, dicit quòd requiratur in ministro ea intentio quâ se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus in Ecclesiâ : atqui qui ritum externum seriò et in consuetis circumstantiis peragens, apud se resolvit, nolo facere quod facit Christus et Ecclesia, sed simulare tantùm aut rem profanam facere, non se subjicit Christo principali agenti, ut intendat facere quod facit Christus et Ecclesia, ut patet; ergo.

Confirm. hæc ratio : Minister non perficit Sacramentum, nisi velit uti potestate sibi à Deo traditâ ad conficiendum Sacramentum; accepit enim hanc potestatem, ut eâ humano modo et liberè utatur : atqui qui conscius actum externum posse peragi absque eo quòd sit Sacramentum institutum à Christo, sic illum peragit etiamsi seriò et in circumstantiis, ut tamen velit imò simulare, aut ritum merè naturalem exercere, nolens facere quod Christus instituit et facit Ecclesia, ille non vult uti potestate sibi à Deo traditâ, ut patet; ergo.

Si dicas cum Serrio id quidem non velle voluntate privatâ, vel tamen voluntate ministeriali, contra : Non vult voluntate ministeriali qui non vult esse Christi et Ecclesiæ minister : ille autem non vult esse Christi

et Ecclesiæ minister qui mûs dicit : Nolo facere quod Christus instituit et Ecclesia facit. Si respondeas iterùm quòd ille non velit esse Christi et Ecclesiæ minister voluntate privatâ, velit tamen voluntate ministeriali, ibit cavillatio in infinitum ; et ego pari jure dicam quòd Lutheranus, joco ministrans Sacramentum, non velit esse Christi minister voluntate privatâ, velit tamen voluntate ministeriali ; nec video quam dabit respondens disparitatem sufficientem.

3° S. doctor, ibid., a. 10, O, dicit : « Intentio ministri potest perverti dupliciter : uno modo respectu « ipsius Sacramenti, puta cùm aliquis non intendit « conferre Sacramentum, sed derisoriè aliquid agere, « et talis perversitas tollit veritatem Sacramenti præ- « cipuè quando suam intentionem exteriùs manifestat. » Ergo etiamsi exteriùs non manifestet et omnia seriò et in circumstantiis peragat ; quia particula *præcipuè*, sic casum minùs dubium exprimit, ut implicet magis dubium, ut omnibus pervium est. Sensus itaque S. Thomæ est quòd cùm aliquis intendit in Sacramentis derisoriè agere, si exteriùs suam perversam intentionem manifestet, tollat veritatem Sacramenti *præcipuè*, id est, non solùm in se, sed etiam in judicio Ecclesiæ ; si autem non manifestet exteriùs, tollit etiam Sacramentum in se, sed non in judicio Ecclesiæ.

4° S. doctor in 4, d. 3, q. 1, art. 4, quæstiunc. 3, ad 3, et infra, q. 66, art. 8, ad 3, docet quòd qui baptizaret per trinam immersionem pronuntiando integram formam in quâlibet immersione, si intendat perficere Sacramentum post primam immersionem, erit perfectum Sacramentum, secùs si intendat perficere tantùm post trinam immersionem. Loquitur apertè S. Thomas de eo qui ritum externum seriò et in circumstantiis consuetis peragit, quo non obstante, ut sit Sacramentum vult pendere ab intentione ministri non externa, quæ supponitur in rite externo seriò et in circumstantiis peracto à quo est inseparabilis ; ergo interna.

Neque dicas cum Serrio S. Thomam loqui de illo qui manifestaret exteriùs suam intentionem non perficiendi Sacramentum nisi post trinam immersionem, ut fit apud Græcos et fiebat olim apud Latinos : ne enim vel unum est verbum in utroque textu S. Thomæ quod hanc restrictionem indicet ; nec exempla prolata sunt ad rem. Apud Græcos enim non profertur integra forma in quâlibet immersione, sed una tantùm Trinitatis persona nominatur, sic etiam olim apud Latinos : loquitur autem S. Thomas de eo qui integram formam in quâlibet immersione proferret. Vide utrumque textum.

5° Ibid., d. 11, q. 2, art. 1, quæstiunc. 3, ad 1. *In Sacramentis*, inquit, *est duplex intentio, una quæ ordinatur ad perfectionem Sacramenti, et hæc est essentialis Sacramento*. Et Opusc. 5 : *Si non sit debita forma verborum, et si non sit debita materia, et si minister Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum*. Et infra : *In articulo necessitatis, non solùm diaconus, sed etiam laicus et mulier, imò paganus, etiam hæreticus, potest baptizare, dummodò servet formam Ecclesiæ, et intendat facere quod facit Ecclesia*. Quibus textibus ultra formam et materiam seriò adhibitam, quæ pertinet ad intentionem externam, requirit aliam, consequenter internam.

6° Non minor, imò major requiritur intentio in conferente Sacramentum quàm in recipiente : atqui, juxta S. Thomam, infra, q. 68, art. 7, ad 2 : *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus*. Sicut ergo si adultus interiùs diceret, volo ablui corporaliter, non spiritualiter et sacramentaliter, non valeret Baptismus ipsius ; ita si minister interiùs, dicat : Volo abluere corporaliter non spiritualiter et sacramentaliter, ipse sacramentaliter non baptizaret.

Communes ad hæc omnia adversariorum responsiones et effugia jam prævenimus inter probandum, sed hæc specialiùs et efficaciùs sunt adhuc convellenda et præcludenda. Unde

Prob. 6°, convellendo fundamenta adversæ sententiæ et ejus effugia præcludendo.

1° Ideò secundùm adversarios sufficit ad valorem Sacramenti intentio externa in ministro, nimirùm quòd ponat seriò materiam et formam seu ritum externum, quamvis intentionem retineat, imò dicat intùs : nolo facere quod facit Ecclesia, sed volo simulare, irridere, aut rem merè naturalem et profanam peragere, perindè ac si Christus hunc ritum non elevâsset ad rationem Sacramenti : quia hoc ipso quo actus externus seriò ponitur, seu applicatur forma materiæ, necessariò fit Sacramentum, seu quod facit Ecclesia ; hoc ipso enim quo in artificialibus compositis applicatur forma materiæ, necessariò resultat compositum, non obstante quâvis intentione agentis, sic qui applicat colores telæ, imprimit sigillum ceræ, adhibet ignem stupæ, quidquid interiùs dicat aut velit, tela pingitur, cera sigillatur, stupa comburitur : unde contraria ministri voluntas in hoc casu est inefficax, et ut ita dicam nolleitas. Atqui plusquàm falsum est istud assumptum ; ergo.

Prob. min. multipliciter. 1° Actus externus, etiam seriò peractus, est adhuc, ut dictum est superiùs, indifferens ad multa, et potest ordinari sive ad munditiem aut sanitatem corporalem, sive ad simulationem, sive exerceri ut actus merè naturalis ; ergo restat adhuc determinandus per intentionem. Neque dicant materiam determinari ad esse sacramentale per formam, v. g., in Baptismo, ablutione determinari per hæc verba : *Ego te abluo*, seu *baptizo*, quia etiam hæc forma est indifferens ut significet ablutionem sacram vel profanam. 2° Verba in Sacramentis non habent rationem formæ, independenter ab intentione internâ ministri, ergo quantumvis seriò applicentur materiæ sine illâ intentione, non efficiunt compositum sacramentale. Prob. ant. Verba in Sacramentis non sunt forma formaliter, scilicet, sumpta materialiter vel i significatione aliquâ naturali et profanâ, sed tunc dumùm quandò sumuntur ut sacra, seu ut significativa et effectiva simul rei sacræ ; sunt enim signa non speculativa tantùm, sed practica et efficientia quod significant : atqui non sunt significativa et effectiva rei

sacræ, si desit intentio interna; id enim non habent ex se etiam seriò prolata; ergo per intentionem agentis. Et in hoc est maxima allucinatio adversæ sententiæ quòd æstimet verba hoc ipso quo seriò proferuntur, esse formam Sacramenti; possunt equidem dici forma, sed materialiter tantùm et non formaliter, nisi accedat intentio ministri determinantis ad significationem sacram et effectivam significati. 3° Minister seriò peragens ritum externum, sed intùs nolens facere quod Christus instituit et Ecclesia facit, sed volens è contra simulare, aut irridere, vel facere rem merè naturalem et profanam, non se subjicit Christo ut principali agenti, nec agit ut ejus et Ecclesiæ minister, ut patet, sed tantùm talis exteriùs apparet; ergo non facit quod Christus instituit, nec quod facit Ecclesia; id enim facere non potest cùm sit instrumentum, nisi ut subordinatus causæ principali et agens ut ejus et Ecclesiæ minister. 4° Si admittenda sit ratio adversariorum, sequetur quòd mater seriò abluens domi puerum, sub invocatione SS. Trinitatis, ut benè illi sit, perficiat Sacramentum, quod non concedunt. 5° Exempla quæ afferunt non sunt ad rem : applicatio enim colorum ad telam, impressio sigilli ad ceram, adhibitio ignis ad stupam, sunt ex se determinatæ ad suos effectus, non verò ritus externus etiam seriò peractus, ut probatum est. 6° Nec vident indè firmari errorem hæreticorum. Quamvis enim jocando et ridendo exteriùs applices colores telæ, sigillum ceræ, ignem stupæ, erit pictio, sigillatio et combustio; si ergo valeant hæc exempla, ritus externus, etiam mimicè peractus, erit Sacramentum, quod est hæreticum dogma Lutheri. 7° Tandem omnes probationes nostræ, quæ sunt de ritu externo seriò peracto, hoc adversariorum fundamentum concutiunt. Relegantur.

His itaque rationibus pressi et oppressi recentiores adversarii aliò confugiunt, et systemà Catharini attemperantes, dicunt intentionem externam non sufficere in omni casu in quo ritus externus seriò peragitur, sed quando seriò peragitur in circumstantiis adhiberi solitis, ut in Baptismo, si minister rogatus illud administret, præsente patrino, in baptisterio, indutus vestibus sacris, etc. Ex his enim circumstantiis, inquiunt, ritus externus determinatur ad esse sacramentale, et tunc sacerdos se exhibet ut ministrum Ecclesiæ. Ita Juenin. et Serrius, ut vidimus in prænotaminibus ad conclusionem.

Serrius tamen, ne videatur omninò recedere à D. Thomâ, dicit ritum externum determinari ad esse sacramentale, non precisè à circumstantiis, sed ab intentione quâ minister se determinat illum perficere in his circumstantiis. Sed quis non videt id ad fucum esse dictum, et non obstante diverso modo loquendi, rem eamdem significari : sive enim dicas ex circumstantiis, sive ab intentione ut in circumstantiis ritum determinari, patet non ex ipsâ intentione, sed ex ipsis circumstantiis totam determinationem haberi, siquidem eadem intentio externa, extra circumstantias, non determinaret. Et ita sentire ipsum Serrium colligo: 1° ex verbis ambiguis et quasi inter se pugnantibus quibus suam mentem exprimit : ait enim cap. 15, n. 2 : *Ritum per se indifferentem.* D. Thomas appellat *extra debitas circumstantias qui ex ipsis circumstantiis desinit esse indifferens, determinaturque ad esse sacramentale per intentionem ministri.* Porrò, si ex ipsis circumstantiis ritus externus desinit esse indifferens, quomodò restat determinandus per intentionem ministri. Sed et alibi hujus effugii oblitus non aliam sibi esse mentem apertè significat, dum disertè affirmat, non ritum externum determinari ad esse sacramentale ex intentione ministri in his circumstantiis, sed è contra ministros ipsos ex ipsis circumstantiis determinari ad agendum tanquàm Ecclesiæ ministri. « Tales, inquit ibid., num. 7, tibi ministros exhibet « Catharinus ritum externum liberè serióque celebrantes, in iis maximè circumstantiis ex quibus determinantur ad agendum tanquàm Ecclesiæ ministri, illiusque nomine. » Et 2° cap. 14 : « Seria, inquit, « externi ritûs celebratio à Catharino, nobisque hactenùs propugnata, uti ad valorem Sacramenti sufficiens, non illa solùm est quæ joco ludoque opponitur, sed et illa quæ in his circumstantiis fiat ex quibus sacerdos determinatur ad agendum ut minister « Ecclesiæ ejusque nomine. » Quamvis ergo in his Serrius imponat Catharino qui nunquàm meminit circumstantiarum, apertè saltem liquet juxta ipsum totam ritûs externi determinationem ad esse sacramentale, et ministrorum, ad hoc ut agant tanquàm Ecclesiæ ministri ejusque nomine, esse à circumstantiis. Posito itaque hoc esse comune principium adversariorum.

2° Præcluditur hoc ultimum eorum effugium. 1° Ritum externum à circumstantiis et non ab intentione ministri ad esse sacramentale determinari, figmentum est, nullum habens neque in S. Scripturis, neque in Patribus, neque in conciliis, neque in Pontificum definitionibus fundamentum, cujus nec meminerunt primi hujus opinionis assertores, sed ab Antonio de Dominis, incunte præcedenti seculo, primùm excogitatum, l. 5 de Repub. ecclesiast., c. 12, et à recentioribus usurpatum. 2° Est directè contra D. Thomam, qui disertis terminis ubique docet ritum externum seriò peractum determinari ad esse sacramentale per intentionem internam ministri, nec ullibi meminit circumstantiarum pro illâ determinatione, ut ex ejus textibus laudatis patet : enim verò intentio juxta S. Thomam determinans ad esse sacramentale alia est ab eâ quâ minister, v. g., in Baptismo intendit ablutionem ut mundantem aut sanantem corporaliter, ut constat ex primo textu citato ; atqui minister baptizans in circumstantiis consuetis potest non habere aliam intentionem quàm mundandi aut sanandi corporaliter ; ergo non ea est intentio quam requirit S. Thomas. 3° Quæcumque dixi numero præcedenti contra systema Catharini de ritu externo seriò peracto, militat etiam de illo peracto in circumstantiis : in his namque ritus externus est adhuc indifferens, et potest minister illum peragere, vel merè materialiter ut rem profanam, sicut fieri so-

let in balneis, nihil cogitans aut intendens de sacramento, vel simulare tantùm exteriùs et irridere, vel illum ut sacrum in Ecclesiâ exercere; et sic ut si intendat ut sacrum perficit Sacramentum, ita si non intendat non perficit. Item minister sub his circumstantiis retinendo intentionem non se subjicit Christo principali agenti, neque est aut agit ut ejus et Ecclesiæ minister, sed apparet tantùm. Item verba in his circumstantiis non determinantur ad significationem sacram et effectivam significati, id namque pendet ab habente potestatem et voluntatem, sicque non sunt formaliter forma Sacramenti. Valent ergo circumstantiæ duntaxat quoad nos quatenùs his positis certi sumus moraliter ministros habuisse intentionem faciendi quod facit Ecclesia, non verò quoad substantiam Sacramenti in se; nam 4° juxta Ecclesiæ definitiones, tria tantùm sunt essentialiter requisita ad valorem et substantiam Sacramenti, scilicet materia, forma et intentio ministri, circumstantiæ autem non sunt ex his tribus, sicque elevare non possunt ritum externum ad rationem Sacramenti. 5° Si ritus externus determinaretur à circumstantiis ad esse sacramentale, sequeretur 1° quòd ebrius aut amens, maximè si non agnoscatur talis, illum seriò in circumstantiis peragens conficeret Sacramentum, quod aperiè Lutheranis favet. 2° Quòd Paganus, qui de Ecclesiâ nihil unquàm audivit, rogatus seriò ablueret infantem in loco sacro, prolatis formæ verbis, nihil aliud cogitans aut intendens quàm illum abluere corporaliter, ut fit in balneis, verè illum baptizaret, quod nemo, nec, ut puto, ipsi adversarii admittunt, cùm iste paganus nihil de Ecclesiâ cognoscens, putansque à se requiri ablutionem corporalem, nec implicitè, nec explicitè, nec directè, nec indirectè, nec in se, nec in alio, posset intendere facere quod facit Ecclesia: et tamen iste paganus haberet intentionem externam quæ est inseparabilis à ritu externo seriò posito, et adessent circumstantiæ consuetæ. 3° Sequeretur quòd circumstantiæ essent aliquandò essentialiter requisitæ ad substantiam Sacramenti, quandò nempè abessent intentio interna quod dici non potest, cùm circumstantiæ sint institutæ ab Ecclesiâ quæ nihil potest circa substantiam Sacramentorum. Tandem hoc effugium præcludunt omnes probationes nostræ conclusionis, ut in singulis notavimus; et insuper, ut videbimus in sol. obj., subjicit sententiam adversariorum omnibus ferè difficultatibus quas nobis objiciunt.

Dico 2°: Ad veritatem Sacramenti non requiritur in ministro intentio explicita producendi effectum Sacramenti, neque efficiendi rem absolutè in se sacram, seu veri nominis Sacramentum, neque faciendi quod facit Ecclesia Romana, sed sufficit implicita, quæ habetur in generali intentione faciendi quod facit vera Ecclesia quæcumque illa sit. Est communis quoad omnes partes.

Prob. prima pars: 1° Ex S. Aug., epist. ad Bonifac. 98, aliàs 23, ubi de parvulis ab hæreticis baptizatis dicit: *Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hâc intentione offeruntur.*

2° Ex S. Th. hic, q. 64, art. 10, ubi probat ministrum qui perversam habet intentionem circa finem seu effectum Sacramenti, nihilominùs efficere verum Sacramentum, ut si sacerdos conficeret corpus Christi ad veneficia, aut baptizaret mulierem ut eâ abuteretur; *quia*, inquit, *prius non dependet à posteriori.* Et ibid., art. 9, ad 1, ait: « Licèt minister « credat per id quod agitur exteriùs, nullum sequi « interiorem effectum, non tamen ignorat quòd Ec- « clesia Catholica intendit per hujusmodi quæ exte- « riùs aguntur, præbere Sacramentum; unde, non « obstante infidelitate, potest intendere facere quod « facit Ecclesia, licèt æstimet id nihil esse. Et talis « intentio sufficit ad Sacramentum. »

3° Ex praxi et communi sensu Ecclesiæ quæ recipit ut validum Baptismum verbis evangelicis collatum à Pagano, Judæo, vel hæretico, qui nullum intendunt ex eo effectum salutarem; quippè quem vel ignorant, vel negant aut irrident. Ita definivit Nicolaus I, responso 104, ad consulta Bulgarorum et refertur cap. *A quodam*, dist. 4, de Consec.

4° Sacramentum semel validè collatum habet ex se, seu ex suâ institutione, vim et efficaciam producendi effectum sicut aliæ causæ necessariæ, proindeque produci effectum, absque eo quòd ministrans de illo cogitet, aut illum intendat, imò etsi contrarium intenderet, ut qui semel admovit ignem stupæ, quidquid velit aut intendat, ignis comburit stupam.

Secunda pars est D. Th. in 4, d. 6, q. 1, art. 3, quæstiunculâ 2, ad 1, ubi dicit: « Quamvis ille qui « non credit Baptismum esse Sacramentum, aut ha- « bere aliquam spiritualem virtutem, non intendat, « dùm baptizat, conferre Sacramentum; tamen inten- « dit facere quandòque quod facit Ecclesia, etsi illud « reputet nihil esse; et quia Ecclesia aliquid facit, « ideò ex consequenti et implicitè intendit aliquid facere « quamvis non explicitè. » Insuper constat ex dictis quòd Ecclesia habeat ratum Baptisma collatum ab Athæo, Pagano, aut Judæo qui tamen non intendunt perficere rem in se sacram, seu quod habet rationem veri Sacramenti, cùm potiùs hunc ritum ut cæremoniam superstitiosam reputent.

Tertia pars constat etiam ex dictis; quia Ecclesia recipit Baptisma collatum à Calvinistis, qui tamen non intendunt facere quod facit Ecclesia Romana, quam apostatam credunt, sed quod facit Ecclesia, v. g.: Genevensis quam putant esse veram Christi Ecclesiam.

Sufficit ergo intentio explicita faciendi quod facit vera Christi Ecclesia, quæcumque illa sit; quia cùm vera Ecclesia sit Romana et faciat veri nominis Sacramentum gratiæ et characteris productivum, in generali intentione faciendi quod facit vera Ecclesia implicitè continetur intentio faciendi quod facit Ecclesia Romana, et perficiendi rem absolutè in se sacram verique nominis Sacramentum gratiæ et characteris effectivum.

Requiritur autem intentio explicita faciendi quod facit vera Ecclesia; quia hæc intentio in nullâ aliâ continetur; non enim continetur in intentione faciendi præcisè ritum externum seriò, cùm possit hæc intentio esse absque intentione faciendi quod facit Ecclesia, ut probavimus. Non requiritur tamen quòd hæc intentio explicita faciendi quod facit Ecclesia sit in actu signato, quasi minister debeat expressè ore vel mente dicere: Volo facere quod facit Ecclesia; sed sufficit quòd sit in actu exercito, nimirùm quòd advertens et volens faciat quod novit ab Ecclesiâ fieri.

Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.

Objectiones ex triplici capite potissimùm petuntur: 1° Ex praxi et definitionibus Ecclesiæ; 2° ex SS. Aug. et Thomâ et quibusdam veteribus scholasticis; 3° ex rationum momentis.

Diligenter attendat lector ad systema recentiorum qui dicunt intentionem externam, extra circumstantias adhiberi solitas, non sufficere, sed tunc requiri internam ad veritatem Sacramenti; sufficere autem in his circumstantiis, ex quibus, ut aiunt, ritus externus determinatur ad esse sacramentale: juxtâ enim illud systema, vix ullum nobis opponunt argumentum quod contra ipsos non possit retorqueri, ut patebit.

Objectiones ex praxi et definitionibus Ecclesiæ.

Obj. 1°: Ecclesia ab omni retrò antiquitate semper attentè inquisivit quæ essent Sacramenta dubia, suspecta, irrita; irrita sæpè pronuntiavit quibus deesset forma vel materia: item quæ ab ebriis aut energumenis, vel mimicè essent collata: suspecta quæ ab hæreticis de Trinitate malè sentientibus, etc.; nunquàm verò inquisivit an requireretur interna intentio, nec pronuntiavit irrata esse quæ, illâ deficiente, conferrentur: atqui nulla potest adferri ratio hujus silentii quàm quòd hæc interna intentio non requiratur ad integritatem Sacramenti, sed sufficiat ritus externus seriò peractus; ergo. — R. 1° retorquendo argumentum. Ecclesia antiquitùs non inquisivit an requireretur intentio externa extra circumstantias consuetas, nec definivit eam requiri; ergo non requiritur; quod negant adversarii. R. 2°: N. min.; ideò enim antiquitùs de intentione ministri non inquisivit, nec definivit Ecclesia, non quia illam non judicabat necessariam, sed quia de eâ nulla tunc movebatur quæstio, et habebatur ut certa moraliter hoc ipso quod ritus externus seriò peragebatur. Ubi autem de eâ mota fuit quæstio, definivit saltem consecutivè ejus necessitatem in concilio Florent. et Trid., et ut nobis videtur, expressè in condemnatione hujus propositionis: *Valet Baptismus*, etc., atque in rubricis missalis Romani, ut patet ex probationibus.

Inst. 1°: Ecclesia approbat Sacramenta collata à Judæis, paganis et hæreticis: atqui est fundata ratio dubitandi an hi habeant intentionem internam; ergo illam non requirit. — R. 1° retorquendo argumentum: Ecclesia approbat Sacramenta collata à Judæis, paganis et hæreticis privatim et extra circumstantias; valet enim judicio Ecclesiæ Baptisma quod pater hæreticus conferret suo infanti; ergo intentionem internam extra circumstantias Ecclesia non requirit. Quid ad hoc adversarii? R. 2°: D. min.: Est ratio fundata dubitandi an hi habeant intentionem internam efficiendi veri nominis Sacramentum et producendi ejus effectum, concedo; intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nego. Hæc enim jure præsumitur hoc ipso quod adhibent seriò ritum in Ecclesiâ celebrari solitum. Nec aliud possunt respondere objicientes in suo systemate de necessitate intentionis internæ extra circumstantias.

Inst. 2°: Ecclesia definivit contra Donatistas Sacramenta verbis evangelicis consecrata nullâ ministrorum improbitate pollui seu impediri; atqui sub communi nomine improbitatis continetur omnis improbitas, consequenter perversitas intentionis, quæ est quædam improbitas; ergo. — R. 1° nullum Sacramentum esse *verbis evangelicis* consecratum, nisi per intentionem internam ministri: verba enim, *te baptizo*, *te signo*, etc., cùm diversam patiuntur significationem, non consecrant materiam, nisi per intentionem faciendi rem sacram ut fit à Christianis; alioquin Sacramentum collatum privatim et extra circumstantias à ministro qui non haberet intentionem internam, deberet dici consecratum verbis evangelicis et validum, quod negant objicientes. R. 2° per improbitatem intelligendam esse improbitatem fidei et morum, non perversitatem intentionis; nulla enim fuit inter Donatistas et Catholicos controversia de intentione ministri, sed de ejus moribus et fide. Unde ad minorem, nego sub communi nomine improbitatis comprehendi quamcumque improbitatem, cùm certum sit, etiam fatentibus adversariis, ministrum qui jocosè confert Sacramentum, vel vitat formam aut extra circumstantias retinet intentionem, nihil conferre, sicque aliquam ministri improbitatem officere Sacramentis.

Inst. 3°: Synodus Ebroicensis, 1576; Rothomagensis 1581; Rhemensis, Tolosana, Aquensis circa idem tempus, prohibent rebaptizari, etiam sub conditione, baptizatos ab hæreticis: *Quia*, inquit Rothomagensis, *constabat Calvinistas in publico cœtu baptizare in formâ verborum et materiâ à Christo institutâ, nec de hoc facto ambigi poterat;* nihil de intentione. Idem Aquensis. Ergo existimabant ad Sacramenti veritatem sufficere ritum externum seriò peractum in publico cœtu, quævis intentio fuerit. Similiter Nicolaus I, responso 104, citato ad consulta Bulgarorum, definit Baptismum collatum à Judæo vel pagano esse validum, si servaverit præscriptam formam; de intentione iterùm nihil; ergo illam non existimabat necessariam. — R. 1°: Retorqueo argumentum: neque laudatæ synodi, neque Nicolaus I, quidquam definiverunt de necessitate intentionis internæ extra circumstantias; ergo existimabant illam non requiri. Consequentiam negant objicientes, nos quoque negamus quam inferunt. Unde, R. 2°: N. conseq., quia hæc illarum synodorum definitio facta est contra eos qui requirebant intentionem internam, non tantùm perficiendi ritum ut sacrum, sed etiam producendi gratiam

remissivam peccatorum. Ita disertis verbis synodus Rothomagensis ante verba laudata, cap. 4, de Sacramentis: *Quia*, inquit, *dubitabant nonnulli de valore Baptismi ab hujusmodi hæreticis collati, eò quòd non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum.* Unde hæc definitio excludit quidem necessitatem intentionis effectûs sacramentalis, non intentionis faciendi rem ut sacram in Ecclesiâ. Idcò autem synodi vetant rebaptizari sub conditione publicè, non occultè baptizatos, non quòd supponant publicè collatum validum quâcumque intentione fiat, sed quia de Baptismo publicè collato est certitudo moralis quæ non est de Baptismo occulto, cùm uni mulieri seu alteri privatim baptizanti, non ita facilè credatur. Ita iterùm se explicat ibidem laudata synodus Rothomag.

Ad Nicolaum Papam, respondeo nihil definivisse de intentione, quia interrogatus fuerat de conditione ministri, non de ejus intentione, an ratus esset Baptismus à Judæo vel pagano?

Inst. 4°: Baptismus à S. Anathasio puero inter ludendum, sociis pueris collatus; item collatus puero Hebræo ab aliis pueris ludentibus; item collatus mimicè S. Genesio in theatro, fuerunt rati habiti, nec iterati; item Baptisma collatum à Ludovico Gaufredo parocho Massiliensi, qui morti proximus testatus est se quidem ritum externum baptizando servâsse, sed interiùs retractâsse quod agebat exteriùs, et infantes quos baptizabat diabolo devovisse; hoc, inquam, Baptisma Sorbonæ et aliorum theologorum judicio habitum fuit ut validum. Similiter ordinationes Petri Lavardini episcopi Cænomanensis, quamvis pariter in extremis positus declaraverit se nunquàm habuisse intentionem ordinandi, probatæ fuerunt, nec Ecclesia eas iterari jussit; ergo.

R. tribus primis factis historicis jam satisfactum esse § præcedenti. Unum addam mirum esse hæc ab adversariis nobis objici cùm et ab ipsis sint solvenda, neque enim ipsi agnoscunt cum Lutheranis valida esse Sacramenta quæ joco externo aut mimicè conferuntur.

Quantùm ad duo facta posteriora, tot rimas patiuntur, ut ex his nihil quod objicientibus faveat extundi possit. 1° Hæc duo facta esse falsa et supposita asserit erudit. P. Lambertus Gaud in jam laudatâ dissertatione adversùs Serrium.

De Gaufredo ipsum nunquàm fuisse parochum Massiliæ, sed simplicem beneficiarium duntaxat in Ecclesiâ S. Mariæ ab Aquisfluentibus (*Desaroules*) probat ex testimonio D. Giraud actualis pastoris hujus ecclesiæ, ex opere de tragicis Historiis, et ex decreto senatûs Aquensis contrà dictum Gaufredum, in quo non parochus aut pastor, sed solùm beneficiarius parochialis ecclesiæ S. Mariæ ab Aquisfluentibus appellatur. Item probat Gaufredum morti proximum nunquàm declarâsse se infantes quos baptizârat, in nomine diaboli absque internâ intentione baptizâsse, 1° quia auctor tragicarum historiarum qui secundo post Gaufredi mortem anno, opus suum edidit et in quo varia de isto impio sacerdote narrat, nihil habet de dictâ declaratione, quam procul dubio, si vera fuisset, non omisisset; 2° quia licèt Gaufredus de variis et enormibus criminibus accusatus et interrogatus, nunquàm de eo de quo agitur fuit interrogatus, ut constat ex testimonio viri dignissimi qui rogatus, acta judicialia ad Gaufredi causam spectantia, diligenter et attentè perlustravit. Equidem verum est quòd mortuo Gaufredo sparsus sit rumor in vulgo hunc impium sacerdotem infantes baptizâsse in nomine diaboli, sed verisimiliter indè ortus est iste rumor, quòd Gaufredus confessus fuisset se Magdalenam Paludanam, jam in nomine Trinitatis baptizatam, iterùm in conventu Sagarum baptizâsse in nomine diaboli.

De Petro Lavardino probat laudatus professor Avinionensis nullum hujus nominis ex illustri familiâ Lavardinorum inter episcopos Cænomanenses recenseri; unum fuisse nomine Carolum, alterum nomine Philibertum à Ludovico XIV, anno 1648 designatum. Huic Philiberto equidem à quibusdam ejus æmulis dictam declarationem fuisse afficam et indè plures dissertationes de externæ intentionis sufficientiâ à doctoribus Parisiensibus editas fuisse: at Sambovium hâc de re consultum, calumniam esse asseruisse, Nicolaum Hermainier doctorem Parisiensem et ipsius Ecclesiæ Cænomanensis canonicum theologum atque Archidiaconum R. P. Josepho Roux provinciæ nostræ Tolosanæ provinciali testatum fuisse, ex relatione eorum qui cum Philiberto Lavardino vixerant, ipsum morti proximum declarâsse quidem Parisiis, coram parocho S. Sulpitii, qui ipsi sacrum Viaticum ministrabat, se dolere quàm maximè quòd à suâ diœcesi abfuisset sæpiùs sine causâ; at ne verbum quidem habuisse de declaratione aliâ, quam proindè puram putamque calumniam existimabat.

2° Datâ veritate horum factorum, equidem quorumdam theologorum privatorum judicio, Sacramenta sine intentione internâ celebrata, fuerunt probata, valida et ab episcopis quibusdam iterari prohibita. Verùm id non evincit Ecclesiæ sensum, nec verisimile est quòd ita nunc sentirent episcopi post damnatam propositionem ab Alexandro VIII, *Valet Baptismus*, etc. Insuper si quidam theologi et quidam episcopi ita censuerunt, aliter alii theologi et episcopi. Plures enim qui baptizati fuerunt à Gaufredo, ex rumore quòd eos baptizâsset in nomine diaboli, iterùm, ut communiter dicitur, baptizati sunt. Illustris quædam femina quæ à Fusio pastore Ecclesiæ S. Lucæ Parisiis, baptizata fuerat, retentâ, ut dicebatur, intentione, iterùm baptizari obtinuit, latente ipso Serrio, c. 6, n. 7, episcopus Cænomanensis Lavardini successor, de cujus ordinationibus ortum erat dubium, plures ex suis presbyteris iterùm ordinavit, ex his quæ leguntur apud Sambovium, t. 3, cas. 17. Idem, tom. 5, cas. 3, refert quemdam episcopum jussisse rebaptizari quos à presbytero, qui suam intentionem retinuisse dicebatur, baptizatos fuisse resciverat.

3° Sacramenta collata, ut refertur in his factis historicis, potuerunt meritò censeri à theologis et epi-

scopis non iteranda, non propter sufficientiam intentionis externæ, sed ex duplici aliâ causâ. 1° Quia cum voluntate impiâ devovendi infantem diabolo, aut non conferendi ipsi, seu ordinando, gratiam et characterem, potest subsistere intentio faciendi quod facit Ecclesia, id est, ritum qui habetur in Ecclesiâ sacer et religiosus, ut probat S. Th., hic, a. 10, et nos supra probavimus. 2° Quia hujusmodi ministris, qui dicunt se non habuisse internam intentionem, non adhibetur fides, sicut non adhibetur fides ministro asserenti se adulterasse formam aut materiam Sacramenti, nisi id certis indiciis probet; sicut item non adhibetur fides viro vel mulieri asserenti se non consensisse matrimonio; non solùm quia id asserit in proprium incommodum, quia non diligit uxorem, ut interpretatur Serrius, sed etiam si in proprium incommodum, quia verè, videntibus et scientibus aliis, diligit uxorem, sed timet Deum offendere accedendo ad illam.

Neque dicas confessionem culparum in articulo mortis esse sinceram, non enim mulieri morienti et confitenti se prolem concepisse ex adulterio fides adhibetur nisi probet, neque quidquam cogit ut adhibeatur fides sceleratis morientibus, qualis, v. g., fuit Gaufredus qui, ut fert historia, busto proximus, dicitur mortuus voluntate firmatâ in malo, confidens se post mortem aeris potestatibus esse aggregandum. Es. è contra fundata ratio timendi, ne quem in vitâ gesserunt animum Ecclesiam irridendi, eumdem retineant in morte.

Obj. 2° et simul inst.: Innocentius IV, scribens in cap. *Si quis puerum*, 3 decretal., tit. 42 de Bapt., apertè definit sufficere ad integritatem Baptismi intentionem externam, nec uflatenus requiri internam: dicit enim: « Non est necesse quòd baptizans sciat « quid sit Ecclesia, neque quòd gerat in mente facere « quod facit Ecclesia, imò si contrarium gereret in « mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed « tamen facit, quia formam servat, nihilominùs ba- « ptizatus est. » Hæc veluti pro se decretoria altè decantant adversarii; at quàm immeritò, patebit ex dicendis.

Inprimis observandum est opera Innocentii IV, editâ fuisse Lugduni dùm erat adhuc privatus doctor, undè ejus sententia, fatente ipso Serrio quævis tandem illa sit, est privati doctoris, non Romani pontificis nec in juris canonici partem venit, nunquàm enim fuit incerta decretis juris, cap. *Si quis puerum*, quamvis oppositum quidam falsò scripserint contra fidem omnium exemplarium.

Observandum insuper textum Innocentii non integrè ad præsens institutum referri, immediatè enim subjungit: *Dummodò baptizare intendant*. His præmissis, — R. Innocentium IV excludere duntaxat intentionem explicitam finis, seu effectûs Sacramenti, non verò internam intentionem ipsius Sacramenti, seu ritûs ut sacri in Ecclesiâ, sed è contrà ipsum apertè et certò requirere: quod ut manifestum fiat, necesse est integrum ejus textum referre. Dicit itaque: « Ad hoc ut « aliquis baptizatus sit necessarium est quòd baptizans « *intendat baptizare, non tantùm balneare vel carnes* « *lavare*: Nec tamen videtur necesse quoad *effectum* « *Baptismi*, quòd sciat quid sit Baptismus, scilicet quòd « ibi infundatur gratia, vel quòd sit Sacramentum, « nec etiam oportet quòd credat hoc ipsum, imò etsi « contrarium credit et totum reputat truffam et de- « ceptionem, tamen Baptismus suum habet effectum. « Item non est necesse quòd baptizans sciat quid sit « Ecclesia, nec quòd gerat in mente facere quod facit « Ecclesia: imò si contrarium gereret in mente, scilicet « non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit quia « formam servat, nihilominùs baptizatus est *dummo- « dò baptizare intendat*. Unde, si quis in casu necessi- « tatis constitutus, vel etiam sine necessitate vadat ad « Saracenum et dicat: Baptiza me, et doceat eum « formam, et ille Saracenus baptizet, non credens per « immersionem aliquid fieri nisi madefactionem, et « non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere « secundùm intentionem petentis, id est, ut *Baptismus « operetur quidquid operari potest*, et ipse baptizans « tanquàm minister conferat *quod alii baptizantes con- « ferunt*, licèt non credat ipsum *posse aliquid operari*, « verè baptizatus est; sed si hoc non intenderet, non « baptizaret. Nec est necesse quòd aliquandò sciat « quid in his Ecclesia intelligat, vel etiam quòd sciat « vel credat Ecclesiam esse. »

Hæc qui attentâ et non præoccupatâ mente legerit, apertè assertam fatebitur ab Innocentio necessitatem intentionis internæ ad esse sacramentale, et exclusam duntaxat necessitatem intentionis ad effectum Sacramenti, sicque Innocentium stare pro nostrâ, non pro adversâ sententiâ. Etenim disertè distinguit Innocentius inter *baptizare* et *balneare, seu lavare carnes*, et dicit quòd baptizans, si servet formam et intendat, *non balneare, aut lavare carnes*, sed *baptizare*, Sacramentum perficiat; ergo, præter formam seriò positam, præter ritum externum, requirit Innocentius intentionem non externam quæ est inseparabilis à ritu externo, sed internam, non balneandi aut lavandi carnes, hoc est, ponendi actionem naturalem, sed baptizandi, id est, efficiendi actionem ut sacram in Ecclesiâ. Enimverò, juxta adversarios, qui seriò ponit ritum externum, quamvis intùs dicat, nolo baptizare, sed volo balneare seu lavare carnes, perficit Sacramentum. At id expressè negat Innocentius; ergo apertè contra ipsos pro nobis stat. Insuper dicit Innocentius quòd *si minister non intendat conferre quod alii baptizantes conferunt, non baptizet?* quibus verbis requirit intentionem implicitam effectûs Baptismi, non explicitam quam priùs excluserat; non potest autem esse intentio implicita effectûs Baptismi, nisi in intentione explicitâ faciendi rem ut sacram in Ecclesiâ, quia tantùm ut sacra et non ut profana producit effectum. Tandem si Innocentius esset intelligendus ad sensum adversariorum, neque esset necessaria intentio faciendi ritum externum, quia dicit non esse necessariam intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Ecclesia autem, juxtà adversarios, facit tantùm ritum externum sicque valebit Sacramentum ab ebrio dormiente aut amente collatum.

Quando ergo Innocentius dicit non esse necesse quòd baptizans gerat in mente facere quod facit Ecclesia, imò quòd si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, perficeret Baptismum, excludit duntaxat, ut jam dixi, necessitatem intentionis explicitæ finis seu effectûs Sacramenti, seu, ut ipse formalissimè dicit, *quòd Baptismus operetur quid quid operari potest secundùm intentionem petentis Baptismum;* non verò necessitatem intentionis esse sacramentalis, siquidem, ut dictum est, præter formam requirat expressè intentionem non balneandi aut lavandi carnes sed baptizandi. Sensus illius ita que est quòd, quamvis minister nesciat Baptismum producere aliquem effectum, neque quid sit Ecclesia, et ideò ex illo privato errore nolit facere quod facit Ecclesia quoad effectum Baptismi, si tamen intendat baptizare et non balneare aut lavare carnes, hoc ipso intenditritum in Ecclesiâ sacrum et implicitè ejus effectum, sicque Sacramentum perficit; neque enim ista intentio destruitur per intentionem quam habet ex privato errore Ecclesiam nihil esse, et Baptismum nihil producere.

Dices : Innocentius in primo membro textûs allati jam excluserat intentionem finis seu effectûs Sacramenti; in secundo ergo membro, dùm excludit intentionem faciendi quod facit Ecclesia, aliam intentionem excludit, scilicet ipsius esse sacramentalis. Unde post primum casum tanquàm novum subjiciens, dicit : *Item non est necesse quòd baptizatus*, etc. — R. Innocentium etiam in secundo membro apertè loqui de intentione effectûs Sacramenti, loquitur enim de ministro qui *non intendit baptizare seu madefacere secundùm intentionem petentis Baptismum, id est, ut Baptismus operetur quidquid operari potest.* In utroque ergo membro casus est de intentione effectûs Sacramenti, sed sub diversâ ratione; in primo membro est de ministro qui nescit quid sit *Baptismus* et quòd *ibi infundat gratiam;* in secundo membro est de ministro qui nescit *quid sit Ecclesia*, et ideò quasi novum casum subjicit. Finaliter itaque et summatim eò reducitur textus Innocentii quòd, sive minister nesciat quid sit Baptismus et quòd gratiam producat, sive nesciat quid sit Ecclesia, modò baptizare intendat et conferat quod alii baptizantes conferunt, et non tantùm balneare aut lavare carnes, quidquid aliud in mente gerat, verè baptizet : et hoc nos dicimus.

Objectiones ex SS. Augustino et Thomâ veteribusque scholasticis.

Obj. 1° ex S. Aug., lib. 7 de Bap., cont. Donat., cap. 53, ubi inter varios casus hunc proponit : an sit minùs probandum Baptisma quod à mimo repentè converso extra Ecclesiam suscipitur, quàm illud quod in Ecclesiâ recipitur, si tradens et recipiens fallaciter seu simulato animo agant. En ejus verba : « Sed arbitremur etiam fallaciter aliquem dantem, cùm et tradens et accipiens fallaciter agant in ipsâ unitate Catholicâ; utrùm hoc magis Baptisma sit acceptandum, an illud quod in mimo (ludo) datur si quis existat qui fideliter subitò commotus accipiat? An quantùm ad ipsos quidem attinet homines plurimùm distet inter credentem in mimo (ludo) et irridentem in Ecclesiâ, ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil intersit. » — Huic quæstioni respondet S. Augustinus supponendo quòd Baptisma fallaciter datum et acceptum in Ecclesiâ sit validum, et indè propendet ut credat susceptum à mimo converso extra Ecclesiam sit etiam validum : « Si enim, inquit, nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsâ Catholicâ Ecclesiâ, utrùm id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cùm tamen idem utrique agant; cur extra intersit non video quandò ille qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plùs valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces à quibus agitur et in quibus agitur? Et tamen si posteà prodatur nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. »

Neque dici potest cum Bellarmino et aliis quibusdam S. Augustinum non resolutivè sed dubitanter loqui, eò quòd immediatè subjungat : « Sed nobis tutum est in eâ non progredi aliquâ temeritate sententiæ quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt. » Hæc enim verba referuntur ad Baptismum à mimo extra Ecclesiam susceptum, non ad Baptismum fallaciter in Ecclesiâ datum et acceptum, ex suppositâ enim validitate istius, ut jam dixi et patet ex textu, inclinatur ut credat alterum esse validum; atque adeò supponit primum validum, ut dicat, quòd si simulatio prodatur, non repetatur, quod non dixisset, si de ejus valore dubitâsset. Videtur ergo certum Baptisma fallaciter et simulato animo traditum et susceptum in Ecclesiâ habitum fuisse ab S. Augustino ratum et validum. Subsumo : atqui qui fallaciter et simulato animo baptizat, non habet intentionem interiorem, sed exteriorem tantùm; ergo.

R. D. subsumptum : atqui qui fallaciter et simulato animo baptizat fallaciâ et simulatione intentionis non habet intentionem interiorem, concedo; fallaciâ et simulatione fidei, nego. Loquitur autem S. Augustinus non de simulatione seu fallaciâ intentionis, sed fidei, vocatque illum fallacem qui non habens rectam fidem de veritate aut efficaciâ Sacramenti, illam tamen simulat conferendo Baptisma quasi ipsum crederet verum Sacramentum gratiæ productivum, ideòque fallit; hæc autem fallacia non impedit quin possit intendere generaliter facere ritum ut in Ecclesiâ sacrum.

Hunc esse legitimum sensum S. Augustini multis constat. 1° Tota controversia inter S. Augustinum et Donatistas, contra quos hìc agit, fuit de fide et non de intentione ministri. 2° Ne unum verbum in toto textu S. Augustini proferri potest quod exprimat simulationem intentionis. 3° Dicit fallacem, de quo loquitur, si ejus fallacia prodatur, puniri excommunicatione; nusquàm autem apparet in Ecclesiâ statutam fuisse excommunicationem simulantibus intentionem, sed benè hæreticis occultis, cùm deteguntur. 4° Opponit fallaciam de quâ loquitur, fidei : *An plus*, inquit, *distet*

inter credentem in mimo et irridentem in Ecclesiâ : Ergo intelligit fallaciam fidei et non intentionis. 5° Opponit fallaces veracibus. *An plùs*, inquit, *valent ad confirmandum illi veraces inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces à quibus agitur*. Per veraces autem intelligit societatem credentium, ut paulò post explicat dicens : *Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet*, etc. 6° Paulò supra dicit : « Præteritis majorum statutis, non « dubito etiam illos habere Baptismum, qui quamvis « fallaciter id accipiant, in Ecclesiâ tamen accipiunt, « vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis in quorum so- « cietate id accipitur. » At verò habemus quidem statuta majorum de valore Baptismi collati absque fide seu cum fallaciâ mentiente fidem, sed nullum prorsùs de valore Baptismi collati sine intentione, aut ostendant adversarii. 7° Tandem S. Augustinus eodem sensu sumit fallaciam in dante et accipiente, ut patet; non est autem verisimile S. Augustinum existimâsse valere Sacramentum in adulto qui non haberet intentionem illud suscipiendi.

Neque hìc omittenda est retorsio solita argumenti : Augustinus absolutè affirmat agentem fallaciter verum conferre Sacramentum, nec ullatenùs requirit quòd conferat in circumstantiis consuetis : si ergo intelligat de fallaciâ intentionis et indè probetur non requiri intentionem interiorem, perinde probatur contra adversarios eam non requiri extra circumstantias.

Inst. 1° S. Augustinus fallaces agnoscit in Ecclesiâ catholicâ, veraces in hæresi : *Quid sit sceleratius*, inquit loco citato, *in Ecclesiâ fallaciter accipere, an in hæresi vel schismate sine fallaciâ*; atqui fallaces fallaciâ fidei non sunt in Ecclesiâ catholicâ, et veraces veracitate fidei non sunt in hæresi; ergo. — R. D. min. pro utrâque parte : Pro primâ : fallaces fallaciâ fidei non sunt in Ecclesiâ catholicâ interiùs et verè, concedo; exteriùs et quoad apparentiam, nego. Pro secundâ parte : veraces veritate fidei supernaturalis non sunt in hæresi, concedo; veraces veritate fidei humanæ, nego. Quamvis enim hæreticus in uno, amittat fidem supernaturalem, circa omnia alia fidei nostræ mysteria, quia nullum credit ex motivo divinæ revelationis, potest tamen habere fidem humanam de aliquo, etsi careat quoad alia, ut patet in calvinistis qui habent fidem humanam de mysterio SS. Trinitatis et Incarnationis, non de mysterio Eucharistiæ. De ejusmodi autem veracibus loquitur S. Aug. qui fidem humanam habent de veritate et effectu Sacramenti, licèt quoad alia errent, sicut fallaces intelligit qui circa veritatem et effectum Sacramenti errant, et tales veraces in hæresi posse reperiri certum est.

Inst. 2° : S. Augustinus per fallaces intelligit non qui sunt solùm exteriùs in cœtu fidelium, sed qui sunt de Ecclesiâ, seu habent fidem Ecclesiæ; ergo. Prob. ant. Intelligit eos qui sunt in unitate catholicâ, *tradens*, inquit, *et accipiens fallaciter in unitate catholicâ;* atqui qui sunt in unitate catholicâ habent fidem Ecclesiæ, à fide enim Ecclesia habet quòd sit una; ergo.— R. N. ant. ad probat. : 1° N. min. in sensu S. Augustini : ipse enim, lib. 4, cont. Donat., cap. 16, agnoscit hæreticum posse baptizari et remanere *in unitate catholicâ*. 2° D. min.: Qui sunt in unitate catholicâ interiùs et verè, habent fidem Ecclesiæ, concedo; qui sunt in unitate catholicâ exteriùs et apparenter tantùm, nego.

Inst. 3° : Juxta S. Augustinum non differt quoad integritatem, Baptisma collatum fallaciter in Ecclesiâ, à Baptismo collato in ludo à mimo : atqui si intentio interna requiratur, erit inter utrumque differentia quoad integritatem; quia Baptisma collatum à mimo in ludo foret sine intentione, collatum fallaciâ fidei foret cum intentione, sicque differrent quoad integritatem; ergo. — R. 1° S. Augustinum, quamvis propensus esset ut crederet Baptisma collatum mimo converso esse validum, id tamen noluisse affirmare, sed suam sententiam dubitanter proposuisse. 2° N. min. et ejus probationem. Potest enim contingere quòd quis ludendo habeat veram intentionem faciendi rem sacram in Ecclesiâ, quam referat ad suam recreationem, ut dixi § præced. de S. Athanasio et aliis. 3° Si intelligatur hunc Baptismum collatum fuisse omninò jocosè et mimicè, tunc aberit intentio externa, non est enim intentio externa quando minister actionem seriò non perficit; ergo vel sine ullâ intentione erit validum istud Baptisma, quod est hæreticum, vel dicendum adfuisse internam.

Adde retorsionem argumenti de Baptismo privatim collato ad cujus integritatem objicientes requirunt intentionem internam.

Inst. 4° : S. Aug. reverà dubitavit an Baptisma collatum mimo omninò ludicrè et jocosè, adeòque etiam sine externâ intentione, esset validum : Dicit enim laudato, cap. 53 : « Utrùm approbandus esset baptismus « qui sic daretur, divinum judicium per alicujus reve- « lationis oraculum concordi oratione et impensis sup- « plici devotione gemitibus, implorandum esse censeo- « rem. » Ergo longè magis dubitavit de necessitate intentionis internæ. — R. 1° retorsione argumenti et subsumo : atqui tamen juxta adversarios requiritur intentio interna in collatione privatâ Baptismi; ergo et ab ipsis est solvendum argumentum. R. 2° S. Augustinum non dubitâsse an Baptisma collatum mimicè et sine intentione faciendi quod facit Ecclesia esset validum; sed dubitavit an mimicè baptizans posset habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Vide obj. 2. § præced.

Inst. 5° : S. Aug. probat contra Donatistas sanctitatem et conscientiam ministri non esse necessariam ad veritatem Sacramenti, iis rationibus quæ pariter probant non esse necessariam ejus intentionem internam. Sic lib. 1 contra litteras Petiliani, cap. 1, probat sanctitatem et conscientiam ministri non esse necessariam, quia est occulta; cap. 3, quia cùm sit occulta salus baptizatorum esset semper incerta. Ibid., quia spes ponenda foret in homine; cap. 5, quia Baptizatorum origo et radix, non est homo baptizans, sed Christus : atqui hæ omnes rationes militant pariter contra intentionem internam; Ergo. — R. 1°, retor-

quendo argumentum : atqui hæ omnes rationes pariter militant contra intentionem internam, quam necessariò requirunt adversarii extra circumstantias. Solvant ergo priusquàm opponant. R. 2° : N. min.: 1° Enim longè major est incertitudo conscientiæ et sanctitatis ministri, quàm ejus intentionis. Illam nec certò scit se habere ipse minister, istam certò cognoscit; illa difficillimè, ista facillimè habetur. Unde hoc ipso quòd minister seriò spontè ritum externum peragit, ejus intentio est moraliter certa, non verò ejus sanctitas et conscientia, ideòque si requireretur ministri sanctitas et conscientia, semper incerta esset salus Baptizatorum, secùs si requiratur intentio, nec magis erit incerta ex necessitate intentionis, quàm sit incerta ex necessitate materiæ aut formæ quæ potest secretò corrumpi; hæc autem aliqualis incertitudo non officit certitudini morali, quâ major non habetur in negotio salutis. 2° S. Aug. probat in sententiâ Donatistarum præsertim Petiliani contra quem agit, spem salutis fore ponendam in baptizante et hunc esse caput et originem baptizatorum, quia Petilianus contendebat quòd sanctitas baptizantis, baptizatum mundaret et sanctificaret etiam ut causa quasi princeps, ita ut Christus ad hanc sanctificationem non concurreret, nisi fortè ubi maculosa peccatoris conscientia ignoraretur. Hæc constant ex S. Augustino, cap. 5, citato : « An fortè, inquit, alloquens Petilianum, cùm baptizantem perfidum ille qui baptizatur ignorat, tunc « Christus dat fidem, tunc Christus est origo et radix « et caput? O humana temeritas et superbia! Cur non « sinis potiùs ut semper Christus det fidem, Christianum dando facturus? Cur non sinis ut semper sit « Christus origo Christiani, in Christo radicem Christianus infigat, Christus Christiani sit caput? » Ita ut quæstio inter S. Augustinum et Petilianum non tam esset de Sacramento conficiendo, quàm de Sacramenti confecti virtute et efficacià. At verò nos neque somniando quid simile cogitamus; profitemur cum Ecclesiâ catholicâ Christum esse causam principalem nostræ sanctificationis, ministrum autem ad perfectionem Sacramenti concurrere per intentionem ut instrumentum, sicut concurrit per materiam et formam, et etiam fatentibus ipsis adversariis per intentionem extra circumstantias. Unde sicut in eorum sententiâ neque spes ponenda est in homine, neque baptizans est origo, radix et caput baptizatorum, sic nec in nostrâ; et utrique dicimus cum Apostolo : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Inst. 6° : S. Aug., lib. 3 contra Cresconium, c. 8 : *Quâ mente*, inquit, *operetur minister, quâ laboret intentione, non curent;* ergo. — R. 1° Et hoc esse solvendum ab adversariis qui curandum de intentione dicunt, dùm Sacramentum administratur extra debitas circumstantias. 2° S. Aug. ibi loquitur de intentione, non quæ respiciat confectionem Sacramenti, sed ejus effectum. Cùm enim dixisset Cresconius : *Sicut qui plantat et rigat, non nisi fidelis colonus et diligens adhibetur;* respondet S. Augustinus : *Quasi verò quòd infidelis colonus plantaverit, propter ejus infidelitatem, non germinet vis seminis..... quâ mente operetur, quâ laboret intentione, non curent.*

Obj. 2° ex D. Th. S. doct. in 4, d. 6, q. 1, art. 2, quæstiunc. 1, ad 2, cùm sibi proposuisset hoc argumentum : « Intentio hominis non est alicui certa nisi « sibi; si ergo requiratur intentio ad Baptismum, non « erit certum de aliquo quòd sit baptizatus, nisi apud « eum qui baptizavit, et hoc est inconveniens quòd « homo sit in tanto dubio salutis. » Respondet : « Ad « hoc dupliciter secundùm diversas opiniones respondetur. Quidam enim dicunt, quòd si desit mentalis « intentio in baptizante non confert Sacramentum « Baptismi, tamen in adulto supplet fides et devotio « effectum Baptismi....; si autem sit puer, creditur « piè quòd summus sacerdos, scilicet Deus, defectum « suppleat et salutem ei conferat... Alii dicunt quòd « in Baptismo et in aliis Sacramentis quæ habent in « formâ actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab « Ecclesiâ instituta, et ideò si forma servatur, nec aliquid exteriùs dicitur, quod intentionem contrariam exprimat baptizatus est. » Et in hâc præsenti quæstione 64, art. 8, ubi quærit utrùm intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti; numero 2, idem argumentum sibi proponit et similiter respondet : « Circa « hoc est duplex opinio : Quidam enim dicunt quòd « requiritur mentalis intentio in ministro, quæ si desit « non perficitur Sacramentum, sed hunc effectum in « pueris, qui non habent intentionem accedendi ad « Sacramentum, supplet Christus, qui interiùs baptizat. In adultis autem qui intendunt Sacramentum « suscipere, supplet illum defectum fides et devotio. « Sed hoc satis posset dici quantùm ad ultimum effectum qui est justificatio à peccatis, sed quantùm « ad effectum qui est res et Sacramentum, scilicet « quantùm ad characterem, non videtur quòd per devotionem accedentis possit suppleri, quia character « nunquàm imprimitur nisi per Sacramentum. Et ideò « alii meliùs dicunt quòd minister Sacramenti agit in « personâ totius Ecclesiæ, cujus est minister. In verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ « quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur parte ministri vel recipientis Sacramentum. » Ex his textibus manifestum est, juxta S. Thomam, ad perfectionem Sacramenti non requiri intentionem mentalem seu internam sed sufficere externam, rejicit enim mentalem et dicit sufficere intentionem Ecclesiæ expressam in verbis quæ profert minister, nisi contrarium exteriùs exprimatur; intentio autem Ecclesiæ expressè in verbis ministri est exterior.

Hanc objectionem præ se ferre difficultatem non diffiteor : sed inprimis observandum quoad textum ex 4 sentent. desumptum, probabiliùs videri secundam responsionem non proferri à S. Th., ut suam, sed ut quorumdam theologorum sui temporis, ut fatetur ipse Catharinus : tum quia in corpore ejusdem quæstiunculæ, et ad 1 et 3, requirit non solam expressionem

intentionis per verba, sed præter materiam et formam ipsam intentionem baptizandi et sacramentalia conficiendi; tum quia verba quibus constat forma Baptismi, dicuntur in eâ responsione instituta ab Ecclesiâ. Quis autem credat S. Thomam ex propriâ mente dixisse formam baptismi esse institutam ab Ecclesiâ, cùm ipse doceat, et fide sit certum, esse institutam à Christo. Neque dicas formam baptismi dici institutam ab Ecclesiâ quoad modum et ordinem tantùm; nam Apostoli ante Christi passionem eam usurpabant secundùm eumdem ordinem et modum quem à Christo acceperant, et, sicut nunc, baptizabant dicentes: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti.*

Neque etiam valet si dicas S. Thomam in Summâ, loco citato, eamdem responsionem proferre ut suam; nam non est omninò eadem utriusque responsionis doctrina. In 4 dicit non requiri intentionem mentalem, sed sufficere expressionem intentionis per verba ab Ecclesiâ instituta; in Summâ dicit requiri intentionem Ecclesiæ. In 4 loquitur tantùm de Sacramentis quæ habent in formâ actum exercitum; in Summâ nullum excipit. Sed esto foret eadem utriusque textûs doctrina, nihil vetat aliter juniorem, aliter seniorem sensisse, ut de facto probabiliùs contingit in casu. Veriùs itaque existimo cum P. Gaud quòd si S. doctor unam ex his duabus responsionibus adhibeat ut suam, prima potiùs quàm secunda sit illi adscribenda; 1° quia erat communior tunc temporis; sic enim censebant magister, Alex. S. Bonaventura et alii; tum quia ipse S. Th. in 4, d. 3, q. 1, a. 2, q. 3, ad 4, dicit quòd in casu quo una persona Trinitatis nominata, puer vel sacerdos moreretur, *creditur quòd invisibilis sacerdos suppleat defectum.* Hanc tamen sententiam senior factus in Summâ abdicavit. Cæterùm quidquid sit de textu ex 4 sentent. desumpto, remanet saltem difficultas in textu Summæ ubi constat S. doctorem loqui ex propriâ sententiâ.

Solutioni præmitto: 1° incredibile esse S. Thomam his paucis verbis evertisse quod toties et tam expressè alibi asserit, atque excludere necessitatem intentionis internæ et sufficientem existimare solam expressionem verborum, cùm in eodem loco disertè asserat ritum externum ex se indifferentem debere determinari ad esse sacramentale per intentionem ministri, ministrum tanquàm instrumentum animatum debere per intentionem se subjicere Christo ut principali agenti; art. 10; ministrum qui non intendit conficere Sacramentum nihil efficere; in 4, d. 11, q. 2, art. 2, q. 3, ad 1, intentionem quæ ordinatur ad perfectionem Sacramenti esse essentialem Sacramento; opusc. 5, si minister non intendat Sacramentum conficere, non perfici Sacramentum et hæreticum posse baptizare, dummodò servet formam Ecclesiæ et intendat facere quod facit Ecclesia; infra, q. 68, a. 7, ad 2, intentionem suscipiendi Sacramentum esse necessariam in suscipiente. Vide probationem 6. Incredibile est, inquam, S. Thomam qui hæc et similia disertè asserit, existimâsse solum ritum externum seriò peractum, seclusâ quâvis aliâ intentione, esse Sacramentum, nisi velis S. doctorem palpabiles, non semel, sed pluries, non in dissitis locis, sed in eodem loco, contradictiones asseruisse. Sed etsi verum sit quod prætendunt adversarii.

Præmitto 2° hunc nodum, in quo vim maximè faciunt, esse etiam ab ipsis solvendum. Dicunt enim non sufficere externam intentionem, sed requiri internam quando minister privatim non rogatus, nec in loco sacro, atque extra alias circumstantias adhiberi solitas, Sacramentum ministrat: atqui S. Th. non distinguit inter Sacramentum cum circumstantiis, vel sine circumstantiis collatum, sed dicit absolutè et generaliter de omnibus Sacramentis et quovis modo seriò collatis, *in verbis quæ profert minister, exprimi intentionem Ecclesiæ quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur;* ergo si per hæc verba rejicit necessitatem intentionis internæ, objicientes habent D. Thomam sibi æquè ac nobis contrarium, et quidquid dicent ut ab hâc difficultate se extricent, pro nobis dictum habebimus. Interim inter varias solutiones, duas propono quæ mihi videntur probabiliores.

Quidam ergo respondent S. Thomam per intentionem Ecclesiæ quam dicit sufficere ad perfectionem Sacramenti, non intelligere intentionem quæ sit in solâ Ecclesiâ et non in ministro, sed etiam quæ sit interiùs in ministro faciendi quod facit Ecclesia et quam idcircò vocat intentionem Ecclesiæ; quia quod primùm et proximè Ecclesia intendit, est facere ritum sacrum; qui hunc ergo intendit, intendit facere quod facit Ecclesia et habet intentionem Ecclesiæ. Enim verò si per intentionem Ecclesiæ, quam S. doctor dicit sufficere ad perfectionem Sacramenti, non intelligeret etiam internam intentionem ministri faciendi quod facit Ecclesia, sed solam intentionem quæ habitualiter in Ecclesiâ reperitur, manifestè sibi contradiceret in eodem articulo, in cujus corpore et in resp. ad 1 et 3, requirit in ministro intentionem etiam internam faciendi quod facit Ecclesia, ut probavimus. Hæc solutio, quamvis non sit communis, sat tamen mihi arridet; eam præ cæteris amplectitur eruditiss. professor Avenionensis in laudatâ dissert., potestque meo sensu sustineri adversùs oppugnantes instantias. Igitur

Inst. 1°: S. Th. primam opinionem quæ requirit intentionem mentalem in ministro, rejicit; postquàm enim eam retulit dicit: *Alii meliùs dicunt;* ergo per intentionem Ecclesiæ non intelligit intentionem mentalem seu internam ministri. Resp. D. Ant. Opinionem quæ requirit intentionem mentalem rejicit, præcisè quia requirit intentionem mentalem, nego; quia dicit quòd si desit intentio mentalis, Christus suppleat defectum Sacramenti in infantibus, in adultis autem eorum devotio, concedo. Patet ex textu: sibi objecerat S. doctor quòd si requireretur intentio interna ministri, salus foret incerta. Huic objectioni adhibet duas responsiones in quibus supponit necessariam esse intentionem internam, et

tamen non ideò esse incertam salutem. 1°. Quia licèt requiratur intentio mentalis, attamen juxta quosdam Deus vel devotio suscipientis supplet defectum Sacramenti et sic non est incerta salus. 2° Rejectâ hâc responsione quantùm ad id quod dicit Deum aut devotionem suscipientis supplere defectum Sacramenti, veriùs et probabiliùs dicit quòd in verbis quæ profert minister exprimatur intentio Ecclesiæ quæ sit etiam interna ipsius ministri intentio faciendi quod facit Ecclesia, et quòd hæc intentio sufficit ad perfectionem Sacramenti, ubi contrarium non exprimitur exteriùs; et sic etiam tollitur anxietas circa veritatem Sacramenti: quamvis enim non sit omnimodè et physicè certum, ministrum habere intentionem internam quam verbis exteriùs exprimit, id tamen est moraliter certum, et hoc sufficit ad sedandam animi anxietatem, non enim major habetur certitudo in negotio salutis, ut jam dixi, neque prudenter timentur anxiè pericula et remota rarissimè contingentia, solique hæretici certitudinem absolutam et inconcussam salutis adstruunt. Sicut ergo pœnitens credit sine anxietate se esse absolutum, quia quamvis absolutè fieri possit, quòd sacerdos absolvens vitiaverit formam absolutionis quæ secretò profertur, est tamen moraliter certum eam integrè fuisse prolatam, ita in casu de intentione: non enim est minùs certùm, ministrum spontè seriò ritum externum peragentem habere intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia, quàm certum sit ipsum formam vel Baptismi, vel Pœnitentiæ pronuntiâsse.

Replicabis: S. Th. in secundâ responsione loquitur de intentione, quâ stante potest minister exteriùs exprimere contrarium et irritare Sacramentum; atqui minister qui habet intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia, nihil potest exteriùs exprimere contrarium quod irritet Sacramentum; etsi enim joco illud conferret, perficeret tamen Sacramentum; stante illâ intentione internâ faciendi Sacramentum; ergo. — Resp.: N. min. Potest enim minister cum illâ intentione internâ, sive ex errore, sive ex ignorantiâ, sive ex inadvertentiâ vitiare exteriùs formam Sacramenti, aut adhibere materiam illegitimam, et sic cum suâ intentione nihil efficere.

Alii respondent quòd quandò S. Th. dicit quòd in verbis quæ profert minister exprimitur intentio Ecclesiæ quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, non intelligat quòd sufficiat hæc intentio Ecclesiæ verbis ministri expressa ad perfectionem Sacramenti simpliciter et quoad se, sed quòd sufficiat ad perfectionem Sacramenti secundùm humanam certitudinem et quoad nos; ex hoc enim vitatur inconveniens objectum in argumento quòd quilibet esset incertus suscepti Sacramenti: hoc ipso enim quo videmus ministrum spontè seriò applicare formam materiæ, nec exteriùs contrariam intentionem demonstrare, moraliter certi sumus de veritate Sacramenti, ut modò dicebam, nec alia certitudo requiritur ad tollendam anxietatem, sicque responsio adæquatè satisfacit argumento. Undè sic in formâ distinguo: Intentio Ecclesiæ in verbis ministri, si contrarium exteriùs non exprimatur, sufficit ad perfectionem Sacramenti, quantùm ad humanam existimationem et moralem certitudinem, concedo; sufficit ad perfectionem Sacramenti in se et secundùm se sumpti, nego. Similiter S. Th. excludit intentionem mentalem tanquàm necessariam ut habeatur certitudo moralis, concedo; tanquàm necessariam ut perficiatur Sacramentum, subdistinguo ut ante; ut perficiatur Sacramentum in se, nego; ut perficiatur in judicio Ecclesiæ et conscientiâ suscipientis, concedo. Hæc solutio est Cajetani, Soto, Nugno, Cabrera, Vincentii, Baronii, Goneti, eminentiss. Gotti, Suaris, Valentiæ, Becani, Berti, et communior tam apud Thomistas quàm apud extraneos.

Hanc autem esse mentem S. Thomæ, colligitur non solùm ex his quæ habet in corpore ejusdem articuli, et in Resp. ad 1 et 3, et alibi ut vidimus, ubi apertè requirit intentionem internam, neque solùm ex ipso argumento, cui debet correspondere solutio ut mox dicam; sed ex ipsis verbis objectis; dicit enim non sufficere quoad nos intentionem Ecclesiæ verbis ministri expressam, si contrarium exteriùs exprimatur; ergo censet non sufficere quoad Deum, si contrarium interiùs minister exprimat; sicut enim contraria intentio exteriùs expressa necessariam intentionem destruit quoad nos, ita contraria intentio interiùs expressa destruit intentionem necessariam quoad Deum.

Neque dicas quòd contraria expressio reddat prolationem formæ non seriam sed ridiculam; seria quippe est, quia est conformis internæ intentioni, et ideò seria, quia sincera. Insuper si contraria intentio exteriùs expressa reddat quoad nos prolationem formæ non seriam, sed ridiculam, ergo interiùs expressa reddit prolationem formæ apud Deum non seriam, sed ridiculam, et per illam minister non se subjicit Christo ut principali agenti.

Inst. insuper: Quando S. Th. dicit in primâ responsione quosdam auctores mentalem seu internam intentionem requirere ad perfectionem Sacramenti, loquitur de perfectione Sacramenti simpliciter et in se sumpti; sic enim intelligebant isti auctores; ergo quando rejectâ illâ opinione, dicit intentionem Ecclesiæ verbis ministri expressam sufficere ad perfectionem Sacramenti, intelligit etiam de perfectione Sacramenti in se et non solùm quoad nos. R. N. conseq, quia non rejicit primam sententiam, quatenùs requirit intentionem mentalem ad perfectionem Sacramenti in se, sed quatenùs suppositâ illius necessitate, dicit nihilominùs haberi certitudinem salutis (de quâ erat argumentum) per hoc quòd Deus suppleat effectum Sacramenti, ut paulò antea dictum est. Undè in secundâ responsione, suppositâ etiam necessitate mentalis intentionis ad perfectionem Sacramenti in se, dicit haberi nihilominùs, sed aliundè, certitudinem moralem salutis, nempè expressionem seriam intentionis Ecclesiæ in verbis ministri, quod sufficit ut certi moraliter simus ministrum habuisse intentionem mentalem necessariam, et Sacramentum esse peractum, nisi contrarium exteriùs exprimatur.

Repones : S. Th. in argumento quod sibi opponit et quo vult probare non requiri intentionem internam ministri ad perfectionem Sacramenti, loquitur de perfectione Sacramenti, de quâ loquitur in titulo articuli, alioquin thesim quam isto argumento impugnandam sibi proponit, non attingeret : atqui in titulo articuli agit de perfectione Sacramenti in se, ut omnes fatentur: ergo et in argumento quod sibi opponit. Subsumo : atqui debet in responsione agere de eâdem perfectione de quâ agit in argumento, alioquin illud non solveret ; ergo in responsione agit de perfectione Sacramenti in se et non quoad nos tantùm. — R. D. ultimum consequens : ergo in responsione agit de perfectione Sacramenti in se, ut probet illam non esse incertam, si omnia exteriùs ritè peragantur, concedo; agit de perfectione Sacramenti in se, ut probet eam consistere in his solis exterioribus, nego. Solutio mihi planè evidens est ex argumento; sensus enim alicujus responsionis æstimari debet ex objectione cui respondetur. Objicit autem sibi S. Th. quòd si intentio mentalis requiratur ad perfectionem Sacramenti, cùm illa intentio non sit nota, nemo esset certus suæ salutis seu Sacramenti suscepti. Respondet sicut nos respondemus adversariis quando idem argumentum nobis objiciunt, quòd quamvis intentio mentalis ad perfectionem essentialem Sacramenti requiratur, non tamen sequitur quòd nemo sit certus suscepti Sacramenti, quia hoc ipso quo minister pronuntiat verba supra materiam, nihil contrarium exteriùs exprimendo, certi sumus moraliter eum habere intentionem mentalem requisitam et ideò esse perfectum Sacramentum. Et hic est planissimus sensus responsi collati cum argumento, in quo non magis S. Th. intentionem internam negat, quàm nos negamus, cùm eidem argumento respondemus.

Tandem, ut iterùm repetam, nec repetere piget, advertant adversarii in his omnibus se suo gladio transfigere. Quando enim minister privatim et extra circumstantias ritum externum seriò peragit sine intentione internâ, in verbis quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, nec contrarium, ut suppono, exteriùs exprimit, et tamen fatentibus adversariis hæc intentio Ecclesiæ sic expressa non sufficit ad perfectionem essentialem Sacramenti, sed requiritur intentio interna ministri.

Obj. 3° celebres quosdam veteres Scholasticos qui Catharino præiverunt et pro intentione externâ steterunt. Magister sententiarum in 4, d. 27, docet quòd consensus externus verbis expressus sine interno faciat matrimonium. Petrus Paludanus in 4, d. 6, q. 2, dicit opinionem de intentione externâ posse defendi, et argumenta in contrarium solvit. Sylvester, verbo Baptismus, tit. 3, n. 12, dicit opinionem de externâ intentione sustineri posse et hanc S. Thomam defendere; ergo. — R. 1° esto hos et quosdam alios antiquos scholasticos intentioni externæ favisse; sunt privati theologi qui conciliorum decretis, summi Pontificis definitioni, Ecclesiæ praxi et aliis probationibus nostris præponderare non valent. R. 2° ad primum: Magister sententiarum in 4, d. 6, expresse docet ad integritatem Baptismi requiri intentionem baptizand in loco verò objecto, loquitur de matrimonio quoad forum exterius ut ipsum explicat S. Th., ibid., in expositione textûs.

Ad secundum : Licèt Paludanus concedat hanc opinionem defendi posse, dicit tamen ibidem contrariam esse tenendam ut communiorem et tutiorem.

Ad tertium : Equidem Sylvester fuit dubius inter utramque opinionem, vult tamen quòd si quis sit baptizatus sine internâ intentione, sit rebaptizandus sub conditione. Neque dicit S. Thomam tenere sententiam de externâ intentione, sed *videtur*, inquit, *tenere*.

Objectiones à ratione.

Tædiosus forem si omnia argumenta quæ à ratione proferunt externæ intentionis defensores exscribere vellem; plura ex jam dictis solutionem habent, quapropter præcipua duntaxat proponam.

Obj. 1° : Ministri Sacramentorum sunt in republicâ christianâ tanquàm personæ publicæ quæ nomine Christi et Ecclesiæ sacra munia obeunt; ergo in eis necessaria est et sufficit intentio quæ ipsis, ut sunt personæ publicæ, competit. Subsumo : atqui intentio ritûs externi à Christo instituti seriò peragendi competit eis ut sunt personæ publicæ, alia autem interior contraria competit eis, ut sunt privatæ personæ; ergo. — R. omisso ant. D. subsumptum : Intentio ritûs externi seriò peragendi à Christo instituti, ut à Christo instituti et in Ecclesiâ sacri competit eis ut sunt personæ publicæ, concedo; ritûs externi seriò peragendi materialiter ut ritûs naturalis et profani seu irrisoriè, nego. Patet ex dictis probat. 2.

Omisi ant. Qui enim in casu necessitatis baptizat sine solemnitate, item Judæus, aut paganus, aut hæreticus baptizans, non se gerunt ut personas et ministros publicos Ecclesiæ, ut docet auctor hic, a. 6, ad 3. Neque ministrans extra circumstantias, ut docent objicientes; ergo iis saltem foret necessaria intentio interior.

Inst. 1° : Ministri Sacramentorum sunt in Ecclesiâ sicut legati principum in Republicâ civili, sicut judex constitutus à rege in ferendâ sententiâ, sicut mandatarius respectu mandati superioris, sicut notarius respectu contrahentium : atqui acta legati, nomine regis exteriùs peracta, sunt valida, quidquid ipse legatus interiùs contradicat; sic, v. g., validè transferret dominium alicujus provinciæ nomine regis, quamvis ipse, interiùs non consentiret; sic Aman, quamvis hæc verba : *Sic honorabitur quem rex honorare voluerit*, contrario animo proferret nomine regis, verùmtamen honorem Mardochæo exhibuit; sententia judicis solemniter prolata valet, etsi ipse interiùs nolit absolvere mandatarius exteriùs indicando mandatum superioris, aut faciendo quod jussit, v. g., dando eleemosynam præscriptam, validè suum munus adimplet, etsi interiùs obluctetur animo. Contractus à notario publico intùs reluctante peractus est validus; ergo. — R. duplicis generis distingui ministros seu deputatos ab aliis ad certa negotia, ut jam observavi superiùs. Quidam

sunt meri nuntii deferentes duntaxat aliorum voluntatem; alii deputantur cum potestate pro suo judicio et arbitrio faciendi vel non faciendi; hujus secundi generis sunt ministri Sacramentorum, ut probatum est. Legatus itaque seu minister regis vel reipublicæ, si sit primo modo deputatus, valent ejus acta exteriora sine intentione, et talis erat Aman in casu : secùs si secundo modo sit deputatus. Idem dicendum de mandatario. Sententia judicis, solemniter prolata sine intentione absolvendi, valet duntaxat in foro exteriori, non interiori, nisi quando accedente reipublicæ consensu firmatur, quod dici non potest de Ecclesiâ, respectu Sacramenti quod de se est nullum. *Juxta unanimem Theologorum sententiam*, inquit Card. de Lugo, disp. 8, sect. 2, n. 18, *nullus actus legitimus validus est in foro conscientiæ, quando fit absque interno consensu, licèt in foro exteriori existimetur validus..... Et de hoc nulla est controversia apud theologos et juristas.* Notarius non facit contractum, sed scribit tantùm : faciunt autem contractum ipsi contrahentes, sine quorum consensu interno est invalidus.

Adde pro retorsione solità, his argumentum probari, non requiri intentionem internam in ministro qui privatim et extra circumstantias Sacramentum administrat, quod negant objicientes.

Inst. 2° : Poterat Christus sic instituere Sacramenta ut valeant independenter ab intentione ministri : atqui sic fieri congruebat; ergo. Prob. min. Sic enim magis manifestaretur Dei potentia et sapientia, et magis innotesceret Deum esse causam principalem, hominem verò solùm instrumentalem; ergo. R. 1° hoc argumento probari sic etiam Christum instituisse Sacramenta ut privatim extra circumstantias collata valeant sine intentione internâ, eædem enim congruentiæ currunt : unde nimis probat in sententiâ objicientium. R. 2° : N. min. et ejus probationem; è contra enim magis elucescit divina virtus et sapientia, quòd sic per hominem tanquàm instrumentum causet gratiam, ut ejus modum agendi connaturalem conservet : atque hoc magis dignitati Sacramentorum et ministrorum congruit, neque per hoc minuitur in Deo ratio causæ principalis, nec in ministro ratio causæ instrumentalis.

Obj. 2° : Nihil aliud requiritur in ministro quàm quòd intendat facere quod facit Ecclesia : atqui qui seriò facit ritum externum intendit facere quod facit Ecclesia, quidquid intùs intendat; ergo. Prob. Min. : Ecclesia facit ritum externum; ergo. R. 1° Retorqueo argumentum. Qui Sacramentum ministrat privatim extra circumstantias sine intentione internâ, facit seriò ritum externum, et tamen fatentibus adversariis non intendit facere quod facit Ecclesia. Idem dic de muliere abluente domi infantem cum prolatione verborum. Unde — R. 2° : N. min.; ad probat., dist. ant.: Ecclesia facit ritum externum materialiter ut naturalem et profanum, nego; ut sacrum et à Christo institutum, concedo. Sic autem non facit minister sine intentione internâ. Vide probationem secundam.

Inst. 1° : Impossibile est quòd minister seriò peragens ritum externum, non faciat Sacramentum quantumvis animo obluctetur; ergo. Prob. ant. Peragendo seriò ritum externum applicat formam materiæ : atqui ex applicatione formæ ad materiam necessariò resultat compositum, etiamsi renitente voluntate internâ agentis, ut applicatâ formâ cathedræ ligno, necessariò fit cathedra; applicatis et dispositis coloribus in telâ, necessariò fit pictura; appositâ formâ sigilli ceræ, fit necessariò sigillatio, quantumvis agens intùs contradicat; Ergo. Patet maj., quia verba sacramentalia sunt forma, et res sensibiles sunt materia. Est ergo in tali ministro duplex voluntas contraria : una absoluta quâ vult ponere, et de facto ponit ritum; altera conditionata quâ non vellet fieri Sacramentum, et hæc superatur à primâ : sicut nauta qui simpliciter et absolutè vult projicere merces in mare, urgente tempestate, et conditionatè vellet non projicere; quæ secunda voluntas superatur à priore absoluta. — R. 1° : Totum argumentum pariter probare, si quid probat, non solùm non requiri intentionem internam ad perfectionem quando ritus extra circumstantias seriò peragitur, aut dùm mater abluit domi infantem cum prolatione verborum, quod negant adversarii, sed etiam quòd Sacramentum collatum ab ebrio, amente, vel mimo valeat : sit enim ebrius, amens aut mimus, qui jocando disponat lignum in formam cathedræ, applicet colores tabellæ, imprimat sigillum ceræ, quantumvis interiùs contradicat, resultat cathedra, pictura, sigillatio. Vide probationem secundam et sextam. — R. 2° : N. ant.; ad prob. nego maj.; ad prob. dist. : Verba sacramentalia sine intentione internâ prolata sunt forma materialiter, concedo; formaliter, nego. Cùm enim etiam seriò prolata sint adhuc indifferentia, ad significationem sacram vel profanam, non determinantur ad significationem sacram, sub quâ sunt formaliter forma Sacramenti, nisi per intentionem internam ministri. Et in hoc, ut jam observavi, maximè allucinatur adversa sententia.

Quantùm ad id quod additur de duplici voluntate contrariâ, verum est quòd quando versantur circa idem objectum, absoluta superat conditionalem, sicut contingit in nautâ circa easdem merces; at secùs si versentur circa diversa objecta et utraque sit absoluta, ut in casu; intentio enim externa versatur circa opus indifferens, interna circa opus ut sacrum, utraque est absoluta, possuntque simul consistere, nec una superatur ab alterâ.

Inst. 2° : Verba sacramentalia, imò totus ritus externus, sunt signa sacra ex institutione Christi; atqui signum semel institutum, si exteriùs proferatur aut exhibeatur, significat id ad quod significandum est institutum; ergo. Item sunt medicamenta; medicamenta autem sanant independenter ab intentione internâ medici. — R. 1° : hoc argumento probari verba sacramentalia seriò prolata super materiam præsentem, non solùm à ministro privatim agente et intùs reluctante, sed etiam ab ebrio, amente, mimo, psittaco esse sacra et conficere Sacramentum, quod est hæreticum et absurdum. Unde — R. 2° : D. maj.: Verba sa-

cramentalia sunt sacra signa ex institutione Christi dependenter ab intentione internâ ministri, concedo; independenter ab illâ, nego. Insuper esto vera esset minor de signis merè speculativis, falsa est de signis practicis quæ efficiunt quod significant, qualia sunt signa sacramentalia; id enim non habent ex se, sed ex voluntate illius cui data est potestas efficiendi quod significant; sic autem in Sacramentis est minister. Ad secundum, disparitas est quòd medicamentum à naturâ habet vim sanandi; at ritus externus non est ex se determinatus ad esse sacramentale, sed debet ad id determinari per intentionem internam ministri, semel verò determinatus et perfectus, tunc, ad instar medicamenti, sanat independenter ab ulteriori intentione ministri.

Inst. 3° : Hoc ipso quo quis vult conficere Sacramentum etiamsi intùs nolit conficere effectum Sacramenti, confert tamen; ergo similiter hoc ipso quo vult facere actum externum, etiamsi intùs nolit facere Sacramentum, facit tamen. Item qui adhibet signa quæ scit esse magica, etiamsi ea nihil æstimet et animo derideat, facit tamen quod magi faciunt; ergo similiter. — R. ad primum; N. conseq. : Data est mox disparitas, quòd Sacramentum validè confectum sit ex se determinatum ad causandam gratiam, agit enim tunc ut aliæ causæ necessariæ; at opus externum non est ex se determinatum ad esse sacramentale, sed ad id debet determinari per intentionem ministri. Ad secundum, resp. quòd si illa signa quæ scit esse magica, nolit intùs adhibere ut magica, sed simulare tantùm et irridere, non faciat quod magi faciunt.

Adde retorsionem utriusque argumenti contra intentionem internam quam requirunt adversarii in collatione privatâ Sacramentorum.

Inst. 4° : Juramentum promissorium seriò emissum exteriùs sine voluntate jurandi, est verum et validum juramentum; ergo similiter Sacramentum sine intentione illud conficiendi. — R. N. ant. : Ad rationem enim juramenti veri et validi requiritur animus jurandi seu vocandi Deum in testem, ut probavimus ex communi sententiâ in tract. de Religione, dissert. 5, art. 1. Quia juramentum est invocatio divini numinis; invocatio autem importat, non solùm actum intellectûs, qui est locutio interna, sed etiam actum voluntatis quo optamus et intendimus Deum adesse nobis testem.

Inst. 5° : Juramentum promissorium sine animo jurandi obligat : Ergo est validum. — R. D. ant. : Obligat in foro externo, concedo; in foro interno, subdistinguo : Obligat vi juramenti, nego; obligat ob scandalum et damnum quod evenire solet promissario, si non servetur, et secundùm aliquos ob reverentiam quæ debetur divino Numini, etiam exteriùs tantùm invocato, concedo.

Inferes : Ergo qui sic jurat et qui juramentum hujusmodi violat, non est perjurus, quod videtur damnatum in hâc propositione proscriptâ ab Innocentio XI: *Si quis juret se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit... reverà non mentitur, nec est perjurus;* ille enim non jurat animo vocandi Deum in testem falsi quod exteriùs exprimit, sed veri quod in mente retinet; ergo. — R. propositionem damnatam non agere de eo qui juramentum fictum violat, sed de eo qui juramentum facit, et ille licèt non sit perjurus strictè, quia ille dicitur strictè perjurus qui vel falsum jurat, vel verum juramentum violat; est tamen secundùm quid et latiori sensu perjurus; 1°, quia est perjurus exteriùs; 2°, quia dicitur perjurium minùs strictè omne juramentum illicitum, juramentum autem fictum est juramentum illicitum. Insuper ad falsitatem et damnationem propositionis copulativæ, sufficit quòd una pars sit falsa, qualis est certò hæc in dictâ propositione *reverà non mentitur.*

Addam, et, quamvis fortè ad nauseam, repetere non desinam totam hanc instantiam de juramento probare contra ipsos adversarios : si enim juramentum solemne sine animo jurandi, sit verum juramentum et obliget; etiam juramentum privatum sine animo jurandi est verum juramentum et obligat : ergo si quid valeat hæc paritas, probat Sacramentum privatim collatum et extra circumstantias sine animo interno illud conficiendi, esse validum, quod est contra adversarios.

Obj. 3° : Athæus, paganus, vel Judæus possunt validè conferre Baptismum, ut diximus conclusione secundâ; atqui perficiendo seriò ritum externum non possunt habere intentionem internam faciendi rem sacram, siquidem illam ut cæremoniam superstitiosam reputent, et Ecclesiam impiorum conventum; ergo. — R. D. min. : Non possunt habere intentionem faciendi rem sacram, absolutè in se sacram, concedo; ut sacram in Ecclesiâ, nego. Quamvis enim irrideant Ecclesiam, et ejus cæremoniam superstitiosam et impiam in se credant; non ignorant tamen eam frequentari in Ecclesiâ ut sacram et religiosam; unde dùm intendunt facere quod facit Ecclesia eamque cæremoniam peragere eo modo quo fieri solet in Ecclesiâ, non obstante eorum privato errore, habent intentionem internam et perficiunt Sacramentum : « Si verò, « inquit doctor noster Angelicus, hic, art. 9, ad 1, pa- « tiatur fidei defectum circa ipsum Sacramentum « quod exhibet, licèt credat per id quod agitur exte- « riùs, nullum sequi interiorem effectum, non tamen « ignorat quòd Ecclesia catholica intendit per hujus- « modi quæ exteriùs agit præbere Sacramentum; un- « de non obstante infidelitate, potest intendere facere « quod facit Ecclesia, licèt æstimet id nihil esse; et « talis intentio sufficit ad Sacramentum. »

Inst. : Episcopus ordinaturus protestatur se nolle ordinare excommunicatos; et tamen hi verè sunt ordinati, siquidem illos Ecclesia suspensione mulctet, non reordinare jubeat; ergo. — R. 1° hoc argumentum militare contra adversarios qui dicunt ritum externum seriò peractum non sufficere ad Sacramentum si contrarium exteriùs exprimatur. Resp. 2° episcopum id protestari ad terrorem tantùm; at ubi compertum existimat nullum adesse excommunicatum, vult omnes præsentes ordinare; et sic non vi ritus externi præ-

cisè, sed vi internæ intentionis sunt ordinati.

Obj. 4°: Ab inconvenientibus; si vera sit sententia nostra, sequitur 1° quòd nemo possit esse certus suscepti Sacramenti, nec ideò suæ salutis, ubi sacramentum est necessarium necessitate salutis, quia intentio interna nulli potest esse nota et certa; undè S. Th. in 4, d. 5, q. 2, art. 2, quæstiunc. 1, dicit quòd ea quæ pertinent ad substantiam Sacramenti debeant esse certa; et indè negat bonitatem ministri esse de substantiâ Sacramenti, quia non est certa. Sequitur 2° quòd Ecclesia possit deficere. Ponamus enim parochum ritum externum seriò peragendo non intendere baptizare infantem; hic infans fit sacerdos, fit episcopus, fictitius scilicet, diù vivens omnem clerum suæ diœcesis, renovat, nulli erunt in eâ sacerdotes, nullum sacrificium, nulla peccatorum absolutio, nullus clerus, proindè nulla Ecclesia quæ ex clero tanquàm ex potiori parte constat. Quod autem in unâ diœcesi contingit, in pluribus et in omnibus contingere potest, sicque Ecclesia deficere. Sequitur 3° quòd valor Sacramenti penderet à probitate ministri quâ intentionem hanc secundùm nos requisitam adhibeat; diximus autem supra probitatem in ministro non requiri. 4° Sequitur quòd salus hominis, Spiritûs sancti gratia, virtus sanguinis Christi ab hominum arbitrio pendeat, quòd plus possent nocere homines quàm juvare Christus, et hominem non solùm plantare et rigare, sed etiam incrementum dare. 5° Sequitur quòd innocentes plecterentur propter malitiam aliorum; ergo. — R. 1° retorquendo argumentum integrum. Juxta adversarios requiritur intentio interior dùm Sacramentum confertur privatim extra circumstantias consuetas; ergo qui sic baptizatur, incertus erit suscepti baptismatis, etsi reverà defuerit intentio ista, factus sacerdos et episcopus, nullum sacrificium perficiet, nullum absolvet, nullum ordinabit, sicque deficere poterit Ecclesia, valor Sacramenti pendebit à probitate ministri, salus hominis et gratia ab ejus arbitrio, plus poterit nocere homo quàm Christus juvare, et dabit homo incrementum, innocensque plectetur propter malitiam aliorum; ergo neganda est necessitas intentionis internæ extra circumstantias. Item in omni sententiâ catholicâ requiritur ad perfectionem Sacramenti certa materia et certa forma; hæ autem sic vitiari possunt, ut vitium nulli nisi ministro pateat; ergo idem quod priùs nullus suscepti Sacramenti erit certus, poterit Ecclesia deficere, valor Sacramenti pendebit à probitate ministri, salus hominis ab ejus arbitrio, plus poterit homo nocere quàm juvare Christus, homo incrementum dabit et innocentes plectentur propter aliorum malitiam. Hæc devorent et solvant adversarii priusquàm illa nobis objectent. Interim. resp 2°: Ad primum, dist.: Sequitur ex nostrâ sententiâ quòd nemo possit esse certus suscepti Sacramenti, certitudine physicâ et omnimodâ, concedo; certitudine morali, nego. Hoc ipso enim quo minister spontè seriò ritum externum peragit, certum est moraliter ipsum habere intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia, quam verbis exprimit; hæc enim facillimè habetur, nec abesse potest, nisi ex merâ malitiâ ministri quæ supponi non debet nisi certis indiciis constet. Neque alia certitudo haberi potest in sententiâ adversariorum de necessitate intentionis internæ extra circumstantias, et in omni sententiâ catholicâ de necessitate formæ et materiæ: major autem, certitudo moralis, non requiritur nec reperitur, ut jam dixi, in negotio salutis. Quis scit enim an amore vel odio dignus sit. Et ita docet ipse Serrius in Vindiciis Catharini, cap. 4.

Ad D. Thomam: Ex eo quòd debeant esse moraliter certa quæ spectant Sacramenti substantiam, rectè infert. S. doct. non esse necessariam ministri probitatem, absque eo quòd ex eodem principio liceat inferre non esse necessariam intentionem: quia cùm sanctitas difficilè habeatur, et multi appareant probi qui intùs sunt mali, imò ipse qui nullius criminis est sibi conscius, coram Deo aliquando non sit justificatus, longè minor haberi potest certitudo de probitate ministri quàm de ejus intentione quam verbis exprimit, quæ facillimè habetur et quæ non deest nisi ex speciali et expressâ malitiâ, quæ supponi non debet sine gravibus indiciis, ut jam dixi.

Ad secundum, de fide certum est, ex promissionibus Christi, Ecclesiam non posse deficere; de fide non est hunc hominem esse baptizatum; ergo ex hoc quòd possit contingere hunc hominem non esse baptizatum, insulsum est inferre Ecclesiam posse deficere, quasi priori casu posito, non habeat Christus undè stet promissis. Ita solvit simile argumentum S. Th., in 4, d. 24, q. 1, art. 2, q. 3, neque ideò recurrimus ad miraculum, ut quidam sugillant, sed ad communem providentiam, quâ Deus suam Ecclesiam, quam indefectibilem instituit, gubernat; nisi dicas esse miraculum quòd Deus non permittat Ecclesiam deficere ex adulteratione formæ aut materiæ in Sacramentis.

Ad tertium dist.: Sequeretur quòd valor Sacramenti dependeret à ministri probitate speciali quâ intentionem internam adhibet, concedo; sic etiam dependet in omnium sententiâ à probitate speciali quâ materiam et formam integram adhibet. A probitate ministri generatim sumptâ pro rectâ ejus conscientiâ et sanctitate, de quâ fuit quæstio inter Augustinum et Donatistas, et nos supra, nego.

Ad quartum etiam dist.: Sequeretur quòd salus hominis et gratia absolutè sumpta penderet ab arbitrio hominum, nego; potest enim Deus sine Sacramentis et quo voluerit modo salutem et gratiam conferre; salus et gratia ut obtinenda per Sacramenta, concedo: Sic etiam pendet ab hominum arbitrio quoad positionem formæ et materiæ; nec reputatur inconveniens. Unde non sequitur quòd homo plus posset nocere quàm Christus juvare, cùm posset Christus independenter à Sacramentis gratiam conferre, et homo virtutem Sacramenti semel validè peracti, impedire non possit nec etiam sequitur quòd homo det incrementum principaliter, quod Paulus voluit excludere, sed instrumentaliter tantùm.

Ad quintum, suscipiens Sacramentum, vel est justus, vel obnoxius peccato originali aut actuali: si hoc se-

cundum, Deus non punit innocentes permittendo defectum intentionis in ministro. Si primùm, quòd indè puniatur innocens est per accidens et præter Dei intentionem, sicut dùm permittit non adesse qui Sacramentum conferat, vel adesse qui adulteret materiam aut formam, non semper est ex intentione puniendi, sed propter altiores et secretiores rationes sibi soli notas, sed semper justas.

Obj. ultimò : Non minor requiritur intentio in suscipiente Sacramentum quàm in conferente ; atqui non requiritur intentio interior in suscipiente, quia Innocentius III, cap. *Majores*, extra de Baptismo, concil. Tolet. IV, et D. Th. in 4, d. 6, q. 1, art. 2, q. 3, dicunt valere Baptismum metu suppliciorum susceptum ; Baptisma autem metu suppliciorum susceptum, sine intentione interiori suscipitur. — R. 1° more solito inde probari contra objicientem non requiri intentionem interiorem in ministro conferente privatim et extra circumstantias. Resp. 2° : N. maj. : Cùm enim minister sit agens ex cujus intentione ritus externus est determinandus ad esse sacramentale, major in eo requiritur intentio quàm in suscipiente, qui est patiens et cujus intentio non est determinativa ritûs externi ad esse sacramentale, sed dispositio quædam ad illum. Nec in hoc sibi constat Serrius, cujus est hoc argumentum ; nam juxta ipsum, cap. 12, non valet Sacramentum collatum à ministro, metu mortis, et tamen contendit hic quòd Sacramentum simili metu susceptum valeat : ergo minor in suscipiente requiritur intentio quàm in conferente. Item cap. 4, docet quòd licèt amens aut dormiens possit validè baptizari, non tamen possit validè baptizare ; quia, inquit, in conferente desideratur intentio absoluta, in suscipiente sufficit conditionata : Ergo minor in suscipiente quàm in conferente. Resp. 3° : N. min. Sed de illâ art. seq.

§ 3. *De qualitate intentionis internæ requisitæ ad integritatem Sacramenti.*

Supposito ex § præcedenti requiri ad perfectionem Sacramenti intentionem internam in ministro seu intentionem faciendi ritum externum qualem Ecclesia frequentat et ut in eâ sacrum et religiosum ; quærimus qualis debeat esse illa intentio ? Nam multiplex solet distingui intentio.

1° Dividitur in actualem, virtualem, interpretativam et habitualem. Actualis est quâ quis actuali et expressâ volitione vult aliquid, ut dùm aliquis actu vult baptizare, consecrare, recitare horas. Virtualis est quando quis vi intentionis actualis præteritæ aliquid agit. Interpretativa dicitur quæ nec est nec fuit, sed præbet fundamentum existimandi quòd esset si cogitaretur, aut rogaretur, aut casus contingeret. Habitualis dicit puram concomitantiam alicujus habitûs aut consuetudinis absque ullo sive actuali, sive virtuali influxu voluntatis in actum, ut si justus dormiens recitet preces. Hæc fusiùs deduxi in tract. de ultimo Fine, dissert. 1, a. 5, vide.

2° Intentio distinguitur in explicitam quâ aliquid intenditur in seipso, et implicitam quâ aliquid intenditur non in seipso, sed in alio in quo continetur, de quâ etiam dixi loco citato.

3° Alia est intentio in actu signato, ut cùm quis dicit expressè ore vel mente, volo hoc facere, volo celebrare, volo baptizare. Alia in actu exercito ut dùm quis absque eo quòd dicat expressè, volo facere, facit tamen sciens et advertens quid faciat.

4° Alia est intentio absoluta quæ à nullâ conditione pendet ; alia conditionata quâ aliquid intenditur non absolutè, sed dependenter ab aliquâ conditione.

Jam dixi in secundâ conclusione præcedentis § intentionem faciendi quod facit Ecclesia seu ritum in eâ sacrum et eo modo quo illum frequentat, debere esse explicitam, quia in nullâ aliâ priori intentione continetur ; intentio enim ritûs externi est indifferens ut sit ritus sacer vel profanus, ut sincerè peragatur vel irrisoriè. Intentionem autem ritûs ut absolutè in se sacri, seu sacramenti in se productivi gratiæ non necessariò debere esse explicitam, sed sufficere si sit implicita, quia continetur in intentione explicità faciendi ritum ut in Ecclesiâ sacrum, talis enim ritus est Sacramentum et causa gratiæ.

Certum est insuper non requiri intentionem in actu signato, sed sufficere intentionem in actu exercito ; hæc enim æquivalet primæ, cùm impossibile sit quòd aliquis suî compos, sciens et volens faciat aliquid et non velit facere. Restat igitur difficultas de primâ et quartâ divisione. Undè

Dico 1° : Ad integritatem Sacramenti non sufficit intentio interpretativa, nec habitualis ; non requiritur actualis ; requiritur et sufficit virtualis, si tamen minister sit suî compos.

Prob. prima pars, quia intentio interpretativa non est de facto intentio, sed dispositio ad illam, et foret duntaxat, si de eâ actu rogaretur aut cogitaretur.

Neque obstat quòd videatur sufficere in suscipiente Sacramentum ; v. g., in adulto qui in articulo mortis suî impos validè recipit Extremam Unctionem de quâ suscipiendâ fortè nunquàm cogitavit ; præterquàm quod enim, ut jam dixi et dicam, requiratur major intentio in ministro quàm in subjecto, adultus catholicus qui voluit salutem, voluit implicitè omnia media necessaria et utilia ad salutem, consequenter Extremam Unctionem : undè hæc intentio in illo non est merè interpretativa, et potest aliquo sensu dici virtualis implicita quoad susceptionem Sacramenti.

Prob. secunda pars : Intentio habitualis, ut dixi, est quæ solam concomitantiam habitûs aut consuetudinis importat, sine aliquâ deliberatione aut intentione præcedente, aut quæ si præcessit, nullatenùs neque actualiter neque virtualiter influit in actum, imò contrariam intentionem patitur, ut patet in eo qui cum habitu charitatis peccat venialiter ; atqui ex tali intentione non fit actus humanus, cùm possit haberi in dormiente, ebrio, vel amente ; ergo.

Si dicas S. Thomam hìc, a. 7, ad 3, docere *intentionem habitualem* sufficere ad perfectionem Sacramenti. — R. S. doctorem per intentionem habitualem intelligere virtualem, ut manifestè patet ex textu ; dicit

enim : « Licèt ille qui aliud cogitat non habeat intentionem actualem, habet tamen habitualem quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti ; puta cùm sacerdos accedens ad baptizandum, *intendit facere* circa baptizandum quod facit Ecclesia ; undè si in ipso actûs exercitio, illius cogitatio ad alia rapiatur ex *virtute primæ intentionis* perficitur Sacramentum. » Ubi evidens est has particulas ex *virtute primæ intentionis* significare intentionem virtualem. Unde non pauci arbitrantur propter cognationem utriusque vocabuli abbreviati ex oscitantiâ exscriptorum mendum irrepsisse, et loco *virtualem* positum fuisse habitualem, præsertim cùm in quibusdam exemplaribus anni 1540 legatur *virtualem*. Cæterùm si S. Thomas reverà scripsit habitualem, secutus est morem suo tempore satis communem, quo sæpè intentio virtualis vocatur habitualis, ut patet ex S. Bonavent. in 2, d. 41, a. 1, q. 3, et ex Richardo in eamdem dist., a. 1, q. 2, eò quòd intentio virtualis per modum habitûs remanet.

Prob. tertia pars : Quia, inquit auctor, q. 64, a. 8, ad 3, habere intentionem actualem non est positum in potestate hominis, cùm enim vult multùm intendere, præter intentionem ejus cogitatio ad alia divagatur : Non potest autem dici quòd intentio quæ est homini impossibilis sit necessaria conficiendo Sacramento. Et ita statuit rituale Romanum et apprehendit communis sensus theologorum.

Prob. quarta pars : 1° Non sufficit intentio habitualis et interpretativa : non requiritur actualis ; ergo requiritur et sufficit virtualis. 2° Quia virtualis dicitur quæ vi actualis præcedentis influit in actum, proindeque sufficit ad actum humanum.

Sed difficultas est quid sit illa virtus primæ intentionis ?

Respondi in tract. de Ultimo Fine, loco citato, esse quamdam determinationem relictam ex primâ intentione ; illam autem determinationem esse aliquod dictamen ortum ex primo, unum enim oritur ex altero.

Quantùm ad durationem ibidem dixi probabiliùs durare quamdiù per contrariam intentionem non revocatur, quia non videtur aliud assignabile. Vide ibidem.

Sed quia, ut etiam ibidem observavi, quamvis duret virtualis intentio, non tamen semper influit in opus agentis habentis illam ; operæ pretium est pro praxi et pro tollendis variis scrupulis, scire quando influit in opus et operans agit ex illâ ; quod non ita facilè dignosci potest.

Respondi loco citato tunc dignosci virtualem intentionem influere in opus et agentem ex illâ agere, quando quis suî compos et moraliter agens, etsi nihil de priori intentione cogitet, est tamen in eâ mentis dispositione, ut reflectens supra se, vel ab aliis interrogatus, quid aut quare agat, statim quasi suscitatâ priori intentione, absque novo voluntatis actu, allegaret suam primam intentionem et responderet, hoc facio propter hoc, baptizo, recito horas, etc. At si supra se reflectens, vel ab aliis interrogatus quid agat, omninò nesciret, vel indigeret novo voluntatis actu, signum est quòd intentio virtualis non influat in opus et quòd se habeat tantùm concomitanter.

Prob. quinta pars : 1° Quia quantùmvis amens, ebrius aut dormiens, ante amentiam, ebrietatem aut somnum præviderit, aut etiam intenderit conferre Sacramentum in ebrietate, amentiâ vel somno, hæc tamen præcedens intentio non influit in actum saltem modo libero et humano, sed vi imaginationis et impressione musculorum in cerebro ; non enim homo vi prioris intentionis se liberè applicat ad agendum, sed vi imaginativæ, et actus consequitur ex eâ necessariò ut effectus physicus, non ut effectus humanus ; undè patet quòd non remaneat intentio virtualis, aut saltem quòd opus non fiat ex illâ.

2° Sed esto remaneat intentio virtualis, hæc sola non sufficit ad confectionem Sacramenti, sed insuper requiritur quòd actio sacramentalis seu applicatio formæ ad materiam sit actio humana, qualis non est in ministro suî non compote.

3° Requiritur ulteriùs quòd verba in Sacramentis sint verba formaliter, id est, significativa seu explicativa conceptûs operantis, in ebrio autem, amente vel dormiente sunt verba materialiter tantùm ut in psittaco.

4° Item minister Sacramentorum est dispensator mysteriorum Dei, debet autem dispensator esse compos suî et dispensationem gerere ex judicio et ratione.

Dices contra hanc ultimam partem : 1° amens ebrius aut dormiens in necessitate validè suscipit Sacramentum, si ante amentiam, ebrietatem aut somnum, intenderit illud suscipere ; ergo etiam validè confert. 2° Qui post actualem intentionem voluntariè distrahitur in actuali collatione Sacramenti, illud validè conficit ; ergo similiter ebrius, amens aut dormiens. 3° Qui intendit aut etiam prævidet se in ebrietate commissurum homicidium, si se inebriat et occidat, reus est homicidii ; ergo hujusmodi intentio sufficit ad actionem humanam. 4° Qui per procuratorem contrahit matrimonium, si antequàm procurator contrahat, incidat in amentiam, validum est matrimonium, et tamen contrahens est minister. 5° Ordinatio Novatiani antipapæ facta à tribus episcopis vino temulentis, habita est valida, cùm non fuerit iterata ; ergo. — R. ad primum, N. conseq. : Disparitas est 1° quia, ut jam dixi, ministrans est agens, suscipiens est patiens, major autem requiritur intentio in agente quàm in patiente. 2° Intentio ministri requiritur ut determinativa actûs externi ad esse sacramentale, in suscipiente autem requiritur intentio duntaxat ut dispositio subjecti. 3° Ministrans non suscipiens debet proferre verba formaliter, quod non potest amens, ebrius aut dormiens. 4° Minister est dispensator qui debet agere ex judicio et ratione, secùs suscipiens ; undè vir prudens licèt quandoque sua bona dispenset amentibus, nunquàm tamen per amentes.

Ad secundum, N. conseq. : Disparitas est quòd voluntariè distractus sit suî compos, potentia ejus manet

integra et soluta, verba ejus sunt formalia, actus ejus humanus, ex prævià deliberatione et intentione determinatur et movetur ad media propria illius operis quod conficit; nihil horum autem reperitur in ebrio, amente vel dormiente.

Ad tertium, N. iterùm consequentiam : Quamvis enim admitteretur in ebrio conficiente ritum externum esse intentionem virtualem conficiendi Sacramentum, sicut in ebrio occidente hominem, et hæc in ebrio sufficiat ut homicidium dicatur et sit ipsi voluntarium et imputabile, non tamen sufficit ut sit Sacramentum; quia ad peccatum sufficit quòd sit voluntarium in causâ, vel aliquo alio modo, voluntate enim peccatur, et malum ex quovis defectu : at Sacramentum non perficitur solâ voluntate ministri, sed actione humanâ, seu morali applicatione formæ ad materiam, pronuntiando verba formaliter et agendo ut dispensator judicio et ratione, quorum est incapax ebrius. Adde quòd non solùm non liceat homini occidere hominem, sed teneatur vitare occisionem, quod non facit ebrius in casu, et ideò jure imputatur illi homicidium. At ministrans non sic tenetur vitare ritum externum, et sic est dispar ratio.

Ad quartum, dato ant., nego conseq., quia conclusio nostra intelligenda est de Sacramentis quæ minister per seipsum perficit et non per procuratorem ut est matrimonium; cùm enim mandatum seu consensus datus procuratori non sit revocatus, ut suppono, remanet virtualiter; et aliunde cùm contrahens et procurator sint una persona moraliter, dùm procurator suî compos liberè consentit, alterâ parte etiam liberè consentiente, adsunt omnia requisita ad integritatem matrimonii; alioquin sequeretur quòd dormiens vel ebrius tempore quo procurator contrahit ejus nomine, invalidè contraheret, quod est absurdum. Neque refert quòd si amens per se contraheret, nihil efficeret; sed neque dormiens aut ebrius si per se contraheret aliquid efficeret, qui tamen validè contrahit per procuratorem; disparitas ergo est quòd actus amentis non sit actus humanus, actus autem procuratoris qui est suî compos est humanus, etiam ut imperatus et procedens, secundùm æstimationem moralem, à mandante : Ad hoc enim sufficit quòd iste liberè mandaverit et non revocaverit, quia hoc solum mandatum ex parte mandantis est causa illius contractûs, et ab illo solo mandato habet contractus quòd sit actus humanus et liber respectu mandantis, et cæteri ejus omnes actus præter revocationem, sunt impertinentes.

Ad quintum, nego ant. : Ideò enim non fuit iterata ordinatio Novatiani, non quia habebatur valida, sed quia nunquàm fuit habitus legitimus pontifex. Et esto fuisset valida, dicam hos tres episcopos non ità fuisse vino temulentos et ebrios, quin potuerint adhuc formare intentionem.

Dico 2° : Sacramentum collatum cum intentione conditionatâ de præsenti vel præterito, ut si non sis baptizatus, aut si vivis te baptizo, est validum, si conditio subsistat, invalidum, si non subsistat; quia si conditio subsistat, intentio transit in absolutam; si non subsistat, nulla est intentio.

Sacramentum verò collatum cum intentione conditionatâ de futuro contingenti, ut absolvo te si cras restituas, est invalidum excepto fortè Matrimonio, quia dùm adhibetur materia et profertur forma, intentio suspenditur, dùm verò adimpletur conditio, non sunt ampliùs materia et forma quibus constituitur Sacramentum.

Dices : Absolutio ab excommunicatione facta sub conditione de futuro contingenti, puta si cras restitueris, est valida; ergo et absolutio à peccatis. R. N. conseq. : Disparitas est quòd absolutio ab excommunicatione tota pendeat à voluntate absolventis et non à verbis, aut aliquo alio exteriori signo, quod tantùm adhibetur, ut humano modo innotescat absolventis intentio; at absolutio sacramentalis consistit in verbis quæ non sunt ampliùs dùm purificatur conditio, et quorum efficacia, dùm proferuntur, impeditur per suspensionem intentionis.

Dixi 1° : *De futuro contingenti;* quia conditio necessariò futura, ut *te absolvo*, *si sol cras oriatur*, *si sit futurum judicium*, censetur moraliter præsens propter certitudinem eventûs, nec homo seriò agens censetur velle consensum suum pendere à conditione, quam scit necessariò et infallibiliter ponendam; sed tantùm ostendere certitudinem administrationis. Si tamen reverà intenderet suspendere Sacramentum, donec conditio purificetur, nihil efficeret.

Dixi 2° : *Excepto fortè Matrimonio*, quia cum Matrimonium sit contractus, quando ponitur conditio, censetur adhuc moraliter adesse ejus materia et forma, scilicet traditio et acceptatio corporum, seu consensus reciprocus in traditionem et acceptationem corporum, ut in aliis contractibus; dùm enim vendo equum tibi acceptanti, si pater meus consenserit, dùm accedit consensus patris, censetur moraliter perseverare meus et tuus consensus et contractus perfici. Atverò qui hodiè aliquem abluit sub conditione de futuro, puta si cras restituat, positâ conditione, non censetur etiam moraliter abluere crastinâ die, nec alter ablui. Et ita apprehendit sensus communis juxta quem actus interiores, ut intentio, consensus, etc., censentur moraliter perseverare, non actiones exteriores. Adde ad Baptismum non sufficere ablutionem moralem, sed requiri physicam, cùm è contrà in Matrimonio sicut in aliis contractibus sufficiat consensus moralis. Plura de contractu conditionali in tract. de Contractibus, dissert. 1, art. 7, § 1. Cæterùm non desunt qui contendunt quòd, positâ conditione, debeat renovari consensus reciprocus qui est materia et forma Sacramenti, eò quòd tunc non existat ampliùs physicè, nisi renovetur.

Petes utrùm intentio errans perficiat Sacramentum; v. g. : Minister putat baptizare masculum et est femina, vel baptizare filium Petri et est filius Joannis? — R. Si intentio ministri feratur ad præsentem quicumque sit, ut solet et debet esse, validum est Sacramentum, excepto Matrimonio. Patet quia adest

sufficiens intentio : si tamen minister ita restringeret suam intentionem ut non intenderet baptizare, nisi hunc in individuo masculum et non alium, et esset puella, nihil perficeret defectu intentionis.

Dixi : *Excepto Matrimonio;* quia cùm Matrimonium sit contractus consistens in traditione et acceptatione corporum in individuo, error circa personam, est error circa substantiam rei et ideò irritat contractum.

APPENDIX TERTIA.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

Circa subjectum Sacramentorum multa quæruntur, quæ ad hæc duo tandem reduci possunt : 1° quodnam sit Sacramentorum subjectum; 2° quæ dispositiones in subjecto ad Sacramenta suscipienda requirantur. Unde præsentem appendicem in duas sectiones distribuemus.

Sectio prima.

Quodnam sit Sacramentorum subjectum.

Quæritur 1°, utrùm solus homo viator sit subjectum capax Sacramenta recipiendi. — Respondeo, cum omnibus ferè theologis, solum hominem viatorem, de lege ordinariâ, esse subjectum capax recipiendi Sacramenta; nam Sacramenta sunt instituta à Christo, veluti media primam gratiam vel ejus augmentum recipiendi; atqui solus homo viator capax est primæ gratiæ aut ejus augmenti; ergo...

Dixi *de lege ordinariâ;* quia ita Christus instituit. An autem, si voluisset, angelos et beatos quorumdam Sacramentorum capaces reddere potuisset? Nulla certè in hoc repugnantia.

Quæritur 2°, utrùm omnis homo viator sit subjectum capax Sacramentorum. — Respondeo 1° omnem hominem viatorem esse subjectum capax Baptismi. Id patet ex usu Ecclesiæ, quæ indiscriminatim omnes ad Baptismum admittit, ne exceptis quidem infantibus et amentibus. Et ratio fundamentalis est, quia Baptismus est ad salutem absolutè necessarius, ut in tractatu speciali demonstrabitur. — Resp. 2° solum hominem baptizatum esse subjectum capax aliorum Sacramentorum, exceptâ Eucharistiâ. Etenim Sacramenta pro solâ Ecclesiâ instituta sunt; atqui per solùm Baptismum fiunt homines Ecclesiæ membra; ergo... Hinc Baptisma vocatur ab Eugenio IV, in decreto ad Armenos, *janua* omnium Sacramentorum *totius*que *vitæ spiritualis.*

Dixi : *Exceptâ Eucharistiâ;* quia, cum in re permanenti consistat hoc Sacramentum, ubicumque reponatur semper subsistit; proindeque à quocumque homine, licèt forsan sine fructu, recipi potest.

Respondeo 3° non omnem baptizatum omnium Sacramentorum esse capacem. Etenim homines sani non sunt capaces Extremæ Unctionis, nec feminæ Ordinis. Item religiosi et in sacris ordinibus constituti à Matrimonio arcentur. Infantes pariter, antequàm usum rationis habeant, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis et Matrimonii capaces non sunt; tria enim hæc Sacramenta supponunt actus humanos nunc fieri, aut saltem antea jam factos esse à suscipientibus. Sunt autem capaces omnium Sacramentorum, in quibus actus suscipientium non gerunt vicem materiæ, propriè dictæ, aut removendæ. Olim disputatum est de Ordine; sed Benedictus XIV solvit quæstionem in Bullâ, *Eo quamvis tempore*, editâ 4 maii an. 1745, Bullar., tom. 2, p. 128, « ubi, postquàm, in § 20, id declaratur definitum communi suffragio theologorum et canonistarum, deinde præscribitur, § 27, quòd ipsi infantes ordinati, cùm pervenerint ad annos discretionis, non teneantur ad castitatem; præcipit verò Pontifex ex concil. Tolet. II, relato in can. *De Iis*, dist. 28, ut in anno 18 detur eis optio, et si voluerint castitatem servare, admittantur ad exercitium ordinis; secùs, si noluerint. » Et § 40 subdit quòd ipsi post ratihabitionem invalidè contrahunt Matrimonium, et tenentur ad officium divinum.

Sectio II.

Quæ dispositiones in subjecto ad Sacramenta suscipienda requirantur.

Agemus, 1° de dispositionibus requisitis ad validam, 2° de dispositionibus requisitis ad licitam et utilem Sacramentorum susceptionem.

Articulus primus.

De dispositionibus requisitis ad validam susceptionem Sacramentorum.

Dispositiones de quibus moveri potest quæstio sunt : 1° Intentio, 2° fides et sanctitas; de quibus in duplici paragrapho nunc agendum.

§ 1. *Utrùm intentio in suscipiente requiratur ad Sacramentorum validitatem.*

Quæritur 1° utrùm aliqua requiratur intentio, ut quis Sacramenta validè suscipiat. — Resp. 1° : Certum est nullam in infantibus requiri intentionem, ut Sacramenta quorum sunt capaces validè suscipiant. Id demonstrat constans Ecclesiæ praxis quæ, cùm sit divinitùs edocta, nunquàm eis Sacramenta dispensâsset, si qua in eis intentio requireretur. Itaque quæ ipsis deest intentio suppletur per Ecclesiæ intentionem; qui enim peccavit in altero, vult in altero.

Resp. 2° : De adultis autem certum est ad validam Sacramentorum susceptionem, exceptâ tamen Eucharistiâ, in ipsis requiri aliquam voluntatem illa suscipiendi.

« Probatur 1° ex conciliis. Ex Carthaginensi III, an. 397, cap. 34, ubi jubet, *ægrotantes, si per se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium, hi qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Ex Carthaginensi IV, anno 398, cap. 76 : *Is*, inquit, *qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dùm ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam.* Ex

Arausicano I, an. 442, can. 12, quo sic statuit : *Subitò obmutescens prout status ejus est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Ex Aurelianensi III, an. 538, can. 7 : *Si invitus,* inquit, *vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non à communione pellatur. Episcopus autem qui invitum aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus missas facere non præsumat.*

« Probatur 2° ex SS. Augustino et Thomâ. S. Augustinus, lib. 4 contra Donatistas, cap. 24, inter infantes et adultos, dùm baptizantur, istud discriminis esse statuit, quòd adulti interrogati pro se respondere teneantur; sufficiat autem susceptores respondere pro infantibus. *Ideò*, ait, *cùm alii pro eis* (parvulis) *respondeant, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet. Ex quâ regulâ illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cùm legitur, naturaliter movet: Ætatem habet, ipse pro se loquatur.* Et lib. 7, cap. 53 : *Nequaquàm,* inquit, *dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicumque, et à quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum, sine suâ simulatione et cum aliquâ fide accepissent.* Quo in loco per fidem intelligit sanctus doctor intentionem seu voluntatem percipiendi Sacramentum. Quo sensu epistolâ 98 ad Bonifacium, aliàs 23, ait : *Nec te moveat quòd quidam non eâ fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratiâ spiritali ad vitam regenerentur æternam.*

« S. Thomas, in 4, dist. 6, q. 1, articulo 2, quæstiunculâ 3 : *In adultis,* inquit, *et in habentibus usum rationis in quibus potest esse contraria voluntas actu vel habitu, requiritur et contritio sive devotio ad percipiendam rem Sacramenti, et intentio vel voluntas ad recipiendum Sacramentum. In pueris autem absque utroque percipitur, et Sacramentum, et res Sacramenti ; et similiter est in carentibus usu rationis, nisi contraria voluntas habitu insit, etsi non actu. Tamen sciendum quòd non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis..... Et ideò si sit coactio sufficiens, ita quòd principium sit ex toto extra nihil conferente vim passo (ut cùm aliquis reclamans immergitur violenter), tunc talis nec Sacramentum suscipit, nec rem Sacramenti : Si autem sit coactio inducens, sicut minis vel flagellis, ita quòd baptizatus potiùs eligat Baptismum suscipere, quàm talia pati, tunc suscipit Sacramentum, sed non rem Sacramenti.* Et in Summâ, p. 3, q. 68, articulo 7, ad 2 : *Dicendum,* inquit, *quòd si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus ; si tamen hoc non constaret, esset dicendum : Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Et in Supplemento, q. 45, articulo 4, in corp. : *Sicut se habet ablutio exterior ad Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum* (Matrimonii) ; *unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum et dolum facere, non esset baptizatus ; ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit.*

« Probatur 3° ex SS. pontificibus Innocentio III, IV et Paulo V.

« Innocentius III, cap. *Majores*, de Baptismo et ejus Effectu, lib. 3 Decretalium, titulo 42, consultus ab Arelatensi archiepiscopo circa Baptismum amentibus, dormientibus, invitis ac reluctantibus datum sic respondet : *Sunt autem nonnulli qui dicunt quòd Sacramenta quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus et Ordo cæteraque similia, non solùm dormientibus et amentibus, sed invitis et contradicentibus, etsi non quantùm ad rem, quantùm tamen ad characterem conferuntur, cùm non solùm parvuli, qui non consentiunt, sed et ficti, qui quamvis ore, corde tamen dissentiunt, recipiant Sacramentum. Sed opponitur talibus, quòd qui fuissent inviti et reluctantes immersi, saltem ratione Sacramenti ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinerent ; unde ad servandam regulam fidei christianæ forent rationabiliter compellendi. Verùm id est religioni christianæ contrarium, ut semper invitus et penitùs contradicens, ad recipiendam et servandam christianitatem aliquis compellatur. Propter quod inter invitum et invitum, coactum et coactum, alii non absurdè distinguunt : quòd is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut et is qui fictè ad Baptismum accedit) characterem suscipit christianitatis impressum, et ipse tanquàm conditionaliter volens, licèt absolutè non velit, cogendus est ad observantiam fidei christianæ ; in quo casu debet intelligi decretum concilii Toletani, ubi dicitur quòd qui jampridem ad christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisibuti, quia jam constat eos Sacramentis divinis associatos, et Baptismi gratiam suscepisse, et chrismate unctos esse, et corporis Domini extitisse participes, oportet ut fidem quam necessitate susceperunt, tenere cogantur.... Ille verò qui nunquàm consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, quia plus est expressè contradicere, quàm minimè consentire : sicut nec ille notam alicujus reatûs incurrit, qui contradicens penitùs et reclamans thurificare idolis cogitur violenter. Dormientes autem et amentes, si priusquàm amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti ; secùs autem si priùs catechumeni extitissent, et habuissent propositum baptizari : unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.*

« En integra circa propositam quæstionem Romani Pontificis responsio, ex quâ hæc habes : 1° eos qui simpliciter et omninò inviti ac reluctantes baptizantur, verè non baptizari, nec proinde cogi posse ad legem christianam observandam ; quemadmodùm rei non sunt idololatriæ, qui planè inviti ac reclamantes coguntur exteriùs thus idolis adolere. 2° Eos qui tan-

tùm inviti sunt secundùm quid, seu qui minis aut tormentis adducuntur, ut magis eligant baptizari quàm cruciari, eos, inquam, tanquàm conditionaliter volentes validè baptizari; ac si postea reluctentur, sibique illatam violentiam obtendant, nihilominùs ad christianam legem observandam cogendos esse, quia sufficienter in Baptismum consenserunt. 3° Dormientes et amentes, qui nusquàm Baptismum petierunt, imò qui reluctati sunt, si hàc durante resistentiâ baptizentur, verè non baptizari; secùs verò si postquàm Baptismum petierunt, in amentiam et phrenesim versi sunt; quo casu tanquàm infantes baptizari validè possunt ac debent. 4° Cùm Innocentius III ait *characterem imprimi per sacramentalem operationem, quando hæc obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*, sensus ejus non est, sufficere ad veritatem recepti Baptismatis, quòd exteriùs homo non contradicat, quasi vellet interiorem consensum non esse necessarium; utrumque enim exigit summus Pontifex, et non resistentiam externam, et internum consensum : *Qui nunquàm consentit*, inquit, *sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* In eâ igitur non resistentiâ seu contradictione externâ includit ac supponit Innocentius positivum voluntatis consensum.

« Innocentius IV, in lib. 3 Decretalium, titulo De Baptismo et ejus Effectu, q. 10, expressè docet eum qui sine consensu baptizatur, aut Matrimonium contrahit, nec baptizari, nec Matrimonium contrahere.

« Paulus V, in rituali Romano, cavet ne adultus, qui in amentiam aut subitum morbum incidit, baptizetur, nisi priùs, cùm suî compos erat, baptismum petierit. »

His auctoritatibus, quas ex Turnelio mutuati sumus, ratio ipsa aliquatenùs suffragatur, ut ostendit sagacissimus Billuart, qui sequentem probationem subministrabit.

« Probatur 4° ex ratione : Ratio à priori est voluntas Christi sic instituentis Sacramenta, quæ voluntas colligitur ex doctrinâ et praxi Ecclesiæ, ut patet ex dictis, et sequentibus rationibus et congruentiis. 1° Non est verisimile Christum voluisse de lege ordinariâ justificare, filium ac hæredem suum constituere adultum, nequidem de suâ justificatione cogitantem, à fortiori reluctantem. Confer tract. de Gratiâ, dissert. 6, a. 3, ubi probavimus hominem adultum non justificari per gratiam, nisi ad eam se disponat per motum liberi arbitrii. 2° Cùm quædam Sacramenta, præsertim Baptismus et Ordo, ad certum vitæ genus adstringant, et graves obligationes imponant suscipientibus, manifestæ rationi consentaneum est, ut ad id non compellantur nisi volentes. 3° Christus sua Sacramenta instituit ut humanis actibus perficerentur tam ex parte suscipientium quàm ministrantium ; ita exigit dignitas Sacramenti, sublimitas finis illius, scilicet justificatio et salus hominis atque ipsius conditio, qui non more brutorum, sed ratione debet regi et agere, maximè in salutis æternæ negotio ; ideòque receptio Sacramenti non secùs ac ejus collatio, debet esse humana, et quamvis sit passio, non tamen coacta, sed voluntaria, ut ait auctor, q. 68, art. 7 cit., ad 1. »

Dixi, *exceptâ Eucharistiâ;* quia, cùm consistat in re permanenti, verè et realiter, quanquàm sine fructu, à quovis, sive inscio, sive etiam invito, percipi potest.

Contra sententiam à nobis propugnatam multa solent objici, quæ à Billuart invictè confutantur. Eum audiamus difficultates proponentem et resolventem.

Obj. 1° plura exempla eorum qui inviti et reluctantes aut saltem nescientes ordinati sunt : inter illa tria sunt notiora et solutu difficiliora. Primum est Pauliani fratris sancti Hieronymi de quo S. Epiphanius epistolâ inter Hieronymianas 60, nunc 110, ait : « Ignorantem eum et nullam penitùs habentem suspicionem per multos diaconos apprehendi jussimus et « teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens adjuraret « nos per nomen Christi, et primum diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei et compellentes « ut ministraret. » Alterum exemplum est Bassiani, qui in Epist. ad Valentinum et Marcianum imperatores, quæ exstat act. 11 conc. Chalcedonensis, narrans quomodò à Memnone Ephesino antistite fuerat ordinatus episcopus Evazorum, dicit : « Ego autem non « acquiescebam, sed ab horâ tertiâ usque ad sextam « coram altari me plagis afflixit, et sanctum Evange« lium et altare sanguine est impletum. » Tertium exemplum est Macedonii eremitæ in vertice montis, de cujus ordinatione factâ à Flaviano Antiocheno scribit Theodoretus in Hist. religiosâ, c. 13, quòd Flavianus Macedonium « de montis vertice per speciem « objectæ accusationis abduxit et sub mysticum sa« crificium altari admovit, cooptavitque in numerum « sacerdotum ; cùmque peractâ liturgiâ, hoc illi qui« dam indicâssent (ignorabat enim prorsùs quid egis« sent) primùm quidem conviciis verbisque asperis « proscidit universos, deinde arrepto baculo, quo in« nixus propter senium incedebat Pontificem ipsum « et alios qui aderant, insecutus est. » Proferuntur item ordinationes S. Ambrosii, Paulini, Nepotiani, S. Augustini et quorumdam aliorum; ergo.

« R. duplici modo aliquem dici invitum et coactum respectu suæ ordinationis : 1° Sic, ut neque precibus, neque rationibus, neque minis victus unquàm annuit, sed semper obluctatur, vel omnino inscius ordinatur, et hujusmodi ordinatio est invalida ; 2° sic, ut præ humilitate se indignum reputans et reverentiâ erga sacrum ministerium motus, primùm reluctatur, sed tandem auctoritatis pondere, rationibus, suasionibus, minis victus consentit, et talis validè ordinatur, quia adest sufficiens consensus ; et ita in multis contingere scribit S. Aug., Epist. ad Donat. 204, nunc 175 : « Multi, inquit, ut episcopatum suscipiant, tenentur « inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, pa« tiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas « suscipiendi operis boni. »

Tales fuerunt Paulinianus et Bassianus. De Pauliniano enim scribit ipse S. Epiphanius ibidem : « Valdè quippe obnitebatur, indignum se esse con« testans ; vix ergo compulimus eum et persuadere

« potuimus testimoniis S. Scripturarum et persuasione « mandatorum Dei. » Neque obstat quòd os teneretur, non enim id coactionis, sed potiùs necessarii consensûs est argumentum : quia moris erat tunc, ut qui juraverat se non suscepturum ordines, non ordinabatur, ne perjurii reus esset, ut patet ex S. Basilio, Epist. ad Amphiloc., c. 10. Et id timebant qui os Pauliniani tenebant, *ne fortè liberari se cupiens*, inquit S. Epiphan., *adjuraret nos per nomen Christi ;* nullum autem fuisset periculum perjurii, si voluntate nunquàm assentiente, ordinati fuissent. Idem probat factum Bassiani ; ut quid enim tamdiù cæsus, nisi ut tandem præberet consensum ? Talis autem consensus, licèt sit involuntarius secundùm quid, est tamen voluntarius simpliciter, ut communiter docetur de his quæ fiunt ex metu, et mox dicemus. Quod autem dicimus de his duabus ordinationibus, dicendum est à fortiori de ordinationibus S. Ambrosii, Paulini, Nepotiani, S. Augustini et similibus quæ referuntur.

Quantùm ad ordinationem Macedonii, quæ majorem patitur difficultatem, quidam dicunt ipsum consensisse iis omnibus quæ religiosè peragebat circa illum Flavianus, et ideò implicitè suæ ordinationi. At probabiliùs respondent alii ejus ordinationem fuisse irritam, nisi postea ipso consentiente iteratus sit ritus sacer; idque sat innuit ipse Theodoretus, addens : *Scimus sanè haud laudandam multis visum iri hanc narrationem.*

« Proferuntur insuper ordinationes sancti Gregorii Thaumaturgi et sancti Danielis Stylitæ qui dicuntur ordinati absentes ; verùm inde probaretur etiam validam esse ordinationem absque manuum impositione et materiæ applicatione, quod nemo admittit ; hæc igitur exempla nihil ad præsentem controversiam conferunt, et dicendum has ordinationes vel factas fuisse divinitùs ministerio angelorum, ut narratur de consecratione Amphilochii episcopi Iconiensis, vel postea fuisse suppletos ritus ordinationum.

« Inst. : Civis potest invitus promoveri ad consulatum ubi id exigit bonum commune ; ergo Catholicus Ecclesiæ subditus ad sacri Ordinis gradum, ubi id poscit utilitas Ecclesiæ.—R. N. conseq. : Disparitas petitur 1° ex voluntate Christi quæ nobis constat ex definitionibus, praxi et communi sensu Ecclesiæ ; 2° promotio civis ad consulatum est tantùm denominatio extrinseca nihil ponens in promoto, et deputatio ad exterius ministerium coactioni subjectum ; homo enim hominem ad actus externos cogere potest. At ordinatio sacra, gratiam, characterem, potestatem ecclesiasticam ponit in animâ ubi Ecclesia non habet potestatem cogendi, quam licèt dare potuerit Christus, non dedisse tamen constat ex probationibus conclusionis. Potest ergo Catholicus invitus deputari ministerio altaris, sicut civis regimini exteriori et tenetur in necessitate consentire et acceptare, et hoc probat paritas argumenti. At si renuat, peccat quidem, sed nihil efficitur.

« Repones : Qui recipit alapam, invitus recipit, et tamen recipit ; ergo similiter de Sacramento. (S. Thom., hìc, q. 68, art. 7, ad 1.) R. N. conseq. : Disparitas est quòd receptio Sacramenti sit passio voluntaria ; receptio autem alapæ, passio coacta.

« Obj. 2° : Ecclesia approbat Baptisma metu suppliciorum susceptum, et sic baptizatos cogit ad mores Christianorum, ut patet ex concilio Toletano circa baptizatos tempore regis Sisebuti ; ergo. — R. N. conseq. ; quia quæ fiunt ex metu sunt simpliciter voluntaria, neque obstat voluntas contraria conditionata ; vellet quidem non suscipere Baptismum, sed ne detrimentum patiatur, vult simpliciter et absolutè recipere ; patet in mercatore projiciente merces in mare metu naufragii. Et quamvis sic metu adacti possent retinere intentionem internam suscipiendi rem ut in Ecclesiâ sacram, hoc ipso tamen quòd ritum externum, ut fieri solet, suscipiunt sicut alii, Ecclesia quæ non judicat de internis, præsumit in foro exteriori voluisse suscipere Sacramentum et esse verè baptizatos, et ideò eos cogit stare religioni christianæ quam in Baptismate perceperunt. Ita respondet Innocent. III, cap. cit. *Majores.*

« Obj. 3° : Ipse Innocentius ibid. dicit : « Tunc ergo « characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm « obicem voluntatis contrariæ non invenit : » ergo saltem non requiritur in suscipiente consensus positivus, sed sufficit quòd non sit in eo voluntas contraria et neutraliter se habeat. Eamdem sententiam tenet Glossa. Ita Cajetanus. — R. N. conseq. ; utrumque enim requirit Innocentius, et consensum positivum, et non resistentiam extrinsecam ; definit enim dormientes et amentes, non recipere characterem, si antea habuerint contrarium propositum et non retractaverint, è contra recipere si habuerint antea propositum Baptismi ; ergo requirit Innocentius non solùm quòd suscipiens non sit contrarius, sed etiam quòd sit consentiens. Quando itaque statim concludit sic : « Tunc « ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, « cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsi- « stentem, » per *obicem voluntatis contrariæ*, intelligit non solùm resistentiam positivam, sed etiam dissensum negativum seu carentiam consensûs, ita ut ex negatione, intelligenda et supponenda sit affirmatio contraria ; scilicet, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem, sed voluntatem in consensu perseverantem ; alioquin ejus illatio non corresponderet utrique membro definitionis præcedentis ex quâ elicitur. Glossam non moramur, quia non est tantæ auctoritatis.

« Obj. 4° ex S. Aug. : 1° S. doct., l. 4 Confess., c. 4, narrat quòd quidem amicus febribus laborans, *cùm desperaretur, baptizatus est nesciens, mente atque sensu absentissimus ;* atqui is non habuerat intentionem suscipiendi Baptismum, cùm scribat S. Aug. quòd eum deflexisset ad superstitiosas et perniciosas fabellas ; ergo. 2° Tract. 26, in Joan. dicit : *Accipere quisquam potest Sacramentum nolens, credere non potest nisi volens ;* ergo. — R. ad primum : Nego min. ; quamvis enim S. Augustinus eum deflexisset ad perniciosas et superstitiosas fabellas, is tamen veram fidem, licèt *nondùm germanitùs et penitùs*, tenebat, ut scribit S. do-

ctor, erat catechumenus Baptismumque desideraverat; cùmque S. Augustinus Baptismum ejus irrideret: *Ita irridentem exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili et repentinâ libertate ut si amicus esse vellet, talia sibi dicere desineret.* Quæ omnia ex ipso S. Augustino ibidem probant falsam esse minorem argumenti. Ad secundum, S. Aug. loquitur de susceptione Eucharistiæ, ut patet ex textu; dicit enim: *Intrare quis Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens, credere non potest nisi volens.* Quòd si contendas S. Augustinum loqui etiam de Baptismo, dicam ipsum ita loqui respectivè ad infantes aut ad adultos secundùm quid tantùm invitos.

« Obj. 5°: Concilium Florentinum definit tria tantùm concurrere ad perfectionem Sacramenti, materiam, formam et intentionem ministri, nihil de intentione suscipientis; ergo non requiritur. — R.: N. conseq.; quia concilium loquitur tantùm de iis quæ sunt communia omnibus Sacramentis; intentio autem suscipientis non est necessaria omnibus Sacramentis, scilicet susceptioni Eucharistiæ et Baptismo pro parvulis et amentibus.

« Inst. 1°: Quod est necessarium in uno ad substantiam Sacramenti, est necessarium in omnibus; ergo. — R. D. ant.: Quod est necessarium ut quid essentiale, concedo; quod est necessarium ut dispositio subjecti tantùm et conditio sine quâ non, subdistinguo: si subjectum sit capax illius, concedo; si sit incapax, ut sunt pueri et amentes, nego.

« Inst. 2°: Quod non est essentiale uni Sacramento, non est essentiale alteri; atqui intentio subjecti non est essentialis alicui Sacramento ex dictis; ergo nulli. — R.: Concedo totum; non enim dicimus intentionem subjecti requiri essentialiter ad Sacramentum, sed tantùm ut conditionem ex parte subjecti.

« Inst. 3°: Perfectio Sacramenti tota est à ministro; ergo. — R. D. ant.: Tota est à ministro ut à causâ efficiente, concedo; ut à conditione requisitâ, nego.

« Inst. 4°: Non requiritur consensus hominis ut generetur; ergo nec ut regeneretur per Sacramentum. — R. N. conseq.: Disparitas est quòd generari sit quid naturale cujus subjectum necessarium est homo incapax consensûs vel dissensûs antequàm sit genitus. At regenerari per Sacramentum est quid morale naturæ superadditum et indebitum, subjectum capax consensûs et dissensûs sanctificans, constituens ministrum in foro interiori, graves inducens obligationes; hæc autem fieri non conveniebat absque ejus consensu.

« Inst. 5°: Baptismus est institutus in remissionem peccati originalis; atqui peccatum originale sine intentione et consensu contrahitur; ergo sine intentione et consensu remittitur. — R. 1° Baptismum non esse tantùm institutum in remissionem peccati originalis, sed etiam actualis, quod proprio consensu committitur; 2° nego conseq.; ex hoc enim quòd peccatum originale contrahatur sine consensu propriæ voluntatis, non sequitur quòd sine consensu debeat dimitti, sed eo modo qui Deo placuerit. Placuit autem Deo quòd adultis qui sunt capaces consensûs et dissensûs non dimitteretur sine proprio consensu, quatenùs homo adultus sine motu propriæ voluntatis non justificatur de lege ordinariâ, ut dixi dùm de gratiâ loco supra citato; neque convenit ut sine proprio consensu induat novum statum et graves obligationes. »

Quæritur 2° in quod objectum cadere debeat suscipientis intentio, ut validum sit Sacramentum. — Resp.: Duplex eâ de re prodiit sententia. Alii dicunt sufficere ut intentio cadat in ritum externum materialiter spectatum, modò exteriùs suscipiens agat seriò; quam intentionem communiter vocant externam, quia materiale est illius objectum; nos autem, in annotationibus ubi de ministro Sacramentorum, vocari posse apparentem diximus, eò quòd, spectatis circumstantiis, ritum sacramentalem formaliter attingere videatur. Eâ igitur admissâ opinione, validum esset Sacramentum, si quis illud exteriùs seriò et in debitis circumstantiis susciperet, quamvis interiùs neque abnueret positivè, neque consentiret, imò verò, ut paucissimi quidam volunt, licèt intrinsecè contradiceret et reluctaretur. Ita, cum nonnullis cæteris, D. Bouvier, qui etiam affirmat Bened. XIV idem sentire in instructione quæ incipit *Postremo mense*, tom. 2 Bullar.; sed prorsùs immeritò; illustrissimus enim Pontifex, hanc opinionem ibi plurimis auctoritatibus refellit, nedùm ipsi faveat. At D. Bouvier ipsi adscribit verba, quæ protulit veluti consectaria sententiæ Cajetani, cui adversatur.

Alii verò communiter docent requiri intentionem, quæ cadat in ritum sacramentalem, formaliter ut est Ecclesiæ spectatum. Hæc autem intentio vocari solet interna, eò quòd ipsius objectum sit intellectuale; at nuncupari posset vera et realis, quia, non in speciem tantùm et simulatè, sed reipsà, ut circumstantiæ demonstrare videntur, ritum sacramentalem formaliter attingit. Posterior hæc sententia multò probabilior apparet priore; eam enim demonstrant omnia ferè quæ in præcedenti quæstione allata sunt rationum momenta, ad probandum aliquam requiri intentionem, ut attendenti patebit. Quis enim, v. g., negabit eam fuisse doctrinam conciliorum Carthag. III et Arausic. I, ibi laudatorum? Nam negari non deberet Baptismus omnibus ægrotis qui illum neque postulavissent, neque rejecissent, si in hominibus negativè se habentibus valeret. Et idem de pœnitentiâ dicendum est. Confirmatur insuper auctoritate Gregorii XIII, qui Glossam expungi jussit asserentem, cap. *Majore*, 3, de Baptismo, *valere Sacramentum ab eo susceptum, qui corde dissentit, modò dicat ore se consentire*, et Benedicti XIV, hanc doctrinam non obscurè tradentis in Instructione, *Postremo mense*, jam citatâ, n. 48.

Quæritur 3° qualis intentio requiratur ad Sacramentorum validitatem. — Resp.: Non eadem in omnibus Sacramentis intentio requiritur. In Confirmatione nimirùm et Extremâ Unctione sufficit intentio *implicita*, quæ includitur in professione religionis christianæ. Id constat ex Ecclesiæ praxi, quæ fidelibus repentino casu correptis, absque ullo rationis usu

superstite, quamvis hæc duo Sacramenta expressè non postulaverint, ea tamen ultrò administrat, atque valida judicat. Communiter dicunt theologi ad prædicta Sacramenta sufficere intentionem *interpretativam*. At verò id aliquâ explicatione indiget. Nam si intentio interpretativa illa sit, ut definit S. Liguorius, quæ nunquàm fuit habita, sed præsumitur habenda à suscipiente, si esset compos rationis, non videmus quomodò sufficere possit ad valorem Sacramentorum de quibus agimus; hujusmodi enim intentio non est propriè intentio, sed præsumptio intentionis. Præterea præsumptio quælibet potest esse falsa; ergo intentio, quæ duntaxat præsumitur, potest quandoque non existere; ergo tunc saltem erit insufficiens. Idcircò non satis accuratè dicitur, generaliter interpretativam intentionem sufficere ad validitatem Confirmationis et Extremæ Unctionis. Rectiùs diceretur eam sufficere ut duo hæc Sacramenta administrentur; legitima enim et rationabilis præsumptio satis est ut quis prudenter agere valeat. Porrò, quod spectat quæstionem præsentem, talem præsumptionem subministrat vitæ christianæ professio; ubi enim quis christianam vitam agit, meritò censetur velle, saltem implicitè, ut sibi conferantur Sacramenta ad salutem necessaria, aut valdè utilia. Quòd si intentio saltem implicita exstiterit, ut præsumitur, valida erunt Sacramenta; si verò reipsà non exstiterit, ne implicita quidem, erunt invalida. Ita quidem, salvo meliori judicio, existimamus.

In Pœnitentiâ autem et Matrimonio intentio *explicita* ea suscipiendi requiritur; cùm enim in iis Sacramentis actus suscipientis rationem habeant materiæ, nisi explicita et expressa adesset intentio, debitâ materiâ fraudarentur; nam si actus illi non ordinarentur ad Pœnitentiam vel Matrimonium, non possent esse illorum Sacramentorum materia.

Pariter ad validitatem Ordinis, qui graves suscipientibus imponit obligationes, omninò in adultis explicita intentio necessaria est; ratio enim postulabat ut nemo talibus adstringeretur obligationibus, nisi positivè vellet.

Idem omninò de Baptismo dicendum est, quod de Ordine; si excipiatur casus in quo quis veram fidem, atque adeò Baptismum invincibiliter nesciens, paratus esset ad ea omnia generatim facienda, quæ ad salutem necessaria sunt; hæc enim ipsius intentio implicita sufficiens videtur; et si rationis usum amitteret, validè posset baptizari. Ita S. Liguorius, n. 82, citans Delugo, d. 9, n. 129.

Superest ut paucis dicamus an et quomodò intentio quæ requiritur debeat esse præsens. Porrò autem manifestum est intentionem non debere esse præsentem, ubi implicita sufficit; imò verò præsens esse non posset, siquidem in vitâ ante actâ posita est. Quod verò attinet ad intentionem explicitam, non debet in singulis Sacramentis æquè præsens adesse; ad Baptismum et Ordinem sufficit ut semel exstiterit, nec fuerit revocata. Ita communiter theologi, et præsertim Benedictus XIV, in supra laudatâ instructione, n. 46; idque probatur ex universali Ecclesiæ praxi, quæ non reiterat Sacramenta Baptismi et Ordinis iis qui illa suscipiunt ex voluntate priùs habitâ. At in Matrimonio et Pœnitentiâ necesse est ut intentio sit, non physicè quidem, sed moraliter præsens, id est, ut, spectatâ utriusque Sacramenti naturâ, juxta communem sentiendi modum, censeri præsens possit, quando Sacramenta conficiuntur; alioquin materia et forma non aliquid unum efficerent.

Ex dictis patet non tantam requiri intentionem in suscipiente, quantam in ministrante. Ratio autem satis aperta est; minister enim, cùm sit agens, debet habere intentionem quæ sit principium actûs humani, et Sacramentum ad esse determinare possit; at verò suscipiens, cùm sit patiens duntaxat, non debet necessariò habere intentionem quæ sit actûs humani principium, et Sacramentum ad esse determinet; sed sufficit ut subjectum ad Sacramenti susceptionem disponat: porrò subjectum satis disponitur per intentionem priùs habitam et non retractatam.

§ 2. *Utrùm fides et sanctitas in suscipiente ad validitatem Sacramentorum requirantur.*

Quæritur utrùm fides et sanctitas requirantur, ut Sacramenta validè suscipi possint. — Resp. 1°: Fides in suscipiente non requiritur ad validitatem Sacramentorum, unâ exceptâ Pœnitentiâ. Prob. 1° ex praxi Ecclesiæ, quæ hæreticos foris in hæresi baptizatos, confirmatos, ordinatos junctosque Matrimonio, juxta formam aliunde præscriptam, semper vetuit iterùm baptizari, confirmari, etc.; 2° ex S. Augustino, lib. 3, de Baptismo, cap. 14: *Nec interest*, inquit, *cùm de Sacramenti integritate ac sanctitate tractatur, quid credat, et quali fide imbutus sit ille qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimùm ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest; fieri enim potest ut homo integrum habeat Sacramentum et perversam fidem.*

Dixi, *unâ exceptâ Pœnitentiâ;* quia contritio saltem imperfecta, quæ Sacramenti Pœnitentiæ materiæ pars est essentialis, sine fide haberi non potest.

Resp. 2°: Sanctitas seu status gratiæ, non magis quàm fides necessaria est ad Sacramentorum validitatem. Id probatione non indiget; nam sanctitas sine fide nulla prorsùs est; ergo, si fides non requiratur, nec sanctitas; quin etiam sanctitas non requiritur ad ipsum Pœnitentiæ Sacramentum; siquidem Pœnitentia instituta est ad gratiæ statum restituendum, ubi per peccatum amissus est.

Solvuntur objectiones cum Turnelio.

« Objicies 1° canonem 8 primi concilii Arelatensis quo statuitur, *ut Afri in Ecclesiam redeuntes denuò baptizentur, si interrogati non responderint Trinitatem.* Et in altero concilio Arelatensi, can. 17, statuitur, *Bonosiacos baptizatos in Trinitate, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manûs impositione in Ecclesiâ recipiendos esse.* Supponit igitur utraque hæc Arelatensis synodus, fidem in suscipiente Baptismum planè necessariam esse, ut ratum et firmum habeatur Sacramentum.

« Resp. ad primum, sermonem ibi esse non de fide baptizati, sed de formâ Baptismi : *Interrogent eum Symbolum*, aiunt Patres Arelatenses, *et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.*

« Ad secundum, non statuit Synodus ut Bonosiaci iterùm baptizentur, si dùm à suis baptizati sunt, fidem SS. Trinitatis non sunt professi ; sed hoc unum ut per manuum impositionem in Ecclesiæ sinum non admittantur, nisi priùs se omnes fidei articulos ex animo credere palam profiteantur.

Quanquàm et dici meritò potest, veteres sollicitos fuisse de fide illius qui Baptismum percepisset, ut nempè ex eâ velut signo et argumento à posteriori cognoscerent, quâ formâ sive ritu baptizati fuissent : si enim interrogati, fidem Trinitatis non respondissent, gravis fuisset ratio suspicandi, eos in nomine Trinitatis, ut oportet, baptizatos non fuisse. Quâ ratione, Nicolaus I respondens ad consulta Bulgarorum, cap. 104, vult explorari conditionem baptizantis, an Christianus sit, vel judæus, vel paganus, ut inde conjiciatur quo ritu, legitimo, vel non legitimo, collatus fuisset Baptismus.

« Objicies 2° S. Augustinum, lib. 7, de Baptismo, contra Donatistas, cap. 53, ubi asserit valere Baptisma *receptum sine simulatione et cum aliquâ fide;* ergo requirit fidem ut valeat Baptismatis Sacramentum. — Resp. nomine fidei S. doctorem hìc intelligere intentionem seu voluntatem recipiendi Baptismum, sicut jam antea observavimus ex epistolâ S. doctoris 98, aliàs 23, ad Bonifacium.

« Objicies 3° Optatum Milevitanum, lib. 5, adversùs Parmenianum, ubi docet eamdem esse necessitatem fidei ex parte suscipientis, quæ invocationis SS. Trinitatis ex parte ministri : atqui hæc posterior ita necessaria est, ut sine ipsâ nullum sit Baptismatis Sacramentum ; ergo et prior. *In hoc Sacramento Baptismatis celebrando*, ait Optatus, *tres esse species constat... : prima species est in Trinitate, secunda in credente, tertia in operante... Duas video necessarias.... Principalem locum Trinitas possidet, sine quâ res ipsa non potest geri : hanc sequitur fides credentis. Jam persona operantis vicina est, quæ simili auctoritate esse non potest... Trinitas enim semper ipsa est, fides in singulis una est; vim suam semper retinent ambæ*, etc. — Resp. in mente Optati fidem suscipientis esse quidem necessariam, sicut invocationem Trinitatis, sed diverso necessitatis gradu. Invocatio enim Trinitatis absolutè necessaria est, *sine quâ*, inquit ille, *res ipsa non potest geri*, quæ proinde *principalem locum obtinet :* atverò fides in suscipiente necessaria est non ad substantiam Sacramenti, sed ad fructum duntaxat seu effectum ipsius percipiendum. Loqui verò Optatum de fructu seu gratiâ Sacramenti, ostendunt hæc ipsius verba : *Quis fidelium nesciat, singulare Baptisma, virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum, ut tu dixisti, naufragium. Has res unicuique, non ejusdem rei operarius* (id est, minister), *sed credentis fides et Trinitas præstat.*

« Objicies 4° S. Ambrosium, lib. 1, de Spiritu sancto, cap. 3, ubi sic loquitur : *Plenum est Baptismatis Sacramentum, si Patrem et Filium, Spiritumque fateaeris. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodùm si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum ; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum. Ita etiam quamvis et Patrem et Filium et Spiritum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritûs sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Ergo, judice S. Ambrosio, fides suscipientis necessaria est ad veritatem Sacramenti. — Resp. : Nego conseq. Hæc est S. doctoris mens atque sententia; nempe Sacramentum quoad effectum, seu gratiam, nullum esse, quando sine fide aliisque præviis dispositionibus necessariis percipitur : neque verò alium sensum exprimunt verba ista, *vacuum est omne mysterium.* Quippe cùm res aliqua effectum ad quem destinata est, non assequitur, nulla et vacua solet appellari ; Sacramentum autem institutum à Deo est, ut spiritalem nobis conferat gratiam : cùm igitur hoc suo fine vitio suscipientis defraudatur, vacuum dicitur et inane Sacramentum. »

Articulus II.

De dispositionibus requisitis ad licitam et utilem susceptionem Sacramentorum.

In præsenti articulo tria sunt expendenda : 1° Videlicet utrùm et quænam dispositiones requirantur ad licitam et utilem Sacramentorum susceptionem ; 2° an Sacramenta fictè suscepta, sublatâ fictione, reviviscant ; 3° an et quatenùs liceat Sacramenta indignis ministrare.

§ 1. *Utrùm et quænam dispositiones requirantur ad licitam et utilem Sacramentorum susceptionem.*

Quæritur 1°, utrùm necessariæ sint dispositiones quædam ad Sacramenta licitè et cum fructu recipienda. — Resp. : Ut adultus Sacramenta licitè et cum fructu suscipiat, non sufficit intentio ea suscipiendi, sed insuper aliæ requiruntur dispositiones. Id evidenter supponit concilium Trid., sess. 7, can. 6, ubi dicit : *Sacramenta.... gratiam non ponentibus obicem conferre ;* et can. 7 : *Gratiam, quantùm sit ex parte Dei, omnibus dari ;* inde enim patet nonnullas prævias requiri ex parte suscipientis dispositiones, ut fructum ex Sacramentis reportet. Probatur etiam 1° ex Scripturâ sacrâ, 1 Cor. c. 11, v. 28 : *Probet autem seipsum homo*, ut ait S. Paulus, *et sic de pane illo edat, et de calice bibat ;* porrò manifestum est illam probationem ad nihil aliud inservire, nisi ut suscipiens agnoscat utrùm requisitas habeat dispositiones. Quod verò de Eucharistiâ dicitur pari jure dici debet de aliis Sacramentis ; ergo.... 2° Ex SS. Patribus, quorum omnium instar, S. Augustinum appellare sufficiat, qui, tract. de Baptis. contra Donatistas, cap. 14, dicit : *Quali fide imbutus sit qui accipit Sacramentum, interest plurimùm ad salutis viam.* 3° Ratione, quæ omnibus cla-

mat sancta nonnisi sanctis, aut ad sanctitatem conantibus, esse præbenda.

Dixi *ut adultus;* quia infantes nullâ indigent dispositione ad recipienda Sacramenta, quorum sunt capaces.

Quæritur 2°, quænam dispositiones necessariæ sint ad Sacramenta licitè et fructuosè recipienda.

Huic quæstioni sic respondet Billuart : Dico 1° in Sacramentis mortuorum, ad percipiendum primarium eorum effectum, scilicet primam gratiam, requiritur et sufficit in adultis dispositio, quæ sit saltem attritio supernaturalis, actualis vel virtualis.

Prima pars, quòd requiratur dispositio actualis vel virtualis et detestatio peccati, quæ sit saltem attritio, patet primò ex concilio Trid., sess. 6, can. 9, ubi definitur impium non justificari nisi disponatur per motum liberi arbitrii, et cap. 6, ubi explicatur quomodò attritio formetur, et quid in se includat. Hunc textum utpotè luculentum, hìc juvat addere : *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam justitiam, dùm excitati divinâ gratiâ et adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitùs revelata et promissa sunt; atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu; et dùm peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquàm omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dùm proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De hâc dispositione scriptum est :* « *Accedente ad Deum oportet credere, quia est, et quòd inquirentibus se remunerator* « *sit.* » *Et :* « *Confide, fili, remittuntur peccata tua.* » *Et :* « *Timor Domini expellit peccatum.* » *Et :* « *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrùm in nomine* « *Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum,* « *et accipietis donum Spiritùs sancti.* » *Et :* « *Euntes* « *ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* « *Patris, et Filii, et Spiritùs sancti; docentes eos ser-* « *vare quæcumque mandavi vobis.* » *Denique :* « *Præ-* « *parate corda vestra Domino.* »

« Idem docet S. Th., 1-2, q. 110, a. 2, hâc ratione, quòd forma fixa et permanens secundùm communem providentiæ cursum non introducatur nisi in materiâ dispositâ. Adde quòd homo per peccatum fuit aversus à Deo per actualem conversionem ad creaturam : ergo non potest dici conversus nec justus nisi per detestationem peccati et motum contrarium voluntatis, avertatur à creaturâ et convertatur ad Deum. Vid. tract. de Grat., diss. 6, a. 3.

« Secunda pars, quòd sufficiat attritio, est expressè D. Th. in 4, d. 6, q. 1, a. 3, ad 5, ubi ait : *Ad hoc quòd homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas; quia sufficit attritio præcedens etsi non sit contritio.*

« Prob. ratione : 1° Juxta Trid. Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem; atqui attritus non ponit obicem gratiæ; sed è contra positum retractat; ergo. 2° Si requiratur contritio ad Sacramenta mortuorum, nunquàm causabunt primam gratiam, et sic non erunt Sacramenta mortuorum, nec instituta ad delendum peccatum. Patet sequela, quia contritio nunquàm est sine gratiâ, cùm sit ultima dispositio ad illam. Sed fusiùs de hâc materiâ in tract. de Pœnitentiâ.

« Tertia pars, quòd sufficiat attritio virtualis, patet : tùm quia in entibus moralibus, qualia sunt Sacramenta, non requiritur coexistentia physica dispositionum et formæ, sed sufficit moralis, ut alibi diximus : tum quia aliàs forent continui scrupuli et anxietates, dùm quis paulò ante absolutionem benè dispositus et attritus ex distractione naturali suæ attritioni non attenderet.

« Dixi *in adultis;* quia in infantibus et perpetuò amentibus nulla requiritur dispositio actualis, quia sunt illius incapaces. Insuper ubi non est peccatum propriâ voluntate commissum, non videtur propriâ voluntate retractandum.

Dico 2° : In Sacramentis vivorum ad percipiendum primarium eorum effectum, scilicet augmentum gratiæ, non requiritur necessariò dispositio actualis vel virtualis, sed sufficit habitualis, scilicet status gratiæ. Undè etiam si aliquis in actuali susceptione peccet venialiter, puta culpabili distractione vel aliter, nihilominùs recipit hunc effectum. Ita Soto, Joannes à S. Th. Serra, et communiùs Thomistæ cum extraneis contra Cajet., Contens., et quosdam alios.

« Ex disertis terminis D. Th. infra, q. 79, a. 8, ubi quærens an per peccatum veniale impediatur effectus Eucharistiæ, primò distinguit inter peccata venialia quæ sunt præterita, et peccata venialia quæ sunt actu exercita. De primis dicit quòd nullo modo impediant effectum hujus Sacramenti : De secundis dicit quòd impediant quidem effectum secundarium hujus Sacramenti, qui est actualis refectio spiritualis dulcedinis; quia nemo delectatur de re quam actu non considerat; sed non impediant primarium effectum, qui est augmentum gratiæ; et ideò dixi in conclusione *primarium effectum*. Hæc sunt verba S. D. : « Secundo autem modo peccata venialia (id est, actu exercita), « non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, « sed in parte : dictum est enim quòd effectus hujus « Sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiæ « vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio « spiritualis dulcedinis; quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum « habitualis gratiæ vel charitatis. » Omnes præclari ingenii nervos intendit Contenson ut ab hâc auctoritate se expediat, sed incassùm. Neque enim S. doctor loquitur de peccatis venialibus quæ sunt præterita, sed de iis quæ sunt actu exercita; neque de distractione naturali, sed venialiter culpabili. An autem intelligendus sit S. D., non solùm de distractione venialiter cul-

pabili ex negligentiâ aut tepiditate, sed etiam de eâ quæ ultrò et ex industriâ est quæsita aut admissa? Videtur respondendum affirmativè : Cùm generaliter loquatur S. Th. de omnibus peccatis venialibus, et id probat ratio sequens : Nisi fortè dicatur hujusmodi distractionem plenè deliberatam, licèt ex objecto venialem, fieri mortalem ob reverentiam debitam huic Sacramento. Equidem non diffiteor hâc de causâ esse debitum decentiæ, imò et legale sub peccato veniali adhibendi actualem devotionem ; at esse debitum obligans sub mortali, ita ut dicta distractio plenè deliberata evadat mortalis, licèt ita contendat laudatus theologus, ego affirmare non ausim. Quod autem S. Th. dicit de Eucharistiâ, à fortiori dicendum est de aliis Sacramentis vivorum, quæ non requirunt tantam reverentiam et dispositionem.

« Prob. conclusio ratione. Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem ; atqui qui est in gratiâ et venialiter mente distractus aut titillante vanâ gloriâ ad Sacramentum vivorum accedit, non ponit obicem gratiæ ; ergo. Prob. min. : 1° Solum peccatum mortale est obex gratiæ ; non veniale, compatitur enim cum gratiâ. 2° Si is qui ex negligentiâ aut tepore est venialiter distractus, poneret obicem gratiæ, hoc ipso peccaret mortaliter ; ponere namque obicem primario et substantiali effectui Sacramenti, et advertenter reddere et sumere Sacramentum informe, secundùm communem sententiam est peccatum mortale ; atqui falsum consequens, nec illud admittunt adversarii ; ergo.

« Conf. : Eucharistia quandoque confertur phreneticis in articulo mortis, Extrema Unctio sæpè moribundis usu rationis privatis, Confirmatio infantibus ; in quibus omnibus non est devotio seu dispositio actualis et virtualis ; atqui tamen in eis causatur augmentum gratiæ ; aliàs frustra hæc Sacramenta conferrentur, imò nec liceret conferre, utique certò et scienter informia ; ergo.

Solvuntur objectiones.

« Obj. 1° : S. Th. in 4, d. 2, q. 2, a. 1, quæstiunc. 3, dicit : « Cùm hoc Sacramentum (Eucharistiæ) perficiat conjungendo fini, ad hoc quòd effectum suum « plenè habeat in sumente, oportet quòd adsit actua- « lis devotio.... Absque peccato mortali potest effe- « ctus hujus Sacramenti impediri ; ita quòd aliquis au- « gmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum « peccati mortalis incurrat. » Ergo.

« Respondet Soto S. Th. seniorem et doctiorem in Summâ mutâsse sententiam ; cùm loco à nobis cit. non solùm in corpore art., sed ad 1 et 2, oppositum disertè doceat. At Serra existimat idem in utroque loco docuisse, sed hìc in Summâ clariùs locutum fuisse ; non enim S. D. in 4, dicit peccata venialia ex toto impedire effectum hujus Sacramenti : Sed : *Ad hoc quòd effectum suum plenè habeat in sumente, oportet quòd adsit actualis devotio.* Plenè autem habere effectum suum est conferre non solùm habitualem gratiam, sed etiam actualem refectionem dulcedinis spiritualis ; ad sic autem plenè habendum suum effectum, etiam in Summâ docet requiri actualem devotionem. Unde cùm in 4 addit : *Absque peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediri, ita quòd aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat*, per augmentum gratiæ non intelligit quodcumque augmentum gratiæ habitualis, sed augmentum gratiæ quod provenit ex additione spiritualis refectionis actualis, quando virtute hujus Sacramenti charitas excitatur in actum, et ferventior fit ob majorem dispositionem actualis devotionis. Ita laudatus Serra.

« Inst. 1° : S. Th. infra q. 80, a. 8, ad 6, de Eucharistiâ dicit : *Maxima devotio requiritur in sumptione hujus Sacramenti, quia tunc percipitur Sacramenti effectus.* Si maxima, ergo actualis. — R. S. Th. loqui vel de debito decentiæ aut etiam legali sub peccato veniali, quod non negamus, vel de effectu adæquato hujus Sacramenti.

« Inst. 2° : S. D., infra q. 87, a. 2, O, dicit : *Habentibus usum liberi arbitrii non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum ;* ergo. — R. S. Th. ibi loqui de infusione gratiæ extra Sacramentum. De quo alibi.

« Opponunt insuper adversarii S. Bonaventuram, qui in Brevi., p. 6, c. 9, dicit quòd *qui tepidè, indevotè et inconsideratè accedit, judicium sibi manducat et bibit ; quia tanto Sacramento contumeliam facit ;* ergo. — R. neque ipsos adversarios hæc verba admittere sine modificatione et explicatione. Videtur ergo dicendum vel S. Bonaventuram non tam theologicè quàm concionatoriè et per piam exaggerationem locutum fuisse ; vel intelligere de indevotione, quæ sit tanta ut evadat mortalis.

« Quantùm ad quosdam alios Patres, qui videntur requirere devotionem actualem, maximè pro receptione Sacramenti Eucharistiæ, nullatenùs nobis opponuntur. Nos enim etiam requirimus ex decentiâ, imò ex debito sub veniali propter reverentiam quæ specialiter debetur huic Sacramento, in quo Christus realiter continetur. Imò necessariam omninò dicimus pro consequendo effectu ejus adæquato, scilicet non solùm augmento gratiæ habitualis, sed etiam spirituali refectione actuali. Nec aliud evinci potest ex Patribus.

« Obj. 2° : Ad omnem actionem, consequenter ad infusionem gratiæ requiritur mutuus contactus agentis et passi ; atqui mutuus contactus inter Deum et hominem adultum est per motum liberi arbitrii ; ergo. — R. Dist. maj. : Ad infusionem gratiæ ex opere operantis requiritur, etc., concedo ; ex opere operato, nego. Tunc enim sufficit ut non ponatur obex gratiæ. Vel dic adesse motum liberi arbitrii in voluntariâ susceptione Sacramenti, qui sufficit pro Sacramentis vivorum.

« Inst. : Gratiæ infusio fit juxta mensuram actûs et dispositionis actualis recipientis ; ergo. — R. Dist. ut ante : Gratiæ infusio ex opere operantis, concedo ; ex opere operato, nego. Hæc enim fit etiam juxta mensuram gratiæ habitualis, quæ est dispositio sufficiens ad

Sacramenta vivorum. Licèt, verum sit, ubi tantum est hæc dispositio habitualis et nulla actualis, minimum concedatur augmentum gratiæ, sicut concederetur, v. g, infanti baptizato, cui Confirmatio aut Eucharistia conferretur.

« Obj. 3° : Qui se præbet indignum gratiâ, non crescit in gratiâ ; atqui peccans venialiter se præbet indignum gratiâ ; ergo. — R.: Dist. maj. Qui se præbet indignum gratiâ indignitate mortali, non crescit in gratiâ, concedo ; indignitate veniali, subdistinguo ; ex opere operantis, concedo ; ex opere operato, nego.

« Inst. Per peccatum veniale nemo fit sanctus aut sanctior : Ergo. — R. dist. ant., ut ante : Per peccatum veniale nemo fit sanctus aut sanctior ex opere operantis, concedo ; ex opere operato, subdistinguo. Attentâ ratione mali in peccato veniali, concedo ; attentâ actûs substantiâ, nego. Itaque actus venialiter malus potest considerari, vel sub formalitate mali, et sic non concurrit ad infusionem gratiæ ; vel secundùm substantiam, prout est libera susceptio Sacramenti, et sic concurrit tanquàm dispositio sufficiens ad infusionem gratiæ ex opere operato.

« Obj. 4° specialiter pro Sacramento Eucharistiæ : Hoc sacramentum datur per modum cibi et potûs nutrientis ; atqui cibus et potus materialis non nutrit nec auget sine actu vitali nutriti ; ergo nec iste cibus et potus spiritualis sine actu vitali animæ.— R. neg. conseq. : Disparitas est quòd cibus et potus materialis convertatur ab alito in ejus substantiam, ideòque indigeat actu vitali : At cibus spiritualis è contra convertit recipientem in se, juxta illud dictum S. Augustini : *Nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me*. Undè ut nutriat et augeat, non requirit actualem devotionem in recipiente, sed sufficit quòd non ponat obicem.

Obj. 5° : Si in quâlibet susceptione Eucharistiæ sine actuali devotione cum solo statu gratiæ, augeatur gratia, sequitur quòd gratia et charitas tot sacerdotum, quos par est credere celebrare in statu gratiæ, sit maximè intensa ; atqui id non est verisimile, cùm tanta gratia et charitas ut plurimùm nullatenùs se prodat exteriùs, nec intùs erumpat in actus ferventissimos ; ergo. — R. 1° argumentum posse retorqueri in adversarios ; admittunt enim ad argumentum gratiæ sufficere actualem devotionem etsi exiguam, et non requiri maximam ; in quâ sententiâ sic argumentor : Si in quâlibet sumptione Eucharistiæ cum exiguâ devotione actuali augeatur gratia, sequitur quòd gratia et charitas tot sacerdotum, quos par est credere celebrare cum aliquâ saltem exiguâ devotione actuali, sit valdè intensa ; atqui, etc., ut in præcedenti argumento. Ergo. R. 2° non esse dubitandum quin plurimi sint sacerdotes, quorum maximè intensa est charitas, quæ licèt non se prodat exteriùs per insignia opera, quæ non semper occurrunt, se prodit tamen in officiis solitò occurrentibus, et in hoc maximè quòd se conservent in gratiâ contra continuò insurgentes tentationes ; illa enim charitas non est parva nec otiosa quam aquæ multæ tot tentationum non possunt exstinguere. Quòd autem in actus ferventiores sæpe non erumpat intùs, provenit ex quotidianis peccatis venialibus, quæ fervorem charitatis remittunt. In aliis verò per peccata mortalia amittitur gratia, quæ posteà difficilè ad eumdem gradum recuperatur. His adde accedenti ad Eucharistiam sine ullâ actuali devotione, tenuissimum, ut jam dixi, gradum gratiæ conferri. » Ita Billuart, dissert. 3, art. 5.

§ 2. *An Sacramenta, fictè suscepta, sublatâ fictione, reviviscant.*

Quæres 1°, utrùm Sacramenta fictè suscepta, sublatâ fictione, reviviscant.

Responsionem subministrabit Collet, à quo totum hunc paragraphum mutuati sumus.

« Fictio duplex, altera intentionis, quâ quis fingit velle se recipere Sacramentum, quod tamen non vult interiùs recipere ; et de hâc non loquimur in præsenti. Altera præparationis, quâ quis Sacramentum recipit absque necessariis dispositionibus : et hæc, ait Gonet, disp. 4, de Baptismo, art. 2, vel est inculpabilis, ut cùm quis ad Sacramentum accedit, existimans bonâ fide se sufficienter esse dispositum, puta se dolorem habere supernaturalem cùm nonnisi naturalem habeat ; vel est culpabilis, ut si quis vel in hæresi et schismate baptizetur, vel etsi in Ecclesiâ baptizetur, peccato mortali adhæreat.

« Certum est 1° fictionem præparationis solius, non impedire ne Sacramenta quæ characterem imprimunt, et de quibus præcipua hìc volvitur quæstio, validè recipiantur. Valent enim Sacramenta, cùm præter materiam et formam reperitur intentio seria tum in ministro eadem conferendi, tum in subjecto eadem recipiendi : atqui fictio præparationis nihil obstat quominùs hæc omnia concurrant ; ergo.

« Certum est 2° eâ fictione impediri omnes Baptismi, v. g., effectus, præter impressionem characteris. Ii enim effectus, sunt gratia sanctificans, et virtutum atque donorum quæ eidem annexa esse solent infusio : atqui gratia sanctificans infundi non potest in animam peccato subditam ; qualis est anima ejus, qui vel non dispositus, vel malè dispositus accedit ; ergo.

« Quæstio igitur est, 1° an sublatâ fictione renascantur ii effectus, quos impediverat fictio ; 2° utrùm si in Baptismo reviviscant, reviviscant pariter in aliis Sacramentis.

« Multiplex, ut in ambiguis contingit, est eâ de re opinio theologorum. Alii negant quodcumque, etiam Baptismi, Sacramentum, sublatâ fictione reviviscere : unde sequitur actualia quæ Baptismum præcesserant peccata, recedente fictione tolli non vi Baptismi ipsius, sed vi Pœnitentiæ : ita Alensis, Vasquez, disp. 161, etc. Alii Sacramenta omnia præter Eucharistiam sublato fictionis obice reviviscere opinantur ; alii vel Baptismum solum, vel saltem sola quæ characterem imprimant Sacramenta reviviscere autumant ; neque hi consentiunt inter se ; alii quippe per reviviscentem Baptismum ea tantùm deleri volunt peccata, quæ ipsum præcessêre ; alii non hæc duntaxat, sed et ipsum fictionis peccatum, quod tunc temporis et concomi-

tanter commissum est; alii denique non ea solùm peccata quæ præcesserunt, aut concomitata sunt, sed ea etiam quæ subsecuta sunt Baptismum fictò susceptum vi ipsius non quidem directè, sed indirectè deleri censent : ita Paludanus. Desipuerit profectò qui tot capita ad concordiam revocare præsumat. Sit

« Conclusio. Sublatâ fictione reviviscit Baptismus, ac proinde non solùm fictionis venia, sed et Baptismi effectus, nimirùm gratia regenerativa recipitur. Ita S. Thomas, 3 p., q. 69, art. 10, et ipse Scotus, dist. 4, q. 5, n. 4 et 8, idem probabile est de Confirmatione et Ordine.

« Prob. 1° ex S. Augustino, lib. 3, de Bapt., c. 13, ubi sic de Baptismo in schismate vel hæresi percepto loquitur : *Quamvis apud hæreticos vel schismaticos idem sit Baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum, propter eamdem discordiæ fœditatem..... Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint... ut idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intùs operetur salutem.* De Baptismo autem in Ecclesiâ fictè suscepto sic statuit S. doctor, ibid., lib. 1, c. 12 : *Quod ante datum est valere incipit, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.* Unde sic : Tunc reviviscere dicitur Baptismus intra vel extra Ecclesiam susceptus, cùm incipit operari id quod propter fictionem operari non potuerat, nempe remissionem peccatorum : atqui ex Augustino, sublatâ fictione incipit Baptismus operari remissionem peccatorum, quam propter fictionem operari non potuerat; ergo.

« Confirm. ex intento Augustini. Agit is eo loco contra Donatistas, à quibus acutè hunc in modum interrogabatur : Vel Baptismus noster dimittit peccata, vel non. Si dimittit; ergo datur apud nos Spiritus sanctus, ac proinde sumus in verâ Ecclesiâ. Si non dimittit; ergo denuò baptizandi sumus. Quid ad hæc S. doctor? Id unum, nempe valere Baptismum ad peccati remissionem, non quando confertur, sed quando fictus convertitur; ergo loqui debet de remissione per Baptismum productâ, de quâ solâ interrogabatur. Jam verò qui docet Baptisma fictè susceptum operari remissionem peccati, statim ac tollitur fictio, docet idem Baptisma reviviscere; ergo. (Vide Lugo, disp. 9, n. 28.)

« Cùm autem id quod in primo textu de Baptismate ab hæreticis vel schismaticis suscepto dixit Augustinus, illud de malorum Christianorum Baptismate repetat S. doctor, tum in textu secundo, tum ibid., lib. 4, c. 3, palam est errâsse doctissimum Morinum, cùm lib. 9, de Pœnitentiâ, scripsit *reviviscentiam virtutis Baptismi*, à Patribus *de eo tantùm* intellectam fuisse, *qui extra Ecclesiam susceptus est.*

« Prob. 2° : Non potest quis ab originali noxâ mundari, nisi renascatur ex aquâ et Spiritu sancto, vel realiter, vel in voto : atqui si non revivisceret Baptismus, mundaretur quis ab originali noxâ, etsi nec realiter, nec in voto renatus ex aquâ et Spiritu sancto. Non enim realiter renatus esset ex aquâ, qui nullam ex aquæ lavacro recepisset gratiam justificantem. Neque etiam in voto ex eâdem aquâ renasceretur, qui nullum habere potest votum recipiendi id quod jam recepit; ergo ut renascatur qui fictè suscepit Baptismum, oportet ut Baptismus reviviscat.

« Confirm. : Vel in hoc casu mundatur quis ab originali labe per Baptismum reviviscentem, vel per pœnitentiam : atqui hoc non; cùm nec pœnitentia ad tollendum originale peccatum instituta sit, nec gratia quæ pœnitentiæ fructus est, ullibi vocetur regenerans; ergo.

« Prob. secunda pars : Ideò Baptismi reviviscentiam admittunt passim theologi cum SS. Augustino et Thomâ, quia alioqui Baptismus, utpote initerabilis, suo semper frustraretur effectu, qui tamen viro Christiano admodùm necessarius est, et juxta suavem Providentiæ viam viro pœnitenti denegari non debet, atqui hæc ratio in Ordine etiam et Confirmatione militat. Cùm enim Sacramenta hæc iterari non possint, qui ea suscepissent fictè, non tantùm privati manerent gratiâ sanctificante, quæ eis correspondet, sed et jure ad gratias actuales, consequenter ad hæc Sacramenta suo tempore conferendas, quæ tamen admodùm necessariæ sunt, seu *confirmatis*, ut fidem etiam cum propriæ vitæ dispendio profiteantur, seu ordinatis ut munia sua dignè et sanctè exerceant : atqui tam funesta privatio summam Dei erga eos qui seriò convertuntur, benignitatem videtur dedecere; ergo.

« Confirm. ex Augustino, qui reviviscentiam Ordinis sacri disertè agnoscit, lib. 2 contra Cresconium, c. 10, ubi de sacerdotibus in hæresi consecratis hæc fatur : *Christiana sanè in vobis Sacramenta agnosco. Apud vos quidem aliena sunt; sed cùm cor vestrum corrigitur, fiunt ea salubriter vestra, quæ perniciosè habebatis aliena.* Quorsùm verò istud, *salubriter vestra fiunt*, nisi quia jam incipiunt largiri sanctitatem, quam propter obices impendere non potuerant? Utique quod non reviviscit, salubre dici non potest. Idem docet S. Thomas in 4, dist. 4, q. 3, art. 2.

« Hæ rationes utcumque Matrimonii, imò et Extremæ Unctionis reviviscentiam adstruunt; Matrimonii quidem, quia licèt iterari possit, non tamen vivente comparte; unde quia conjux pluribus indiget gratiis, ut gravis statûs sui onera sustineat, credibile est has ei, cùm fictionis sincerè pœnitet, conferri; ne iis destitutus, relativè ad conditionem suam inermis maneat, quamdiù stabit eadem conditio.

« Quod ad Extremam Unctionem pertinet, cùm hæc rarò conferatur, et gratiæ eidem annexæ summi sint momenti in agone, ubi plus solito furit leo rugiens, et uno tantùm passu dividuntur vita et æternitas, piè quoque de Deo præsumit, qui hanc per Pœnitentiam reviviscere existimat cum SS. Thomâ, in 4, dist. 4, q. 3, art. 2, et Bonaventurâ, dist. 1, p. 1, art. 13.

« Quod ad Eucharistiam et Pœnitentiam attinet, pauci sunt qui ea reviviscere opinentur; tum quia id necesse non est, cùm Sacramenta hæc non iterari tantùm, sed et facilè iterari possint; tum quia alioqui,

qui sacrilegas communiones aut confessiones geminâsset per totum vitæ tempus, is, si in ultimâ senectute tot fictionum seriò pœniteret, eumdem consequeretur sanctitatis gradum, quem qui toties piè et sanctè Sacramenta hæc percepissent, quoties ipse indignè percepit; quod vix in animum induci potest. Adde quòd ex Apostolo, qui indignè Eucharistiam sumit, judicium sibi manducat; id autem falsum esset ex parte, si Eucharistia recedente fictione prodesset ad vitam.

« Obj. 1° : S. Augustinus, citato, cap. 12, lib. 1, de Baptismo, remissionem peccatorum tribuit pœnitentiæ, seu *piæ correctioni, et veraci confessioni;* atqui quod est effectus pœnitentiæ, reviviscenti Baptismo tribui non potest; ergo. — R. dist. maj.: Tribuit pœnitentiæ tanquàm removenti prohibens, seu obicem fictionis, concedo; tanquàm causæ effectrici, nego. Itaque ut operetur Baptismus requiritur dolor sincerus de fictione, quæ Baptismi effectum impediit; verùm dolor ille nec gratiam regenerantem per se largitur, nec instar causæ efficientis delet originale peccatum : alioqui qui ipso Baptismi tempore verum hunc dolorem gestàsset in corde, per eum, non autem per Baptismum regeneratus fuisset.

« Obj. 2° : Opus mortuum reviviscere non potest : atqui ficta Baptismi susceptio est opus mortuum ; ergo.—R. 1° : Conc. totum ; non enim dicimus reviviscere fictionem, quæ est actio hominis peccaminosa, sed reviviscere Baptismum, qui est actio Dei sanctissima, cujus effectum impedierat obex peccati. Unde : R. 2° dist. min. : Ficta Baptismi susceptio est opus mortuum, ex parte suscipientis, concedo ; ex parte Baptismi ipsius, nego. Uno verbo ficta susceptio est quidem opus malum in genere moris, sed et est opus bonum et optimum in genere entis.

« Inst. 1° : Si Baptisma revivisceret in genere entis, et prout est actio Dei, vel deleret peccatum originale, et actualia quæ Baptismum præcessêre peccata, vel ea quæ fictam ipsius susceptionem concomitata sunt, vel ea demùm quæ subsecuta fuêre : atqui nullum ex his dici potest ; ergo. —R. : Conc. min. quoad ultimam partem, et nego saltem quoad primam. Unde dico 1° peccata Baptismo fictè suscepto posteriora, nec indirectè quidem remitti per Baptismum, secundùm ad S. Thomæ, 3 p., q. 69, art. 10, ad 3 : *Peccata Baptismum sequentia, remittuntur quidem, sed per Pœnitentiam, non per Baptismum, unde non remittuntur quantùm ad totum reatum, sicut peccata præcedentia Baptismum.* Ratio est; 1° quia nullum hominis baptizati peccatum aliter deleri potest quàm per pœnitentiam in re vel in voto : atqui peccata Baptismum subsecuta, sunt eo ipso hominis baptizati; ergo. 2° Quia alioqui peccata hæc non essent subjicienda clavibus ; 3° quia Sacramenta id solùm efficere possunt ad quod instituta fuêre : atqui nulla prorsùs Sacramenta fuêre instituta ad delenda peccata post suî susceptionem commissa. Etsi enim Sacramenta sint medicinæ respectu futurorum delictorum præservativæ, non sunt tamen medicinæ curativæ nisi respectu delictorum, quæ jam perpetrata sunt ; ergo. 4° Quia baptizati in hæresi vel schismate nunquàm ab Ecclesiâ recepti sunt per solam manûs impositionem, vel per confessionem fidei, nisi præcessisset pœnitentia saltem privata, ut alibi ostendemus.

« Dico 2° peccata quæ Baptismum præcesserunt, per ipsum remitti sublato obice : quia vel tolluntur per Baptismum, vel per Pœnitentiæ Sacramentum : atqui per istud tolli non possunt; quia non magis Ecclesiæ jurisdictioni subjacent, quàm ipsa non baptizati persona. Atque hinc est quod nulla pro iis peccatis imponatur satisfactio, quæ tamen pro peccatis post Baptismum commissis imponitur ; ergo.

« Quod attinet tum ad fictionem, tum ad peccata, quæ fictam Baptismi susceptionem comitantur, ut si quis dùm baptizatur, actuali ferveret odio contra eum à quo baptizatur, respondet S. Thomas his verbis ibid., ad 3. *Fictio non removetur per Baptismum, sed per Pœnitentiam subsequentem, quâ remotâ Baptismus aufert culpam et reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum, et etiam simul existentium cum ipso.* Quæ quidem infra explicare conabimur.

« Inst. 2° : Baptismus delere non potest, id quod jam deletum invenit : atqui Baptismus, quo tempore supponimus eum operari, jam omnia prorsùs peccata invenit deleta, seu per contritionem perfectam extra Sacramentum Pœnitentiæ, seu per attritionem cum eodem Sacramento. Prob. min. : Baptismus operari non potest, nisi consequenter ad sublatam fictionem, seu in instanti fictionem hanc immediatè sequenti : atqui jam tunc peccata omnia deleta sunt. Contritio enim statim ut ponitur perfecte justificat : atqui perfectè justificare non potest, nisi omnia tollat peccata; ergo cùm contritionis effectus, prior sit naturâ, quàm effectus Baptismi, dicendum est peccata omnia per ipsam tolli, aut per Pœnitentiam, si non directè, quia Pœnitentia ex se instituta non est nisi pro peccatis Baptismum sequentibus, saltem indirectè, quia peccatum unum lethale sine cæteris omnibus dimitti non potest. — R. ad 1 et 2 : Nego min., quia cùm tollitur obex, ponitur quidem dispositio prærequisita ut tollatur peccatum seu vi Baptismi, seu vi Pœnitentiæ; sed nondùm in hoc instanti deletum est peccatum, quia non deletur nisi per gratiam justificantem, quæ statim quidem infundenda est à Deo, sed nondùm in illo priori, ut aiunt, infusa intelligitur : adeò ut sublatio obicis præcedat gratiæ infusionem, si non prioritate temporis, saltem prioritate naturæ.

« Ad 3, neg. maj.; contritio enim quantùmcumque perfecta, est quidem, ut benè notat Lugo, ibid., n. 43, ultima ad justificationem dispositio, quia est dispositio consequenter ad quam Deus gratiam habitualem statim et semper infundit; sed non est forma se ipsâ justificans, aut expellens peccatum. Id ergo quod formaliter justificat, quodque peccatum formaliter excludit, est ipsa gratia sanctificans : porrò gratiam hanc infundit Deus consequenter ad signa quæ instituit; ergo cùm Baptismum instituerit in gratiam regene-

rantem, et Pœnitentiam in gratiam alterius generis, consequens est quòd Baptisma et Pœnitentia operentur simul etiam simultate naturæ, quòdque hæc peccata post Baptismum commissa deleat, quo præcisè instanti illud peccata ante suî susceptionem commissa delet.

« Inst. 3° : Non magis potest Baptismus delere peccata, quæ ipsum præcesserunt, quàm fictionem cum quâ receptus est : atqui ex S. Thomâ Baptismus non delet fictionem cum quâ susceptus est : sed hæc per Pœnitentiam deleri debet, ut tradit S. doctor; ergo nec delere potest quæ ipsum præcessêre peccata ; sed hæc per Pœnitentiam deleri debent. Et verò non potest deleri fictio, quin simul deleantur cætera quæcumque peccata ; atqui ex concessis fictio necessariò deleri debet ante operationem Baptismi ; ergo et ante Baptismi operationem peccata cætera deleri debuerunt.—R. 1° : Nego maj., quæ in sensu objectionis est de falso supponente. Fictio enim præcisè sumpta, prout est privatio dispositionis necessariæ, non deletur, sed solùm aufertur, prout ante Baptismum auferri debuerat. Unde sicut Judas qui ad Baptismum accedens, enixè dolet de actualibus quæ commisit peccatis, aufert à se fictionem omnem, nec tamen peccata sua delet, cùm hæc solùm deleantur per infusionem gratiæ regenerantis ; sic qui recepto indignè Baptismo, dolet de fictione, tollit fictionem, nec tamen maculam, si qua è fictione remanserit, delet. Unde hæc vel per Baptismum deletur, prout ipsum præcessit, vel per Pœnitentiæ Sacramentum, si post ipsum Baptismum continuaverit.

« Sed quia fictio adjungi solet toti Baptismatis actioni, et perseverare post instans terminativum illius, ideò subjicienda est clavibus Ecclesiæ ; idemque dicendum de cæteris peccatis, odii, v. g., blasphemiæ interioris, et similibus, quæ sic Baptismum comitata fuerint, ut non desierint ante completam ejus susceptionem ; quia hæc jam incipiunt esse peccata hominis baptizati, ac proinde clavibus Ecclesiæ subjecti. Unde quod supra dicebat S. Thomas, peccata simul existentia cum Baptismo per ipsum deleri, à Soto, Ledesmâ, aliisque pluribus S. Thomæ discipulis intelligitur de peccatis Baptismum tempore concomitantibus, sed non usque ad instans terminativum ipsius; eorum enim quæ vel uno ultra instanti perseverâssent, eadem foret ratio ac fictionis ipsius, sicque ut hæc, sic et illa per Pœnitentiam solam expungi possent.

« At, inquies, fictio nihil aliud est ut plurimùm, quàm voluntas Baptismi indignè suscipiendi : atqui hæc voluntas naturâ prior est ipsâ susceptione Baptismi, quam voluntas illa imperat ; ergo per Baptismum deleri debet, sicut et alia quæ Baptismum præcedunt peccata.—R. dist. min. : Voluntas hæc prior est susceptione Baptismi, prout ipsam imperat, concedo ; prout consummatur exteriùs per indignam Sacramenti perceptionem, nego. Sic enim includit actualem Sacramenti profanationem, quæ Sacramento posterior esse debet.

« An si fictio consisteret in adhæsione peccatis omnibus quæ quis ante Baptismum commisit, omnia hæc peccata, prout fictionis objectum, clavibus Ecclesiæ subjicienda forent, gravis est difficultas. Sunt qui credant satis esse ut accusetur fictio, non autem requiri ut accusetur ejus gravitas. Neque enim, inquiunt, necessum est ut quis peccati gravitatem confiteatur, cùm duo conjunguntur Sacramenta, quorum alterum fictionem tollit, alterum gravitatem ejus, sicut in præsenti casu contingit. Alii fictionem et fictionis gradum in confessione aperiri volunt ; quia cùm ex hypothesi fictio secundùm se totam, sit opus hominis baptizati, oportet ut secundùm se totam, id est, quoad substantiam et gradum declaretur. Neque tunc peccata ante Baptismum commissa clavibus subjicientur ratione suî, sed ratione ordinis quem fictio habet ad ipsa. Sic qui piè olim baptizatus, morosè delectari incipit de adulteriis, homicidiis, cæterisque id genus, quæ ante Batismum perpetraverat, etsi crimina hæc ratione suî confiteri non teneatur, eadem nihilominùs confiteri debet ut pravæ cui inhæsit, complacentiæ fœditatem totam manifestet. Postrema hæc opinio ut tutior et probabilior admittenda.

« Obj. 3° : Nihili nullæ sunt proprietates : atqui cùm fictio per conversionem tollitur, jam nihil est Baptismus ; ergo. — R. dist. min. : Cùm fictio tollitur jam nihil est Baptismus quoad entitatem, concedo ; quoad vim movendi, nego. Itaque Baptismus, cùm in actione fluente consistat, jam non existit in se et quoad entitatem, cùm fictio tollitur : verùm et tunc quoque subsistit quoad vim movendi ; quia ad id sufficit ut Deus positionem Baptismi semel factam acceptaverit tanquàm signum vi cujus gratiam conferre debeat, statim ut sublatus fuerit ejusdem gratiæ obex : atqui res ita se habet. Unde sicut mors et passio Christi licèt jam non existant in se, non desinunt esse causa moralis meritoria justificationis nostræ, sic et Baptismus, etsi jam præterierit quoad actionem, subsistit semper in mente Dei, eumque movet ad conferendam homini gratiam regenerantem, quoties is eidem recipiendæ idoneum fecerit.

« Iis adde quòd, licèt, cùm aufertur fictio, Baptismus non existat in se, manet tamen in virtute suâ, nimirùm in charactere qui tunc elevatur ad pariendam gratiam, quæ propter obicem recipi non potuerat. *In Baptismo*, ait S. Thomas, in 4, dist. 4, q. 3, art. 2, q. 3, *imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam, et ideò cùm fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character qui est præsens in animâ, incipit habere effectum suum, et ita Baptismus recedente fictione effectum suum consequitur.*

« Obj. 4° : Constans est Patrum doctrina non posse hominem nisi semel per Baptismum renasci spiritualiter : atqui in hypothesi nostrâ posset homo semel et iterùm renasci. Semel quidem cùm actu Baptismum recipit ; rursùs verò cùm fictionem aufert ; ergo. — R : Neg. min. ; si enim renascatur homo tempore Baptismi, jam renasci nequit per ablationem fictionis, quæ nulla fuit : si verò renascitur cùm fictionem au-

fert, utique renatus non erat, cùm Baptismum suscepit.

« Obj. 5° : Si reviviscat Baptismus cùm aufertur fictio per pœnitentiæ Sacramentum, plus recipiet gratiæ, qui Baptismum fictè suscepit, quàm qui recepit non fictè : atqui absurdum consequens. — R. dist. maj. : Plus accipiet gratiæ, ratione Baptismi simul et Pœnitentiæ, concedo; plus accipiet ratione Baptismi solius, nego. Porrò nihil mirum quòd qui duorum Sacramentorum effectus simul recipit, plus recipiat gratiæ, quàm qui unius duntaxat effectum reciperet. Certè sicut Baptismatis gratia non opponitur pœnitentiali, sic nec Baptismi causalitas Pœnitentiæ causalitati opponitur : unde utrumque Sacramentum simul naturâ concurrit ad certum, ut ita loquar, gratiæ pondus, quæ, prout baptismalis, regenerativa dicitur, et prout pœnitentialis, justificativa.

« Atque hinc obiter colliges malè existimâsse Vasquesium, disp. 159, quòd in casu obicis per contritionem remoti, non aliam accipiat homo gratiam, quàm quæ contritioni correspondet; quæque tunc, ut ait idem theologus, duplici quidem Baptismi et contritionis titulo conferatur, sed in eo solùm gradu ad quem disponit contritio. Si enim Baptismus præteritus ad aliquid valet, ut valere eum expressè docet Augustinus, debet aliquid conferre ultra illud quod sinè ipso haberetur. Et verò an non Patres et concilia, quæ dicunt Sacramenta nostra gratiam causare, eludere censeretur, qui diceret eam solùm gratiam quæ meritis respondet, causari tunc duplici titulo, scilicet propter merita et propter sacramenta? Utique is irrisor haberetur doctrinæ sanctorum, non defensor; ergo, ait solidè Lugo, disp. 9, n. 65, cùm conceditur Baptismum præteritum ablato obice causare gratiam, debet id intelligi de gratiâ distinctâ, non de solâ multiplicatione tituli ad eamdem gratiam.

« Quæres 2° an Baptismus reviviscens conferat effectum omnem, quem conferre solet, cùm piè recipitur. — R. videri quòd sic : ratio est quòd vix solida ulla afferri possit ratio, cur Baptismus ad unum potiùs effectum quàm ad alios reviviscat : unde non solùm vi ejus deletur originale vel actuale quod præcesserit peccatum, sed et pœna utrisque debita.

« Quæres 3° an Sacramenta, ablato obice rediviva, æqualem conferant gratiam, an verò majorem pro majoris dispositionis gradu. — R. æqualem hoc in casu conferri gratiam, eamque in infirmo gradu, qualis nimirùm confertur parvulis, qui sine ullâ suî dispositione baptizantur, docet Suarez, disp. 28, sect. 4; communior tamen est opinio contraria, quam sequitur Lugo, eâd. disp. 9, n. 71 et 73. Ratio est 1° quia cùm ex Tridentino, sess. 14, cap. 4, *contritionis motus ad impetrandam veniam peccatorum* concurrat, debet veniam hanc mereri de congruo : atqui dispositio quæ quidpiam meretur, plus meretur cùm major est, et minùs, cùm minor; ergo. 2° Quia ex generali ejusdem concilii doctrinâ, sess. 6, c. 7, gratia adultis confertur *secundùm propriam cujusque dispositionem*, adeòque inæqualiter, ubi inæqualis est dispositio : atqui actus quo tollitur obex in nostro casu, est vera et propria dispositio (non quidem ad Sacramentum, quod sinè dispositione illâ recipi validè potest, sed ad effectum Sacramenti). Tum quia quod esset dispositio in Baptismo præsenti, censeri debet dispositio in Baptismo præterito; utpote qui non habeat vim majorem ad remittenda peccata sine dispositione, quàm Baptismus præsens; tum quia per hujus dispositionem redditur efficax Baptismus, per cujus privationem fuerat inefficax : atqui nonnisi ob legitimæ dispositionis carentiam Baptismus fictè susceptus, inefficax fuerat; ergo necessum est ut id quo idem Baptismus redditur efficax, sit vera dispositio. Per vocem *efficax*, id tantùm intelligi volò quo posito tanquàm conditione, Baptismus effectum suum exercere potest.

« De solutione objectionum quas contra proponit Suarez, adi Lugo, ibid., n. 76, ne si metaphysicis istis diutiùs immoremur, graviora cogamur omittere. »

Quæres 4°, quænam dispositiones necessariæ sint ut reviviscant Sacramenta. — Resp. cum Collet « revocandum fictionem vel esse negativam, cùm quis bonâ fide existimat se esse dispositum, licèt reipsà dispositus non sit; vel positivam, quæ contraria dici potest, cùm quis quo baptizatur instanti, actum malum exercet, puta furando vel furari volendo res Ecclesiæ; vel privativam, cùm quis sciens et volens, ac proinde culpabiliter, caret dispositione necessariâ, puta actu detestationis erga peccata ante commissa; licèt nullum tunc aliud committat peccatum, quàm voluntariæ hujus omissionis. Sit jam

« Conclusio. Ut reviviscat Baptismus cum fictione positivâ receptus, requiritur vel contritio perfecta extra Sacramentum Pœnitentiæ; vel attritio cum eodem Sacramento. Ut verò reviviscat idem Baptismus cum fictione negativâ susceptus, sufficit attritio, seu contritio imperfecta.

« Prob. prima pars. Ut reviviscat Baptismus cum fictione seu obice receptus, necessum est ut fictio hæc auferatur : atqui fictio, cùm positiva est, auferri nequit nisi per contritionem vel perfectam extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel imperfectam cum eodem Sacramento. Ut enim auferri aliter non possit, sufficiunt duo : 1° Ut fictio hæc sit peccatum hominis baptizati; 2° ut nullum baptizati hominis peccatum tolli aliter possit, quàm per contritionem vel perfectam extra Sacramentum, vel imperfectam cum Sacramento : atqui utrumque constat : 1° Quidem fictio hæc est peccatum hominis baptizati; seu peccatum naturâ posterius Baptismo completo in suo esse. Peccatum enim fictionis consummatum est actio impediens virtutem Baptismi, seu obstans ne in instanti terminativo ipsius, operetur gratiam et remissionem peccatorum : atqui talis actio naturâ posterior est Baptismo; cùm priùs naturâ sit Baptismum esse, quàm virtutem ejus impediri posse; ergo. 2° Non minùs constat lethale hominis baptizati peccatum, quale est indigna Sacramenti contrectatio, non posse tolli nisi per contritionem vel perfectam cum voto Pœnitentiæ, vel imperfectam cum ipso Pœnitentiæ Sacramento; prout alibi cum Eccle-

siâ docebimus; ergo meritò supra docebat S. Thomas, quòd *fictio non removetur per Baptismum, sed per Pœnitentiam subsequentem.*

Prob. secunda pars : Si requireretur contritio perfecta ad reviviscentiam Baptismi cum fictione negativâ suscepti, pejor esset conditio hominis Baptismum cum fictione negativâ suscipientis, et qui deinceps non peccâsset, quàm suscipientis vel cum fictione positivâ, vel cum negativâ, quam deinceps subsecutum esset grave aliquod peccatum : hi enim justificari possent per contritionem imperfectam cum Sacramento, cujus ratione peccati Baptismum subsequentis capaces essent; ille verò, utpote Sacramenti Pœnitentiæ incapax, quia ex hypothesi nullam post receptum Baptismum, noxam admisisset, nonnisi per contritionem perfectam justificari posset : atqui absurdum consequens; ergo, etc.

« Prob. 2° : Quia non alia requiritur dispositio ut reviviscat Baptismus, quàm quæ requiritur ut primò vivat : atqui ut primò vivat requirebatur solùm contritio imperfecta; tum quia hæc sufficit in Sacramento Pœnitentiæ, quod ad minus tantùm requirit dispositionis, quantùm Baptismus; tum quia id expressè docet S. Thomas in 4, dist. 6, q, 1, art. 3, ad 5, ubi sic : *Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo suscipiendam, præexigitur fides; sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.*

« Utrùm autem attritio hæc initiali charitate informata esse debeat, res est operosi momenti, quam non antè expendemus quàm noster nos labor ad pœnitentiæ Sacramentum deduxerit. Hic annotare sufficiat secundam hanc nostræ conclusionis partem esse intelligendam de ficto negativè, qui mortaliter non peccaverit post Baptismi susceptionem; aliàs eadem ei necessaria foret ad reviviscentiam dispositio; quæ ficto positivè : quia peccatum grave Baptismo posterius nonnisi consequenter ad contritionem vel imperfectam in Sacramento, vel perfectam extra Sacramentum dimitti potest de viâ communi.

« Obj. contra primam partem : 1° Potestas clavium non se extendit nisi ad peccata post Baptismum commissa, prout docet Tridentinum, sess. 14, cap. 1, 2 et 5 : atqui fictio positiva non est crimen post Baptisma perpetratum; ergo non potest eâ virtute clavium deleri. — R. dist. min. : Fictio tantùm inchoata non est crimen post Baptisma perpetratum, concedo; fictio consummata, de quâ loquimur in præsenti, nego. Itaque si quis ad Baptismum accederet cum voluntate non dolendi de peccatis actualibus quæ per totam vitam commisit, et ante ultimum instans in quo completur Baptismus in suo esse, voluntatem hanc retractaret; tamque de eâ, quàm de aliis à se admissis facinoribus doleret, quantùm sufficit; quod licèt difficilè fieri tamen absolutè potest; jam fictio hæc per Baptismum unà cum aliis peccatis deleretur; neque obnoxia esset clavibus Ecclesiæ, utpote quæ non foret opus hominis baptizati. Verùm aliud est de fictione consummatâ; hæc enim cùm sit profanatio Sacramenti, est opus membri Ecclesiæ; ac proinde non aliâ deleri potest viâ, quàm quæ instituta est ad delenda fidelium peccata. Porrò conclusio nostra nonnisi de postremâ hâc fictionis specie procedit.

« Obj. 2° : Baptismus reviviscit sublato obice : atqui ex concessis obex fuit tantùm defectus attritionis; ergo positâ attritione solâ, ponetur et effectus Baptismi. — R. dist. min. : Fuit tantùm defectus attritionis, sed voluntarius ac proinde lethaliter gravis, concedo; fuit tantùm defectus involuntarius, nego. Itaque cùm attritionis defectus in positivè ficto sit culpa mortalis, necesse omninò est ut ea remittatur vel per Baptismum, vel per contritionem perfectam cum voto Pœnitentiæ, vel per contritionem imperfectam cum Pœnitentiæ Sacramento actu recepto : atqui culpa hæc per Baptismum quo naturâ posterior est, remitti nequit; ergo superest ut vel remittatur per contritionem perfectam, etc.; quapropter quòd hic non sufficiat attritio sola, hinc oritur quòd hæc nunquàm sufficiat ad justificationem sine Sacramento vel Baptismi vel Pœnitentiæ; unde quia jam sufficere nequit cum Baptismo, cujus vis ad peccata seipso posteriora non extenditur, necessum est ut vel jungatur cum Sacramento Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam compensetur.

« Inst. : Tam Baptismus per attritionem puram reviviscens, poterit fictionis peccatum remittere indirectè, quàm Pœnitentia indirectè remittere possit peccatum oblitum : atqui, etc. — R. neg. maj. : Pœnitentia enim utpote instituta ad remittendum quodcumque peccatum Baptismo posterius, ad ea etiam extendit se peccata, quæ inculpatè è memoriâ exciderunt; neque alioqui sat consultum esset hominis saluti, cùm plerùmque impossibile sit ut delicta quæcumque sua quoad numerum et species sibi revocet in animum : at verò Baptismus nullam prorsùs vim habet ad delenda peccata post suî susceptionem commissa; unde si desit contritio perfecta, vel attritio cum Sacramento, nec tolletur fictio, nec originale peccatum.

« At, inquies, Baptismus cum obice positivo receptus, non minùs habet efficaciæ, quàm si receptus sit cum obice negativo; ergo si sufficiat attritio ad tollendum obicem negativum, et hæc quoque sufficiet ad tollendum obicem positivum. — R. neg. conseq., quia obex positivus importat peccatum ad quod non extendit se efficacia Baptismi : porrò obex negativus tale peccatum non involvit.

« Obj. 3° : Eucharistia indirectè remittit peccatum originale in homine solùm attrito, qui bonâ fide credit se esse baptizatum; ergo et Baptismus reviviscens similiter remittet attrito peccatum fictionis, saltem si illud non occurrat memoriæ ipsius. — R. dato antecedente de quo alibi, neg. conseq.; disparitas est quòd Eucharistia, ut et alia vivorum Sacramenta, secundariò instituta sit, ut gratiam primam conferat, adeòque ut deleat peccata omnia priùs admissa, cùm nullum grave peccatum in eodem subjecto subsistere possit unà cum gratiâ sanctificante : at verò Baptismus nullo modo institutus est ut peccata post suî re-

ceptionem commissa deleat. Quapropter fictio quæ cuipiam prorsùs è memoriâ exciderit, indirectè tolletur per pœnitentiam, cum aliis quæ deinceps commiserit peccatis; aut saltem per contritionem, vel charitatem perfectam, quæ in eo supponi facilè posset; qui nullum à tempore Baptismi fictè recepti grave peccatum commisisset.

« Objiciuntur duo contra secundam partem: 1° Quòd tollere fictionem, sit tollere peccatum; peccatum autem solà attritione tolli non possit; 2° quòd dispositio subsequens non possit esse dispositio ad reviviscentiam Baptismi: porrò attritio in nostro casu est dispositio subsequens Baptismum, utpote jam præteritum. Verùm hæc nihil urgent. Unde — R. ad 1, neg. maj., quia cùm fictio purè negativa non sit peccatum, qui eam tollit, peccatum non tollit, sed ponit conditionem, quâ inductâ peccatum tam actuale quàm originale per Baptismum tolli debet. — R. ad 2, neg. maj.: Etsi enim dispositio Baptismum subsequens, nec sit nec esse possit dispositio ad Baptismum, quia dispositio debet prior esse formà ad quam disponit, est tamen dispositio ad illius effectum quem obex suspenderat. Et verò attritio post Baptismum se habet, ut attritio ante Baptismum: atqui attritio ante Baptismum non se habet ut dispositio ad Baptismum, cùm is sine illâ verè subsistat; sed solùm ut dispositio ad ejus effectum; ergo attritio post Baptismum est tantùm dispositio ad ejus effectum. Jam verò nihil obstat quominùs id quod sufficiens erat dispositio ad effectum Baptismi nondùm suscepti, sit et ad ejus jam suscepti effectum dispositio.

« Neque tamen sufficiet attritio hæc ad tollendam fictionem positivam; quia hæc utpote Baptismo posterior, non aliter auferri potest quàm peccata cætera post Baptismum commissa. »

Quod spectat Sacramenta à Baptismo distincta, quamvis nonnulli moveant difficultatem, probabilior, aut saltem tutior est sententia docens iisdem tantùm mediis obicem removeri posse, quibus peccata mortalia vulgò tolluntur; id est, aut contritione perfectâ, aut attritione cum Pœnitentiæ Sacramento.

§ 3. *An et quatenùs liceat Sacramenta indignis administrare.*

(Totus hic paragraphus ex Petro Collet desumptus est.)

Not. 1° duo secerni genera peccatorum: alii sunt publici, alii verò occulti. Publici tales sunt vel publicitate seu notorietate juris, vel publicitate facti. Publici peccatores publicitate juris ii dicuntur, quos nefarium quid egisse constat vel per propriam eorum in judicio confessionem, vel per depositionem testium, vel per sententiam judicis. Publici evidentiâ seu notorietate facti, ii sunt qui crimen aliquod coram tot testibus commisêre, ut crimen illud jam nullâ tergiversatione in totâ viciniâ celari possit. Circa quod consule quæ diximus ubi de Censuris, 1 part., c. 5, p. 126, aliàs 125.

Not. 2°: Peccator seu occultus seu publicus vel publicè seu coram frequenti cœtu Sacramentum petit, vel occultò, id est, solus à solo.

Conclusio I. Peccatori undecumque notorio Sacramenta etiam publicè petenti negari debent, exceptâ tamen Pœnitentiâ, et nonnunquàm Matrimonio.

Prob. 1° ex his Christi verbis, Matth. 7: *Nolite dare sanctum canibus*, quæ Eucharistiæ potissimùm à Patribus accommodantur, unde et is Ecclesiæ cantus: *Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum, non mittendus canibus*: atqui per canes designantur *peccatores manifesti*, prout expressè docet S. Thomas, 3 p., q. 80, a. 6, et cum eo unanimis theologorum chorus; quapropter citatum Hymni versum sic reddidêre Regii-Portûs interpretes: *Loin le pécheur brutal, c'est le pain adorable des enfants, non des chiens.*

Prob. 2°: Si peccatoribus publicis Sacramenta administrari possent, iis præsertim qui cùm in supremo sint reipublicæ gradu, ut per favorem Ecclesiæ opitulari, sic et per odium nocere possunt: atqui tamen ne his etiam, quidquid exitûs res habere possint, Sacramenta conferri licet, statim ut sunt publicè peccatores. Prob. min. ex S. Chrysostomo, hom. 83 in Matth., ubi sic Sacramentorum dispensatores compellat: *Non parva vobis imminet ultio, si quemquam illius improbitatis conscium hujus mensæ participem esse concedatis. Sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis dux militiæ sit, sive præfectus, sive princeps diademate coronatus, indignè ne accedat prohibe. Sed unde, inquies, ego illum atque illum, qualis sit cognoscere possum? Non de ignotis, sed de notis hæc disputo.*

Prob. 3° quod universis mundi catholici ritualibus ante annos non plus 40 severè interdictum erat, ut menti Christi et Ecclesiæ adversum, non potest haberi hodiè ut inculpatum quid aut indifferens: atqui ante annos non plus 40 universis mundi catholici ritualibus severè interdictum erat, ne peccatori cuicumque notorio darentur Sacramenta. Factum hoc docebit vir eruditus adæquè et parùm suspectus Bernardus Van-Espen: sic ille juris sui, part. 2, tit. 4 de Eucharistiâ, c. 2, n. 20: *Cùm ergo ritualia atque synodalia decreta velint* UNIVERSIM *publicos et notorios peccatores à communione repelli, manifestum est à verbis et mente Ecclesiæ omninò deviare, qui hujusmodi peccatores non priùs volunt esse repellendos, quàm per sententiam judicis sint ut notorii peccatores declarati. Quasi non possint per notorietatem facti esse verè notorii et publici peccatores, antequàm per sententiam tales essent declarati. Nam fortè scandalum non esset... aut Sacramentum... non daretur canibus, si notoriis peccatoribus notorietate facti administraretur publicè Eucharistia, quamvis necdùm per sententiam domini officialis ut tales condemnati essent?*

Quod dicit laudatus canonista *universim* hìc conspirare cum synodis libros rituales, probari facilè possit: sed ne in re minimè dubiâ ludamus operam, horumce librorum, quibus regere se debent Sacramentorum ministri, aliquot appellabimus. Rituale Remense à Carolo Mauritio Le Tellier editum, an. 1677, hæc habet: *Et d'autant que le Seigneur défend dans l'Évangile de donner le Saint aux chiens, nous défendons à tous curés et vicaires d'admettre à la participation de la sainte Eu-*

charistie les pécheurs publics, jusqu'à ce qu'ils soient corrigés, qu'ils aient fait pénitence, et réparé le scandale qu'ils auront causé. Et nous estimons pécheurs publics ceux qui sont notoirement excommuniés ou interdits, les concubinaires publics, les usuriers publics, les magiciens, les sorciers, les blasphémateurs publics, les ivrognes, les bateleurs et farceurs, les femmes publiques connues pour être de mauvaise vie, les duellistes, ceux qui nourrissent des inimitiés publiques, et qui ne veulent point se réconcilier; ceux qui retiennent notoirement et injustement le bien d'autrui, et qui ne veulent point le rendre..., et généralement tous ceux qui sont engagés en quelque crime notoire et scandaleux. Ibi lex universim et indistinctè loquitur.

Rituale Alectense quod edi curavit Nicolaus Pavillon, an. 1667, instruct. 5 de Eucharistiâ, sic interrogat et respondet, pag. 74 : *Qui sont ceux qui ne doivent pas être admis à la sainte communion? Ce sont ceux qu'on sait publiquement en être indignes, comme sont les excommuniés, les interdits, les infâmes; par exemple ceux qui sont reconnus pour concubinaires, les usuriers*, etc.

Rituale Parisiense emissum à Lud. Ant., card. de Noailles, pag. 59 : *Fideles omnes*, inquit, *ad sacram communionem admittendi sunt, exceptis iis qui justâ ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt notoriè excommunicati, interdicti, manifestèque infames, ut meretrices, concubinarii, comœdi, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis peccatores, nisi de eorum pœnitentiâ et emendatione constet, et publico scandalo priùs satisfecerint.* Meritò igitur Pontasius, verbo *Pécheur public*, cas. 1, in hæc scribit verba : *Le Rituel Romain et tous les autres, ne distinguent point entre la notoriété de droit et la notoriété de fait, et veulent qu'on refuse la sainte communion à tout pécheur public, tel qu'il soit : la notoriété de fait ne l'en excluant pas moins que celle de droit, ainsi que le portait la célèbre décision signée par trente docteurs de Sorbonne, à la réquisition de M. Pavillon, évêque d'Alet.* Huic Parisiensium theologorum decisioni consonat alia Lovanensium, apud Van-Espen, ibid., pag. 332.

Prob. 4° : Si nunquàm sufficiat facti publicitas ut quis arceatur à Sacramentis, non poterit arceri à synaxi sacrâ mulier quæ vultûs pectorisque immodestiâ lasciviam spirat; non ebriosus qui à mane in vesperum potat, obscœna canit, et tripudiat in popinis; non is qui fraterno quem palam fudit, cruore madidus, Christi mysteria postulare audet : atqui hæc tam absurda sunt, tam à pietate aliena, quàm quæ maximè; ergo. Qui plura de hoc argumento volet, adeat Consultationes canonicas Petri Gibert, tom. 1, consult. 12, quod opus non sine magnificis encomiis approbârunt quatuor iique non Molinistæ Sorbonici doctores.

Ergo, inquies, valet in Galliâ publicitas facti. Valet utique in iis quæ juris sunt divini, et contra quæ nullâ humanâ lege præscribi potest; quale istud ne margaritæ projiciantur ante porcos. Valet et in iis quæ ex constanti usu quamdam induunt notorietatem juris, ut cùm agitur de negandâ duellistis aut comœdis sepulturâ ecclesiasticâ; valet et quantùm ad reservationem casuum quorumdam, qui nisi publici sint, non reservantur. Sed non valet quantùm ad alios innumeros casus, ad quos ab Ultramontanis extendi solet. Sic nec excommunicatos, nisi denuntiati sint, fugere tenemur, nec notorios clericorum percussores, etc. Sic non ipso facto à beneficiis suis excidere credimus plures etiam scelestos, qui iisdem illicò privati censentur extra Galliam, etc. De his plura et eruditè congesta videris apud eumdem Gibertum, ibid., p. 121 et seq.

Quod diximus nullâ humanâ lege præscribi posse adversùs ea quæ juris sunt divini, absit ut eo sensu dictum intelligatur, quòd exstet aliqua in regno lex unde suspicio hæc induci queat. Notæ sunt eæ christianissimi regis declarationes : *Nous sommes bien éloignés de vouloir soumettre la religion à l'autorité séculière, ou autoriser ceux qui forceraient les ministres de Jésus-Christ à donner la communion à des gens notoirement rebelles aux lois de l'Église et de l'état.*

At, addes, an non præsumi potest concubinarium qui ad Eucharistiam accedit, à peccato tandem resipuisse? — R. cum Giberto resipiscentiam hanc non supponi, nisi factis et idoneâ morum conversione probetur, præsertim verò ejectione concubinæ. Etverò si conversus supponeretur quicumque accedit ad Sacramenta, non possent hæc negari comœdis; et hos enim ritè conversos supponi oporteret. Deinde quoti ad Sacramenta accedunt, ut vulgatam impietatis suæ famam abstergant, si possint? Quoti, quia non satis mysteriorum nostrorum dignitatem compertam habent? Quoti, quia hominem benè vel malè confessum peccata, ab iis statim mundari existimant? Aliud sanè S. Carolo Borromæo visum est, cùm hæc parochis documenta dedit, tit. *Qui ad sacram communionem admittendi sunt : Neminem publicis peccatis irretitum ad communionem recipiet parochus, ni i priùs scandalo publico satisfecerit; etiamsi absolutionis à pœnitentiariis, aut confessoribus etiam regularibus acceptæ testimonium produxerit.*

Saltem, inquies, erunt iis Sacramenta conferenda, quibus ea conferri jubebit magistratus : huic enim obtemperandum est : *Non enim*, ait Optatus Milevitanus, lib. 3, *respublica est in Ecclesiâ, sed Ecclesia in republicâ est.* — R. seculares magistratus nihil habere juris in ea quæ vel ad fidem, vel Sacramenta pertinent. Qui ergo eò venirent temeritatis ut vel hæretico, vel usurario notoriis Eucharistiam dari præciperent, brevi istâ Apostolorum voce essent reprimendi : *Si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Deum*, qui foris canes esse voluit, *judicate.* Act. 7, 19.

Nec nocet desumpta ab Optato sententia, quam, ut loquitur Gabriel Albaspinæus, *mirificè extollunt homines illi qui rebus student novis; putantque hujus sensum esse, imperatores non Ecclesiæ, sed Ecclesiam eis subditam esse.* Neque enim credidit Optatus Ecclesiam quoad sacra sua subjectam esse principibus, sed contra Do-

natum ostendit orandum esse *pro regibus et potestatibus*, ut ii tueri pergant Ecclesiam quæ *est in republicâ, id est, in imperio Romano*, ibiquè longè magis tuta est, quàm si esset *in gentibus barbaris*, apud quas nec *sacerdotia sancta* nec *pudicitia et virginitas, tuta esse possent*. Meritò igitur Illust. Cameracensium archipræsul Franciscus de Fenelon, in extemporaneâ oratione quam præmisit consecrationi Josephi Clementis de Bavariâ, hæc facundè eloquebatur : *L'Église, il est vrai, est dans l'état, pour obéir au prince dans tout ce qui est temporel. Mais elle n'en dépend jamais pour aucune fonction spirituelle...; elle est en ce monde pour le gouverner par rapport au salut... Le monde, en se soumettant à l'Église, n'a point acquis le droit de se l'assujétir. Les princes devenant les enfants de l'Église, ne sont point devenus ses maîtres*, etc. Atque idipsum est quod toties et præ cæteris palàm attestati sunt reges christianissimi : sic Ludovicus Magnus in celebri an. 1695 edicto de Jurisdictione ecclesiasticâ, art. 34 : *La connaissance des causes concernant les Sacrements..... et autres purement spirituelles, appartiendra aux juges d'Église : enjoignons à nos officiers, et même à nos cours de parlement, de leur en renvoyer la connaissance*, etc.

Conclusio nostra quantùm in se indubia est, tantùm in praxi cautionis exigit et prudentiæ. Cavendum itaque et summoperè cavendum, 1° ne pro notorio habeatur, quod vel paucis cognitum sit, vel rumoribus nixum incertis, vel solâ vulgi credulitate aut imperitiâ fundatum. Idque etsi in pluribus locum habere potest, habet præsertim in iis quæ pertinent ad sortilegium, magiam, et quandòque hæresim; 2° ubi sentit parochus fieri posse ut ad Sacramenta accedat quis suspectæ famæ, æquum est ut eum amicè conveniat; moneat de ipso spargi multa, quæ tetri quid moribus ejus inurant; hortetur ut scandali causas resecet; 3° et id curare debet ut è suggestu, nemine tamen designato, contra eos insurgat, qui et impii sunt, et ne pro impiis habeantur, accedere volunt ad Deum, *quasi gens quæ justitiam fecerit;* 4° non deferat Eucharistiam, cum periculo tumultûs et scandali, putà si notorius adulter necdùm, ut potest, pellicem è domo ejecerit; 5° non habeat ut notorium in hoc vico peccatorem, qui tantùm notorius sit in alio, præsertim, ait Sylvius hìc, q. 80, art. 6, si fama criminis non videtur eò facilè perventura; 6° ubi viderit peccatorem tergiversatione aliquâ non improbabili idæam criminis à se propellere, consulat episcopum, et in dubiis mandata ejus exequatur; ne dùm scandalo vult occurrere, scandalum innectat gravius, et incerta colligendo zizania certum eradicet triticum.

Idcircò consultus Gibertus an pro publicis peccatricibus habendæ essent moniales, quæ longam æstatis partem quotannis transigebant in villâ et extra claustrum, idque ob causas reipsà futiles, respondit iis Sacramenta, si publicè peterent à parocho, neganda non esse. Etsi enim præsumi poterat moniales illas excommunicationem incurrisse, quia sine necessariâ episcopi licentiâ exierant è claustro, tamen et id quoque poterat præsumi, easdem non exiisse sine superioris conventûs licentiâ, quàm sufficientem existimarent. Accedebat plures in parochiâ esse qui nihil hìc suspicarentur mali; ac demùm difficile esse ut is monialium exitus lateret episcopum, à quo proinde si non probaretur, neque etiam videbatur improbari; unde et interrogandus erat quid facto opus esset quoad Sacramenta.

Excepi in conclusione à regulâ communi Pœnitentiam et identidem Matrimonium. De Pœnitentiâ constat neminem ab eâ repelli debere, cùm hæc pro iis potissimùm instituta sit qui laborant et onerati sunt. Vetat quidem Bonifacius VIII, cap. 2, *de Usuris*, in 6, ne manifesti usurarii *ad confessionem* admittantur, *nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent idoneam cautionem*; verùm haud satis scio num ea lex vigeat apud nos.

Quod ad Matrimonium pertinet, constat et ab ipso communiter arcendos esse eos à quibus palam profanaretur, prout resolvit auctor Collat. Paris., tom. 1, lib. 2, coll. 4. Unde card. Noalius approbavit agendi rationem cujusdam è parochis suis, qui puellam cum homine lubricis cantibus, gallicè *Opéra*, deserviente maritare renuerat, donec is spopondisset futurum ut periculoso huic exercitio nuntium mitteret perpetuum.

Est tamen in usu positum ut apud Germanos, ubi mixti hæreticis vivunt Catholici, alii aliis connubio jungantur. Verùm seu matrimonia hæc sint vel non sint Sacramenta, constat exceptionem hanc ad alios casus extendi non debere. Admitti quidem ad matrimonium solent qui quas in concubinas habuêre in uxores habere jam volunt; sed quia sic crimen ejurare censentur : an autem illud de facto et in corde ejurent, expendet sagax confessarius, eique prodesse poterunt quæ à nobis dicta fuêre ubi de Confessariorum obligationibus.

Sed quid si publicus peccator emendatus sit, sed nondùm publica sit ejus emendatio; poteritne minister, cui de ejus pœnitentiâ constat, eidem privatim Sacramenta largiri? Poterit, imò et coram nonnullis assistentibus, qui peccatoris conversionem noverint ut ipse. Ut tamen vitetur scandalum, curandum erit ut non ante spargatur communionis rumor quàm disseminatus fuerit rumor pœnitentiæ, aut saltem ut utriusque fama pari gradu et modo diffundatur.

Conclusio II. Peccatori occulto occultè petenti Sacramentum negari debet, nisi minister peccatum ejus rescierit per confessionem. Idem faciendum, si coram iis petat quos de crimine ejus certiores factos esse constet.

Prob. tum ex Rituali Romano, ubi sic : *Occultos peccatores, si occultè petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat;* tum quia hæc agendi ratio, neque scandalo est adstantibus, qui cùm petentis improbitatem novisse supponantur, ægrè ferrent Sacramenta ab eo impiè profanari; nec detrimentum affert petenti, cui et detrahitur occasio consummandi exteriùs sacrilegii, et nihil deperit famæ, cùm jam ab eâ exciderit; tum denique quia impietati cooperatur mini-

ster qui non obstat eidem, cùm sine ullâ juris alieni læsione obstare potest.

Dixi, *nisi minister peccatum didicerit in confessione*, quia quæ confessionis solius viâ sciuntur, pro exteriùs ignoratis haberi debent, præsertim cùm indè imminet rubor aut confusio pœnitenti. Unde, ait Henno, si sacerdos nonnisi *confessionali scientiâ* didicerit Titium peccatorem esse publicum et scandalosum, nequidem eum tunc, etsi solus sit cum solo repellere poterit. Aliter tamen sentiunt nonnulli, quos *magni nominis* viros appellat Habertus : at si opinionem eorum non improbat, sed nec approbat expressè ; unde et hanc solùm apponit limitationem : *Saltem*, inquit, *monendus videretur, qui minùs ex malitiâ quàm ex simplicitate Eucharistiam sine teste peteret : constat enim experientiâ rudiores, expletâ confessione, pro more ad sacram mensam pergere, non attendentes fuerintne absoluti, necne. In quo casu, ubi supponitur nullum esse periculum infamiæ aut scandali, sacerdos potest quærere ab hujusmodi homine, num absolutionis beneficium fuerit consecutus.* Hæc ille, de quibus agemus nos ubi de secreto confessionis.

Conclusio III. Peccatori occulto Sacramentum publicè patenti, negari non debet. Ita passim theologi, qui, ut notat Lugo, disp. 8, n. 168, varias in id astruendum congerunt rationes, quæ parùm vel difficilè convincunt. Itaque

Probant 1° aliqui, quia peccator occultus jus habet ne infametur : porrò infamaretur si palam à sacrâ mensâ abigeretur.

Sed contra : Non plus habet juris peccator occultus ne infametur, cùm alioqui gravis Sacramenti injuria averti nequit, quàm habeat jus ne infametur, cùm de avertendo meo aut alterius temporali damno agitur : atqui fur occultus, v. g., non habet jus ne infametur, cùm aliter meum aut proximi damnum temporale averti non potest. Unde ubique licitum est eum qui gemmam meam occultè aufert, palam inclamare furem, ut restituat ; ergo à fortiori.

Probant 2° alii exemplo Salvatoris, qui Judæ corpus suum ut et aliis Apostolis porrexit. Verùm probatio hæc, nisi aliundè muniatur, non videtur omninò efficax : 1° quia Christus indubiè poterat Judam infamare, suumque ei corpus negare ; ergo, nisi quid aliud obstet, idem poterunt ministri ejus ; 2° quia qui semel gravem patitur injuriam, non ideò docet velle se eam semper pati.

Prob. itaque et fortè melius in hunc modum : quod Christus ipsâ suâ praxi prohibuit, et prohibere debuit, inculpatè fieri non potest : atqui Christus ipsâ suâ erga Judam praxi prohibuit ne peccatoribus occultis negarentur Sacramenta, et id prohibere debuit. Quòd prohibuerit patet ex totius Ecclesiæ sensu, quæ Christi actionem sic semper interpretata est, ut nusquàm non crediderit peccatores occultos à sacris mysteriis abigi posse : unde id tanquàm aliquid ubique observatum tradit Augustinus, homil. 50, ubi sic : *Nos verò à communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut spontè confessum, aut in aliquo sive seculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Jam verò quod id debuerit Christus prohibere, sic suadetur. Christus Ecclesiam suam sic instituere debuit, ut Sacramentorum participatio et bonis libera foret, et pusillis atque improbis non esset penè quotidiana ruinæ spiritualis occasio ; hæc enim incommoda si politici legislatores à subditis suis arceant, quantò plus à suis arcere debuit Dominus et legifer noster : atqui si peccatoribus occultis Sacramenta denegare liceret, jam nec eorum participatio etiam bonis libera foret ; essetque insuper penè quotidiana ruinæ spiritualis occasio pusillis et malis. Quoti enim etiam conscientiæ puræ à cœnâ sanctâ abstinerent, ne ab improbo ministro cujus odium incurrissent ejicerentur ? quoti ejicerentur de facto, non quia mali, sed quia ob virtutem suam malo parocho displicerent ? quoti ne ejicerentur, miseris Sacramentorum nundinatoribus pecuniam et munera offerrent ? quoti ejicerentur ob culpam levem, quæ imperito vel malè affecto pastori gravior videretur, quàm in se sit ? quoti ab uno publicam repulsam passi, ab alio statim non sine gravi simultatum periculo, publicè admitterentur ? quoti ob minus crimen expulsi, venirent in suspicionem gravioris noxæ de quâ ne cogitârunt quidem ? Profectò quisquis isthæc, et alia quæ menti facilè occurrent, incommoda pensaverit, sentiet Ecclesiam modico tempore nihil nisi puram Babylonem futuram esse, si cuivis quemlibet ob privata delicta à sanctis mysteriis extorrem facere liceret. Ergo exigebat sapientia Christi ut res constitueret eo modo quo nunc in Ecclesiâ suâ constitutæ inveniuntur.

Obj. 1° : Peccat graviter qui alteri graviter peccandi materiam præbet ; sed qui indigno cuivis Confirmationem, v. g., aut Eucharistiam administrat, ei gravis peccati materiam præbet ; ergo. — R. 1° : Patet ex mox dictis eum qui negaret Sacramenta non unius tantùm sed et multiplicis ruinæ causam esse futurum ; quatenùs scandala, judicia temeraria, detractiones, calumnias, et, ut probabile est, ipsius demùm Ecclesiæ subversionem procuraret. Resp. 2° eum qui peccato infectus ad synaxim sanctam accedit, jam intus sacrilegii interioris reum esse, sicut adulterii reus est qui mulierem alterius in corde concupiscit. Exterioris autem sacrilegii consummatio, etsi pro viribus impediri debet, non tanti est ut cum bonorum omnium subversione debeat impediri. Unde — R. 3°, dist. maj. : Non licet præbere alteri materiam necessariam peccandi, concedo ; materiam liberam, subdistinguo ; non licet sine gravi causâ, concedo ; cum causâ gravi, nego. Itaque non licet eam peccandi materiam præbere, quâ quis uti sine peccato non potest, quia hæc involvit peccatum tum illius cui præbetur, tum et illius qui præbet. Sic non licet puellæ, quò patris et matris internecionem removeat, stupratoris libidini cedere. Verùm licet, nec rarò licet præbere materiam quâ quis ad peccatum non nisi ex malitiâ usurus est. Sic licet uxori reddere debitum marito, qui non amore prolis, sed solius voluptatis intuitu debitum petit. Licet avaro reddere pecuniam, quâ is ad gravandum

usuris pauperem usurus est; licet ab impio ministro petere Sacramenta, quæ sacrilegè dabit : quia æquæ suppetunt sic agendi causæ.

Obj. 2° ex Lucio III, cap. 5, *De temporib. Ordinat.*: Potest superior ab ordinibus arcere eos quorum *commissa secreta noverit;* ergo potest quis et ab aliis Sacramentis ob culpam secretam arceri. — R. neg. conseq. : Disparitas est, quòd exclusio ab ordinibus nullum absolutè loquendo post se incommodum trahat, cùm excludi ab ordinibus possit quis etiam innocens; at verò generalis Sacramenta ob culpas latentes denegandi facultas, tot inveheret mala, ut penè certam Ecclesiæ ruinam portendere videretur.

Inst. : Non plus juris habet peccator ad Eucharistiam, quàm alius quilibet ad ordines; ergo ut is, sic et ille repelli potest. — R. Neg. conseq. : Non enim eò præcisè peccatorem occultum à Sacramentis arceri debere negamus, quia is ad ipsa jus habeat saltem ex naturâ rei; sed quia positâ, ut est, Ecclesiæ constitutione, publica peccatoris hujus exclusio innumera inveheret mala sponsæ Christi, adeòque et ipsi Christo longè funestiora, quàm indigna Eucharistiæ contrectatio. Adde Ordinum collationem semper in Ecclesiâ liberam fuisse; quod de Eucharistiâ dici non potest : unde peccator plus reipsà juris habet, si non ad Eucharistiam, saltem ne ab eâ arceatur, quàm homo quilibet juris habeat ad ordines.

Obj. 3° : Nunquàm licet dare sanctum canibus; cùm id adversetur præcepto, quod utpote negativum obligat semper et pro semper : atqui peccator etiam occultus est canis; publicitas enim nihil immutat in re; ergo. — R. 1° hinc sequi peccâsse Christum, qui juxta SS. Patres, paucis exceptis, corpus suum dedit proditori Judæ. R. 2°, dist. maj. : Non licet dare sanctum canibus, quos Christus à sancto excludi voluerit, concedo; quos Christus noluerit excludi, nego. Porrò ex dictis constat Christum nonnisi manifestos peccatores exclusisse à perceptione corporis sui. Unde et hi soli canum nomine à Patribus intelliguntur. Utique occulti peccatores saltem exteriùs Christum revereri videntur; publici verò eidem insultant, aut insultare præsumuntur.

Hinc patet præceptum Christi negativum quidem esse, sed non generale prorsùs et absolutum; quod et aliis pluribus commune est : sic præceptum istud : *Non revelabis secretum* alterius, sub hâc intelligitur conditione, nisi justa causa exigat ut reveles. Idem est de isto : *Si quid voveris, ne differas reddere*, etc.

Obj. 4° : Non possum reddere gladium ei qui sese interimere vult; ergo nec Eucharistiam ei cui hæc mortem illatura sit. — R. neg. ant. generaliter intellectum. Si quis enim nisi gladium ei suum restituero, me meamque domum comburere velit, potero suum ei ensem reddere : quia tunc gravius impendet malum, quàm quod vitare velim; potissimùm verò iurgia, dissensiones, furibunda odia, pastorum, Sacramentorumque despectus, et ipsa paulatim Religionis extinctio.

nst. : Nullum est gravius crimen crimine indignæ communionis; ergo quidquid tandem evenire possit, nihil est quod non debeat tentari ut avertatur. — R. dist. ant., et crimen illud crimen est respectu indignè communicantis, concedo; et est crimen respectu ministri in nostro casu, nego. Certè si nihil prorsùs intentatum relinqui debeat, ut impediatur indigna Eucharistiæ receptio, haud ægrè sibi persuadebunt plures satius esse ut revelatur confessio hypocritæ, quàm ut is instar novi Judæ ad mensam Domini accedere permittatur. Id saltem indubiè permittent, qui cum auctore recenti censent licitam esse revelationem confessionis; cùm agitur de servandâ regis vitâ. Inde autem quæ totius Christianismi subversio!

Inst. 2° : Si res ita sit, concedenda erit Eucharistia ei qui certò scitur vel eam conculcaturus pede, vel ipsâ ad magicas artes usurus : atqui consequens ab omnibus theologis rejicitur, et meritò; ergo et rejiciendum antecedens. — R. neg. maj.: Disparitas est, 1° quòd Christus jure suo cesserit quantùm ad indignam suî receptionem, ut patet ex ipsius erga proditorem discipulum agendi ratione; non autem eo cesserit quantùm ad id ut pedibus conculcaretur; 2° quòd denegatio Eucharistiæ ei facta qui eâ ad magiam abusurus sit, non subjaceat gravibus incommodis quæ secum traheret ejusdem propter alia quæcumque occulta peccata denegandæ necessitas. Ecquis parochus nisi in casu qui evidentiâ clarior sit, magiæ usum, vel fixum conculcandi corporis Christi propositum cuipiam impingere ausit? Quis parochianus futuræ hujus accusationis metu non deterreatur à Communione? etc.

Obj. 5° : Qui Eucharistiam in loco sordido reponeret, non esset à gravi noxâ immunis : sed ponit eam in loco sordidis sordidiori, qui impio tradit; ergo. — R. dist. maj.: Qui poneret in loco sordido sine causâ gravi, concedo; secùs, nego. Unde si quis ne Eucharistia vel flammis tradatur ab impio Calvinistâ, vel pedibus atteratur, eam in sordido loco recondat, merebitur nedùm peccet.

Quæres 1° an non vitandæ impietatis causâ possit impio tradi hostia minimè consecrata. — R. negat. cum S. Thomâ ibid., q. 80, art. 6, ad 2, quia *sacerdos hoc faciens, quantùm in se est, facit idololatrare illos qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios præsentes, sive etiam ipsum sumentem; quia, ut Augustinus dicit in Psalm.* 98 : *Nemo carnem Christi manducet, nisi priùs adoret.* Unde consultus Innocentius III, *de incauto presbytero, qui cùm se* sciret *in mortali crimine constitutum; et missarum solemnia non* posset *propter necessitatem quamlibet intermittere, missam celebrare se* fingebat, *et suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem et vinum tantummodò purè* sumebat; his respondet verbis, cap. 7, de Celebrat. missar. : *Cùm falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora.... graviùs videtur offendere, qui sic fraudulenter illud mysterium præsumpserit simulare; cùm non solùm Deo, cui videtur illudere, sed populo quem decipit, se adstringat.*

Quæres 2° an relativè ad Sacramenta dignus cen-

scatur, quem non constat esse indignum : et utrùm minister aliquam adhibere debeat diligentiam, ut sibi moraliter constet de dignitate petentis? — R. non unam hic et parem pro Sacramentis omnibus regulam constitui posse. Quapropter inspicienda est cujuslibet Sacramenti conditio, et Ecclesiæ praxis. Itaque cùm agitur de Baptismo, qui Sacramentorum janua est, et hominem Dei et Ecclesiæ filium constituit, non ante eo adultum quemque initiare licet; quàm moraliter constet eum et instructum satis et ritè dispositum esse. Unde graviter delinquet etiam laicus; qui secùs fecerit, tum quia gravi alterius peccato cooperabitur; tum quia hoc ipso quòd Sacramentum hoc conferre vult, suscipit in se munus dispensatoris, adeòque et grave debitum fideliter dispensandi. Graviùs tamen peccaret minister consecratus; aut ad baptizandum specialiter deputatus ab Ecclesiâ.

In Confirmatione digni habentur quos præsentant parochi : qui à nemine præsentantur, rustici præsertim et inopes, ignari plerùmque rerum salutis, quandoque interrogandi an confessionem præmiserint; an non jam antè fuerint confirmati.

Quoad Eucharistiam, usu receptum est ut bonus præsumatur, cui nihil objici potest. Curandum tamen parocho ut in eorum qui de novo in parochiâ suâ domicilium figunt, vitam moresque inquirat seu per aliquos quibus fidere possit, seu per litteras aut aliter interrogando eum à cujus parochiâ transmigrârunt, an illic piè antea vixerint, an non incurrerint censuras, an quæ cum iis nomine uxoris habitat, uxor sit legitima. Imò sanxerat, an. 1456, synodus Langonensis graves ob causas *ut nulli se transferentes de unâ parochiâ ad aliam, per curatum in cujus parochiam transitum fecerint, ad Sacramenta ecclesiastica, sine litterâ certificatoriâ proprii parochi dimissi*, aut episcopi *vel officiariorum* ejus admitterentur. Verùm disciplina hæc, sicubi instituta est, servari debet, non debet propriâ parochi auctoritate introduci ubi nunquàm viguit; prout notat Gibert, tom. 1, de Sacram., consult. 7.

In Pœnitentiâ cujus minister agit ut judex, qui nisi causâ diligenter expensâ sententiam ferre non potest prudenter, sacerdos moralem adhibere debet diligentiam, ut statum et internam pœnitentis dispositionem comperiat, priusquàm absolvat eum vel liget.

In Unctione Extremâ sufficit ut sciat sacerdos moribundum vitam egisse christianam, vel si is fortè sit peccator publicus, aut paulò antè admiserit grave aliquod crimen, quædam exhibuisse doloris signa. Sed de his alibi.

Quod attinet ad ordines, tenentur episcopi ad eos non admittere nisi quorum *genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem* seu per se, seu per alios prudentes viros, peritos divinæ legis, ac in ecclesiasticis functionibus exercitatos diligenter investigaverint et examinaverint : ita præscribit Trident., sess. 23, de Reform., cap. 7.

In Matrimonio, quod ubi consummatum est, indissolubili vinculo alligat, et innumera inducit peccata, si vel invalidè, vel sine gratiâ sacramentali contrahatur, curandum est summoperè pastori, ut nonnisi habiles et ritè dispositos admittat. Circa parochorum obligationes fusè alibi diximus.

MERLIN VITA.

Merlin (Carolus) è societate Jesu in diœcesi Ambianensi, Lutetiæ defunctus in collegio Ludovici Magni, anno 1747, humaniores litteras theologiamque faustè admodùm professus est. In conclavi deinde secedens, iisdem privatim rebus incubuit, nec parvam ex labore laudem consecutus est.

Scripsit 1° *Tractatum historico-dogmaticum de Formâ Sacramentorum*, singulari eruditione elaboratum opus, quod in nostro de Sacramentis tractatu, absque gravis negligentiæ noxâ omittere non poteramus; 2° plures *Dissertationes*, pro majori parte in Trevoltiensibus Commentariis insertas; has inter præcipuè commendantur tum *Defensio* Honorii papæ præclarâ sanè doctrinâ necnon ad criticæ sanioris leges elucubrata; tum doctrinæ catholicæ circa *prædestinationem* nova *Expositio*, in quâ duas opiniones quibus hâc de re scinduntur theologi conciliare volens, asserit quòd prædestinatio bona hominis opera ac universim ipsius meritum antecedat, quanquàm nonnisi post aliquod virtutis experimentum, quale fuit, v. g., obedientia Abrahæ, pronuntietur. Quidquid sit de hâc sententiâ, quam multis Scripturæ sacræ locis, Patrumque ac theologorum necnon concionatorum celeberrimorum testimoniis fulcit auctor eximius, illud tamen inde potest erui documentum, nempe in his quæ opinionum, explicationumve aut systematum nominibus jactitantur, frustra tantas utrinque lites moveri, ac vehementer dolendam pertinaciam quâ quisque proprio sensui adhæret : quandoquidem duas inter propositiones contrarias sæpè medium occurrit ad verum magis vel minùs accedens, aut veritati etiam omninò consentaneum, quo perspecto, suspicari certè licet duas partes æquè in errore versari.

APPENDIX QUARTA.

TRAITE HISTORIQUE ET DOGMATIQUE

SUR LES PAROLES OU LES FORMES DES SEPT SACREMENTS DE L'EGLISE.

Préface.

J'avais communiqué à quelques personnes habiles les pensées qui me sont venues depuis longtemps, en examinant les divers sentiments des théologiens modernes sur la matière et sur la forme de la Confirmation, et sur plusieurs questions importantes qui regardent les sacrements. J'avais eu le bonheur de mériter leur approbation. Exhorté à mettre par écrit les principes, les autorités, et les faits qui avaient éclairé mes recherches, je me suis trouvé engagé dans un champ beaucoup plus vaste que je ne m'étais proposé d'abord; et j'ai composé une sorte d'histoire, dont le principal objet sont les paroles ou les formes des sacrements. Du caractère dont je connais ces personnes, qui se sont donné la peine de revoir mon ouvrage et d'en juger, je ne puis croire qu'elles veulent précisément me flatter, quand elles me disent que mes reflexions sont justes, qu'elles sont plausibles; et que si elles paraissent neuves, il serait étrange qu'elles le fussent véritablement. On estime donc que je dois les présenter au public, et que mes remarques pourront contribuer à éclaircir bien des points qui touchent la doctrine et l'Histoire ecclésiastique, et que les écrivains des derniers siècles, pour n'y avoir point assez pris garde, ont obscurcis. Les critiques modernes se sont, à mon avis, écartés de la voix simple qui conduit à la vérité dans les questions difficiles et délicates des Sacrements; parce qu'ils ont négligé de suivre fidèlement les traces de nos savants controversistes, et qu'ils ont surtout considéré d'un œil trop indifférent les endroits où les anciens maîtres de la religion parlent du secret des mystères. Ils n'ont pas vu que le silence sur les paroles ou les formes sacramentelles, comme on les appelle ordinairement dans l'école, est la principale partie de ce sacré secret.

CHAPITRE PREMIER.

Vérité de la loi qui défendait de mettre par écrit les formes sacramentelles.

Rien n'est plus connu que la Décrétale de S. Innocent premier adressée à Décentius, évêque d'Eugube, dans l'Ombrie. On y lit d'abord ces paroles : « Vous « avez assisté aux assemblées de notre Église, et vous « avez vu quel usage elle observe, soit dans la célé- « bration des mystères, soit dans les autres actions « secrètes, ce qui suffirait pour votre instruction. » Sur quoi M. l'abbé Fleury fait cette observation : *On voit ici comment les évêques apprenaient la pratique des sacrements par l'exemple et la tradition vivante.* On ne voyait point encore ni pontificaux, ni sacramentaires, etc. Mais surtout il n'était pas permis, même à un évêque écrivant à un évêque, d'énoncer les termes qui constituent la forme des Sacrements. S. Innocent marque bien quelle était la rigueur de ce précepte, en parlant ainsi de la forme du Sacrement de Confirmation : « Je ne puis dire les paroles, de peur que je « ne semble plutôt trahir les mystères, que répondre « à une consultation. *Verba dicere non possum, ne ma-* « *gis prodere videar, quàm ad consultationem respon-* « *dere.* » Venant ensuite à ce qui regarde l'Extrême-Onction il en supprime aussi la forme, et il ajoute : « Quand vous viendrez, je pourrai vous dire le reste « qu'il ne m'était pas permis de vous écrire. *Reliqua* « *verò quæ scribi fas non erat, interrogati poterimus* « *edicere.* »

Nous avons deux autres garants de ce précepte, l'auteur du livre de la hiérarchie ecclésiastique, et S. Maxime, martyr. Plusieurs savants se persuadent encore aujourd'hui que le premier est véritablement S. Denis l'Aréopagite. Les autres sont au moins obligés d'avouer que cet auteur est un écrivain du cinquième siècle, qui est le même siècle où S. Innocent était assis sur la chaire de S. Pierre; c'est-à-dire, que la rigueur de la discipline ecclésiastique sur le secret des mystères régnait dans tout le monde chrétien, et qu'en particulier la défense de mettre par écrit les paroles ou les formes sacramentelles était en ce temps reconnue et observée dans l'Église Latine et dans l'Église Grecque. « C'est un crime, dit S. Denis, « de communiquer par écrit les prières qui perfection- « nent les âmes, et d'exposer en public le sens caché « qu'elles renferment, et les vertus que Dieu opère en « elles; mais vous les apprendrez par des instructions « particulières et secrètes, comme notre sainte tradi- « tion l'enseigne et le prescrit (1). *Invocationes perfe-*

(1) Hier. Eccl., cap. 1.

« *ctivas nefas est scripto interpretari, et arcanum earum* « *sensum virtutesque quas Deus in iis operatur, in publi-* « *cum efferre; sed, ut nostra sacrosancta traditio docet,* « *eas secretioribus instructionibus hauries.* » S. Maxime, qui fleurissait au septième siècle, atteste dans ses notes sur les paroles de S. Denis, que le précepte et l'usage de ne point écrire les paroles sacramentelles était en vigueur de son temps. Et il est indubitable que l'observation de la même discipline n'a pas moins duré en Occident, où Rome veille avec tant de fidélité et de constance à la conservation des anciens usages. Voici les paroles de S. Maxime : *Vide ea quæ medio verbo aguntur, et verbo non scripto mysteria esse tradita.... Nota etiam non scriptis instructionibus divina nobis tradi.* On doit donc étendre à tout cet espace de sept siècles le même précepte et le même usage; et il n'y a pas lieu d'en attribuer l'origine à d'autres qu'à Jésus-Christ et à ses Apôtres. Jamais cette discipline ne fut plus nécessaire qu'au commencement du christianisme : nulle autre autorité que celle des fondateurs de la religion n'aurait eu le crédit de l'introduire tant chez les Grecs que chez les Latins : il appartenait aux premiers maîtres de la foi de concilier à ces paroles sacrées un si grand respect, qu'on aurait cru les profaner en les traçant sur le papier.

Ces textes, au reste, ne sont contredits par aucun écrivain des sept premiers siècles. Nous les voyons, au contraire, soutenus par plusieurs témoignages (1) de S. Basile, de S. Ambroise, de S. Augustin, cités par Estius. Ce théologien est presque le seul qui ait eu une attention particulière et convenable à la loi du secret des mystères, et qui ait été soigneux d'observer que la défense d'écrire les formes des sacrements était un des principaux articles de cette loi. Ceux qui l'ont suivi, ont eu trop peu d'égard à ses remarques (2). M. Vitasse et son continuateur raisonnent perpétuellement, comme s'ils ignoraient le précepte dont il s'agit. Le dernier s'en est pourtant souvenu sur la fin de son traité de la Confirmation; et il a senti combien cette difficulté dérangeait le système de ses opinions. Le parti qu'il a pris pour s'en débarrasser, est de supposer que la loi ou la coutume, comme il l'appelle, de taire dans les écrits ces mystérieuses paroles, n'était pas universellement observée durant les cinq premiers siècles, et qu'elle fut absolument abandonnée dans la suite (3). Si elle eût été universelle, dit-il, pourquoi S. Justin, dans sa seconde Apologie, a-t-il publié la forme du Baptême (4)? Pourquoi le même saint docteur n'a-t-il pas craint de révéler aussi aux païens les deux formes de l'Eucharistie (5)? Pourquoi l'auteur des Constitutions Apostoliques a-t-il transcrit la forme du sacrement de Confirmation, telle qu'elle était usitée de son temps

(1) Basil., lib. de Spir. sanct., cap. 27; Ambr., de his qui init., cap. ult.; Aug., multis in locis; Estius, lib. 1, dist. 1, art. 18.
(2) Vitasse, de Confirm.
(3) Just., Apol. 2.
(4) Ibid., page 42.
(5) Apost. Const., lib. 7, cap. 45.

parmi les Orientaux (1)? Pourquoi S. Augustin a-t-il déclaré quelle est la forme du sacrement de Baptême? Pourquoi Sévère, patriarche d'Alexandrie, n'a-t-il point fait difficulté d'exposer aux yeux de ses lecteurs la forme du Baptême ni celle de la Confirmation? Il y a d'autres objections plus plausibles et mieux fondées, qui ont échappé à l'érudition du continuateur : elles regardent la forme du Baptême. On trouvera bon que je diffère à y répondre parfaitement, jusqu'à ce que je traite de l'observation et de la durée de la loi, par rapport à ce sacrement. Devait-on juger que l'auteur des Constitutions Apostoliques ait confondu la véritable forme du sacrement de Confirmation avec une prière telle que le ministre la jugera convenable, et qu'on abandonne à son choix : *Hæc atque alia his consentanea?* que les usages propres des Orientaux se trouvent dans un écrit fait par un évêque de Rome, principalement pour l'utilité de son Église? Et sur quel fondement veut-on qu'une forme du sacrement de Confirmation, inconnue aux écrivains Orientaux de tous les temps, ait été autrefois usitée parmi eux? La vérité est que la loi du silence des paroles sacramentelles est religieusement gardée dans cet ouvrage par la suppression de la formule légitime et nécessaire au sacrement de Confirmation. On pourrait dire tout au plus que ces mots, *Hæc atque alia his consentanea*, sont mis pour la désigner et la rappeler à la mémoire. Pour ce qui est de Sévère, prétendu patriarche d'Alexandrie, on ne sait ni qui il est, ni en quel temps il a vécu. Quelques critiques assurent qu'on l'a confondu avec Sévère, usurpateur du siége d'Antioche. Et comment prouvera-t-on qu'on n'a pas plutôt confondu avec lui l'évêque d'un autre siége, qui portait le même nom, dans un siècle moins éloigné? Et d'ailleurs nous ne savons pas combien de temps a duré, dans l'église d'Orient, la loi du silence sur les paroles sacramentelles, pour ne pas dire que ce faux patriarche a évidemment changé la véritable forme de la Confirmation. Les autres preuves que notre docteur allègue ne sont pas meilleures. Quoi! parce que S. Justin a dit que (2) les chrétiens sont éclairés dans le Baptême par la mention qu'on y fait des trois Personnes divines; et parce qu'il rapporte en abrégé les paroles de l'Évangile, où l'institution de l'Eucharistie est racontée; parce que S. Augustin a enseigné qu'il était nécessaire qu'on usât des paroles évangéliques, et qu'on invoquât les trois personnes de la sainte Trinité dans l'administration du Baptême, il s'en suivra que ces deux saints Pères ont publié les formes du Baptême et de l'Eucharistie? L'unique et bonne preuve a manqué au continuateur, c'est le secret de nous faire lire, dans les ouvrages de S. Justin et de S. Augustin, les propres paroles de la forme du Baptême et des deux formes de l'Eucharistie; en sorte qu'on ne puisse prendre le texte pour une simple citation de ce qui est écrit dans l'Évangile.

(1) S. Aug., lib. 3, de Bapt., cap. 15.
(2) Tom. 6 Bibl. Patrum.

Le Père Morin de l'Oratoire, qui a servi de guide à cet écrivain, excepte de sa propre autorité les rituels, les sacramentaires, les pontificaux, les pénitentiaux, et tous les livres d'instruction de la loi générale qui défendait de mettre par écrit les formes sacramentelles. Mais ce n'était pas à lui à faire cette exception ; c'était aux saints Pères et aux autres légitimes témoins de l'étendue et des bornes de cette loi. Ils ne l'ont pas faite, et n'ont eu garde de la faire. En effet, s'il n'était pas permis à un souverain pontife, instruisant un évêque, d'énoncer les formes sacramentelles dans une lettre particulière et secrète ; à plus forte raison a-t-on dû s'abstenir de les décrire dans les rituels, les sacramentaires, etc. qui étaient bien plus exposés à tomber entre les mains, et à être lus de tout le monde. Quoi ! la décrétale d'un Pape n'aurait pas été jugée digne d'un privilége accordé aux rituels, aux sacramentaires, etc.? Mais, ce qui est absolument sans réplique, S. Maxime ne déclare-t-il point en termes exprès, qu'en vertu de la loi les formes sacramentelles devaient être supprimées dans tous les livres d'instructions, faits pour apprendre aux prêtres et aux évêques la manière d'administrer les choses saintes ou les Sacrements? *Nota etiam non scriptis instructionibus divina nobis tradi*. Ce mot *divina* est determiné à signifier les formes sacramentelles par l'expression de S. Denis, *invocationes perfectivas*.

CHAPITRE II.

Qualités que cette loi suppose dans les formes sacramentelles.

La vérité de la loi qui vient d'être suffisamment établie, nous fait concevoir les formes sacramentelles comme un discours fixe et déterminé, invariable, et, pour ainsi parler, unique dans le langage ecclésiastique. Des paroles qu'on se faisait un scrupule d'écrire, et qu'il était ordonné de retenir seulement par mémoire, n'étaient pas indifférentes et arbitraires. Les changer à sa volonté aurait été un attentat aussi sacrilége pour le moins que les divulguer. S. Innocent ne se borne point à déclarer qu'il ne peut découvrir le vrai sens des paroles; il assure que ce sont les paroles même qu'il ne peut dire : *Verba dicere non possum*. Elles ont donc été précisément les mêmes dans toutes les églises chrétiennes du même rit durant sept siècles ; d'où nous conclurons légitimement qu'elles doivent encore maintenant être les mêmes. Certes, en des temps où les formules sacramentelles étaient dans une si grande vénération, un évêque catholique ne confirmait point les fidèles et ne faisait point des prêtres par d'autres paroles que celles par lesquelles il avait été confirmé et fait prêtre lui-même. Et les doctes recherches qui nous présentent différentes formes de Sacrements à l'usage de différents diocèses, ou employées en des temps différents sont, à coup sûr, un mécompte d'érudition; à moins que la différence de l'expression ne consistât simplement dans le son de quelques mots, et que le sens de l'action sacramentelle ne fût également bien représenté de part et d'autre,

Ces formes sacramentelles, que le respect pour les choses saintes excluait de tout écrit, qu'on ne communiquait que de vive voix, qu'on transmettait aux siècles futurs, sans autre aide que la fidélité et la sûreté de la mémoire, devaient être fort courtes ; afin que le précepte ne fut pas onéreux, mais facile à observer, sans courir le risque d'altérer le sacré discours et d'en violer l'intégrité. Que dire maintenant de ceux qui nous donnent pour forme de l'Eucharistie une bonne partie du canon de la sainte messe, que l'Église, pour obvier au moindre défaut de mémoire, nous oblige maintenant d'avoir par écrit sous les yeux, toutes les fois que nous célébrons les saints mystères? Quel fruit ont-ils retiré de cette étude assidue des ouvrages des Pères, de ces découvertes de vieux rituels, sacramentaires, pontificaux, pénitentiaux, dont la lecture trop rapide les a engagés dans des méprises manifestes? Car c'en est certainement une que de reconnaître pour la vraie forme d'un sacrement des prières si longues, qu'à moins d'une mémoire miraculeuse, il serait impossible de les apprendre par cœur sur le simple récit d'une autre personne, et encore plus de les retenir exactement et pour toujours. Ces savants sont forcés de renoncer à un sentiment si déraisonnable. Ils sont obligés de reconnaître que leur principal soin devait être de remarquer les endroits où l'on aurait placé les véritables paroles sacramentelles, s'il eût été permis de les écrire. Car ils auraient beau relire encore une fois tous les ouvrages des Pères et tous les monuments ecclésiastiques, et faire une nouvelle recherche de manuscrits, pour trouver de quoi nous convaincre qu'on était anciennement exclu de l'épiscopat et même de la prêtrise, quand on n'avait pas une mémoire aussi heureuse que l'auraient demandé en ce temps-là les fonctions du sacré ministère.

Primus ad Religionem Christi aditus Baptismus est, cæterorum Sacramentorum janua idcircò nuncupatus. Primus militiæ christianæ gradus, Confirmatio : per Baptismum illustrati, fidem Christi suscipimus ac solemniter profitemur; per Confirmationem induti virtute ex alto, strenuè ac constanter eamdem defendimus. Per Baptismum ad novam vitam renascimur; per Confirmationem armamur ad prælium. In Baptismo filii Dei, et hæredes Christi; in Confirmatione Christi milites, fideique vindices ac defensores constituimur. Æquo passu incedunt duo hæc infantiæ ac militiæ christianæ priora Sacramenta : at non eodem necessitatis gradu. Quippe, ut in corporali vitâ prius est hominem nasci ac vivere; ita et in vitâ spirituali primum ac potissimum est, hominem interiùs renasci ac regenerari. *Factus est primus homo Adam in animam viventem*, ait Apostolus, 1. Cor. 15, v. 45, *novissimus Adam in spiritum vivificantem..... Primus homo de terrâ, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Et sicut*, pergit idem Apostolus, v. 22, *in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur*. Quâ porrò viâ ad novam illam ac planè mirabilem vitam pervenitur, nisi per Baptismum? *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti*, Ep. ad Tit. 3, v. 5. Atque, ut Christus ipse pronuntiat, Joan. 3, v. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est : quod natum est ex Spiritu, spiritus est.*

Ad rei novitatem obstupuit Nicodemus, ibid., v. 4. *Quomodò*, inquiebat, *potest homo nasci, cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, et renasci? Non mireris*, reponit Christus, ibid., v. 7 et 8, *quia dixi tibi : Oportet nasci denuò. Spiritus ubi*

vult spirat, et vocem ejus audis ; sed nescis unde veniat, aut quò vadat..... Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? Confidentem nimiùm legis doctorem hìc Christus increpat simul et instruit. Non aliam quàm carnis novam generationem ac nativitatem, ex verbis Christi, animo sibi effingebat Judæus homo carnalis ; novam autem spiritûs regenerationem docendo Christus proponit et astruit. Superbam doctoris legis ignorantiam sanando carpit, et ad humilitatem disponit, ut animadvertit sanctus Augustinus, tract. 12, in Joan. Non ipsi tamen insultat ; aut si insultat, tanquàm indocto insultat, ut deponat superbiam.

Quam Nicodemus ignorabat, vel non credebat, Christo annuntiante, paratam ac præsentem spiritûs renovationem et regenerationem, hanc nihilominùs non modo ut possibilem, sed et aliquando futuram, Nicodemus, cùm esset in lege peritus, ignorare non debuerat. Nonne apud Ezechielem, c. 36, v. 25, 26, prophetico spiritu scriptum legerat : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris..... Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestrî, et auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum?* Nonne Psaltes Regius cecinerat, Psal. 103, v. 30 : *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ?* Quæ certè non de aliâ, quàm de interiori spiritûs renovatione, per gratiam animis infundendam, intelligere debuisset legis doctor ; maximè cùm simile quoddam, quanquàm rude adhuc, apud suos domesticum ac familiare renovationis vestigium præ oculis haberet, in iis scilicet, qui à cultu falsorum deorum conversi, legi Mosaicæ nomen suum dabant ; tot enim illi præviis ritibus, cæremoniis, lotionibus ac baptismatibus mundabantur, præparabantur ac præformabantur ad veram Dei Religionem, ut novi quasi homines, et, ut loquitur sanctus Petrus, Epist. 1, c. 2, v. 3, *sicut modò geniti infantes* haberentur.

Ex his, maximè verò ex decretoriâ istâ et apertâ Christi sententiâ, Joan. 3, v. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, intelligitur haud dubiè, tantam esse Baptismatis necessitatem, tam strictam et universalem illius percipiendi legem omnibus impositam esse, ut sine illo, aut saltem, certis in casibus, sine ipsius voto ac desiderio, nullus ad vitam æternam et regnum cœlorum pervenire usquàm possit.

Verùm, proh dolor ! quò major et apertior tam salutaris remedii necessitas, eò major in eâ impugnandâ dæmonis, salutis humanæ invidi obtrectatoris, furor et impetus ; eò major et hæreticorum, quos vel à primis Ecclesiæ temporibus suscitavit, ad quidlibet audendum projecta temeritas. *Nuper*, inquiebat Tertullianus, lib. de Baptismo, c. 1, *conversata istic quædam de Caianâ hæresi vipera venenatissima, doctrinâ suâ plerosque rapuit, inprimis Baptismum destruens.... nam ferè viperæ et aspides, ipsique reguli serpentes arida et inaquosa sectantur.*

In eodem luto hæsisse fanaticam quamdam feminam, Quintillam nomine, observat ibidem Tertullianus, ibid. *Quintilla*, inquit, *monstrosissima, cui nec integrè quidem docendi jus erat, optimè nôrat pisciculos necare, de aquâ auferens. Quanta vis est perversitatis*, addit ibidem, *ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet, ex quibus constat.* Quod verò fuerit antiquissimi hujus erroris fundamentum qui nôsse voluerint, eumdem audiant Tertullianum, jam tum, seculo nempe secundo, novatorum nostrorum errorem circa fidem justificantem, in veteribus hæreticis confodientem : *Sic ergo*, ait Tertullianus, eodem lib., cap. 13, *scelestissimi illi provocant quæstiones. Adeò dicunt, Baptismus non est necessarius quibus fides satis est : nam et Abraham nullius aquæ nisi fidei Sacramento Deo placuit.* En erroris fundamentum. *Sed*, reponit Tertullianus, *in omnibus posteriora concludunt, et sequentia antecedentibus prævalent. Fuerit salus retrò per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem : at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retrò erat nuda, nec potest jam sine suâ lege. Lex enim tinguendi imposita est, et forma præscripta : Ite, docete omnes nationes, tinguentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Huic legi collata definitio est : Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum. Obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem.*

Totum porrò illud antiquissimarum *viperarum* mortiferum ac lethale virus haustum in se transfuderunt posteriorum temporum perditissimi Sociniani. Docent illi 1° Christum Apostolis verum non dedisse baptizandi mandatum ; atque verba ista, *euntes docete, baptizantes*, etc., exponenda esse, non de aquæ Baptismo, sed de solâ instructione ac doctrinâ, quæ instar aquæ sordes animæ mundat et abstergit. 2° *Apostolos nihilominus, etsi non jussos, ritum baptizandi convenienter usurpàsse, tum quia populus judæus cæremoniis valdè delectabatur, utpote in illis quasi enutritus et educatus ; tùm quia Baptismi cæremonia à magni nominis magnæque auctoritatis viro, nempe Joanne, jam antea introducta, magnoque applausu ab omnibus recepta fuerat ; tum denique quia aptissima erat ad adumbrandum christianorum officium ac statum : unde conveniens fuit viros hujus ætatis per Baptismi cæremoniam christianæ Religioni adscribi.* Verba sunt Volkelii, l. 6, de verâ Religione, cap. 14. 3° Docent baptizandi præceptum (si tamen præceptum vocant) universale non fuisse, ab omnibus in perpetuum observandum ; sed certis duntaxat personis ac pro certo quodam tempore addictum ; illis nempe, qui Ecclesiæ initio, à paganismo vel judaismo ad Christum convertebantur, quos per nudum illud ac sterile symbolum exteriùs distingui ab invicem oportuit.

Sociniani à calvinianis, ex quibus nati ac propagati sunt, arma mutuantur, quibus absolutam et medii, ut vocant, in Baptismate necessitatem totis viribus impetunt. *Perspicuum est*, ait Calvinus, Inst. l. 4, cap. 15, n. 10, *quàm falsum sit quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii persistunt, per Baptismum solvi nos et eximi*

ab originali peccato, et à corruptione quæ ab Adam in universam posteritatem propagata est. Et n. 22, expressè ait, *non arceri à regno cœlorum infantes quos è præsenti vitâ migrare continget, antequàm aquâ mergi datum fuerit. Atqui jàm visum est*, pergit ille, *fieri non levem injuriam Dei fœderi, nisi in eo acquiescimus, ac si per se infirmum esset, cùm ejus effectus neque à Baptismo neque ab ullis accessionibus pendeat.*

Atqui tamen his imbuti documentis calviniani, anabaptistis et socinianis toto animo hìc repugnare ac contradicere videri volunt, ad scenam magis, et ludicram, ut puto, disputationem, quàm ad sèriam demonstrationem veritatis. Quâ etenim fronte, quâ ingenii præfidentiâ, sibi hoc assumere calvinistæ possunt, ut convincant anabaptistas, *non debere infantes à Baptismo excludi;* cùm vel ipsimet contendant, infantes sine Baptismo ex præsenti vitâ raptos, à regno cœlorum non arceri, sed unâ præsentis fœderis virtute salvos fieri; et, quod amplius quidquam est, cùm, sicut et ipsimet anabaptistæ et sociniani, celebrem istam Christi sententiam : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., ad figuratum et metaphoricum sensum detorqueant, nec de vero aquæ, sed Spiritûs Baptismo, instar aquæ lavantis ac mundantis, interpretentur? Dicant illi nobis quid juris habeant ad hanc Christi sententiam à litterali et obvio sensu ad metaphoricum inflectendam, quod sibi pariter arrogare non possint sociniani, quos illi tamen duriùs insectantur, cùm verba hæc Christi plana certè et aperta : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc., non de vero aquæ, sed instructionis duntaxat ac doctrinæ Baptismo, dicta esse arbitrantur. *O homo, in quo judicas alterum, te ipsum condemnas.* Rom. 2, v. 1.

Una est simplex, sibi semper cohærens ac uniformis catholicæ fidei doctrina de Baptismi præstantiâ, virtute, et omnimodâ ad salutem consequendam necessitate. *Felix Sacramentum aquæ nostræ*, exclamabat Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 1, *quâ abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.... De sancto Spiritu sanctificata natura aquarum et ipsa sanctificare cœpit.... Supervenit statim Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt.*

Bellè omninò Irenæus, l. 3, c. 17, aliàs 19 : *Sicut*, inquit, *de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus, sine aquâ, quæ de cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat : sic et nos, lignum aridum existentes primùm, nunquàm fructificaremus vitam, sine supernâ voluntariâ pluviâ : corpora enim nostra per lavacrum, illam, quæ est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, cùm utraque proficiant in vitam Dei, miserante Domino nostro.*

Pressiùs S. Augustinus, l. 3 de Origine animæ, cap. 9, dicebat : *Noli credere, noli dicere, nec docere infantes, antequàm baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus.*

Rata igitur lex est ac fixa Christi sententia : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum.* « *Nullum hìc excipit*, ait S. Ambr., l. 2 de Abrah., c. 11, n. 84, *non infantem, non aliquâ præventum necessitate.* »

Procùl ergo putidum istud Pelagianorum figmentum, infantes sine Baptismo arceri quidem à regno cœlorum, propter Christi sententiam : *Nisi quis*, etc., æternâ tamen vitâ donari, propter vitæ eorum innocentiam : quasi in Adamo et ipsi non peccaverint, *in quo omnes peccaverunt*, Rom. 5, v. 12; quasi non nascantur filii iræ ac indignationis. Sicut ergo in Adam omnes moriuntur, ita necesse est omnes in Christo renasci. *Quisquis dixerit*, ait S. Aug., epist. 166, aliàs 28, ad Hieronymum, *quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vitâ exeunt, hic perfectò et contra apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omninò vivificari non posse.*

Novimus equidem esse aliquos ex nostris, qui plùs æquo de misericordiâ Dei præsumentes, ac nescio quo tenerioris clementiæ affectu commoti erga tot infantium millia, qui absque Baptismo migrant ex hâc vitâ, et æternum pereunt, naturalem quamdam felicitatem illis liberaliter assignant. Verùm immota stat Christi sententia : *Nisi quis*, etc. Sapienter omninò ac graviter monet eam in rem Bellarminus, l. 6, de Amissione gratiæ, c. 2 : *Misericordiam nostram parvulis jam defunctis nihil prodesse; è contra nihil obesse nostræ sententiæ severitatem : multùm autem*, pergit, *nobis obest, si ob inutilem misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas aut Ecclesiam defendamus; idcircò non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturæ, conciliorum et Patrum sententiam consulere ac sequi debemus.*

Novimus etiam novatores nostros eximias Baptismi prærogativas et effectus aut restringere parciùs, aut latiùs diffundere. Hinc vim à labe originali mundandi, et sanctificantem infundendi gratiam ipsi detrahunt; inde verò liberam ab omni humanâ servitute, omnibusque votis observandis (eo excepto quod fit in Baptismo de observandâ Dei lege) immunitatem concedere videntur. Utrobique error est : inter extrema media veritas incedit.

Baptismus et interiùs ab omni peccato mundat, 1 Cor. 6, v. 11 : *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis*, et ab humanâ servitute non eximit, Rom. 13, v. 1 : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi à Deo.* Et rursùm, Heb. 13, v. 17 : *Obedite præpositis, et subjacete illis.*

Infiniti essemus, si omnes, quas SS. Patres tantâ facundiâ exponunt Baptismatis dotes, effectus, ac prærogativas enumerare hìc aggrederemur. Unus sufficiat S. Chrysostomus, qui has omnes dotes, quibus baptizati exornantur mirâ eloquentiâ prosequitur. *Ecce*, inquit Homil. ad neophytos, *libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante cap-*

tivi : et cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; et justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed et sancti; non tantùm sancti, sed et justi; nec solum justi, sed et filii; nec solùm filii, sed et hæredes; nec solùm hæredes, sed et fratres Christi; nec tantùm fratres Christi, sed et cohæredes; non solùm cohæredes, sed et membra; non tantùm membra, sed et templum; non tantùm templum, sed et organa Spiritûs. Vides quot sint Baptismatis largitates? Sed multis quidem videtur cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere : nos autem honores computavimus decem. Et hom. 1 ad illuminandos, ait *Baptismum appellari lavacrum regenerationis, quia non solùm nobis peccata remittit, neque solùm delicta purgat, sed ita præstat ac si denuò generati essemus :* quasi modò geniti infantes.

Sed quorsùm tota illa de Baptismo, ac potissimùm de illius necessitate in hàc præfatione disputatio? Nimirùm ut intelligatur quantam hæc theologiæ pars atque tractatus intentionem studiumque exigat, ab iis maximè, qui ministerio ecclesiastico destinati, aliorum saluti procurandæ omni curà toti incumbere tenentur; qui non sine suo et aliorum damno, ea vel ignorare penitùs vel negligenter tractare possunt, quæ sunt ad salutem animarum necessaria. *Si quis autem diligentiùs Apostolum legerit*, ait Catechismus romanus, art. 2, de Baptismi sacramento, num. 1, *sine dubitatione ita statuet, perfectam Baptismi cognitionem à fidelibus magnoperè requiri : adeò non solùm frequenter, sed gravibus verbis, et Spiritu Dei plenis, ejus mysterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris nostri mortem, sepulturam et resurrectionem nobis ante oculos, tum ad contemplandum, tum ad imitandum constituit.*

Quo ergo major est Baptismi ad salutem necessitas, eo accuratiùs omnia, quæ ad illum pertinent, animo comprehendenda et percipienda : quæ ejus natura; quæ materia vera et legitima; quæ forma ipsius præscripta; quis in quâque occasione minister; quod illius percipiendi capax subjectum; quis conferendi modus et ratio, qui ritus, quis usus; quæ de his omnibus pontificum et Ecclesiæ decisiones : hæc, inquam, diligentissimè perfectèque percipienda, ne quid in iis peccetur, non à vobis tantùm, sed etiam ab illis quos à vobis edoceri oportebit, quid ab illis, ubi res et tempus feret, præstari oporteat. *Quare*, concludit Catechismus romanus, *pastores nunquàm se satis multam operam et studium in hujus Sacramenti tractatione collocâsse arbitrentur.*

Jam verò quid dicam de sacramento Confirmationis, divino illo signaculo, unde baptizato tantæ vires accrescunt ad fidem Christi coram tyrannis intrepidè profitendam? Quid de illo novatores nostri? Pudet referre quanta hìc sit Calvini, instit., l. 4. c. 19, p. 538, protervia et impietas. *Oleum Confirmationis pollutum* appellat *diaboli mendacio; abortivam Sacramenti larvam, atque inter exitiales Satanæ præstigias recensendum esse.* O blasphemia! ô impietas! Itane verò *pollutum est, ac inter exitiales Satanæ præstigias* recensendum Sacramentum, quod Apostoli à Christo edocti, vel ab initio primis fidelibus contulerunt? *Oraverunt pro ipsis... Et imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*, Act. 8, v. 14 et seq. Quod universa Ecclesia constanti usu ac nusquàm interrupto semper observavit. *Egressi de lavacro*, ait Tertullianus, l. de Baptismo, c. 7, *perungimur benedictâ unctione de pristinâ disciplinâ... in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit.* Et Cyprianus, epist. ad Januar. 70 : *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.* Et rursùs in epistolâ ad Jubaian. 73 : *Quod nunc quoque*, inquit, *apud nos geritur, ut qui in Ecclesiâ baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, ut per nostram orationem ac manûs impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.* Hieronymus denique, Dial. adversùs luciferianos, aut potius Luciferianus apud ipsum (ut alios innumeros hìc taceam) : *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Itane verò *pollutum ac inter exitiales Satanæ præstigias recensendum*, quod SS. Ecclesiæ doctores communi suffragio tot exornant laudibus, cujus virtutem et efficaciam ita magnificè extollunt ac prædicant? Unus instar omnium suffragium dicat S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 3 mystagogicâ, ubi exponens ritum quo ætate suâ unctio confirmatoria per omnes ferè corporis partes effusa ministrabatur, sic scribit : *Frons et alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur; et corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur. Ac primùm quidem fronti illinitur, ut eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat; simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Domini intueri. Deinde verò aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis... Postea nares, ut divinum recipientes unguentum dicatis* : Christi gratus est odor Deo in his qui salvantur. *Tum verò et pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ, fortiter adversùs insultus diaboli consistatis. Ut enim Salvator post Baptismum, et illum Spiritûs sancti adventum, egressus in prælium, devicit adversarium; sic et vos post sacrum Baptismum et chrisma mysticum, induti armis sancti Spiritûs adversùs oppositam vobis potestatem consistitis et prœliamini dicentes :* Omnia possum in eo qui me confortat, Christo. Itane *pollutum est, ac inter exitiales Satanæ prœtigias recensendum*, quod in fronte positum dæmonibus terrori, nobis autem ad omnes eorum propulsandos impetus, summo esse præsidio debet atque adjumento? *Adversarius enim vester diabolus*, ait sanctus Petrus, 1 Ep. 5, v. 3, *tanquàm leo rugiens circuit quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide. Induite vos armaturam Dei, ut*

possitis stare adversùs insidias diaboli, inquit sanctus Paulus Ephes. 6, v. 11. Unde porrò *armatura* hæc, nisi ex sacramento Confirmationis? ut nempe signo crucis in fronte muniti, crucis ignominiam non erubescamus. *Quia in fronte erubescitur*, ait egregiè S. Augustinus in Psalm. 141, n. 9, *ille qui dixit: Qui me erubuerit coram hominibus erubescam eum coram Patre meo qui in cœlis est; ipsam crucis ignominiam quodammodò quam pagani derident, in loco pudoris nostri constituit. Quod signum crucis*, ait idem sanctus doctor tract. 118 in Joan., *nisi adhibeatur sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex quâ regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur*. Hæccine, quæso, *ritum pollutum* referunt, *ac inter exitiales Satanæ præstigias recensendum?*

Paulò quidem modestiùs, quanquàm nec veriùs, nostrum istud Sacramentum impetit non ignobilis Calvini sectator Dallæus, qui non alium impositionis manuum Apostolorum fructum agnocit, quàm linguarum ac miraculorum dona, quæ cùm jamdiù extincta et abrogata fuisse constet, et ipsum quoque Confirmationis ritum cum illis omninò extinctum periisse arbitratur. Verùm non satis attendisse videtur Dallæus ad infantiam, ut ita dicam, nascentis Religionis, quam conspicuis ac splendidis prodigiis adolescere ac confirmari oportuit. Quibus, adulta et confirmata, non indiguit ampliùs. *Neque enim*, ut observat sanctus Augustinus, lib. 3 de Baptismo, c. 16, *temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus, per manùs impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur, propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari.* Rem eleganti comparatione illustrat S. Gregorius Magnus, homil. 29 in Evangelia. *Hæc*, inquit, *miracula necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cùm arbusta plantamus, tamdiù eis aquam infundimus, quousque ea in terrâ jam coaluisse videamus, et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.*

Hìc dicendi finem facimus, hoc unum enixè flagitantes, ut in memoriam revocentur hæc Apostoli verba: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem; ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Solliciti servare unitatem Spiritùs in vinculo pacis. Unum corpus et unus Spiritus; sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Unus Deus et pater omnium.* Rom. 6, 3, 4; Ephes. 4, 3.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ
DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Totam de Baptismo disputationem quinque absolvemus quæstionibus.

Prima de nomine et naturâ Baptismi: ubi de materiâ, formâ et discrimine illius à Baptismo S. Joannis.

Secunda, de necessitate seu existentiâ Baptismi.

Tertia, de causis Baptismi: ubi de auctore, ministro et subjecto illius.

Quarta, de effectibus.

Quinta, de cæremoniis, sive quæ antecedunt, sive quæ comitantur, sive quæ sequuntur Baptismum.

Priusquàm verò ad rem nostram propiùs accedamus, statim, in fronte hujus tractatûs, Tridentini de Baptismo canones, velut doctrinæ catholicæ fundamentum, præmittendi sunt.

Canones concilii Tridentini de Baptismo, sess. 7.

Can. 1: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.*

Can. 2: *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideò verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Can. 3: *Si quis dixerit, in Ecclesiâ romanâ, quæ omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam, anathema sit.*

Can. 4: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritùs sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

Can. 5: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Can. 6: *Si quis dixerit baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.*

Can. 7: *Si quis dixerit baptizatos per Baptismum ipsum solùs tantùm fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.*

Can. 8: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis... ita ut ea observare non teneantur, nisi se suâ sponte illis submittere voluerint, anathema sit.*

Can. 9: *Si quis dixerit ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, et fidei,*

quam professi sunt, detrahatur, et ipsi Baptismo, anathema sit.

Can. 10 : *Si quis dixerit peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, solâ recordatione et fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.*

Can. 11 : *Si quis dixerit verum et ritè collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.*

Can. 12 : *Si quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi eâ ætate, quâ Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.*

Can. 13 : *Si quis dixerit parvulos, eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse; ac propterea, cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in solâ fide Ecclesiæ, anathema sit.*

Can. 14 : *Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dùm baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec aliâ interim pœnâ ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit* (1).

QUÆSTIO PRIMA.

DE NOMINE ET NATURA BAPTISMI.

Ut plenè innotescat quæ sit Baptismi natura, nomen ejus, definitionem, materiam, sive remotam, sive proximam, formam, ac discrimen à Baptismo Joannis expendere necesse est.

(1) *Decretum concilii Florentini pro instructione Armenorum.*

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cùm per primum hominem mors introierit in universos; nisi ex aquâ et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum cœlorum introire. Materia hujus sacramenti est aqua vera et naturalis : nec refert frigida sit an calida. Forma autem est : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Non tamen negamus quin et per illa verba, baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti : vel, baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris, et Filii et Spiritûs sancti, verum perficiatur Baptisma; quoniam cùm principalis causa, ex quâ Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas; instrumentalis autem sit minister qui tradit exteriùs sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causâ autem necessitatis non solùm sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imò etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia. Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis; omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsâ culpâ debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio : sed morientes, antequàm culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum et Dei visionem perveniunt.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NOMINE ET DEFINITIONE BAPTISMI.

Baptismi nomen origine græcum est, à verbo βάπτω vel βαπτίζω, id est, mergo, tingo; hinc βαπτίσμα, immersio, tinctio : quia scilicet, qui olim baptizabantur, toti aquis immergebantur seu tingebantur.

Nomen Baptismi considerari potest vel secundùm significationem grammaticalem, vel secundùm significationem ecclesiasticam et sacramentalem.

Varia nominis Baptismi significatio apud auctores sacros.

Quadruplex distingui potest nominis Baptismi significatio apud auctores sacros. Prima, litteralis et communis; secunda, cæremonialis seu legalis; tertia, accommodatitia seu metaphorica et figurata; quarta, sacramentalis et ecclesiastica.

1° Juxta litteralem vim nominis, Baptismus, ut mox dixi, idem est, ac immersio et intinctio : cùm verò quod lavatur totum soleat aquis immergi, Græci eodem utuntur nomine ut immersionem, tinctionem, et lotionem seu ablutionem vulgarem significent. Lib. 4 Regum, c. 5, v. 14, de Naaman dicitur : *Descendit, et lavit in Jordane septies.* Græcè, ἐβαπτίσατο. De Judith, libro cui nomen dedit, capite 12, v. 7 : *Exibat noctibus in vallem Bethuliæ, et baptizabat se in fronte aquæ,* id est, lavabat se, lotione communi et vulgari.

2° Nomen Baptismi usurpatur in Scripturis ad significandas lotiones illas legales et cæremoniales quibus tam frequenter uti solebant Judæi : unde *Baptistæ* appellantur à S. Justino, dialogo cum Tryphone; hincque nata secta Hemerobaptistarum, seu eorum, ut loquitur S. Epiph. hæresi 17, *qui tam vere, autumno, quàm æstate atque etiam hieme quotidiè lavant.* De his frequentissimis Judæorum baptismatibus seu lotionibus S. Marcus, cap. 7, v. 3 et 4, ait : *Pharisæi et omnes Judæi, nisi crebrò lavârint manus, non manducant; et à foro nisi baptizentur, non comedunt, et alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum et lectorum.* Observat etiam S. Paulus, Hebr. 9, v. 10, Judæorum hostias *solummodò in cibis et in potibus, et variis baptismatibus* fuisse positas. Baptismus quoque S. Joannis cæremonialis quidem fuit, sed è cœlo veniens, et ad Baptismum Christi per pœnitentiam, ad quam hortabatur, viam sternens ac præparans.

3° Sensu accommodatitio seu metaphorico et figurato nomen Baptismi usurpatur in Scripturis, ad significandam primò afflictionem quæ hominem instar aquæ vehementis mergit et absorbet. Quo sensu Christus apud S. Lucam, cap. 12, v. 50, dicebat : *Baptismo autem habeo baptizari;* hoc est, pati debeo et affligi : aquæ enim frequenter in Scripturis significant afflictionem et dolorem. Psal. 68, v. 1, David ad exprimendam afflictionis suæ vehementiam, dicebat : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Et v. 15 et 16, Deum ita deprecatur : *Eripe me de luto, ut non infigar : libera me..... de profundis aquarum.*

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum.

Hinc propter dolorem annexum, nomen Baptismi pœnitentiæ et martyrio adaptatur.

Pœnitentiæ quidem et perfectæ contritioni; unde dictus *Baptismus flaminis*. Marci 1, v. 4, et Lucæ 3, v. 3, Joannes dicitur *prædicans Baptismum pœnitentiæ*. Ratio est quia qui pœnitentiâ compunguntur, ii corde contrito ac lacrymis perfusi veniam peccatorum suppliciter deprecantur: unde à SS. Patribus pœnitentia sæpiùs Baptismus laboriosus, seu lacrymarum appellatur. Hoc sensu Sedulius de muliere peccatrice rigante lacrymis pedes Christi apud S. Lucam, cap. 7, sic canit:

Purgata recesssit
Per gemitum, propriique lavans in gurgite fletus,
Munda suis lacrymis redit, et detersa capillis.

Non desunt qui eodem sensu interpretantur etiam istud Apostoli, 1 Corinth. 15, v. 29: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* id est, affliguntur et macerantur.

Martyrio quoque Baptismi nomen accommodatur, unde dictus *Baptismus sanguinis*. Quo sensu Marci 10, v. 38, Christus filiis Zebedæi ait: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor baptizari?* id est, supplicia et mortem sustinere. Sic S. Basilius, hom. de 40 Martyribus, loquens de illo qui triginta novem se adjunxit: *Baptizatus est in ipsum* (Jesum Christum), ait, *non ab alio, sed à propriâ fide; non in aquâ, sed in proprio sanguine.* Et S. Chrysostomus, homiliâ in S. Lucianum martyrem: *Neque miremini*, inquit, *quòd baptismum martyrium vocaverim: nam et hic Spiritus cum multâ advolat ubertate, ac peccatorum abolitio, et animæ fit purgatio quædam mirabilis ac stupenda: et quemadmodùm ii qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur.*

Usurpatur præterea sensu figurato Baptismus, ad designandam abundantem et copiosam gratiæ Dei diffusionem. Act. 1, v. 5, de Apostolis dicitur: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Et Matth. 3, v. 11, S. Joannes de Christo ait: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igni.* Per ignem autem nonnulli sensu spiritali ac mystico intelligunt uberem Spiritûs sancti gratiam, quæ instar ignis omnes peccatorum sordes absumit, nec ab effectu potest retardari, adeò vehemens est et activa. Ita S. Chrysostomus, hom. 11, in Matth., et S. Gregorius Thaumaturgus, serm. in sanctâ Theophaniâ, ad hæc verba: *Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto et igne. Aquâ*, inquit, (baptizabit) *ut quæ peccatorum sordes abluere potest; Spiritu, ut qui terrenos, spirituales reddere potest; igne, ut qui solet iniquitatum spinas comburere.*

Alii verum ignem sensu litterali intelligunt, aiuntque sanctum Joannem alludere ad species illas linguarum ignearum quæ in die Pentecostes visæ sunt dispertitæ supra capita Apostolorum, cùm Spiritu sancto ejusque donis repleti sunt. Ita S. Joannes Damascenus, libro 4 orthodoxæ Fidei, cap. 9.

Usurpatur denique sensu figurato Baptismus, ad significandum tùm diluvium universale quo submersus est universus orbis, et vocatur à Tertulliano, lib. de Baptismo, *Baptismus mundi*, qui juxta S. Petrum epistolæ 1, cap. 3, v. 21, fuit imago et figura Sacramenti Baptismatis: tùm maris Rubri transitum, quando nempe Israelitæ sicco pede divisis aquis incedentes, Ægyptios insequentes evitârunt, et dictus est Baptismus Mosis, quia duce Mose Israelitæ ex Ægypto egressi sunt, de quo Apostolus, 1 Corinth. 10, v. 2: *Omnes*, inquit, *in Moyse baptizati sunt in nube et in mari.*

Omnes porrò illæ figuratæ ac metaphoricæ baptismi significationes, desumuntur ex analogiâ, seu similitudine quam habent vel cum materiâ, vel cum effectu nostri Baptismi.

Non est verò audiendus Socinus, qui præter adductas figuratas nominis Baptismi significationes, novam planè et inusitatam invehit, contendens nomine Baptismi doctrinam evangelicam aliquando designari in Scripturis. Verùm, ut ex dicendis inferiùs constabit, merum istud est cerebri Sociniani figmentum, cujus ne tenuissimum quidem extat in Scripturis fundamentum.

4° Denique, usu ecclesiastico et sacramentali Baptismi nomen significat lotionem illam sacram, mysticam et religiosam, quâ quis aquâ tingitur seu baptizatur in corpore, ut spiritu interiùs renascatur, et dicitur vulgò *Baptismus fluminis*, quo Christiani fimus: de quo Matth. 28, v. 19, Christus Apostolis et discipulis dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti;* et Joan. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Propriè et ad litteram ritus ille Baptismus dictus est, quia, ut jam observatum fuit, qui baptizabantur olim, toti aquis immergebantur.

De Baptismo secundùm hanc postremam significationem, prout nempe Sacramentum est novæ legis, hoc in tractatu loquimur. Variis autem nominibus solet tum in Scripturâ, tum apud SS. Patres designari.

Varia nomina Sacramenti Baptismatis.

Varia hæc nomina desumuntur partim à materiâ, partim à formâ, partim ab effectibus, partim denique à cæremoniis Baptismi.

A materiâ appellatur *lavacrum aquæ*, Ephes. 5, v. 26. *Sacramentum aquæ*, à Tertulliano, lib. de Baptismo, cap. 1. *Unda genitalis, fluvius aquæ vitalis*, à S. Cypriano, epistolâ 2, et à S. Gregorio Nazianzeno, oratione in sanctum Baptisma.

A formâ appellatur *sigillum, signaculum, obsignatio fidei, Sacramentum Trinitatis, Sacramentum fidei*: tùm quia per Baptismum homo inter fideles adscribitur; tùm quia solemnem fidei suæ professionem, vel per se si adultus sit, vel per susceptores, si infans, emittit; tùm quia expressa in eo fit SS. Trinitatis invocatio.

Ab effectibus vocatur *lavacrum regenerationis et reno-*

cationis, ab Apostolo ad Titum 3, v. 5. *Ablutio peccatorum*, Act. 22, v. 16. *Vitæ novitas*, Rom. 6, v. 4. *Sanctificatio*, 1 Corinth. 6, v. 11. *Sepultura hominis cum Christo in mortem*, Rom. 6, v. 4. *Circumcisio non manufacta*, Colloss. 2, v. 4. *Illuminatio*, seu Sacramentum illuminationis, Hebr. 6, v. 4. Nomina hæc passim afferunt et confirmant SS. Patres. Tertullianus, lib. de Pœnit., cap. 6, appellat Baptismum, *fidei obsignationem*; S. Basilius, hom. 13, dicit esse *sigillum quod conatu nullo frangi potest*. S. Gregorius Nazianzenus, orat. 40: *Sigillum est*, inquit, *quia conservatio est, ac dominationis significatio*. S. Augustinus, epistolà 185, aliàs 50, cap. 6: *Signaculum* appellat *Redemptoris*; et conc. Trid., sess. 6, c. 7: *Sacramentum Fidei*. Græci præsertim appellant *Sacramentum illuminationis*; unde S. Cyrillus Hierosolymitanus Catecheses suas de Baptismo inscripsit: *Catecheses illuminatorum*; et S. Gregorius Nazianzenus orationem suam 39, quæ est panegyrica Baptismi Christi, inscripsit: *Orationem in sancta lumina*. Multa alia congerunt nomina, quibus vis et energia Baptismi exprimitur: unum sufficiat testimonium S. Gregorii Nazianzeni, oratione 40 in S. Baptisma, ubi sic loquitur: *Baptismus est splendor animarum, vitæ in meliùs commutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adjumentum. Baptismus carnis est abjectio, spiritùs assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœlestis regni clavis, servitutis depulsio, vinculorum solutio... omnium Dei beneficiorum præclarissimum et præstantissimum*. Et postea: *Donum vocamus, gratiam, Baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum*, etc.

Denique à cæremoniis Baptismus dicitur *vestimentum candidum*, à S. Cyrillo Hierosolymitano; *unctio* à S. Gregorio Nazianzeno, etc.

Definitio Baptismi.

Variæ definitiones Baptismi proferuntur tùm ab hæreticis, tùm ab orthodoxis theologis, cum eo discrimine, quòd primi naturam Baptismi adulterando fidem violant; postremi, salvà fide, magis aut minùs accuratam et evolutam definitionem proponunt.

Definitiones Baptismi ab hæreticis confictæ.

Inter hæreticos Philippus Melancton in Locis suis communibus, definit Baptismum, *signum quo Deus nobiscum agit, et recipit nos in gratiam*.

Verùm, definitio hæc convenit omni Sacramento, imò et verbo prædicationis; ac supponit Baptismum esse nudum signum, gratiæ sanctificantis non productivum.

Calvinus, lib. 4 Institutionis, cap. 15: *Baptismus*, inquit, *est signum initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur*.

Verùm definitio hæc peccat, 1° quòd explicet tantùm Baptismum per finem secundarium, nempè cooptationem inter filios Dei, et protestationem fidelitatis quam Deo et Ecclesiæ debemus; non verò per primarium et præcipuum effectum, regenerationem scilicet interiorem hominis, et à peccatis mundationem. 2° Quia innuit Baptismum esse nudum signum, non verò efficax gratiæ sanctificantis. 3° Quia convenit ex æquo circumcisioni; imò, juxtà Calvinistas, etiam longè aptiùs quàm nostro Baptismo: tùm quia secundùm illos filii fidelium, quamvis non baptizati, in societatem Ecclesiæ sunt cooptati, Christo insiti, Dei filii: tùm quia circumcisio longè meliùs distinguebat Judæos à cæteris gentibus, cùm ipsi corpori impressa adhæreret tenaciùs, noster verò Baptismus in actione positus fluat et transeat exteriùs, solo superstite interiori et invisibili charactere.

Sociniani post Socinum de Ecclesiâ, titulo de Baptismo, tom. 1, pag. 350, et Epistolà ad Matthæum Radecium, ibid., pag. 384, et passim disputatione de Baptismo, ibid., pag. 709, definiunt Baptismum, *adumbrationem remissionis peccatorum in nomine Christi, ejusque nominis apertam professionem, et in ipsius Religionem quamdam initiationem, per quem nihil reverà datur, sed tantummodò eorum, quæ vel jam data esse, vel datum iri certissimum est, externa quædam agnitio significetur. Aquâ enim baptizari in nomine Christi, nihil aliud est*, inquit Socinus, disput. de Baptismo, cap. 5, *quàm publicè Christo nomen dare, ejusque fidem, quæ in corde lateat, palam testari ac profiteri; ita ut non christianum ullâ ex parte Baptismus efficiat, sed indicet atque declaret*.

Breviùs Wolchelius, lib. 6, de verâ Religione, cap. 14: *Baptismus*, inquit, *nihil aliud est quàm publicum christianæ professionis symbolum, quo per intinctionem in aquam, homines illius religionis initiantur*.

Multiplex eâ in descriptione Baptismi vitium est, nec unus latet error: nempe, Baptismum nudam esse et otiosam cæremoniam; necessarium non esse sed indifferentem; nullum extare illius percipiendi fixum ac permanens mandatum: quæ omnia, quàm sint à fide catholicâ aliena, ostendemus inferiùs, ubi de necessitate et efficaciâ Baptismi.

A Socinianis non multùm recedit Episcopius, in responsione ad 64 quæstiones, tom. 1, pag. 37, ubi duplicem affert Baptismi definitionem: unam quâ Baptismus dicitur esse tantùm *tessera, nota, signum vel sigillum, quale diplomatis suis reges affigere solent, professionis publicæ, quo Christiani religione sumus, cujusmodi signum in populo Israelis erat circumcisio*. Atque juxta hanc Baptismi ideam, ait *mandatum Baptismi eos omnes obstringere tantùm, qui professione sunt Christiani*. Altera definitio est, quâ Baptismus dicitur *signum resipiscentiæ, et sigillum remissionis peccatorum ante eum susceptum perpetratorum*. Atque juxta hanc definitionem, addit Episcopius *Baptismi mandatum ad eos pertinere, qui vel à paganismo ad Religionem christianam transeunt, vel in christianâ Religione nati, peccatis se obstrinxerunt; unde si quis nulla peccata (quod rarum) perpe-*

trasset, ad eum, inquit, *mandatum Baptismi pertinere non auderem dicere, sed Christi illud dictum referrem Matth.*, 9, *v.* 12 : *Non est opus valentibus medico.*

Verùm definitionem hanc Baptismi, quæ cum socinianâ cohæret, falsam esse multisque implicatam erroribus, constabit ex dicendis tùm de necessitate, tùm de efficaciâ et effectibus Baptismi.

Orthodoxæ Baptismi definitiones.

Hugo à S. Victore, lib. 2, de Sacramentis, parte 6, c. 2 : *Baptismus*, inquit, *est aqua abluendis criminibus sanctificata.* Magister Sententiarum, lib. 4, dist. 3 : *Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub formâ verborum præscriptâ.* Eamdem cum magistro definitionem adducit S. Th., parte, 3 q. 66, art. 1. Catechismus concilii Trid., parte 2, n. 5, definit Baptismum : *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

Alii paulò explicatiùs exponunt illud, *in verbo*, et aiunt *Baptismum esse sacramentum regenerationis per aquam, cum expressâ SS. Trinitatis invocatione.* Posterior hæc definitio accurata videtur : tùm quia verbis Scripturæ exprimitur, partim ex cap. 3, S. Joan., v. 5, partim ex S. Paulo ad Titum 3, v. 5, et ad Ephesios 5, v. 26, partim ex S. Matth., c. 28, v. 19. Tùm quia omnes Baptismi partes explicat.

1° Dicitur *sacramentum*, quod est genus. 2° Additur *regenerationis*, quæ vox differentiam exprimit contrahentem genus, et distinguentem Baptismum tùm à Sacramentis veteribus, tùm etiam ab aliis novæ legis : solus quippe Baptismus inter Sacramenta evangelica propriè regenerat. *Non solùm*, inquit Chrysostomus, catechesi 1, ad illuminandos, *nobis peccata remittit, neque solùm delicta purgat ; sed ita id præstat ac si denuò generati essemus. Etenim nos denuò creat, et format, non ex terrâ rursùm effingens, sed ex alio elemento, aquarum scilicet naturâ creans.* 3° Additur, *per aquam*, quæ est alia differentia magis contrahens, et distinguens ab aliis Sacramentis novæ legis, ipsamque Baptismi designat materiam. 4° Denique dicitur, *cum expressâ SS. Trinitatis invocatione*, quibus verbis forma Baptismi exprimitur.

Ex hâc definitione colliges 1° sacramentum Baptismi non esse ipsam aquam, prout est res permanens ; sed esse ablutionem exteriorem, seu usum et applicationem aquæ. Colliges 2° post S. Th. hìc, q. 66, art. 1, in corpore, tria distingui posse in Baptismo, scilicet, id quod est sacramentum tantùm, quod est res sacramenti tantùm, et quod est sacramentum simul et res sacramenti.

Sacramentum tantùm dicitur, id quod significat et non significatur : nempe quod exteriùs sensibus subjicitur, et est signum interioris effectûs ; qualis est aqua, seu ejus usus et applicatio cum præscriptâ verborum formâ.

Res sacramenti tantùm dicitur, id quod significatur et non significat ; et est ipsa interior animæ ablutio quæ fit per gratiam sanctificantem.

Sacramentum et res sacramenti simul dicitur, id quod significat et significatur, et est character baptismalis qui significat tùm interiorem justificationem, vel quæ sit, vel quæ esse debeat ; tùm jus quod est in baptizato ad percipienda alia Sacramenta : significatur autem, quia est effectus ablutionis exterioris ; omnis autem causa significat suum effectum.

ARTICULUS II.

DE MATERIA REMOTA BAPTISMI.

Duplex distinguitur materia in Sacramentis quæ in actione et usu consistunt, una remota, altera proxima. Remota, est res quæ assumitur ad conficiendum Sacramentum ; v. g., in Baptismo aqua, in Confirmatione oleum. Proxima, est ipsa applicatio seu usus materiæ remotæ ; v. g., in Baptismo ablutio, in Confirmatione unctio.

De materiâ duntaxat remotâ Baptismi hìc agimus, circa quam olim errores nonnulli insurrexerunt.

Errores circa materiam remotam Baptismi.

Duplex generatim statui potest ordo hæreticorum qui errârunt circa materiam Baptismi.

Primus, eorum qui aquam aut penitùs sustulerunt, aut saltem in necessitate, valere in alio liquore Baptismum existimârunt.

Secundus, eorum qui illam adulterârunt, adjectâ rerum aliarum mixtione.

Primi ordinis hæretici qui aquam penitùs sustulerunt, fuêre

1° Omnes illi qui Sacramenta omnia sive signa sensibilia rejecerunt ; quales fuêre nonnulli Gnostici, de quibus S. Irenæus, lib. 2, cap. 18, et S. Epiphanius, hæresi 34. Ascodrutæ et Archontici, de quibus Theodoretus, lib. 1 hæreticarum fabularum, cap. 10 et 11. Beguinæ et Beguardi, de quibus Joannes XXII in Extravaganti, *Sancta Romana Ecclesia. De religiosis domibus*, in Sexto.

2° Caiani, de quibus Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 1. *Nuper*, inquit, *conversata istic quædam de Caianâ hæresi vipera venenatissima, doctrinâ suâ plerosque rapuit, inprimis Baptismum destruens : nam ferè viperæ et aspides, ipsique reguli serpentes arida et inaquosa sectantur.*

3° Quintiliani à Quintillâ feminâ sic dicti, qui et Pepuziani nonnunquàm appellantur, à vico Pepusæ, ubi conventus suos habebant, et virus suum diffundebant liberiùs, eidem errori adhæserunt, teste eodem Tertulliano, citato mox cap. 1 lib. de Baptismo : *Quintilla*, inquit, *monstrosissima, cui nec integrè quidem docendi jus erat, optimè nôrat pisciculos necare, de aquâ auferens.* Eodem l., c. 2, refert Tertullianus, errori causam ac prætextum dedisse aquæ simplicitatem et vilem conditionem. Hunc porrò errorem secuta est Quintilla, antequàm ad partes Montani accederet ; Montano enim addicta, aquam Baptismi cum ipso retinuit.

4° Manichæi rati aquam esse à malo principio, Baptismum in aquâ collatum ut planè inutilem rejiciebant. Ita S. Augustinus, lib. de Hæresibus, hæresi 46, circa finem. *Baptismum in aquâ*, inquit, *nihil cuiquam*

perhibent salutis afferre. Nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizant.

5° Seleuciani et Hermiani ab auctoribus sic dicti, ac eodem cum Manichæis principio nixi, *Baptismum in aquâ non recipiunt*, inquit S. Augustinus, l. de Hæresibus, hæresi 59; et ante ipsum Philastrius in Catalogo hæreseon quæ sub Apostolis extiterunt, ait *eos illo aquæ Baptismo non uti, propter verbum hoc quod dixit Joannes Baptista : Ipse vos baptizabit in spiritu et igne* : quibus verbis constat quidem eos in aquâ non baptizâsse; sed an in igne, et quomodò baptizaverint incertum est.

Sanè antiquissimum esse morem in Baptismo ignem seu ustionem usurpandi, constat ex Heracleone apud Clementem Alexandrinum in libro de Prophetiâ : *Quidam*, inquit, *obsignatorum aures igni notabant*. Et de Valentino Tertullianus ait :

Bis docuit tingi traducto corpore flamma.

Jacobitæ etiam à Jacobo Zanzalo Syro propagati, loco Baptismatis aquæ, ferro candente imprimunt in frontibus figuram crucis. Ita Bernardus Lutzemburgensis in Catalogo hæreticorum, lib. 2, verbo, *Jacobita*. Ignem quoque adhibere perhibentur Æthiopes.

Quidam etiam Manichæi dicti Cathari, duodecimo seculo, dicebant non esse in aquâ baptizandum, sed in igne, cùm Baptismus aquæ nihil proficiat. Ita refert Eckbertus presbyter, qui floruit an. 1160, sermone octavo adversùs quintam illorum Manichæorum hæresim, quæ est de Baptismo aquæ. Fundamentum erroris desumebant ex his verbis S. Joannis apud S. Matth., c. 3 : *Ille baptizabit vos in Spiritu sancto et igne* : quæ non ita interpretabantur, quasi vellent ignem et ustionem adhiberi debere in Baptismo; sed *Baptismus in igne dicitur*, ait ibidem Eckbertus, *propter ignem luminum quæ in circuitu ardent*. Narrat scilicet eos in hunc modum baptizâsse : *Locantur*, inquit, *luminaria copiosè in circuitu cum reverentiâ magnâ..... Statuitur in medio infelix ille qui baptizandus seu catharizandus est, et assistit ei archicatharus, tenens in manu libellum deputatum ad officium hoc, quem imponens vertici ejus dicit benedictiones.... orantibus cæteris qui circumstant... et sic perficitur ille Baptismus.*

6° Bellarminus, l. 1, de Baptismo, cap. 2, et post eum multi alii recensent inter hæreticos qui penitùs aquam è Baptismo eliminârunt, Paulicianos è sectâ Manichæorum, qui, teste Euthymio Panopliæ, part. 2, tit. 21, videntur pro elemento aquæ ea tantùm verba inter baptizandum substituisse : *Ego sum aqua viva*. Verùm ex Euthymio non videtur illud posse colligi : neque enim ille ait Paulicianos existimâsse Baptismum in his verbis positum esse, sed tantùm eos finxisse se suscipere Baptismum, eò quòd admitterent Evangelium; Baptismum autem esse Evangelii verba, quia Dominus dixit : *Ego sum aqua viva*. Unde colligi quidem potest, ejusmodi hæreticos circa vim et efficaciam Baptismi errâsse, non circa materiam, præsertim cùm, ut ibidem observat Euthymius, *illi infantes suos presbyteris baptizandos offerrent, eò quòd Baptismum corpori prodesse putabant, quamvis animæ nullam afferret utilitatem.*

7° Quidam Valdenses, ex Manichæorum sectâ, referente Ebrardo, c. 6 operis adversùs eos conscripti, aquam à Baptismo auferebant : *Hæretici*, inquit, *duo testimonia extinguunt, sanguinem in sacrificio, aquam in Baptismo non credunt.*

8° Flagellantes decimo tertio seculo exorti, per Italiam, Hungariam, Poloniam, Galliam et Germaniam diffusi, dicebant, *unumquemque baptizari debere proprio sanguine per flagella de corpore excusso*. Ita refertur in vitâ Gregorii papæ X, tom. 11 Conc., part. 1, p. 928. An verò illi rejecerint Baptismum aquæ, non affirmant auctores qui de illis scripserunt; et Gerso, qui contra illos tractatum edidit, tom. 1, part. 1, p. 636, edit. Parisiensis, an. 1606, ait quidem illos negligere confessionem sacramentalem et Pœnitentiam, imò et flagellorum dignitatem ac meritum ipsi martyrio anteponere; sed de rejecto ab illis aquæ Baptismo silet. *Constat*, inquit, *per experientiam, quòd taliter se flagellantes non curant de Sacramento confessionis vel Pœnitentiæ sacramentalis, dicentes quòd hæc flagellatio potior est ad delendum peccata, quàm quæcumque confessio imò eam æquiparant nonnulli vel præponunt martyrio, quoniam facimus, inquiunt, ultro fundendo sanguinem proprium, quod ab aliis martyres pati cogebantur.*

Castigandus hìc obiter Socinus, qui disputatione de Baptismo, cap. 15, ut ostendat perpetuum non fuisse in Ecclesiâ usum Baptismi aquæ, asserit, teste Dionysio Alexandrino apud Eusebium, à Novato abrogatum fuisse Baptismum. Verùm, aut mentem Dionysii non est assecutus Socinus, aut insigniter aberrat. Certum enim est Novatum non tantùm suos baptizâsse, sed et baptizatos à Catholicis iterùm baptizâsse, cùm ad suas transibant partes. Eo igitur duntaxat sensu dixit apud Euseb., l. 7 Hist., cap. 8, Dionysius Novatum abrogâsse Baptismum, quòd à Catholicis baptizatos ad se venientes iterùm baptizans, hoc facto, quantùm in se erat, Baptismum Catholicorum, utpote nullum, abrogaret.

Hactenùs de hæreticis primi ordinis qui visi sunt aquam ex Baptismo penitùs rejecisse.

Extitêre verò qui hanc quidem retinendam esse voluerunt usu communi et ordinario, sed in casu necessitatis posse Baptismum alio in liquore conferri censuerunt. Ita ille qui, referente Joanne Moscho, cap. 176, Judæum quemdam in eremo deficientem baptizavit in arenâ.

Presbyter ille de quo interrogatus fuit Stephanus II, S. Pontifex : qui, aquâ deficiente, periclitantem infantem vino abluerat.

In Norvegiâ fuêre etiam qui propter aquæ penuriam infantes baptizabant in cervisiâ : de quo Baptismo consultus Gregorius IX, S. Pontifex, à Nidrosiensi in Norvegiâ archiepiscopo, respondit secundùm doctrinam evangelicam baptizandum esse in aquâ.

Armeni quoque, referente Thomâ Valdensi, lib. 2, c. 114, in necessitate variè baptizant, *quidam in vino, quidam in lacte.*

Lutherus etiam in Colloquiis symposiacis, c. 17, interrogatus num deficiente aquâ liceret baptizare in lacte, respondit : *Quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptizandum.*

Idem sentit Theodorus Beza in suâ secundâ ad Tillium epistolâ. *Si desit aqua*, inquit, *et tamen Baptismus alicujus differri amplius cum ædificatione non possit nec debeat, ego certè quovis liquore, non minùs ritè quàm aquâ baptizarem.* Addit ibidem, (quod apertum est mendacium) *non aliter sentire scholasticos nostros.*

Palavicinus, lib. 9 Historiæ concilii Tridentini, cap. 7, inter varias propositiones ex recentioribus hæreticis Lutheranis et Calvinistis excerptas, hanc circa Baptismum refert : *Aqua vera et naturalis non est de necessitate Baptismi;* atque ideò verba illa Domini nostri Jesu Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto*, ad metaphoram detorqueri debent : quem errorem proscripsit synodus Tridentina, sessione 7, canone 2. Reipsâ enim Calvinus, lib. 4 Instit., cap. 15, per aquam Christi sanguinem vult intelligi, *propter mundandi abluendique similitudinem.* Dallæus quoque, lib. 2, de Confessione, cap. 3, cæterique vulgò Calvinistæ eamdem interpretationem amplectuntur.

Secundi ordinis hæretici, qui aquam Baptismi adulterârunt injectâ rerum aliarum mixtione, fuêre.

Quidam Marci discipuli dicti Marcosii è Gnosticorum sectâ : ii nempe, teste S. Epiphanio, hæresi 34, post S. Irenæum, oleum aquâ temperatum in Baptismo adhibebant. *Non desunt inter illos*, ait S. Epiphanius, *qui ad aquam perducere supervacaneum arbitrantur; sed oleum aquâ temperatum cum solemnibus carminibus initiatorum capita inspergunt, idque demùm redemptionem nominant.*

Antiquissimus auctor anonymus in tractatu quem scripsit adversùs S. Cyprianum cæterosque rebaptizantes, versùs finem, certos refellit hæreticos, qui ignem aquæ adjungendum esse in Baptismo contendebant, tùm propter hæc verba S. Joannis : *Ille* (Christus) *baptizabit vos in Spiritu sancto et igni;* tùm quia in libro qui *Pauli prædicatio* inscribitur, (supposititius ille est et nugis plenus) legebant, ignem super aquam visum fuisse, quando Christus fuit à Joanne baptizatus. Hinc est quòd illi fingebant, statim ac in aquam descendissent ut baptizarentur, ignem super aquam apparere. Putidum hoc figmentum refellit anonymus, cujus tractatus editus est ad calcem Operum S. Cypriani, et tom. 1 Conc., pag. 783.

Egbertus, Eboracensis archiepiscopus, in Excerptis, cap. 42, narrat suo tempore quosdam fuisse qui miscebant vinum cum aquâ Baptismatis ; *et hoc non rectè*, inquit, *quia Christus non jussit baptizari vino, sed aquâ.*

His præmissis, dogma catholicum sequenti conclusione demonstrabimus.

Conclusio. — Omnis et solâ naturalis seu elementaris aqua est remota Baptismi materia, eâque necessaria.

Tam expressè dogma istud in Scripturis continetur, et Ecclesiæ totius praxi ac traditione confirmatur, ut mirum sit potuisse in dubium revocari.

Probatur igitur 1° ex Scripturâ triplici argumento. A prophetiâ, seu promissione aquæ baptismalis ; à præcepto, et ab exemplo seu facto tùm Christi, tùm Apostolorum qui in aquâ baptizârunt.

1° Deus per Ezechielem, cap. 36, v. 25, promisit, et prædixit se per aquam omnes iniquitates nostras expurgaturum : *Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Quem locum haud dubiè respicit S. Paulus, Hebr. 10, v. 22, cùm ait : *Aspersi corda à conscientiâ malâ, et abluti aquâ mundâ.*

2° Mandavit Christus Apostolis, ut in aquâ baptizarent omnes gentes. Matth. 28, v. 19 : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Baptismum autem illum in aquâ fieri debere, declaravit Christus apud S. Joan. cap. 3, v. 5, his verbis : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde Apostolus, Ephes. 5, v. 25 : *Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam, et tradidit seipsum pro eâ, mundans eam lavacro aquæ.* Nomine autem aquæ, veram, naturalem et elementarem sensu proprio et litterali, non figurato et metaphorico esse intelligendam, manifestè demonstrat exemplum Christi et Apostolorum.

3° Postquàm Christus in suo cum Nicodemo colloquio, Joan. 3, dixisset neminem posse introire in regnum Dei, *nisi renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto;* ut verba facto comprobaret, v. 22, ejusdem capitis ita refertur : *Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. Erat autem et Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic.* Ex quibus perspicuum est, Christum cum discipulis suis baptizâsse baptismo aquæ veræ et naturalis, sicut ipse Joannes Baptista : unde orta quæstio discipulorum Joannis : *Rabbi*, inquiunt, v. 26, *qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Quin ipse Christus in aquâ baptizatus est à Joanne : Matth. 3, v. 6 : *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aquâ.* Idem refertur à S. Marco, cap. 1, v. 9, ubi in Jordane Christus à Joanne baptizatus dicitur.

Apostoli et discipuli Christi mandato obsequentes, in aquâ quoque baptizârunt. Act. 8, v. 36, de Philippo et eunucho Candacis reginæ ita narratur : *Dùm irent per viam, venerunt ad quamdam aquam; et ait eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?.... Et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum.* Ubi certè non figurato et metaphorico, sed proprio sensu vera et naturalis aqua debet intelligi, qualis iter facientibus occurrit.

Probatur 2° constanti ac perpetuâ Ecclesiæ totius praxi et traditione, quâ constat semper rejectum et improbatum fuisse Baptismum alio in liquore, quàm in aquâ, collatum.

Stephanus II, S. Pontifex (si tamen genuina est illius constitutio, de quâ infra inter objectiones), interrogatus de presbytero, qui cùm deesset aqua,

periclitantem infantem vino abluerat, respondit : *Quòd si aqua adfuit præsens, ille presbyter excommunicetur, et pœnitentiæ submittatur, quia contra canonum sententiam agere præsumpsit.*

Gregorius IX, interrogatus an valeret Baptismus datus in cervisiâ, respondit : *Cùm secundùm doctrinam evangelicam oporteat ex aquâ et Spiritu sancto renasci, non debent reputari ritè baptizati, qui in cervisiâ baptizantur.* Apud Raynaldum, ad an. 1241, n. 42.

Innocentius III, interrogatus de Baptismo cum salivæ conspersione facto, respondet, cap. *Non ut apponeres*, de Baptismo et ejus effectu, l. 3 Decretalium, titulo 42, *quòd cùm in Baptismo duo necessariò requirantur, scilicet verbum et elementum, dubitari non debet, illos verum non habere Baptismum, in quibus non solùm utrumque prædictorum, sed eorum alterum omissum est.*

Baptismum quoque in vino improbavit Ecclesia, ut colligitur ex decreto Yvonis, parte 1, de Baptismo, cap. 54.

Improbavit quoque Baptismum in arenâ collatum, ut constat ex Dionysio Alexandrino apud Nicephorum, lib. 3 Hist., cap. 37. Cùm enim ille interrogatus fuisset de Judæo in arenâ baptizato : *Ecclesiam eâ de re*, inquit historicus, *consuluit; cui visum est aquâ insuper, juxta Ecclesiæ traditionem, abluendum esse talem Judæum.*

Innumera hìc adduci possent in confirmationem conclusionis nostræ SS. Patrum utriusque Ecclesiæ testimonia ; verùm in re obviâ et facili unum aut alterum sufficiet ex veteribus testimonium.

S. Justinus, Apol. 2, de iis qui ad religionem nostram præformabantur, ait : *Deinde eò adducuntur à nobis ubi aqua est..... nam in nomine rerum cunctarum parentis et Domini Dei et Servatoris nostri Jesu Christi et Spiritûs sancti in aquâ tùm lavantur.*

Tertullianus, lib. de Baptismo, quem ab his verbis auspicatur : *Felix Sacramentum aquæ nostræ, quâ abluti delictis pristinæ cœcitatis in vitam æternam liberamur!* Dogma nostrum confirmat. cap. 4, aquas ab ipso Spiritu sancto sanctificatas fuisse, et sanctificandi vim combibisse ostendit : *De sancto*, inquit, *sanctificata natura aquarum, et ipsa sanctificare concepit.* Et paulò post : *Omnes aquæ de pristinâ originis prærogativâ sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt.*

Capite verò secundo ex professo refellit Caianitas, qui ex Baptismo aquam eo prætextu rejiciebant, quòd vilis esset et communis ; ostenditque eâ ipsâ de causâ à Christo electam fuisse, ut unicuique promptum facile et obvium foret ad veniam peccatorum obtinendam remedium.

S. Augustinus, tract. 15 in Joan. *Tollè aquam*, inquit, *non est Baptismus.*

Hàc constanti et universali traditione nixi Patres Tridentini, sess. 7, can. 2, sic definiunt : *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideò verba illa Domini Jesu Christi : Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

Dixi in conclusione 1° omnem aquam naturalem idoneam esse Baptismi materiam. *Nulla distinctio est*, ait Tertull., l. de Baptismo, c. 4, *mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit.*

Dixi 2° solam aquam naturalem materiam esse Baptismi, ut excludantur tùm alii omnes liquores, vinum, cervisia, et aquæ quæ ex floribus, herbis, fructibus, aliisve id generis exprimuntur, nec sunt vera et elementaris aqua : tùm omnis mixtio et compositio quæ aquæ elementaris substantiam immutare censetur ; alia enim mixtio cum quâ salva et integra remanet aquæ natura et substantia, nec Baptismi integritati nocet, nec rejicienda, qualis est, v. g., mixtio chrismatis, quod in solemni consecratione fontis baptismalis, aquæ infunditur. Pariter accidentalis aquæ mutatio Sacramento non officit : sit, v. g., aqua calida vel frigida, munda vel immunda, dulcis aut salsa, nihil interest ad substantiam Sacramenti : unde nix, grando, glacies, cùm sit vera aqua, idonea quoque est Baptismi materia, quando nempe resoluta est et liquata, non verò quando ita est concreta et congelata, ut fluere non possit nec lavare, sicut observat Rituale Romanum Pauli V. Cavere autem debent diligenter pastores, ut aqua baptismalis munda sit et pura, *quæ sacramenti dignitati magis consentanea est*, inquit S. Carolus Borromæus in Instructione Baptismi, nisi fortè urgeat necessitas ; quo casu quæcumque aqua naturalis obviâ, etsi lutulenta, potest usurpari.

Dixi 3° aquam esse solam materiam necessariam, quia nec chrisma quod aquæ infunditur in solemni fontis consecratione, *nec benedictio aquæ est de necessitate Baptismi*, inquit S. Thomas, 3 part., q. 66, art. 5, ad 5, *sed pertinet duntaxat ad quamdam solemnitatem, per quam excitatur devotio fidelium, et impeditur astutia dæmonis, ne impediat Baptismi effectum.*

Aquâ tamen benedictâ (quantùm fieri potest) uti debent ministri inter baptizandum : tùm quia ita expressè ferunt libri rituales, inprimis Romanus Pauli V, tùm quia antiquissima est illa aquæ baptismalis benedictio, de quâ Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 4, ubi aquas propter hanc benedictionem seu consecrationem *medicatas appellat.* Et S. Cyprianus, epistolâ 70 ad Januarium : *Oportet*, inquit, *mundari et sanctificari aquam prius à sacerdote, ut possit Baptismo suo, peccata hominis qui baptizatur, abluere.* Et S. Ambrosius, lib. 1, de Sacramentis, cap. 5, ait formam Baptismatis et usum hoc habere, *ut ante fons consecretur, et tunc descendat qui baptizandus est.* Et l. 2, cap. 5 : *Venit*, inquit, *sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen*, etc. S. quoque Augustinus illius consecrationis mentionem facit, lib. 6 de Baptismo contra Donatistas, et l. 9 contra Julianum, cap. 8. Idem confirmat Victor Vitensis, lib. 2 de Persecutione Vanda-

licâ. Inter Græcos idem quoque testantur S. Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 27, et in Psalm. 48; S. Gregorius Nyssenus, oratione de Baptismo; S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 3; S. Chrysostomus, hom. 13 in Marcum, et auctor tùm Constitutionum Apostolicarum, lib. 7, c. 43, in quo describitur fontium benedictio; tùm operis de cœlesti Hierarchiâ, cap. 2, quod Dionysio Areopagitæ à nonnullis tribuitur (1).

Quæres quare Christus aquam pro materiâ Baptismi assumpserit.

Resp. 1° in ejusmodi factis voluntatem facientis esse supremam regulam et rationem.

(1) « Qui domi in necessitate baptizant, inquit Collet, curare debent ut aquâ benedictâ utantur, quia est id decentius, magisque accedit ad praxim Ecclesiæ. In Baptismo solemni aqua esse debet chrismate permixta, eodemque anno in privilegio Paschæ aut Pentecostes benedicta. Hæc nimirùm est antiqua Ecclesiæ praxis, juxta id S. Basilii, lib. de Spir. S.: *Benedicimus aquam Baptismatis, et oleum unctionis.* Et licèt in hoc à Latinis differant Græci, quòd illi bis in anno tantùm, hi verò quoties ministrandum est Baptisma aquam consecrent, haud tamen recens est apud Græcos consecratio hæc, sed ut videtur, jam ab initio usurpata. Hanc certè indicant Dionysius, lib de Eccles. Hierarchiâ, Gregorius Nyssen., Orat. de Bapt. et euchologium quo ab annis ampliùs mille utuntur Græci.

« Non convenit an gravis sit obligatio præfatam aquam in solemni Baptismo adhibendi. Sunt qui in ejus omissione levem solùm culpam inesse putent; quia, inquiunt, benedictio hæc nec ad essentiam aut integritatem Sacramenti confert, nec grave quidpiam mysterium significat. Alii grave hìc peccatum admittunt: ità vel ipse Diana, et meliùs: 1° Quia aqua chrismate delibata expressiùs significat unctionem Spiritûs sancti; 2° quia Ecclesiæ solemnitas in consecrando chrismate, ejusque in eodem asservando cura, non levis obligationis indicia esse videntur; 3° quia graviter reus judicari solet, seu episcopus qui *non per singulos annos in cœnâ Domini chrisma conficit*, seu parochus qui non recenti, sed anni præcedentis chrismate, quod post Pascha comburere debuerat, utitur, ut ex veteri canone colligit Pontas, v. *Baptême*, cas. 6; quanto igitur delinquet graviùs qui nec novo nec antiquo chrismate uti voluerit?

« *Animadvertat* ergo *parochus*, ait S. Carolus Borrom. in Instructionibus suis, *ut aqua, quæ materia sacramenti Baptismi est, non solùm vera naturalisque sit, sed etiam eo ipso anno... benedicta in sabbato sancto, aut sabbato Pentecostes.*

« *Et quoniam interdùm accidit ut in summâ hieme baptismalis aqua vi frigoris conglaciet, aut gelida nimis fiat, tunc ut aliquo calore liquefacta aut calefacta, usui ad baptizandum infantem esse possit, aliam aquam vase mundo calefactam immisceri licet, quæ aqua calefacta longè paucior erit, quàm illa quæ benedicta est. Quâ in re etiam cavebit sacerdos, ne quid aliud commisceat quàm aquam puram et naturalem, quamvis calidam.*

« *Ne verò temeraria manus abutatur aquâ baptismali ad superstitionem et perniciem, sacerdos fontem ex præscripto benè communitum, serâ etiam clavique claudet, quam ne clerico quidem committens, apud se custodiet perpetuò.* »

Nota etiam verba sequentia Rit. Rom.: *Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minùs sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate; si verò corrupta fuerit aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, parochus in fontem benè mundum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat.* (Edit.)

Resp. 2° SS. Patres hujus facti has congruas rationes afferre: 1° Quia ad Sacramentum absolutè omnibus et singulis necessarium voluit Christus commune et omnibus obvium seligere elementum. Ita Tertullianus, lib. de Baptismo, c. 2; 2° quia in Baptismo datur Spiritus sanctus, qui, in ipso rerum exordio, in aquis sedem suam præcipuè constituit, quibus incubabat ut fœcunditatem ipsis imprimeret. *Gratior enim tunc sedes erat cæteris elementis*, ait Tertullianus, c. 3, lib. de Baptismo; 3° quia aquâ usus est Deus ut mundo decorem et ordinem daret; ut terram à cœlo divideret, aquis interjectis; ut hominem de limo formaret: aquis denique primùm fœcunditatem indidit. *Primus liquor*, inquit ibidem Tertullianus, *quod viveret edidit.* Nihil igitur mirum, si in Baptismo quo homo renovatur, atque novus veluti creatur, quo animæ suus splendor ac vita redditur, aquas Christus adhiberi voluerit. *Non mirum sit*, ait ibidem Tertullianus, *si in Baptismo aquæ animare noverunt. Non igitur dubitandum*, concludit ille, *quin materiam, quam in omnibus rebus et operibus suis Deus disposuit, etiam in Sacramentis propriis parere fecit;* 4° quia similitudo quædam est analogia inter effectum aquæ in corpore, et effectum Baptismi in animâ. Sicut enim aqua sordes corporis extergit et mundat, ita Baptismus sordes animæ, id est, peccata, ait S. Ambrosius, aut quisquis auctor est apud ipsum commentarii in Epistolam ad Romanos, c. 6: *Sicut aqua refrigerat ardorem corporis, ita Baptismus ardorem concupiscentiæ*, ait S. Hieronymus, epist. 8 ad Oceanum. *Et sicut aqua extinguit ignem elementarem*, inquit S. Anselmus, *ita Baptismus exstinguit ignem gehennæ.* Sicut denique aqua sedat corporalem sitim, ita fons Baptismi sanctorum desideriorum sitim explet spiritualem.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1°: Præcipua dogmatis catholici probatio desumitur ex citatis Christi verbis apud S. Joan., cap. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Atqui eò loci aqua non debet proprio sensu pro naturali et elementari usurpari, sed metaphorico, nempe vel pro interiori afflictione et pœnitentiâ, vel (quod verisimilius) pro ipso Spiritu interius lavante et mundante instar aquæ; ita ut particula et, non conjunctivæ, sed expositivæ vim habeat et significet *id est.*

Minor probatur.

1° Quia in textu græco non legitur ex aquâ et Spiritu sancto, sed tantùm ex aquâ et Spiritu ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, quod idem est ac spiritu aqueo, id est, Spiritu mundante et lavante instar aquæ: solet quippe Scriptura ad unum quid significandum duos terminos per copulativam et conjungere, v. g., Act. 17, v. 25, dicitur, *vita et inspiratio*, quod idem est ac *inspiratio vitæ.* Et Coloss. 2, v. 8: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam*, id est, *per inanes fallacias philosophiæ.* Unde S. Chrysostomus, hom. 31, observat, à Scripturâ *sancti Spiritûs gratiam, modò ignem, modò aquam* appellari.

2° Nomine aquæ in citato loco non magis debet intelligi materia Baptismi, quàm nomine Spiritûs : atqui certum est Spiritum non esse Baptismi materiam ; ergo, etc.

3° Christus eò loci exprobrat Nicodemo quòd ignoraret posse hominem denuò nasci : *Quomodò*, inquiebat, *potest homo nasci cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire et renasci?* Cui Christus : *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?* Porrò si Christus de verâ aquâ ad renascendum necessariâ locutus fuisset, immeritò Nicodemo objecisset quòd hoc ignoraret; quomodò enim id vel suspicari potuisset? Si verò locutus supponatur sensu metaphorico, de aquâ spirituali, id est, de gratiâ Spiritûs sancti mundante velut aquâ, quâ renovandi et quasi de novo creandi sunt homines, istud intelligere facilè potuisset et debuisset Nicodemus, ac meritò reprehenditur, quòd hoc ignoraret : cùm enim versatus esset in Scripturis, meminisse poterat à Jeremiâ et Ezechiele scriptum esse, fore tempus quo Deus novum homini cor daturus esset, ac missurus Spiritum à quo omnia erant renovanda, et ad meliorem sortem immutanda.

4° Non magis per aquam apud S. Joan. debet intelligi vera et naturalis aqua, quæ sit Baptismi materia, quàm per ignem apud S. Matth., c. 3, v. 10, debeat intelligi verus et elementaris ignis quo baptizandi sunt Christiani : *Qui post me venturus est*, ait S. Joannes Baptista, *fortior me est; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Atqui certum est ignem eò loci sensu metaphorico usurpari pro Spiritu, qui instar ignis pectora inflammat, et omnes peccatorum spinas comburit; ergo, etc.

5° Denique, S. Joannes, loco mox citato, Matth. 3, manifestè declarat suum Baptismum discrepare maximè à Baptismo Christi, quòd ipse in aquâ in pœnitentiam baptizaret, Christus verò in Spiritu sancto. — Resp. Nego min. interpretatio quippe hæc à recentiore conficta, tam est absona, tam loci circumstantiis, facto et exemplo tùm Christi tùm Apostolorum adversa, ut veteribus hæreticis, quanquàm aliunde Baptismo nostro infensis, nusquàm in mentem venerit. Imò tam clara et expressa visa est Pelagianis Christi sententia, Joan. 3, v. 5, ut illius evidentiâ convicti, coacti fuerint distinguere, regnum cœlorum à vitâ æterna, ut faterentur infantes sine Baptismo morientes excludi quidem à regno cœlorum, propter verba Christi : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., vitâ tamen æternâ donari, propter innocentem eorum naturam ab omni labe originali liberam. Ita S. Aug., l. 1, de Peccatorum meritis et remissione, cap. 20, et l. 3, cap. 13.

Ad primam probationem : falsum est apud S. Joan. idem esse aquam et Spiritum ; aut Spiritum per aquam analogicè tantùm significari : duo enim sunt distincta, quorum unum est elementum exterius, nempe aqua quæ symbolum est Spiritûs, et alterum interius, nempe gratia Spiritûs sancti.

Nec obstat 1° quòd in Græco non legatur, *ex Spiritu sancto*, sed simpliciter *ex Spiritu*. Quis enim vel tantisper in Scripturis versatus ignorat, nomine spiritûs per excellentiam designari Spiritum sanctum? Sic Marci 1, v. 1, dicitur : *Cùm baptizatus est Christus, vidit* (Joannes) *cœlos apertos, et Spiritum tanquàm columbam descendentem.* Spiritum autem illum esse tertiam SS. Trinitatis personam, quam S. Matth. c. 3, v. 6, appellat *Spiritum sanctum*, nemo dubitat. Debet igitur attributum illud, *Sanctus* suppleri apud S. Joan. cap. 3, v. 5, ex aliis locis, præsertim ex cap. 1 S. Marci, v. 8, ubi Joannes Baptista de suo et Christi Baptismate ait : *Ego baptizavi vos aquâ, ille verò baptizabit vos in Spiritu sancto.*

Nec obstat 2° mos Scripturæ eamdem duobus terminis per copulativam *et* aliquando exprimentis : namque etsi id concedamus, immeritò tamen ad citata verba Christi, Joan. 3, v. 5, observatio hæc accommodatur, quasi idem planè significetur per aquam et Spiritum. Pari quippe jure contendere posset Socinianus aliquis, per ista nomina, *Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, significari tantùm unam et eamdem personam trinominem. An ferrent Lutherani et Calvinistæ? non puto. Loci ergo circumstantiæ, subjecta materia, Ecclesiæ totius praxis et traditio expendi debent, ut legitimus sensus verborum Christi, et particulæ copulativæ, *et*, vis ac significatio cognoscatur. Explicativæ quidem particulæ vim aliquando habere particulam, *et*, nemo negat; sed quis ausit nisi mente captus, affirmare constantem esse ac perpetuum hunc illius usum in Scripturis? nemo profectò. V. g., cùm, Matth. 3, v. 10, S. Joannes de Christo ait : *Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto et igne :* particula *et*, eò loci non significat *id est*, nemo quippe dixerit per Spiritum sanctum ignem significari, cùm ex adverso ignis conflagrans sit symbolum Spiritûs sancti peccata consumentis.

Nec obstat 3° auctoritas S. Chrysostomi : ait enim apud Scripturam Spiritûs sancti gratiam aliquando designari per ignem vel per aquam; sed nusquàm ait, citato cap. 3, S. Joan., v. 5, idem significari per aquam et per Spiritum sanctum.

Ad secundam probationem nego ant. Planè inauditum est apud theologos, Spiritum sanctum esse materiam alicujus Sacramenti : appositè igitur ad rem subjectam, apud S. Joannem aqua supponit pro materiâ Baptismi, Spiritus verò vel pro causâ efficiente primariâ gratiæ, vel pro ipsâ gratiâ quæ est effectus Baptismi.

Ad tertiam, dico 1° Christum non arguendo neque exprobrando, sed docendo potiùs, et hominis superbiam sanando, Nicodemo dixisse : *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?* hominem nempe posse denuò spiritaliter renasci. Homini non insultat, inquit S. Augustinus, tract. 12 in Joan., sed ejus superbiam sanando ad humilitatem disponit : aut si insultat, tanquàm indocto insultat, ut superbiam deponat.

Dico 2° non immeritò potuisse Christum huic legis doctori exprobrare, quòd ignoraret hominem posse

denuò nasci per aquam, non quidem corpore, sed spiritu : quia scilicet cùm esset in lege peritus, ignorare non debuit scriptum esse apud Ezechielem, cap. 36, v. 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, etc., *et dabo vobis cor novum*. Et apud Psalmistam, Psal. 103, v. 30 : *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ*, et alia hujusmodi quæ de renovatione et creatione interiori ac spiritali per gratiam animis infundendam, intelligi tantùm possunt, nec tamen intelligebat Nicodemus, quamvis legis doctor, adeò nempe defixus erat illis pharisaicis mundationibus, ut nihil sublimius animo concipere t; quanquàm vel ex ipsis judaicis ritibus et mundationibus domesticum ac familiare quoddam exemplum et symbolum habere poterat novæ cujusdam nativitatis.

Qui enim apud Judæos à cultu falsorum deorum conversi Moysis Religioni nomen dabant, tot ritibus, tot lotionibus præparabantur et præformabantur, ut novi veluti homines haberentur; 1° quippe ci cumcidebant eum; 2° in cœtu publico præsentibus ad minus tribus Judæis, baptizabant; tùm vitæ præteritæ detestationem ab eo exigebant. Tenebatur coram profiteri, se neque ambitione, neque avaritiâ moveri ad amplectendam Judæorum religionem : in fide instruebatur; promittebat se verum Deum adoraturum, et universam legem observaturum. His omnibus ritibus initiatus proselytus, à Judæis tanquàm novus homo habebatur; et ut loquitur S. Petrus primæ Epistolæ cap. 2, v. 2, *sicut modò geniti infantes*; ad quæ profectò, si attendisset Nicodemus, et supra res corporeas paulò, ut debebat, mentem erexisset, facilè intellexisset, posse hominem in Baptismo Christi interiùs per gratiam renovari et renasci.

Ad quartam, nego ant. Nullus enim nisi hæreticus, unquàm contendit ignem esse in Baptismo Christi usurpandum. Utriusque ergo loci, tum S. Joannis, tùm S. Matthæi, explicatio et interpretatio tutior haberi non potest, quàm ex praxi tùm Christi et Apostolorum ejus, tùm universæ per orbem sparsæ Ecclesiæ : at certum est nusquàm Christum, aut discipulos ejus, aut quemcumque fidelem baptizâsse in igne; è contra certissimum, in aquâ Christum ejusque discipulos, eorumque exemplo totam subinde Ecclesiam baptizâsse : igitur apud S. Joannem, aqua materiæ Baptismi locum tenet; et apud S. Matth. ignis, non materiam, sed effectum Baptismi symbolicè significat. Atque inter istas duas Evangelistarum sententias non leve discrimen esse observat Estius in 4, dist. 3, paragr. 7 : *In priori enim*, inquit ille, *ignis postponitur Spiritui sancto, in posteriori aqua præponitur. Ex quo datur intelligi ibi quidem ignis vocabulum adjunctum, tanquàm ejus quod antecedit determinationem, quâ nimirùm certa proprietas Spiritûs sancti designaretur; hic vero aquam priori loco nominatam, ne per eam proprietas aliqua Spiritui sancto adjuncta intelligeretur, sed in significatione suâ propriâ accideretur*. Ita Estius. Supra, varias Baptismi significationes exponendo observavimus, inter SS. Patres aliquos esse qui per ignem sensu spiritali intelligant proprietatem Spiritûs sancti, alios verò ad litteram intelligere species illas linguarum ignearum quæ supra capita Apostolorum dispertitæ visæ sunt in die Pentecostes; et quæ sensu accommodatitio Baptismus dictæ sunt, propter abundantem et copiosam Spiritûs sancti gratiam : de quo intelligitur istud, Act. 1, v 5 : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos dies*.

Ad quintam : S. Joannes discrimen quidem maximum assignat inter suum et Christi Baptismum, non ratione materiæ; uterque enim erat in aquâ, et inde exorta contentio discipulorum Joannis : sed ratione effectûs seu gratiæ, cujus expers erat Baptismus Joannis, utpote in aquâ solâ; sed quam conferebat Baptismus Christi, qui erat in aquâ et in Spiritu sancto.

Objicies 2° : Aquâ deficiente in casu necessitatis baptizatus fuit Judæus in arenâ, et Baptismus ille divino miraculo confirmatus est ac comprobatus. Factum narrat Joannes Moschus in Prato spirituali, cap. 176, et post eum Nicephorus, lib. 3 Historiæ ecclesiasticæ, cap. 37 : *Cùm Judæus*, inquit, *per loca arida iter faceret, ac subitò deficientibus viribus moriturus crederetur, ter superfusâ in eum arenâ, baptizatus est, ac per hanc*, inquit historicus, *tam insolitam et admirandam sanctorum mysteriorum initiationem, imbecillitate omni tanquàm vinculo quodam solutus, vadiùs quàm alii iter fecit*.

Resp. : Nego ant. : Hæc quippe tam subita virium reparatio divinitùs concessa, non Baptismo in arenâ dato referenda est, sed fidei et pietati singulari illius Judæi.

Ex ipsâ siquidem historicâ narratione, tùm à Joanne Moscho primùm, tùm à Nicephoro scriptâ, patet Baptismum hujusmodi nullum et irritum declaratum fuisse ecclesiastico judicio, atque Judæum aquâ fuisse subinde baptizatum. *Postquàm autem* pergit Nicephorus, *domum sunt reversi, rem illam ad Dionysium Alexandriæ episcopum retulerunt. Ille verò admiratione stupens, Ecclesiam eâ de re consuluit; cui visum est aquâ insuper, juxta Ecclesiæ traditionem, esse abluendum*. Idem narrat Joannes Moschus.

Quis reipsâ fuerit Dionysius ille; an Alexandrinus, ut ait Nicephorus; an Corinthius, ut placet Baronio; an Ascalonita, qui florebat circa annum 650, ut insinuat Joannes Moschus, litigant auctores. Longè verisimilius est fuisse Ascalonitam : tùm quia Joannes Moschus, qui omnium primus historiam illam scripsit, ita suggerit : tùm quia Nicephorus narrat historiam illam contigisse tempore Marci Aurelii Antonini imperatoris; sed Dionysius Alexandrinus vixit non Aurelio Antonino imperante, sed annis sexaginta post tempora Philippi imperatoris.

Objicies 3° auctoritatem duorum SS. Pontificum, Siricii et Stephani II.

Siricius creatus Pontifex an. 385, in responso quod extat in duobus Codicibus manuscriptis optimæ notæ, sic loquitur : *Presbyter qui in vino baptizat pro maximâ*

necessitate, ut æger non periclitetur, pro tali re nulla ei culpa adscribatur; infans verò ille, si in sanctissimâ Trinitate baptizatus est, in eo Baptismo permaneat.

Stephanus II, creatus Pontifex an. 752, cùm apud Gallos versaretur in villâ Carisiaco, Brittaniaco monasterio, ad varia consulta respondens, quæ Sirmondus repræsentat, tom. 2 Conc. Galliæ, et extant t. 6 Conc. Labbæi, p. 1652, n. 11, de Baptismo in vino hæc habet: *Si in vino quis, propterea quòd aquam non inveniebat, omninò periclitantem infantem baptizavit, nulla ei inde adscribitur culpa. (Infantes sic permaneant in eo Baptismo.) Nam si aqua adfuit præsens, ille presbyter excommunicetur, et pœnitentiæ submittatur; quia contra canonum sententiam agere præsumpsit.* — Resp. 1° si vera et genuina essent illa Siricii et Stephani decreta, vim et auctoritatem non habere, quæ nusquàm ab Ecclesiâ probata et recepta fuêre: unde rei catholicæ nullum damnum ac periculum accederet. Resp. 2° verisimile prorsùs videri, falsò et mendaciter decretum istud Siricio vel Stephano imputari. 1° Quis facilè crediderit summos illos Pontifices ignorâsse, quod neminem ne tenuiter quidem de rebus theologicis imbutum latet? 2° Ex tribus codicibus manuscriptis qui responsa illa continent, duo ea adscribunt Stephano II, tertius verò Siricio. 3° Non consentiunt illi codices in historicâ narratione. 4° Respondendi modus alienus prorsùs videtur à stylo Stephani, qui responsa sua confirmare solet auctoritate Leonis, vel Innocentii: hìc verò nullum sui responsi vadem appellat. 5° Presbyter qui, aquâ non deficiente, in vino baptizâsse refertur, hoc responso Stephani excommunicatur, et pœnitentiæ subjicitur, *quia contra canonum sententiam agere præsumpsit.* Frigida profectò ratio quasi potior non esset institutio Christi, ac Ecclesiæ totius praxis ac traditio. 6° Adulteratum esse codicem illum Laudunensem inde conjiciunt auctores notæ marginalis tomi 6 Conc., pag. 1652, quòd cùm de uno infante quæstio proposita fuisset, in plurali nihilominùs numero dicatur: *Infantes sic permaneant in eo Baptismo:* è margine in textum adulterâ manu intrusa hæc verba fuisse iidem auctores suspicantur. 7° Nullus ex summis Pontificibus, post Siricium et Stephanum, illius responsi mentionem facit; imò et Gregorius IX et Innocentius III, et alii omnes unanimi suffragio rejecerunt et improbârunt Baptismum alio in liquore, quàm in aquâ naturali et elementari collatum.

Conjiciunt nonnulli, Stephanum, de quo hìc quæstio est, Tornacensem esse hujus nominis episcopum, non Romanum pontificem. Conjecturæ istud est fundamentum, nempe ad calcem codicis S. Mariæ Laudunensis hæc legi: *Finis definitionum Stephani papæ Tornacensis.* Codicem hunc non vidimus: at certè illum vidit Sirmondus qui eum repræsentat. Sirmondus autem sic legit: *Expliciunt quæ domnus papa Stephanus in Carisiaco villâ, Brittaniaco monasterio ad interrogata dedit responsa.*

ARTICULUS III.

DE MATERIA PROXIMA BAPTISMI.

Certum est materiam proximam alicujus Sacramenti consistere in usu seu applicatione materiæ remotæ; ac consequenter in Baptismo ablutionem esse hujus Sacramenti materiam proximam. Cùm verò ablutio tribus modis perfici possit, nimirùm immersione, infusione, vel aspersione, de triplici illo baptizandi modo, an validus et licitus sit hìc quæritur.

An valeat Baptismus per immersionem, infusionem, vel aspersionem datus.

Circa immersionem in Baptismo longò seculorum tractu observatam, tria quæruntur: ejus antiquitas, tum in se, tum ratione numeri, trinæ vel unius, et ritûs in eâ observari soliti.

Antiquitas immersionis, et quidem trinæ, in Baptismo.

Conclusio. — Ritus immersionis trinæ in solemni Baptismi administratione ab Apostolis usurpatus, ab ecclesiâ, tum Græcâ tum Latinâ, constanter retentus fuit usque ad decimum tertium Ecclesiæ seculum, quo primùm à Latinis immutari cœpit.

Probatur prima pars conclusionis veterum monumentis.

1° Ex ipsâ significatione litterali Baptismi; Baptismus quippe idem est ac tinctio, immersio, lotio.

2° Ex facto Christi et Apostolorum qui in aquâ baptizabant, sicut ipse Joannes, c. 3, v. 23. At iste baptizabat immergendo: hinc dicitur baptizâsse *in Ænnon juxta Salim; quia aquæ multæ illìc erant.* Et Christus ipse non alio modo baptizatus est à Joanne; unde apud S. Matth., cap. 3, v. 16, dicitur, *postquàm baptizatus fuit, ascendisse de aquâ;* quia nempe iis totus primùm immersus, ab iis subinde emersit seu ascendit.

3° Probatur ex longo et antiquo usu ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ.

Pro ecclesiâ Græcâ testes sunt

S. Justinus, Apologiâ 2: *Deinde*, inquit, loquens de iis qui ad Baptismum informabantur, *eò adducuntur à nobis ubi aqua est.... Nam in nomine rerum cunctarum parentis Domini Dei, et Servatoris Nostri Jesu Christi, et Spiritûs sancti, in aquâ tùm lavantur.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi mystagogicâ secundâ ad baptizatos, ubi mysticam rituum Baptismi significationem exponit, aitque baptizandos primò toto corpore nudari, deinde oleo exorcisato à summis capillis ad plantam usque pedis ungi, tùm ad sanctum lavacrum duci, ac ter in aquâ mergi.

S. Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 27: *Jam*, inquit, *ter immergi hominem, unde èx Scripturâ haustum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Satanæ et angelis ejus, ex quâ Scripturâ habemus? Nonne ex minimè publicatâ et arcanâ hâc traditione?*

S. Chrysostomus, hom. 6 in Epist. ad Colossenses, ait nos depositis vestimentis nudos in aquis Baptismi descendere. *Hìc nuditas*, inquit, *et illìc nuditas. Sed*

illic quidem cùm peccâsset nudatus fuit, quoniam peccavit : hìc autem nudatur, ut liberetur.

Theodoretus, lib. 4 hæreticarum Fabularum, cap. 3 observat Eunomium hæreticum omnium primum ab usu apostolico et recepto recessisse ; ac unam, loco triplicis, immersionem usurpâsse, cæterosque Baptismi ritus immutâsse : quippe qui 1° semel immergebat ; 2° non stantes, sed in solio sedentes, aut jacentes mergebat, nec totos, sed à solo capite usque ad pectus, et quidem inverso capite ; quia nempe inferiores partes execrandas esse, et sacro lavacro indignas contendebat ; 3° consuetam Baptismi formam non retinebat, sed in mortem Christi baptizabat. Idem Eunomio tribuit concilium primum Constantinopolitanum, can. 7, et Quinisextum, can. 95. Sozomenus tamen, lib. 6 Hist., cap. 26, ait, *Alios* (quos arbitratur veriora dicere) *asserere Theophronium Cappadocem, et Eutychium hæreseos Eunomii acerrimos defensores, cùm se ab illo abrupissent, ea quæ ad Baptismum pertinent primos innovâsse.*

Illos haud dubiè perstringit canon 50, eorum qui Apostolici dicuntur, qui etsi reipsà Apostolorum non sint, ex antiquissimis conciliis expressi sunt. Sic habet canon ille : *Si quis episcopus aut presbyter non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.*

Denique omnes rituales libri quibus utuntur Græci, mentionem faciunt illius trinæ immersionis baptismalis, ut legere est apud Goarium in euchologio Græcorum, pag. 355 et 365. Unde Arcudius, l. 10, de Sacramentis, cap. 7 : *Cùm Græci*, inquit, *soleant infantes totos in aquam mergere, causa potissima est cur aquam calefaciant.*

Observat tamen Goarius, loco mox citato, p. 365, Græcos nunc infusione uti. *Quoad enim licuit observare*, inquit, *puerum sedentem vase vel pelvi ad cubitum profundo, ter superinfusâ aquâ calidâ purificant : vel certè ne aquæ copiâ obruatur, et fortè nimiam epotet, pronum positum, et sinistrâ in ventre sustentatum, sacerdos capite et toto corpore aquis salutaribus abluit et lustrat ; hasque infusiones non dubitant Græci immersiones appellare.*

Pro ecclesiâ Latinâ sunt

Tertullianus, libro adversùs Praxeam, cap. 26 : *Novissimè*, inquit, *mandans* (Christus) *ut tingerent in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non in unum ; nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur*. Et libro de Coronâ militis, cap. 3 : *Dehinc ter mergitamur ampliùs aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit.*

S. Cyprianus, epist. 76, quærenti Magno an valeret Baptismus per aspersionem vel infusionem datus, respondet valere necessitate premente : quo certè insinuat, in usu et praxi communi per immersionem solitum fuisse conferri Baptismum ; qui usus adeò constans et universalis fuit, ut Magno dederit occasionem sciscitandi an alio modo datus Baptismus ratus esset.

S. Ambrosius, lib. 2, de Sacramentis, cap. 6, ait *inventum esse quomodò homo vivus moreretur, et vivus resurgeret. Quid est vivus? Hoc est, vitâ corporis vivens cùm veniret ad fontem, et mergeretur in fontem.* Et cap. 7. *Interrogatus es*, inquit, *credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti : Credo, et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterùm interrogatus es ; credis in Dominum nostrum Jesum Christum, et in crucem ejus? Dixisti : Credo, et mersisti. Tertiò interrogatus es, credis et in Spiritum sanctum? Dixisti : Credo ; tertiò mersisti.*

S. Hieronymus, dial. adversùs Luciferianos : *Multa*, inquit, *quæ per traditionem in Ecclesiâ observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare.*

S. Gregorius Magnus consultus à Leandro episcopo Hispalensi, de ritu baptizandi per trinam immersionem, quem nonnulli Hispani primùm immutaverant, semel tantùm mergendo, in odium scilicet et detestationem Arianorum qui trinâ immersione abutebantur in erroris sui confirmationem ; consultus, inquit, S. Pontifex, ratum quidem habet Baptismum unicâ immersione collatum, sed trinam apud Romanos usurpari immersionem declarat, lib. 1, epist. 43, aliàs 41 : *In unâ fide*, inquit, *non officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa : nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dùm tertiò ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur.*

Ordo Romanus, cap. de Sabbato sancto sic præscribit : *Acceptis infantibus à parentibus vel patrinis eorum, baptizant eos sub trinâ mersione, tantùm sanctam Trinitatem semel invocantes ita dicendo : Ego baptizo te in nomine Patris, et mergit semel ; et Filii, et mergit iterùm : et Spiritûs sancti, et mergit tertiò.*

Synodus Celychitensis in Angliâ, an. 816, cap. 11 : *Sciant*, inquit, *presbyteri quando sacrum Baptismum ministrant, ut non effundant aquam super capita infantium, sed semper mergantur in lavacro, sicut exemplum præbuit per semetipsum Dei Filius omni credenti, quando esset ter mersus in undis Jordanis. Ita necesse est secundùm ordinem servari et haberi.*

Idem planè testantur qui de divinis Officiis scripsêre apud Latinos, Alcuinus, Amalarius, Walafridus Strabo, qui nono floruêre Ecclesiæ seculo. Imò nonnullis tam severè et constanter retinendus visus est ritus trinæ immersionis, ut oppositum Hispanorum morem veluti errorem damnare non timuerint, ut Alcuinus, epist. 81, ad Paulinum, et 69 ad Fratres Lugdunenses ; ubi certè paulò severiùs et ultra modum damnat ritum à Gregorio Magno et Toletanâ synodo IV non improbatum.

Idem Auxilius in præfatione secundi libri de validitate Ordinum quos dederat Formosus papa.

Idem et Fulbertus Carnotensis, qui floruit undecimo seculo, epist. 1 ad Adeodeatum ; et Petrus Damianus, lib. 6, epist. 35, ad suæ congregationis monachos.

Idem duodecimo seculo S. Bernardus, serm. in Cœnâ Domini.

Apud Magistrum Sententiarum, qui an. 1164 ex-

tremum diem obiit, cùm de proximâ Baptismi materiâ loquitur, altum est silentium de aspersione vel infusione. Paulò ante ipsum Hugo Victorinus ait, *homines nudos baptizari.*

Denique S. Thomas, qui obiit die 7 martii, an. 1274, 3 parte, q. 66, art. 7, ait, *tutius esse baptizare per modum immersionis, quia hoc habet usus communior.* Et art. 8, in corpore ait, *ministrum graviter peccare qui aliter quàm immergendo baptizat, quia ritum Ecclesiæ non observat.*

S. quoque Bonaventura qui eodem anno obiit, idem testatur in 4, dist. 3, q. 1. Igitur usque ad seculum decimum tertium obtinuit apud Latinos ritus trinæ immersionis in Baptismo.

Unde falsò Michael Cærularius undecimo seculo Latinos calumniabatur, quòd per trinam immersionem non baptizarent.

Dixi in conclusione, immersionem fuisse constanter observatam in solemni administratione Baptismi: namque in Baptismo privato qui clinicis et aliis urgente necessitate conferebatur, aspersio vel infusio aquæ, tanquàm sufficiens ad veritatem Sacramenti, usurpabatur, ut constabit ex dicendis paulò post.

Secunda pars conclusionis, nempe immersionis ritum paulatim à Latinis fuisse immutatum, circa decimum tertium Ecclesiæ seculum,

Probatur ex SS. Thomâ et Bonaventurâ mox citatis. Prior enim asserit, Baptismum aspersione vel infusione posse conferri, licèt tutius sit immersionem usurpare, propter communiorem usum Ecclesiæ: alter affirmat, morem baptizandi per aspersionem, in multis ecclesiis, Gallicanâ præsertim, observari. Et anno 1311, in concilio Ravennensi II, sub Clemente V, titulo undecimo, alteruter ritus, immersionis vel aspersionis, permittitur. Et in Rituali Romano pro diversâ locorum consuetudine, trina vel immersio vel infusio aquæ Pastoribus usurpanda præscribitur.

Loquimur autem de immersione secundùm se, non ratione numeri: certum est enim jam sexto seculo aliquas Hispaniæ Ecclesias, in odium Arianorum, unicam non trinam usurpàsse immersionem; ut nihil dicam de Eunomianis, de quibus Theodoretus; de Bonosiacis, de quibus Pelagius II, in suo ad Gaudentium rescripto. Hi quippe unicâ immersione baptizabant, ut unicam in Deo personam esse innuerent, propter oppositum errorem: Ariani enim, ut tres esse in tribus personis naturas significarent, trinam usurpabant immersionem; quos ne viderentur imitari Hispani nonnulli, ab antiquo usu ter mergendi recesserunt.

Denique vel ipsi Græci, qui ritum effundendi aquam supra caput baptizati in nobis Latinis reprehendunt, aliquando observant, et à suo ritu antiquo recedunt. Constat ex responso Gregorii Protosincelli ad Marcum Ephesinum. *Sed et nos,* inquit, *haudquaquàm immergimus infantes usque ad summum verticem; nec enim possumus illis præcipere ut respirationem ac expirationem per nares cohibeant, ne etiam per aures sacra permeet aqua; sed neque os infantis obturare possumus. Verùm eos in sacrum immittimus fontem, ut ne quid valdè necessarium ex traditione prætermittamus, quasi uteri imaginem referente lavacro, et regenerationem per hoc indicante. Et ne caput, in quo est sedes omnium sensuum et vehiculum animæ, sacramenti Baptismatis fiat expers, cavâ manu aquam è sacro fonte haurientes, illud perfundimus.*

Gregorio Protosincello consonat in suâ vernaculâ synopsi Neophytus Rhodinus: *Ter aquam,* inquit, *super eum qui baptizatur, infundimus, ut SS. Trinitatem, in cujus nomine baptizatur, declaremus.* Hodiernam Græcorum praxim exponit Joannes Goarius, in suis ad euchologium Græcorum notis.

Quæres 1° unde fluxerit consuetudo trinæ immersionis in Baptismo.

Resp. ex traditione apostolicâ; sic enim insinuat Tertull., lib. de Coronâ militis, c. 4, ubi postquàm trinæ illius mersionis, et aliquorum aliorum rituum mentionem fecit: *Harum,* inquit, *et aliarum ejusmodi disciplinarum Scripturam nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.*

Ita quoque S. Basilius, lib. de Spiritu sancto, c. 27, citato. Et S. Hieronymus, dial. adversùs Luciferianos etiam citato. Porrò juxta regulam S. Augustini, epist. 54, aliàs 118: *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.* Et ut loquitur libro 4 contra Donatistas, cap. 24: *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Hinc est quòd adeò religiose observare voluerint veteres trinam illam immersionem in solemni administratione Baptismi, eumque gravioris peccati reum habuerint qui secùs fecisset.

Quæres 2° quas ob causas ritus immersionis fuerit mutatus?—Resp. has afferri posse, 1° baptizandorum, præsertim verò infantium, commodum, quibus ob tenellæ ætatis infirmitatem immersio nocere poterat; 2° periculum ne infans è manibus ministri fortè delapsus, in profundum baptisterii demersus aquis extingueretur, quod nonnunquàm contigisse legimus; 3° propter mulierum pudicitiam, cui parcere et consulere tutiùs voluit Ecclesia, sicut et ministrorum oculis, quibus sine multorum periculo nudæ mulieres objici vix possunt, præsertim postquàm desiit in Ecclesiâ diaconissarum ministerium; 4° propter numerum baptizandorum; quibus mergendis ac sustinendis pares vix esse poterant ministri.

NECESSITAS TRINÆ IMMERSIONIS.

An valeat Baptismus aspersione vel infusione datus.

Necessitas alia est Sacramenti et juris divini, alia verò præcepit ecclesiastici. Necessitas immersionis trinæ in Baptismo ex mandato Ecclesiæ, manifestè ostenditur ex longo et constanti illius usu, de quo mox dictum est.

Quæstio igitur hic tantùm movetur de necessitate

Sacramenti seu juris divini, an scilicet veteres in eâ fuerint opinione, trinam immersionem omninò pertinere ad substantialem Baptismi veritatem.

Inter veteres eâ de re dubitâsse videntur, tum Cornelius R. Pontifex, tum Magnus qui sanctum Cyprianum consuluit.

Quin inter Græcos recentiores schismaticos nonnulli hanc suæ à Latinis separationis causam ex parte obtendunt, quòd hi trinam immersionem ex apostolicâ traditione necessariam omitterent. Hinc est quòd Gregorius Hieromonachus Alexandrinæ ecclesiæ Primicerius ac Philothæi Patriarchæ ad Synodum Florentinam vicarius atque legatus, asserebat nos Latinos malè baptizatos esse, nec nobiscum tentandam esse unionem. Inde factum haud dubiè, quòd aliqui Græci à Latinis baptizatos iterùm baptizare ausi fuerint, sicut colligimus ex concilio Lateranensi IV, c. 4. Eamdem accusationem adversùs Latinos moverunt Marcus Ephesinus in epistolâ encyclicâ, et Jeremias Constantinopolitanus in secundo responso ad Confessionem Augustanam.

Inter nostros quoque Latinos nonnulli, ut Alcuinus, paulò duriùs atque severiùs necessitatem trinæ immersionis urgebant et contrariam praxim velut errorem notabant. Walafridus quoque, quamvis modestiùs, improbavit unicam immersionem ab Hispanis sexto seculo primùm usurpatam. Itaque sit

Conclusio. — Trina immersio ad substantiam Sacramenti non pertinet, nec aliter veteribus visum fuit, qui ratum perinde habuêre Baptismum, sive per immersionem, sive per infusionem aut aspersionem trinam vel unicam collatum.

Probatur 1° quia nullum extat in Scripturâ expressum mandatum ter in aquâ immergendi eos qui baptizandi sunt. Usum quidem hunc exemplo suo comprobâsse Christum et Apostolos, communis fert opinio; sed multa fecerunt Christus et Apostoli in Sacramentorum dispensatione, quæ ad eorum substantialem veritatem pertinere nemo dixerit: quod in consecrandâ et dispensandâ Eucharistiâ manifestum esse ostendemus.

Probatur 2° quia quod ad disciplinam duntaxat seu solemnem sacramenti Baptismatis administrationem pertinere censuêre veteres, in quo pro temporum, locorum, ac personarum varietate mutatio potest admitti, illud profectò necessarium non est necessitate Sacramenti, ac juris et præcepti divini: atqui talem esse immersionem baptismalem censuêre veteres; ergo, etc.

Minor probatur testimoniis veterum qui immersionem vel infusionem aut aspersionem indifferentem judicârunt ad veritatem Sacramenti.

1° Tertullianus, l. de Pœnit., cap. 6, ad hanc aquæ aspersionem in Baptismo videtur alludere cùm ait: *Neque ego renuo divinum beneficium, id est, ablutionem delictorum inituris aquam, omnimodò salvum esse; sed ut eò pervenire contingat, elaborandum est. Quis enim tibi tam infidæ pœnitentiæ viro asperginem unam cujuslibet aquæ commodabit?*

2° Sanctus Cyprianus consultus à Magno quid esset sentiendum de Baptismo clinicorum, id est, eorum qui in lecto præ infirmitate decumbentes baptizantur, an nempe *habendi sint legitimi Christiani, eò quòd aquâ salutari non loti sint, sed perfusi*, respondet per epistolam apud Pamelium 76, in ultimâ editione Anglicanâ 69: *Nos, quantùm concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina... Nec quemquam movere debet, quòd aspergi vel perfundi videntur ægri, cùm gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura sancta per Ezechielem prophetam loquatur, et dicat: Et aspergam super vos aquam mundam...* Et post adducta nonnulla alia Scripturæ loca in quibus aspersionis mentio fit, sic concludit: *Unde apparet aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere; et quando hæc in Ecclesiâ fiunt, ubi sit et dantis, et accipientis fides integra, stare omnia et consummari ac perfici posse majestate Domini et fidei veritate.* Nihil potest in rem nostram disertius afferri hoc S. doctoris testimonio.

Hunc clinicorum seu grabatariorum per infusionem aut aspersionem datum Baptismum ratum ac validum habuêre varia concilia. Romanum sub Cornelio, in quo Novatianus in lecto baptizatus iterùm non baptizatus legitur post recuparatam sanitatem. Neocæsariense, an. 314, can. 12, quo sic baptizati à sacris quidem ordinibus velut irregulares arcentur, sicut et in synodo Romanâ mox citatâ, verè tamen baptizati agnoscuntur. Autissiodorense, an. 578, can. 18; Matisconense II, an. 585, can. 3; Parisiense VI, an. 829, cap. 7, ubi decretum Neocæsariensis synodi innovatur et confirmatur.

3° S. Augustinus, tract. 89, in Joan. circa finem: *Hoc*, inquit, *verbum fidei* (id est, invocatio trium personarum SS. Trinitatis) *tantum valet in Ecclesiâ Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem.* Si sufficit ex S. Augustino tantillùm tingere, sufficit ablutio per infusionem vel aspersionem.

4° Cùm Ariani trinâ baptismali immersione abuterentur ad significandum tres esse distinctas naturas in tribus personis Trinitatis, atque nonnulli in Hispaniâ Catholici, in odium ac detestationem eorum, unicam tantùm immersionem usurpandam decrevissent contra morem antiquum, suborta est eâ de re contentio, de quâ Leander episcopus Hispalensis consuluit sanctum Gregorium Magnum S. pontificem qui lib. 1, epistolâ 43, aliàs 41, sic respondet: *De trinâ mersione Baptismatis nihil responderi meliùs potest, quàm ipsi sensistis; quia in unâ fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dùm tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere; quia dùm in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenùs potest, infantem in Baptismate vel ter, vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum trinitas, et in unâ potest divinitatis singularitas desi-*

gnari. Sed quia nunc hucusque ab hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo; ne dùm mersiones numerant, divinitatem dividant, dùmque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.

Patet ex hoc responso, S. Pontificem censuisse trinam immersionem ad substantiam Baptismi non pertinere, quandoquidem eam propter Arianos mutandam esse decreverit, aut saltem mutationem ab Hispanis factam approbaverit.

Istud S. Pontificis judicium probavit ac suum fecit ecclesia Hispanica in quarto concilio Toletano sub Honorio, an. 633, cap. 6, ubi postquàm verba S. Gregorii mox citata transcripsit, ita pergit: *Quapropter quia de utroque sacramento quod fit in sancto Baptismo à tanto viro reddita est ratio, quòd utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sanctâ Dei Ecclesiâ habeatur, propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem; ne videantur apud nos qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dùm sequuntur et morem.*

Alcuinus in suâ præsertim ad clerum Lugdunensem epistolâ, n. 69, paulò acerbiùs ac duriùs invehitur adversùs hanc Hispanorum immutationem, quam velut errorem traducere non pertimescit; quia verò intelligebat multos commoveri auctoritate S. Gregorii in suâ ad Leandrum epistolâ, eam falsitatis et suppositionis accusat. *Quia*, inquit epistolâ 70, *eam in epistolari suo libro, qui de Româ nobis allatus est, non invenimus.*

Verùm hunc immoderatum zelum pro retinendâ triplici immersione, repressit conc. Wormatiense, an. 868, can. 5, ubi de verbo ad verbum transcribit et suum facit judicium S. Gregorii, cujus Epistola in suspicionem falsitatis et suppositionis venire nullatenùs potest, cùm ipsius mentionem faciant synodus Toletana IV, et Wormatiensis mox citata; S. Isidorus in catalogo virorum illustrium; S. Hildelphonsus Toletanus archiepiscopus in suo catalogo; Lucinianus Carthaginensis episcopus in suâ ad ipsum Gregorium Magnum epistolâ per Lucam Dacherium publici juris factâ, in quâ ait: *Scripsisti Leandro episcopo de trinâ tinctione;* Joannes Diaconus in vitâ S. Gregorii, etc.

Paulò clementior fuit in Hispanos Walafridus Strabo, lib. de Rebus ecclesiasticis, cap. 26, ubi agnoscit legitimam esse epistolam S. Gregorii ad Leandrum; et postquàm expendit causas et rationes quibus inducti sunt Hispani ut trinam mersionem in unam commutarent, significat sibi non satis graves videri causas illas, adeòque morem antiquum resumendum esse, quanquàm immutationem factam erroris insimulare non audeat. Videtur auctor ille hanc secutus regulam S. Augustini: *Oves non debent pelles suas deponere, si aliquando lupi eis se contegant.* Et verò hæretici ad errores suos confirmandos, aliquando unam, ut Eunomiani; aliquando triplicem immersionem usurpârunt, ut Ariani: neque propter illorum hæreticorum hominum abusum debent orthodoxi, judice Walafrido, à moribus antiquis recedere. Sed quidquid sit de mente illius auctoris, hoc unum certum colligimus ex dictis, posse Ecclesiam pro suâ sapientiâ et prudentiâ, pro locorum, temporum, et personarum variâ necessitate, modò unam, modò triplicem mersionem adhibere, salvâ semper et integrâ remanente sacramenti Baptismatis substantiâ.

5° Ante S. Gregorium Pelagius II, S. Pontifex, qui obiit an. 590, in rescripto ad Gaudentium episcopum apud Ivonem in decreto, titulo *De Baptismo*, cap. 161, interrogatus de Baptismo sub unâ mersione ab hæreticis Bonosiacis collato, respondet, juxta præceptum Domini in nomine Trinitatis trinâ etiam mersione baptizandum: *Si tamen*, inquit, *manifestâ confessione claruerit, quòd Trinitatis nomine fuerint illi baptizati, solâ reconciliationis gratiâ impensâ catholicæ fidei reconciliare maturabis:* quo certè responso significat S. Pontifex, ad substantiam Baptismi satis esse quòd in nomine Trinitatis conferatur, sive per unam sive per triplicem immersionem.

Probatur 2° exemplis Baptismi infusione vel aspersione nonnullis in occasionibus concessi.

Primò, ubi magna erat baptizandorum multitudo; v. g., cùm uno die tria vel quinque hominum millia baptizare oportuit, ut Act. 2, v. 41, et cap. 4, v. 4, contigisse legimus, perverisimile est non per immersionem, sed per aspersionem aquæ collatum Baptismum. Ita S. Th. in 4, dist. 3, q. 1, art. 4, quæstiunculâ 1.

Secundò, cùm in privatis domibus sive propter infirmitatem, sive propter instantem persecutionem, sive propter opportunam et inopinatam occasionem Baptismus conferebatur, procul dubio non immersio sed infusio aut aspersio usurpabatur.

Sic baptizabantur infirmi in lecto: sic S. Petrus in carcere detentus, Act. 16, v. 33, custodem *carceris cum omni domo suâ baptizavit:* sic S. Laurentius unum militem Romanum nomine, aquâ ex urceo effusâ opportunitatem captans baptizavit, sicut legitur in ejus vitâ. Ad quod factum respiciens Walafridus, l. de Rebus ecclesiasticis, cap. 26: *Notandum*, inquit, *non solùm mergendo, sed etiam desuper fundendo multos baptizatos fuisse, et adhuc posse baptizari... sicut in passione beati Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam*, pergit ille, *solet evenire cùm provectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur.*

In Actis quoque manuscriptis S. Gratiliani: *Felicissima ab ipso Christianæ Religionis mysteriis imbuta, urceum cum aquâ, ut baptizaretur, ei obtulisse legitur.*

Acta etiam S. Bacchi junioris edita à Combefisio, Lauræ S. Sabbæ *præpositum* describunt *tollentem manibus vivificam urnam super caput ejus, atque immortalitatis ei lavacrum in nomine sanctæ et consubstantialis Trinitatis effundentem.* His adde acta S. Lindgeri episcopi, *qui in expulsione servorum Dei è Frisiâ, jussit Berulenum hominem laicum per domos discurrere, et persuasis matronis morituros baptizare illorum infantulos, benedictâ simpliciter aquâ in nomine Domini intinctos vel suverfusos cum invocatione S. Trinitatis.*

Probatur denique, quia ablutio per aquam est de naturâ et substantiâ Baptismi, non verò modus abluendi: porro æquè abluitur baptizandus per infusionem aut aspersionem, quàm per immersionem; et quamvis immersio expressiùs significet nos per Baptismum consepultos esse cum Christo, expressior tamen illa significatio ad substantiam Sacramenti non pertinet, ad quam satis est significatio practica et efficax mundationis internæ per gratiam Spiritûs sancti diffusam in cordibus : at talem mundationem tam rectè significat et efficit ablutio per infusionem vel aspersionem, quàm per immersionem. Nec significatio litteralis vocis *Baptismi* urgeri debet : quamvis enim immersionem ut plurimùm designet, simplicem tamen aquæ infusionem significat aliquando, ut apud S. Marcum, cap. 7, v. 4, S. Lucam, c. 11, v. 38.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° : Cornelius S. pontifex et cum eo Romana synodus improbavit Baptismum per infusionem datum Novatiano in lecto decumbenti. Sic de eo scribit ipse Cornelius ad Fabium Antiochenum apud Eusebium, l. 6 Hist., c. 43 : *Cùm ab exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus, dùm jam jamque moriturus creditur, in ipso in quo jacebat lectulo perfusus, Baptismum suscepit; si tamen*, inquit, *hujuscemodi Baptismum suscepisse dicendus est.* Et postea loquens de Ordinatione ejusdem Novatiani in presbyterum, ait universum clerum multosque ex populo refragatos fuisse, *eò quòd non liceret quemquam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille, perfusi fuissent, in clerum assumi.*

Ex quo duo colligi possunt : primum, dubitâsse Cornelium an verus esset et legitimus baptismus quem Novatianus in lecto per infusionem acceperat; alterum, irregulares fuisse seu ad suscipiendos sacros ordines inhabiles, qui in lecto fuerant baptizati.

2° De eodem baptismo dubitavit Magnus cum aliis nonnullis apud S. Cyprianum, epistolâ 76, *an nempe habendi sint legitimi Christiani, qui aquâ salutari non sunt loti, sed perfusi.* Ratio dubitandi ipsis erat, quòd sic baptizati plenum non assequerentur Baptismi effectum, cum eorum multi immundis adhuc torquerentur spiritibus.

Quin ipse S. Cyprianus, quanquàm valere talem Baptismum respondeat, rem tamen apud omnes certam non esse minimè dissimulat, et unicuique permittit et facere et sentire quod vellet : *Quâ in parte*, inquit, *nemini verecundia et modestia nostra præjudicat, quominùs unusquisque quod putat, sentiat, et quod senserit faciat.* Unde postea permittit iis, qui nullum judicant talem Baptismum, sic baptizatos iterùm baptizare. *Quantùm fide concipere*, inquit, *et sentire nobis datur, mea sententia hæc est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesiâ, lege et jure fidei, divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat eos nihil consecutos, eò quòd aquâ salutari tantùm perfusi sint, sed inanes et vacui sunt; non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint et convaluerint, baptizentur.* Et rursùs in fine Epistolæ : *Rescripsi*, inquit, *fili charissime, ad litteras tuas, quantùm parva nostra mediocritas valuit, et ostendi quid nos quantùm in nobis est sentiamus, nemini præscribentes, quominùs statuat quod putat unusquisque præpositus, actùs sui rationem Domino reddituruus.*

Resp. ad primum, Cornelium et synodum Romanam nusquàm judicâsse nullum fuisse et irritum quoad substantiam Baptismum Novatiano decumbenti per infusionem aquæ concessum : nusquàm enim in quæstionem ab ipsis adductum fuit, an rebaptizandus esset ille Novatianus; quod certè prætermissum ab illis non fuisset, si nullum et irritum judicâssent talem Baptismum.

Duplici ergo de causâ Baptismum illum improbavit Cornelius et synodus Romana : primò, propter irregularitatem annexam quâ tamen non obstante Novatianus ad sacrum presbyteratûs ordinem promotus fuerat, contra canones et disciplinam Ecclesiæ. Secundò, propter defectum Confirmationis et Eucharistiæ, quas pro more consueto simul cum Baptismo non receperat; unde plenum et integrum, quoad effectus cæterosque Ecclesiæ ritus, Baptismum non suscepisse dicitur Novatianus : atque hinc adversùs illum querelæ et expostulationes.

Duplicem illam causam seu rationem omninò fuisse cur improbatus fuerit Baptismus ille Novatiano datus, significat ipse S. Pontifex Cornelius in citatâ ad Fabium Antiochenum epistolâ.

Primò quidem, quòd irregularis ex tali Baptismo factus, ad ordines tamen sacros fuisset promotus, ex solâ, inquit Cornelius, episcopi gratiâ, renitentibus cæteris, tum cleri tum populi. *Cùm egregius ille vir*, inquit ironicè Cornelius, *Ecclesiam Dei reliquisset, in quâ post susceptum Baptisma presbyteri gradum fuerat consecutus, idque per gratiam episcopi, qui manus illi imponens, eum ad presbyterorum ordinem evexit. Cui cùm universus clerus, multique ex populo refragarentur, eò quòd non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille, perfusi fuissent, in clerum assumi, postulavit ab iis episcopus, ut hunc solum ordinari à se paterentur.* Quibus certè verbis duo constant : primum, irregulares fuisse et inhabiles ad ordines sacros percipiendos, qui in lecto baptizabantur, sicut baptizatus fuerat Novatianus : alterum, episcopum ordinatorem Novatiani, haud dubiè falsâ et ementitâ pietate illius deceptum, cum eo dispensâsse ab illâ irregularitate, cæteris de clero et populo renitentibus. Ejusdem irregularitatis annexæ Baptismo sic in lecto concesso mentionem faciunt veteres canones.

Si verò quæras causam et rationem illius irregularitatis, respondebit synodus Neocæsar., can. 12, hanc esse, *quia non ex proposito fidei illorum, sed ex necessitate descendit*, id est, quia non proprio motu, sed metu mortis compulsi Baptismum susceperunt. Aliam causam adducit illustrissimus et doctissimus Albaspinæus hunc canonem exponens : *Quia*, inquit, *ejusmodi baptizati docere, fidei arcana tradere, exponere, et cætera sacerdotii officia implere non posse viderentur,*

quos valetudo prima fidei elementa non permisisset ediscere, et rerum omnium ignaros et rudes baptizari coegisset. Addi et posset alia causa, quia scilicet baptizati illi non erant cum omni ritu et solemnitate per Ecclesiam præscriptâ, quod satis erat ut tanquàm irregulares arcerentur à sacris ordinibus.

Secundò, improbatus fuit à synodo Romanâ et Cornelio Baptismus Novatiano decumbenti datus, propter defectum Confirmationis et Eucharistiæ : quæ Sacramenta pro more recepto cùm non percepisset, non plenum Baptismum dicitur habuisse. *Sed*, pergit Cornelius in eâdem epistolâ, *neque postquàm liberatus est morbo, reliqua percepit quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent; neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?*

Ad secundum : Non satis liquidò constat de quo dubius et anxius fuerit Magnus qui Cyprianum consuluit; an de veritate substantiali Baptismi, an tantùm de plenitudine effectûs illius, cæterisque prærogativis quibus ritè et catholicè baptizati gaudere solent. Insinuat enim S. Cyprianus in epistolâ citatâ, sic in lecto baptizatos haberi quidem pro baptizatis et Christianis, sed qui cæteris non sint adæquandi. *An consecuti sunt*, inquit, *quidem gratiam Dominicam, sed breviore et minore mensurâ muneris divini ac Spiritûs sancti, ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen cæteris adæquandi :* unde molestè fert, sic baptizatos invidioso nomine clinicos appellari; quibus verbis innuere videtur sanctus doctor, quæstionem non fuisse de veritate substantiali Sacramenti Baptismatis, sed de plenitudine duntaxat effectûs illius, quem plenum et integrum non percipere eos qui in lecto baptizantur, nonnulli arbitrabantur, quos ibidem refellit S. Cyprianus. Verùm, esto dubitaverit Magnus cum aliis nonnullis, an ratus et verus esset Baptismus in lecto perceptus, certè non dubitavit Cyprianus; et rationem quâ nitebantur alii, nempe sic baptizatos immundis adhuc torqueri spiritibus, sic refellit : *Hoc rebus ipsis*, inquit, *experimur, ut necessitate urgente in ægritudine baptizati et gratiam consecuti, careant immundo spiritu, quo antea movebantur; et laudabiles ac probabiles in Ecclesiâ vivant.... E contra sæpè nonnulli de illis qui sani baptizantur, si postmodùm peccare cœperint, spiritu immundo redeunte quatiuntur; ut manifestum sit, diabolum in Baptismo fide credentis excludi; si fides postmodùm defecerit, regredi.*

Nec obstat 1° quòd S. Cyprianus unicuique liberum reliquerit sentiendi et faciendi quod vellet : in hoc enim laudanda ipsius moderatio ac prudentia singularis, quâ rem nondùm solemni Ecclesiæ totius judicio eliquatam et definitam uniuscujusque arbitrio permisit. 2° Non obstat quòd idem sanctus doctor voluerit in lecto baptizatos rebaptizari, ab iis scilicet qui nullum putant ejusmodi Baptismum; istud enim sequebatur ex licentiâ quam concesserat unicuique opinandi et faciendi quod vellet : qui enim nullum judicant hunc Baptismum, debent iterùm eum conferre, ut cohærenter agant et sentiant. Imò in opinione et principiis S. Cypriani, eo ipso quo putabat quis Baptismum suum non consequi plenum effectum, debebat illum iterare; quia, juxta S. doctoris mentem, nullus est quoad substantiam Baptismus, qui suo caret effectu, nempe gratiâ Spiritûs sancti : unde inferebat (in quo errabat), Baptismum ab hæreticis collatum idcircò nullum esse et iterandum, quia Spiritûs sancti gratiâ destitutus est; hæretici enim eam gratiam dare non possunt, inquiebat, quam non habent. Sed de hâc S. doctoris sententiâ jam abundè diximus in tractatu de Sacramentis in genere.

Objicies 2° : Veteres reprobant ac tanquàm omninò nullum rejiciunt Baptisma aliter quàm per trinam immersionem collatum; ministrum secùs facientem severè puniunt; ac pro hæreticis habuêre Eunomianos, Bonosianos, qui unicâ mersione baptizabant.

Sic canon 50 eorum qui dicuntur apostolici, pœnâ depositionis plectit episcopum aut presbyterum, qui non trinam immersionem observat : canonem supra laudavimus.

Concilium Constantinopolitanum I, an. 381, can. 7, jubet rebaptizari Eunomianos, non aliam ob causam quàm quòd trinam non adhiberent in Baptismo immersionem. *Eunomianos*, inquiunt Patres, *qui in unam demersionem baptizantur..... primo quidem die christianos facimus..... et tunc eos baptizàmus.*

Et Pelagius II, in suo ad Gaudentium rescripto, quosdam Bonosiacos damnat, quòd unicâ mersione baptizarent : *Contra*, inquit, *evangelicum præceptum.* — Resp.: Nego ant.: Ad primam probationem dico 1°, depositionis pœnam meritò decerni posse in ministros qui in solemni Sacramentorum administratione, vel ex negligentiâ, vel, quod pejus esset, ex contemptu, ritus consuetos et Ecclesiæ totius usu ac praxi receptos non observant, qualis longo seculorum tractu fuit trina immersio baptismalis. Unde Zonaras in citatum canonem quinquagesimum apostolicum, ait *scelestùm ac nefarium esse unicam duntaxat celebrare immersionem.*

Dico 2°, in prædicto canone depositionis pœnam non tam imponi propter defectum trinæ mersionis, quàm propter violatam Baptismi formam : qui enim eo canone perstringuntur, Eunomiani scilicet, baptizabant in Christi mortem, non verò in invocatione expressâ Trinitatis, ut ex ipso canone fit manifestum.

Ad secundam dico, Eunomium in duobus potissimùm adulterâsse Baptismi ritum : 1° Quòd in odium SS. Trinitatis, ejus invocationem inter baptizandum omitteret, et baptizaret tantùm in mortem Christi. 2° Quòd eodem perverso consilio semel tantùm, non ter mergeret, ne trinâ mersione videretur trinitatem personarum in Deo comprobare.

Utrumque erroris caput commemorat Theodoretus, lib. 4 hæreticarum Fabularum, cap. 3 : *Idem* (Eunomius) inquit, *sanctè etiam Baptismatis legem olim à Domino et Apostolis traditam evertit, et contrariam apertè sanxit, non oportere dicens ter illum immergere qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel bapti-*

zare in Christi mortem. Idem legere est apud Sozomenum, lib. 6 Hist., cap. 26. Et S. Epiphanius, hæresi 76, in fine, refert *Eunomianos baptizâsse in nomine Dei increati, et in nomine Filii creati, et in nomine Spiritûs sanctificantis, atque à Filio procreati.* Igitur propter violatam Baptismi formam, et tam nefando consilio prætermissam trinam immersionem, nullum judicatum fuit Baptisma ab Eunomianis datum; ac meritò jussi sunt rebaptizari ab illis baptizati : non præcisè ex defectu trinæ mersionis, sed invocationis SS. Trinitatis, in quâ consistit legitima Baptismatis forma, sine quâ nullum est et irritum.

Ad tertiam : Eâ ipsâ de causâ Pelagius II coercet temeritatem Bonosiacorum, eorumque Baptisma reprobat propter violatam ab illis ipsius formam. *Baptizabant enim*, ait ibid S. Pontifex, *solummodò in mortem Christi unâ immersione.* Unde in eodem rescripto monet, sicut antea observavimus, quòd si in nomine Trinitatis deprehendantur illi baptizati, catholicæ fidei sint reconciliandi.

Objicies 3° : Docent veteres ritum baptizandi triplici immersione originem ducere à præcepto Christi et traditione Apostolorum. Ita Tertullianus, S. Hieronymus, S. Basilius, S. Chrysostomus, Theodoretus, Pelagius II, supra citati, ubi de antiquitate trinæ immersionis : at quod ex præcepto Christi et traditione apostolicâ descendit, haud dubiè jure divino necessarium est ad Sacramenti substantiam. Quâ enim aliâ viâ probare possumus parvulorum Baptisma, suffragia pro mortuis, et alia ejus generis benè multa, quæ non ex Scripturis, sed ex solâ traditione apostolicâ derivata habemus, juris esse divini? — Resp. 1° ad maj., verum quidem esse veteres existimâsse ritum trinæ immersionis ex apostolicâ traditione descendisse, sed nullus dixit eam ex Christi præcepto sic necessariam, ut sine illâ nullus sit Baptismus. Quandò igitur mandatum Christi commemorant Tertullianus, Chrysostomus, Theodoretus, Pelagius II, vel istud referunt simpliciter ad necessitatem baptizandi sub invocatione SS. Trinitatis, non ad modum baptizandi per immersionem sive triplicem sive unicam; vel tantùm attendunt ad usum communem suo tempore in Ecclesiâ receptum, ab Apostolis transmissum, quem violare nemini licitum esse poterat, nisi urgeret necessitas.

Reipsà censent iidem veteres, præcessisse exemplum Christi, qui et baptizavit, et baptizatus est per immersionem : verùm constat apud omnes orthodoxos, exemplum Christi, nisi accesserit præceptum, necessitatis legem non imponere : multa quippe in conficiendis et dispensandis Sacramentis Christus usurpavit, quæ tamen ad substantiam et naturam Sacramentorum non pertinent. V. g., consecravit Eucharistim in azymo pane, serò post cœnam, distribuit discipulis sub duplici specie, etc. An illa necessaria esse ad Sacramenti veritatem quisquam contendet orthodoxus? non puto. Similiter baptizatus est, et baptizavit in aquis Jordanis : an illæ solæ sunt materia necessaria Baptismi? Igitur non sequitur necessariam esse jure ac præcepto divino trinam immersionem baptismalem, eò quòd Christus exemplo suo et facto eam comprobaverit.

Resp. 2° ad minorem : Nego 1° aliquod extare præceptum Christi de immersione vel triplici vel unicâ usurpandâ. Nego 2° id omne quod ex traditione apostolicâ originem ducit, propterea juris esse divini, ac necessariò et constanter retinendum. Scilicet inter ea quæ ab Apostolis ad nos derivârunt, alia spectant fidem, mores, et substantiam Sacramentorum; alia disciplinam, Ecclesiæ regimen, Sacramentorum ritus et cæremonias : inter quæ istud discriminis occurrit, quòd in primis nulla unquàm admitti possit et debeat mutatio; fides enim eadem semper est, nec tempori, aut loco, aut personis subjacet : in posterioribus verò, mutatio contingere possit, cùm varia sit disciplina pro temporum et locorum varietate. Multa verò fuisse ab Apostolis tradita hujusce posterioris conditionis certissimum est. Talia fuêre, v. g., quæ præscribit Apostolus de ebrioso, bigamo, neophyto ad ordines sacros non promovendo : pariter quod ab Apostolis accepimus, non jejunare, non flectere genua in orationibus inter Pascha et Pentecosten; orare versâ facie ad orientem; quosdam dies festos celebrare; abstinere à sanguine et suffocato; ad Eucharistiam jejunos accedere, et alia id genus benè multa, quæ Ecclesia pro suâ sapientiâ vel retinuit, vel mutavit. Porrò ritus immergendi ter vel semel hujusce ordinis est; neque ad substantiam, sed ad ritum duntaxat et solemnitatem Baptismi pertinet.

Si verò quæras certam et fixam quamdam regulam, quâ secerni possit quænam ab Apostolis tradita necessaria sunt ad substantiam Sacramenti, vel tantùm ad ejus solemnitatem seu administrationis disciplinam : respondeo regulam illam esse judicium Ecclesiæ infallibilis verborum Christi et traditionum apostolicarum interpretis, quæ est *firmamentum et columna veritatis, adversùs quam portæ inferi nunquàm prævalebunt*, 1 Tim. 3, v. 13; Matth. 16, v. 18. Cùm igitur constet ex momentis adductis, Ecclesiam semper ratum habuisse Baptismum sive immersione unâ vel triplici, sive infusione aut aspersione collatum, manifestè sequitur omnes illos modos baptizandi indifferentes esse ad veritatem Baptismi, nec ullum per exclusionem alterius absolutè necessarium esse.

Objicies 4° : Ad veritatem Baptismi necesse esse exprimi SS. Trinitatem : atqui per unicam mersionem non exprimitur, rectè verò per triplicem; ergo, etc. — Resp., dist. maj. : Necesse est exprimi SS. Trinitatem, per verba formæ, concedo; per usum materiæ, nego. *Cùm enim*, inquit S. Th. hìc ad 1, *Trinitas sit agens principale in Baptismo, similitudo autem agentis perveniat ad effectum secundùm formam et non secundùm materiam, ideò significatio Trinitatis in Baptismo fit per verba formæ, nec est de necessitate ut significetur Trinitas per usum materiæ; sed hoc fit tantùm ad majorem expressionem.* Major autem illa expressio essentialis non est Baptismo, sed ea tantùm quæ practicè significat et efficit interiorem animæ ablutionem, qua-

lis est simplex ablutio aut per infusionem, aut per aspersionem aquæ. Quanquàm unicæ mersioni sua non deest congrua significatio, quâ nempe unitas essentiæ divinæ, unitas mortis et resurrectionis Christi significatur. Ita concilium Toletanum IV, can. 5, suprà citato(1).

(1) Quæritur 1°, quomodò aqua debeat tangere corpus. — Respondeo cum Billuart, « quòd debeat tangere successivè mediante actione ministri, sive successio oriatur ex motu locali aquæ ad corpus, sive corporis ad aquam ; quia si aquæ contactus non sit successivus, puta si gutta aquæ immotè maneat in fronte, non potest dici homo moraliter ablutus : talis autem requiritur ablutio ex institutione Sacramenti, quâ homo dicatur moraliter ablutus : non est tamen necesse quòd reverà abstergat sordes ; hoc enim non obstante est vera ablutio corporis. Addidi hunc motum successivum debere fieri à ministro seu mediante ejus actione, alioquin non posset verè dicere, *Ego te baptizo.* » Unde cum Collet, colliges 1° invalidum esse Baptisma, cùm quis unâ tantum aut alterâ guttâ non defluente aspergitur. Debet enim homo ab actione Baptismi dici lotus, tinctus, ablutus : porrò juxta communem sapientum æstimationem non dicitur quis tinctus, ablutus et lotus ex contactu guttulæ aquæ sedex successivo aquæ defluentis motu. Unde, ait Habert, expressè monet rituale Catalaunense, an. 1649, eam aquæ copiam fundendam esse, quæ in scapulas et pectus defluat : et rituale Argentinense, an 1742, p. 8 : *In eâ quantitate infundatur aqua, quæ ad veram ablutionem sufficere videatur.* Unde, quidquid post Henriquem dicat Alloza, v. *Baptismus*, n. 11, non satis certum est an verum fecerit Baptisma mulier quæ digito aquâ madefacto crucem puero in fronte impressit.

« Colliges 2° curandum esse ut perfundatur una ex præcipuis corporis partibus, maximè verò caput in quo vigent sensus omnes, ut ait S. Thomas, ibid., art. 7 ad 3. Non desunt quidem viri graves, qui valere putent Baptismum in quâlibet etiam minimâ corporis parte datum ; tum quia tam possit homo ab eâ parte dici *ablutus*, quàm simpliciter dici possit *unctus*, etsi minima frontis ejus pars digito chrismate intincto uncta fuerit, vel *vulneratus*, etiamsi uno solùm digito læsus sit : tum quia anima *tota est in toto*, *tota et in quâlibet parte*, etsi præcipuè magis in capite sedere dicatur, quia eò confluunt nervi omnes : neque ab hâc opinione recedit Gibert, tom. 2 Consult., pag. 337.

« Sed quia in re tanti momenti tutiora semper sequenda sunt, quisquis alibi quàm in capite baptizatus fuerit, ut urgente periculo baptizari debet ubicumque potest, denuò rebaptizandus est sub conditione. Hinc rituale Remense, anni 1505 : *Debet*, inquit, *fieri trina mersio super caput pueri.* Hinc et S. Carolus Borrom., 4 p. Act. Eccles. Mediolan. : *Si verò*, inquit, *fœtus ex utero matris, quæ periculosè laborat, vel manu, vel pede, vel aliâ parte extans, ob necessitatem in eâ ipsâ parte ab obstetrice baptizatus est ; cùm superstes erit, sub conditione baptizetur. Si verò in capite, quod primum ex utero prodiit, baptizatus est formâ rectè servatâ, quandò supervixerit ad Ecclesiam deferatur, cui tantùm reliquiæ cæremoniæ adhibeantur, quæ ad solemnitatem Baptismi attinent.* Concinit S. Thomas hìc, q. 68, art. 11, ad 4, his verbis : *Si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente, et non est postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit.* Secùs, propter dubium, ait S. doctor, si in *quâcumque aliâ corporis parte* ablutus puer fuerit.

« Nec nocet quòd homo à minimâ parte dicatur *unctus* vel *vulneratus* : quia, ut benè Grandin, vox, *ablutus*, est de eorum concretorum genere, quæ supponunt vel totum vel partem notabilem passam esse ; sicut terminus *vestitum esse*, non unî tantùm digito digitale, vel pedi calceum indutum esse supponit : at neque vox *vulneratus*, neque vox *unctus*, prout in

Ritus olim observati in trinâ Baptismi mersione.

Præsentis non est instituti exponere ritus omnes

Confirmatione sumitur, necessariò supponit vel vulnus in parte notabili, vel unctionem alibi factam, quàm in capite.

« Quin et censent Sambovius, tom. 2, cas. 9, et Pontas, v. *Baptême*, cas. 17, semper rebaptizandum sub conditione infantem qui etiam in capite baptizatus fuerit, priusquàm ex utero matris perfectè exiisset ; tum quia ex Augustino, epist. 187, n. 31 : *Nec renasci quisquam potest, antequàm natus sit*, nec natus videtur qui solum caput extra matrem extulit ; tum quia opinio quævis, quamdiù opinio est, dubium includit ; in dubio autem tenenda est pars tutior.

« Mihi quidem postremum hoc Baptisma certum et validum videtur : nec multùm movet ratio objecta : 1° quia, ut benè S. Thomas, in 4, dist. 12, q. 1, ad 2 : *Duplex est carnalis nativitas ; prima in utero... secunda extra uterum.* Prior, vera est nativitas, juxta id Matth. 1 : *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est*, cui consonat id Innocentii III, c. 4, de Bapt. : *In carnali generatione, quâ proles ex viro et feminâ nascitur*, etc. ; porrò nullibi requirit Scriptura vel traditio nativitatem extra uterum ; 2° quia objectus Augustini textus intelligi potest de nativitate inchoatâ per uteri apertionem, quæ aquæ viam aperiat ad infantem. Absit tamen ut eos arguam, qui ut securiùs æternæ infantis saluti consulant, tale Baptisma iterandum rati, illud de facto iteraverint.

« Colliges 3° curandum, et maximè curandum Baptismi ministro, ut *tangat aqua pellem capitis : unde si capillatus sit qui baptizatur, digitis sinistræ manus cæsariem ejus discriminet sacerdos, dùm dexterâ aquam infundit.* Etsi enim multi cum Soto, Valentiâ, Vasque, etc., capillos pro corporis parte habentes, infusionem in iis factam ad Baptismum satis esse credant ; quia tamen oppositum tenent alii plures, nec sine fundamento, idcircò datum in solis capillis Baptisma iterandum esset. Certè nec constat crines esse corpus animatum ; nec à solâ eorum ablutione denominabitur quis physicè ablutus.

« Eâdem de causâ repetendum credo Baptisma si infans in secundinis ablutus fuerit ; multòque magis, si solùm in vestibus. Si tamen, ait Henricus à S. Ignat., n. 55, aperto jam ostio uteri, (quæ apertio quædam est inchoatio nativitatis extra uterum) caro infantis, vel saltem secundina infantem adhuc circumdans, possit seu tubi ope, seu madefactâ ubertim manu ablui, non erit id omittendum ; quia scilicet satiùs est dubia tentare remedia, quàm nulla. Jam dixi supra quid juris, cùm caput infantis, qui necdùm extra uterum prodierit, verè ablutum est. Unum addam, ei, qui tubo aquam ad infantem necdùm egressum immittere satageret, cavendum ut calidam immittat ; quia frigidæ immissio mortem inferret matri.

« Colliges 4° valere Baptismum, si, inquam, aquæ è tecto defluenti supponatur : quia sicut verè maculat vestem et qui eam aspergit luto, et qui eam luto applicat ; sic verè abluit corpus, qui vel ipsum perfundit aquâ, vel ipsum applicat aquæ. Ita accuratiores theologi, qui tamen id nonnisi in necessitatis casu permittunt. Quòd si aquæ ad corpus accessio non fieret ab ipso ministro, non staret Baptismus : quia non verificaretur forma : *Ego te baptizo*, quæ ablutionem ab ipso baptizante factam requirit. Atqui hinc denuò infertur resolutionem nivis in solo baptizati corpore factam haud sufficere ad valorem Baptismi : quia tunc motus aquæ circa corpus, potiùs oritur à personâ baptizati, mediante calore ipsius, quàm à personâ baptizantis : unde si ad hominem in fluvio positum aquam non immittas seu manu, seu aliter, non proderunt quæ in ipsum recitaveris verba formæ. Idem est si illa proferas in puerum qui vel à se labitur, vel ab alio projicitur in flumen : neutro enim in casu stat veritas hujusce verbi : *Ego te baptizo.* Aliud est si quis homi-

qui vel antecedebant, vel comitabantur, vel sequebantur Baptismum, quod ad quæstionem hujus tractatûs

nem cum funiculo dimittat in fluvium : is enim verè ait se baptizare. » Hæc Collet.

Quæritur 2° an ad Baptismum sufficiat ablutio occisiva; seu, ut cum Grandino loquuntur alii, immersio sine emersione.

Huic quæstioni sic respondet Billuart : « Duplex distingui debet ablutio occisiva : una occisiva ratione materiæ, puta si baptizaretur infans aquâ ferventi aut venenatâ : altera ex se occisiva, ut si quis infantem morientem projiciat in altum puteum cum prolatione formæ et intentione baptizandi.

« De primo casu non est difficultas : Omnes enim conveniunt validum esse Baptisma, quia calor aut venenum non impedit quin maneat vera species aquæ et fiat vera ablutio etiam moraliter, sicut panis venenatus non desinit esse verus panis et verè manducari. Neque obstat quòd Christus non instituerit pro materiâ Sacramenti, actionem malam : hæc enim, licèt ut occisiva sit mala, attamen ut ablutio præcisè non est mala, et sub hâc ratione Deus, illam instituit pro materiâ Sacramenti, ad eamque sub câdem ratione concurrit, sicut concurreret ad sacrilegam consecrationem, non ut est sacrilega, sed ut est actio à Christo instituta.

« De secundo ergo casu est difficultas. Scotus cum suis, S. Antoninus, Sylvester, Soto et plures alii negant in eo casu validum esse Sacramentum : Quia Christus pro materiâ proximâ Baptismi instituit non quamcumque ablutionem, sed ablutionem usualem et moralem, seu quæ sit et dicatur ablutio secundùm humanum et communem sensum ; sicut pro materiâ Eucharistiæ instituit panem usualem, non farinam aquâ subactam, vulgò *pâte*, licèt à pane physicè non distinguatur : Atqui, inquiunt, qui projicit infantem in puteum, ex quo non potest emergi, secundùm communem et humanum sensum non dicitur velle abluere, sed occidere : Non quidem quòd emersio sit necessariò requisita ad ablutionem, potest enim quis sub aquis detentus verè et moraliter ablui, etiamsi suffocetur, sed emergibilitas. Dùm enim, addunt, quis è ponte projicit in fluvium canem mortuum sordidum, non dicitur velle ipsum abluere, quia non est emergibilis ; diceretur autem velle abluere, si canis esset vivus, quia esset emergibilis ; licèt fortè per accidens suffocetur.

« Ad id quod reponit contraria sententia hanc projectionem in casu determinari ex circumstantiis, ut sit et dicatur moraliter ablutio, quia nempè puer vel sic est baptizandus, vel damnandus : Undè videntes piam matrem projicientem in puteum prolem morientem, quam sciunt non esse baptizatum defectu aquæ, censebunt et dicent illam projicere prolem suam ut lavet et baptizet ; ad hanc, inquam, solutionem respondent Christum pro materiâ proximâ Baptismi instituisse ablutionem, quæ sit humana et moralis, non per circumstantias ipsius Baptismi, sed quæ communiter et moraliter dicebatur ablutio ante Baptismi institutionem, et cùm hæc projectio non sit ablutio moraliter seclusâ institutione Baptismi, non est instituta à Christo pro materiâ Baptismi.

« Aliam viam init recens scriptor Gislenus Daelman ; censet hunc Baptismum esse invalidum, quia, inquit, minister debet habere vel aquam vel baptizandum in suâ potestate, alioquin forma : *Ego te baptizo*, esset fâlsa : in casu autem minister nec aquam, nec baptizandum habet in suâ potestate. Hæc pro primâ sententiâ.

« Altera sententia, quæ est Panor., Gabrielis, Nugno, Ledesma, Suares, Layman, Bonac. ; ex recentioribus, Gonet, Boudart, Berti; etc., tenet Baptismum in casu esse validum ; quia adsunt omnia requisita ad ejus valorem, materia, forma et intentio ministri : contendunt enim per hanc projectionem infantem verè ablui, et quia reverà abluitur, projiciens dicitur etiam secundùm humanum sensum velle abluere, si-

quintam, Deo dante, exequemur ; sed eos duntaxat, qui ipsam immersionem propiùs spectant.

Primò itaque baptizandi ad eam Ecclesiæ partem accedebant (loquimur de tempore quo christianis licebat templa publica frequentare) in quâ erant baptisteria, quæ vocantur à veteribus, concha, fons, balneum, piscina ; erantque loca quædam vel intra basilicam, vel ad ejus fores constituta ad baptizandum consecrata. Eorum formam describit S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 1 mystagogicâ : *Primùm*, ait, *ingressi estis ad porticum domûs baptisterii ;* et catechesi 2 : *Ea mysteria*, inquit alloquens recens baptizatos, *à vobis in interiori domo peragebantur*. Ex quo intelligimus suas aptas officinas, porticus, et interiores aditus habuisse baptisteria ; et de novo S. Joannis apud Alexandriam baptisterio scribit martyr Theophanes : *Hoc anno S. Joannis nomine quadrâ figurâ constructum est opus Alexandriæ, et Baptismo lustrandis adjunctum ædificium*. Erant baptisteria hæc ad modum balnei et piscinæ, in quâ multi erant gradus : unde S. Isidorus Hispalensis, de Officiis Ecclesiasticis, l. 2, c. 24, sic ait : *Fons autem origo omnium gloria-*

cut quia occiditur, dicitur velle occidere ; utrumque enim vult, quia utrumque facit, cùm nemo spontè aliquid faciat, quod non vult facere.

« Ad exemplum canis mortui projecti in aquas, etiam volunt quòd verè lavetur, et ideò posse dici de projiciente quòd velit lavare, quia de facto lavat. Insuper discrimen est quòd projectio infantis censeatur ulteriùs moralis ex circumstantiis, ut dictum est ; neque concedunt Christum requisivisse ablutionem, quæ ante Baptismi institutionem esset moralis, sed quæ tunc erat, aut postea foret moralis.

« Ad fundamentum doctoris Daelman, respondetur videri falsum : quia si minister super infantem, primò fune suspensum ut possit in puteo mergi et emergi, sed fracto fune immersum, formam cum intentione baptizandi proferat infans est ablutus et baptizatus, licèt tunc nec baptizandus nec aqua sit in potestate baptizantis. Similiter qui de ponte projicit canem vivum in aquas, ipsum lavat, et lavare moraliter dicitur ; quamvis tamen tunc nec canis nec aqua sint in ejus potestate : Sufficere ergo videtur, ut quis abluere dicatur, quòd penès ipsum fuerit projicere vel non projicere in aquas.

« Quamvis prima sententia, propter primam rationem, videatur mihi tantillùm probabilior, censeo tamen casum valdè dubium. Sed quidquid sit de validitate hujus Baptismi, certum est nunquàm licere sic baptizare infantem, etiamsi sine Baptismo moriturum : quia hoc esset occidere innocentem, nunquàm autem licet facere mala ut eveniant bona. »

Quæritur 3° : Dùm Baptismus sub trinâ immersione aut effusione confertur, quandonam habeatur essentia Sacramenti ? — Resp. cum Billuart : Quando minister baptizat secundùm intentionem Ecclesiæ, tunc habetur essentia Baptismi, quandò positâ aliquâ immersione aut effusione finitur forma ; quia tunc habentur omnia essentialiter requisita. Unde si infans moriatur post primam ablutionem et integrè pronuntiatam formam, est verè baptizatus. Si autem baptizans non intenderet facere Sacramentum, nisi finitis tribus ablutionibus, nonnisi tunc esset Sacramentum ratione intentionis.

« Cæterùm pro praxi et ad vitandum omnem scrupulum, observandum est quod præscribit Rituale Rom., scilicet, ut ad primam ablutionem dicatur in *nomine Patris*, ad secundam *et Filii*, ad tertiam *et Spiritûs sancti*. » (Edit.)

rum est, cujus septem gradus sunt, tres in descensu, propter tria quibus renuntiamus; tres in ascensu, propter tria quæ confitemur : septimus verò is est, qui et quartus, similis filio hominis, exstinguens fornacem ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, etc. Eamdem baptisterii formam apud Latinos laudant apud Alcuinum auctor libri de ecclesiasticis Officiis, et in Gemmâ animæ Honorius Augustodunensis. Profunda erant hæc baptisteria et ampla, pluribus simul continendis capacia. Canonibus autem cautum erat, ne quis alibi quàm in publicis baptisteriis (nisi urgeret necessitas) baptizaretur : qui secùs fecisset sacerdos depositionis pœnâ castigabatur, ut colligimus ex concilio in Trullo, can. 31, et ex Meldensi, cap. 48.

2° Antequàm sacro fonte immergerentur baptizandi, in ipsâ porticu existentes et versùs occidentem conversi, protensâ manu Satanæ renuntiabant, ut refert S. Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 1 mystagogicâ. Tùm omnibus depositis vestibus toto corpore nudabantur, ac nuditatem illam veteres comparant cum eâ in quâ creatus est Adam, cum quâ quisque nascitur ac resurget, cum quâ Christus est cruci affixus. Lex autem illa perfectæ nuditatis omnes obstringebat, secluso necessitatis casu, adultos, infantes, mulieres ipsas, quarum tamen pudori consulebatur; et tamdiù in usu fuit, quamdiù ipse immergendi ritus : *Ut nempe* (ait Facundus l. 4, c. 4,) *non solâ voce, verùm etiam totius habitu corporis profiteamur exuisse nos veterem hominem.*

De adultis testatur S. Cyrillus Hierosol., catech. mystagogicâ 2 : *Statim ut ingressi estis*, inquit, *vestem exuistis, quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus suis imago fuit; atque ita exuti, eratis nudi, imitantes et in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, Christum : quâ ille nuditate principatus et potestates hujus seculi spoliavit, et magnâ confidentiâ in ligno de illis triumphavit.* Et mox : *O rem admirandam! nudi fuistis in conspectu omnium, et non vos pudebat. Reverà enim in hoc protoplasti Adam ferebatis exemplum, qui nudus in paradiso fuit, et tamen nullo afficiebatur pudore.* Ejusdem nuditatis mentionem faciunt S. Chrysostomus in epistolâ ad Innocentium S. pontificem; S. Ambrosius, serm. 10; S. Epiphanius in Anchorato, cap. 117; S. Anselmus in Matthæum, cap. 3; S. Bernardus, serm. 46, de Paupertate.

De infantibus patet ex sacramentario S. Gregorii, ubi describitur ordo Baptismi infantium : nam cùm dictum esset : *Et baptizantur* (infantes), mox subjungit : *Pontifex verò redit in sacrarium expectans, ut cùm vestiti fuerint infantes, confirmet eos.* At si infantem vestibus indui oportet priusquàm confirmetur, necesse est priùs exutus iis fuerit, quàm baptizetur. Similiter Ordo Romanus, cap. de Die sabbati sancti Paschæ, ait : *Pontifex egreditur à fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem, vel in Ecclesiâ, ubi voluerit, et sedeat in eâ, ut cùm vestiti fuerint infantes confirmet eos...* Et mox : *Sic vestiuntur, induti verò ordinantur.* Idem testatur Alcuinus, lib. de Divinis Officiis, c. 19.

De feminis testatur S. Chrysostomus in epistolâ ad Innocentium S. pontificem, ubi recensens mala quæ Constantinopoli contigêre cùm è sede suâ armatâ manu iterùm dejectus est, inter alia ait : *Mulieres quoque sacrarum ædium, quæ per illud tempus se exuerant, ut baptizarentur, metu gravis istius incursûs nudæ aufugerunt. Neque enim concedebatur ut se velarent, sicut mulieres honestas decet.*

Interea verò mulierum pudori multis modis consulebatur ab Ecclesiâ. 1° Multis in locis erant diaconissæ piæ mulieres, quæ eas ad Baptismum venientes honestè nudabant et exuebant, ne quid baptizantis oculis inverecundè objiceretur, ut indicat S. Epiph., hæresi 79. Ejusdem honestatis causâ sacerdos baptizatæ quidem frontem sacro oleo ungebat; at diaconissa ungebat corpus, juxta morem ecclesiæ græcæ. 2° Viri separatim à feminis baptizabantur : unde S. Cyrillus Hierosolymitanus, præfatione in Catecheses : *Reverentiam*, inquit, *adhibe, cùm fit exorcismus, quo usque alii exorcisati aderunt, viri cum viris, et mulieres cum mulieribus.* 3° Aliâ horâ viri, et aliâ mulieres baptizabantur, sicut indicat Ordo Romanus, cap. de Sabbato sancto. 4° Non promiscuè, sed viri ad dexteram, mulieres ad sinistram, ut ait sacramentarium S. Gregorii. 5° Nonnullis in locis velum extendebatur circa baptisteria, unde ad mergendum accedebat sacerdos cùm audiebat, potiùs quàm videbat esse aliquem in aquâ. Ita factitatum legimus à sancto Othone, Bambergensi episcopo, erga Pomeranos ad Christi fidem conversos, ut refert Andreas. S. Michaelis Bambergensis abbas, in ejus vitâ, l. 2, c. 15, apud Surium secundâ Julii. Denique cùm antiqua baptisteria amplissima forent suosque haberent recessus, ac de nocte ut plurimùm soleret Baptismus solemniter administrari, multiplici modo mulierum pudori consulebant et providebant Ecclesiarum præpositi.

3° Baptizandi, omnibus depositis vestibus perfectè nudi, apud Græcos toto corpore oleo sancto inungebantur, ut refert S. Cyrill. Hierosol., Catech. mystagogicâ 2. Apud Latinos in vertice tantùm, tum aquis ter immergebantur, et quidem toti. *Qui mergitur in aquas*, ait S. Cyrill. Hieros., Catech. 17, *et baptizatur, undique ab aquis circumdatur.* Et S. Epiphanius in Anchorato, cap. 118 : *Aquæ* inquit, *cum invocatione sanctâ non unum duntaxat hominis membrum occupant, sed integrum prorsùs repurgant, circumcidunt, ac malis omnibus exsolvunt.* Græci recentiores morem illum immergendi totum corpus pro infantibus immutârunt, quibus, ob tenellam ætatem, aquæ per nares et aures subintroductio nocere posset. Ita colligimus ex testimonio Gregorii Protosynccelli antea laudato. Quin et aquam eum in finem calefaciunt, teste Arcudio; quem morem etiam undecimo seculo observabat S. Ottho, episcopus Bambergensis, teste Scriptore ipsius vitæ.

4° Ad unam quamque immersionem non integram Baptismi formam pronuntiabant, sed unius tantùm personæ nomen appellabant, ut colligitur ex Tertull., l. adversùs Praxeam, c. 26, jam citato; ex S. Am-

brosio, l. 2, de Sacramentis, c. 7, etiam citato, et ex rituali romano, ubi ita præscribitur : *Puerum baptizet dicendo : Ego te baptizo in nomine Patris, et semel immergat; et Filii, et secundò immergat; et Spiritûs sancti, amen, et tertiò immergat.*

5° Baptizandi stabant erecti in fonte. Hinc S. Gregorius Nazianzenus testatur patrem suum, dùm baptizandus genua flexisset ex simplicitate, videntibus dedisse futuri sui episcopatûs præsagium : utroque enim genu flexo consecrantur episcopi. Ministri in fontem descendebant, sicut observat Amphilochius de sancto Basilio : tum adultos baptizandos vel appositâ supra caput, vel supra humeros depressâ manu, vel infra scapulas tenendo, vel de pondere sublatos immergebant; quo in ministerio, cùm grandiora erant et graviora baptizandorum corpora, juvabantur ab eorum patrinis. Infantes verò manibus totos immergebant, et ex fonte levabant. Hinc intellige Benedictum presbyterum in vitâ S. Damasi sic enarrantem : *Sabbato pascalis festivitatis*, inquit, *cùm turbæ se comprimerent ad Baptismum, puerulus de manu sacerdotis delapsus est, atque in fonte demersus. Et post spatium ferè unius horæ, dùm sperarent omnes jam mortuum, quidam mansionarius ipsius Ecclesiæ in fiduciam S. Damasi projiciens se in fontem, sanum et illæsum secum reduxit.* Ex quâ narratione intelliges quod suprà observavimus, fontes baptismales profundos fuisse.

S. Bonaventura, in 4, dist. 3, q. 1, talem baptizandi ritum suo tempore receptum narrat : *Sacerdos*, inquit, *debet puerum tenere per latera, et versâ facie ad aquam debet mergere, ita quòd habeat caput primò versùs orientem, secundò versùs aquilonem, tertiò versùs meridiem.*

6° Denique, post trinam immersionem ac SS. Trinitatis invocationem baptizatus è sacro fonte exibat et suscipiebatur : si mulier, à diaconissis; si vir, aliquandò à susceptoribus seu patrino et matrinâ, aliquandò à diaconis qui è sacro fonte nudos egredientes grandiori quodam velamine, quod sabanum dicebatur, obvolvebant. De illo velamine mentionem faciunt Victor Vitensis, l. 3, de Persecutione Vandalicâ, et S. Gregorius Magnus, epistolâ ad Januarium Calaritanum, l. 7, indictione 2, epist. 5. Tùm veste candidâ quisque donabatur, ut colligimus ex S. Cyrillo, catech. 4. *Veteribus*, inquit, *exutis vestibus et iis quæ sunt secundùm spiritum albæ indutis, perpetuò jam in albis incedere oportet.* Et ex S. Ambrosio, l. de Initiandis, cap. 7 : *Accepisti post hæc vestimenta candida*, inquit, *ut esset indicium quòd exueris involucrum peccatorum.* En ritus præcipui qui immersionem baptismalem propiùs spectant, de quibus mentio apud veteres occurrit.

ARTICULUS IV.

DE FORMA BAPTISMI.

Forma Baptismi constat verbis quæ inter baptizandum ex divino præcepto ac traditione apostolicâ pronuntiari debent. Cùm verò aliis Græci, et aliis Latini utantur, utriusque formæ apud illos usurpatæ antiquitas et veritas hìc à nobis est inquirenda, ac varii circa formam Baptismi errores recensendi. Quod ut distinctiùs exequamur, præsentem articulum in varias veluti sectiones dividemus, in quibus :

1° De variis erroribus circa formam Baptismi.

2° An Christus aliquam Baptismi formam præscripserit.

3° De formâ à Græcis usurpatâ, an antiqua sit et valida.

4° De formâ apud Latinos, an antiqua et conveniens.

5° An hæc verba; *Ego te baptizo*, quibus actus baptizantis exprimitur, necessaria sint ab substantiam Sacramenti.

6° An distincta trium personarum SS. Trinitatis invocatio sit absolutè necessaria; et num valuerit olim, aut etiam valere jam possit Baptismus in solo Christi nomine collatus.

De variis circa formam Baptismi erroribus.

Formam Baptismi adulterârunt, inter veteres hæreticos, Gnostici Marcitæ, Montanistæ, Sabelliani, Paulianistæ, Photiniani, Eunomiani, Elcesæi, Menandriani, Bonosiacorum, Arianorum et Afrorum nonnulli : denique ii quos canon 49, eorum qui Apostolici dicuntur, perstringit.

1° De Gnosticis Marcitis, à quodam Marco præstigiatore è sectâ Gnosticorum sic nuncupatis, constat ex S. Irenæo, l. 1, c. 21, aliàs 18, et ex S. Epiphanio, hæresi 37 : *Baptizantes, ita dicunt*, (ait S. Irenæus), *in nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit, in unione et redemptione et communione virtutum.* Idem ferè refert Theodoretus, l. 1 hæreticarum fabularum, cap. 9.

2° Apud Eusebium, l. 7 Hist., c. 9, S. Dionysius Alexandrinus suâ ad Sixtum S. Pontificem epistolâ, narrat suo tempore virum aliquem senem extitisse, qui cùm interfuisset Baptismo eorum qui in Ecclesiâ baptizabantur, ac interrogationes responsaque eorum audivisset, flens, et vicem suam ingemiscens, confessus est Baptismum, quo apud hæreticos initiatus ipse fuerat, non esse hujusmodi, nec cum Ecclesiæ Baptismo quidquam habere commune, *sed plenum blasphemiæ et impietatis, scelestis verbis ac cæremoniis esse administratum.* Quinam verò fuerint illi hæretici, non exponit Dionysius.

3° De Montanistis, qui Cataphrygæ dicebantur quòd in Phrygiâ præsertim suos haberent conventus, constat 1° ex can. 8, concilii Laodiceni, an. 364 : *Eos*, ait canon, *qui ab eorum hæresi, qui Phryges dicuntur, convertuntur, sive sint in clero qui apud illos existimatur, sive maximi dicantur; eos omnes cum omni studio catechizari, seu initiari, et baptizari ab Ecclesiæ episcopis et presbyteris.* Constat 2° ex concilio primo generali Constantinopolitano, an. 381, can. 7, ubi Montanistæ iis accensentur hæreticis, qui ad Ecclesiam venientes, tanquàm pagani recipiendi sunt per Baptismum. Non alia porrò fingi potest causa cur ejusmodi hæretici jubeantur rebaptizari, quàm quòd in legitimâ Ecclesiæ formâ baptizati non fuissent. Ita testatur

S. Basil., epistolâ primâ ad Amphilochium, can. 1, ubi de Montanistis ait: *Quamnam ergo habet rationem verum eorum Baptisma judicari, qui in Patrem et Filium, et Montanum Priscillamque baptizant?* Idem quoque innuunt S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 3, de Pace, et S. Gregorius Magnus, l. 9, epist. 61, nunc lib. 11, epist. 67, ad Quiricum vel Quirinum, aliosque in Hiberiâ episcopos: *Hi hæretici*, inquit, *qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiaci et Cataphrygæ, quia et illi Christum Dominum non credunt, et isti Spiritum sanctum perverso sensu esse pravum quemdam hominem Montanum credunt..... cùm ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur.* Hâc de causâ S. Hieronymus eos non adjungit illis quos in dialogo adversùs Luciferianos testatur à Romanâ Ecclesiâ non rebaptizari.

4° De Sabellianis, constat ex canone 7 concilii primi generalis Constantinopolitani jam citato, in quo jubentur ad Ecclesiam redeuntes, baptizari.

5° De Paulianistis, à Paulo Samosateno ita dictis, constat ex canone 19, concilii primi generalis Nicæni, an. 325, quo jubentur iterùm baptizari. *De Paulianistis*, inquit, *ad Ecclesiam catholicam confugientibus definitio prolata est, ut iterùm baptizentur omnimodis.* Idem statuit concilium Arelatense secundum, an. 452, can. 16 et 17, quod testatur etiam S. Hieronymus, dialogo adversùs Luciferianos, ubi asserit *synodum Nicænam omnes hæreticos suscepisse, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Ratio autem cur iterùm datus illis fuerit Baptismus, non alia esse potest, quàm quòd in legitimâ formâ collatus primùm non fuerat. *Credendum*, inquit S. Augustinus, l. de Hæresibus, hæresi 44, *eos regulam Baptismatis non tenere.* Idem testatur Innocentius primus, epist. 22, ad episcopos Macedoniæ, cap. 5.

6° De Photinianis qui eumdem cum Sabellio errorem tuebantur, patet ex canone 16, concilii secundi Arelatensis. *Photinianos*, inquit, *sive Paulianistas, secundùm Patrum statuta baptizari oportet.* Unde corrigenda videtur lectio canonis septimi concilii Laodiceni, an. 364, in quo Photiniani non jubentur rebaptizari. Probabile igitur est verba illa in canonem irrepsisse, et consequenter delenda, cùm Nicænus canon expressè jusserit rebaptizari Paulianistas, qui iidem erant cum Photinianis.

7° De Eunomianis, patet tum ex canone 7 concilii primi generalis Constantinopolitani, tum ex Theodoreto, lib. 4 hæreticarum Fabularum, cap. 3, tum ex S. Epiphanio, hæresi 76, in fine, et Sozomeno, lib. 6 Hist., c. 28. Theodoreti et S. Epiphanii verba paulò supra retulimus, agendo de necessitate trinæ mersionis.

8° De Elcesæis, ab Elcesai quodam hæresis suæ auctore sic nuncupatis, constat ex Theodoreto, lib. 2 hæretic. Fabul., cap. 7, ubi asserit *eos usos fuisse baptismatibus in elementorum confessione.*

9° De Menandro testis est Theodoretus, lib. 1, cap. 2, ubi ait ipsum asseruisse baptizatos in suo nomine salvos esse.

10° De aliquibus Bonosiacis constat, tum ex S. Gregorio Magno jam citato, n. 3, tum ex Pelagio II, in suo ad Gaudentium episcopum responso, *ubi innuit eos baptizâsse in mortem Christi.* Quòd verò omnes Bonosiaci non adulteraverint formam Baptismi, colligitur manifestè, ex can. 17, concilii II Arelatensis, an. 452, ubi dicitur: *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut et Arianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati*, etc.

11° De aliquibus etiam Arianis idem testatur Theodorus Lector, Collectaneorum l. 2, ubi refert à Deuterio Ariano, episcopo, aliquem nomine Barbam, Constantinopoli baptizatum sub hâc formâ: *Baptizatur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu*, ac statim aquam evanuisse. Idem legitur apud Nicephorum, l. 13, c. 35. Constat præterea ex antiquo Gregorii Turonensis supplemento, et Joanne Biclarensi in chronico, nonnullos in Hispaniâ Gothos Arianos formam Baptismi non servâsse; qui idcircò à S. Leandro Hispalensi episcopo rebaptizati sunt: atque eam ob causam reginam Brunichildim, dùm in Gallias venit, rebaptizatam fuisse affirmat Aimonius, monachus Floriacensis, l. 3 Hist. Francorum, cap. 4, apud Duchesne, t. 3. Non omnes porrò Arianos peccasse in formam Baptismi certò colligitur, tum ex concilio generali primo Nicæno, in quo soli Paulianistæ jubentur rebaptizari; tum ex can. 7, concilii primi generalis Constantinopolitani; tum ex can. 16, concilii secundi Arelatensis mox citato, n. 10, tum ex S. Gregorio Magno, epistolâ jam citatâ 67, lib. 11, ubi ait: *Arianos per impositionem manûs Occidens, per unctionem verò sancti chrismatis Oriens reformat.* Unde quando S. Athanasius, orat. 3, contra Arianos, et S. Hieronymus, dial. adversùs Luciferianos innuere videntur, Arianos baptizasse in nomine Creatoris et creaturæ, sensus eorum non est, quòd inter baptizandum verba hæc pronuntiaverint; sed cùm verba ex animo dicentis soleant exponi, in nomine creaturæ baptizâsse dicuntur, quia Filium Dei, in cujus nomine confertur Baptismus, creaturam esse existimabant.

12° De aliquibus Afris supponunt Patres concilii primi Arelatensis, an. 314, can. 8, ubi aiunt: *De Afris, quòd propriâ suâ lege utuntur, ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hâc hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; et si perviderint in Patre et Filio et Spiritu sancto eum esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur ut accipiat Spiritum sanctum. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem baptizetur.* Supponit igitur concilium, aliquos fuisse in Africâ qui non baptizabant in formâ consuetâ. Ubi castiganda obiter videtur lectio Binnii, qui loco *de Afris*, legit *de Arianis:* nondùm quippe exorta tunc erat hæresis Ariana.

Per Afros autem intelligit concilium, tum eos qui Cypriano et Firmiliano adhærentes, quoslibet hæreticos in hæresi baptizatos indiscriminatim rebaptizabant; tum Sabellianos, Novatianos, Donatistas, cæterasque pestes quæ in Africâ præsertim grassabantur, quique baptizatos à catholicis, cùm ad suas transibant

partes, iterùm baptizabant. Jubet igitur concilium discrimen esse observandum inter hæreticos qui formam Baptismi integram servabant, et eos qui illam adulterabant; idque dignoscendum ex interrogatione eorum qui ab ejusmodi hæreticis ad Ecclesiam redibant: qui, si deprehendantur baptizati in formâ consuetâ, non sunt baptizandi; secùs, si forma consueta non fuisset observata.

Denique, can. 49, eorum qui apostolici falsò nuncupantur, suppresso nomine notantur qui baptizabant *in tribus sine initio principiis, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis*. Eumdem errorem nondùm extinctum seculo sexto perstringit Vigilius S. pontifex, epistolâ 2, cap. 6, ubi ait: *Si quis episcopus aut presbyter, juxta præceptum Domini, non baptizaverit in nomine Patris et Filii, et Spiritûs sancti, sed in unâ personâ Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus Patribus, aut Filiis, aut in tribus Paracletis, projiciatur de Ecclesiâ Dei*. S. Augustinus, lib. 6, de Baptismo, c. 25, observat, suo tempore faciliùs inveniri hæreticos qui omninò non baptizant, quàm qui illis verbis, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, non baptizant.

An Christus aliquam Baptismi formam præscripserit.

Sociniani post Socinum, tractatu de Baptismo, cap. 2, docent baptizari *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, apud S. Matth., cap. 28, v. 19, non esse baptizari in invocatione seu expressione personarum Trinitatis; sed idem esse ac doceri, instrui, initiari in fide Patris, Filii et Spiritûs sancti.

Episcopius quoque in responsione ad trigesimam septimam quæstionem inter sexaginta quatuor, ubi, etsi putet formam Baptismi consuetam, propter antiquum Ecclesiarum omnium usum, retinendam esse, contendit tamen eam nullo pacto colligi posse ex verbis Christi apud S. Matth., c. 28; unde ibidem putat hæc Christi: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, connecti posse cum istis: *Docete*, seu, *discipulos facite;* atque ista verba, *baptizantes eos*, esse intra parenthesim collocanda, ita ut sensus sit: *Baptizantes, docete quis sit Pater, quis Filius, quis Spiritus sanctus; et in hâc doctrinâ discipulos facite*: quâ certè admissâ expositione clarum est ista verba, *baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, non esse à Christo præscripta tanquàm formam Baptismi.

Gerardus etiam Vossius, disputatione secundâ de Baptismo thesi quintâ, contendit nullam esse in Scripturis formam verborum in quibus baptizare debeamus præscriptam. Adversùs eos sit,

CONCLUSIO. — Christus certam verborum formam in Baptismo usurpandam præscripsit.

Probatur 1° ex cap. 28, S. Matth., v. 19, ubi Christus discipulis ait: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti:* quo loco etsi conceptis verbis Christus non dixerit, verba ista inter baptizandum esse pronuntianda, universa tamen Ecclesia verborum Christi custos ac fidelis interpres ex eo semper intellexit, et usu suo confirmavit, verba ista exprimenda esse. Ubi observabis obiter, lutheranos et calvinistas, qui eamdem Baptismi formam nobiscum retinent ac præscribunt, nec traditionis et Ecclesiæ auctoritatem infallibilem agnoscunt, vix posse contumaces socinianos refellere, et probare adversùs illos sensum verborum Christi esse, ut inter baptizandum exprimantur nomina personarum SS. Trinitatis.

Actorum 19, v. 2, cùm S. Paulus interrogâsset discipulos, *an Spiritum sanctum accepissent*, et isti respondissent: *Neque si Spiritus sanctus est, audivimus;* statim subjicit Paulus: *In quo ergo baptizati estis?* Quæ sanè interrogatio videtur supponere solitum exprimi in administratione Baptismi Christi nomen Spiritûs sancti, de quo discipuli illi, solo Joannis Baptismo tincti, nihil audiverant.

Confirmatur: Quia ibidem Baptismum Christi videtur Apostolus conferre cum Baptismo Joannis, et modum quo uterque ministrabatur, comparare. *Joannes*, inquit, *baptizavit Baptismo pœnitentiæ, dicens: In eum qui venturus esset post ipsum*, nempe Christum; ergo in Baptismo Christi aliquid etiam dicebatur: Quid? verba ista evangelica: *In nomine Patris, et Filii et Spiritûs sancti*.

Pariter primæ Corinth. 1, loquens Apostolus de schismate quod inter Corinthios exortum fuerat, quorum aliqui dicebant se esse Pauli, alii Apollo, alii Cephæ: *Numquid*, ait Paulus, *in nomine Pauli baptizati estis?* quasi diceret: Nonne tenetis memoriâ verba quibus datus vobis est Baptismus? An baptizantem audivistis dicentem: *Ego te baptizo in nomine Pauli?* non certè; sed *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*.

Probatur 2° ex constanti et perpetuâ Ecclesiæ totius traditione et praxi, cujus tot certissima proferri possunt argumenta, quot supersunt SS. Patrum monumenta. Ex infinitis hæc pauca seligimus.

Ex S. Justino, apolog. 2, pro christianis: *In nomine rerum cunctarum parentis*, inquit, *et Domini Dei, et Servatoris nostri Jesu Christi, et Spiritûs sancti in aquâ tunc lavantur... Super eo qui renascendum sibi esse statuerit..... parentis rerum omnium, et Domini Dei nomen nominatur..... In nomine autem etiam Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, atque in nomine Spiritûs sancti abluitur is qui illuminatur*. Igitur, teste S. Justino, nomen Patris, Filii, et Spiritûs sancti exprimebatur in administrando Baptismo.

Ex Tertulliano, l. de Baptismo, c. 13: *Lex tingendi*, inquit, *imposita est, et forma præscripta: Ite*, inquit, *docete nationes, tingentes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*. Quid hoc testimonio potest expressius ac disertius proferri? Et cap. 2, dixerat: *Sine sumptu homo in aquâ demissus, et inter pauca verba tinctus*. Pauca autem illa verba alia non sunt ab iis quæ Christus præscripsit Matth. 28. Denique lib. adversùs Praxeam, cap. 26: *Novissimè*, inquit, *mandavit ut tingerent in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum: non in unum, nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur*.

Ex S. Cypriano, epist. 73, ad Jubaianum, ubi sic

legitur : *Post resurrectionem, à Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, baptizare gentiles jubentur. Quomodò ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imò et contra Ecclesiam, modò in nomine Jesu Christi, ubicumque et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quandò ipse Christus gentes baptizari jubeat in plenâ et adunatâ Trinitate?*

Ex S. Basilio, l. de Spiritu sancto, cap. 12 : *Oportet*, inquit, *inviolabilem manere traditionem quæ in vivificâ gratiâ data est.* Et postea : *Fides perficitur per Baptismum, Baptismus verò fundamento fidei nititur, et utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.*

Ex S. Ambrosio, lib. de Mysteriis, c. 4 : *Credit*, inquit, *Catechumenus in crucem Domini Jesu, quâ et ipse signatur : sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire... Tu autem baptizatus es in nomine Trinitatis, confessus es Patrem; recordare quid feceris; confessus es Filium, confessus es Spiritum sanctum.*

Ex S. Hieronymo, lib. 4, commentariorum in Matth. : *Baptizantur*, inquit, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; ut quorum una est divinitas, una sit largitio; nomenque Trinitatis unus Deus est.*

Ex S. Augustino, lib. 6, de Baptismo, c. 25 : *Certa sunt*, inquit, *evangelica verba, sine quibus non potest consecrari Baptismus.* Quæ autem sint ista verba declarat, l. 3, c. 15 : *Si*, inquit, *evangelicis verbis : In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.*

His adde non aliam fuisse unquàm Ecclesiæ regulam in approbando vel damnando hæreticorum Baptismo, quàm hujus formæ à Christo præscriptæ accuratam observationem, vel corruptionem, ut constat ex canone octavo concilii primi Arelatensis paulò ante citato. Et verò vel ipsis veteribus hæreticis tam persuasum fuit aliquam esse Baptismi formam verbis expressam, ut illi verba quædam semper usurpaverint, teste S. Irenæo, l. 1, c. 18.

Ex his verò omnibus sic arguere licet : Ecclesia in administrando Baptismo semper usurpavit tanquàm necessariam formam, sine quâ nullum est Sacramentum, verba evangelica : atqui non aliâ de causâ verba hæc usurpanda esse duxit Ecclesia, quàm quòd intellexit ea fuisse à Christo præscripta, Matth. 28. Ecclesia enim quæ Sacramenta instituere non potest, non potest etiam verba necessaria ad substantiam Sacramentorum præscribere, sed quæ sunt à Christo præscripta summâ religione retinet et observat. Igitur verba quibus Baptismi forma exprimitur, sunt à Christo præscripta.

Ex his quoque funditùs convellitur figmentum Episcopii, verba hæc : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, connectentis cum istis : *Ite et docete;* et istud, *baptizantes*, inter parenthesim collocantis. Nullum enim est, ne vel minimum quidem, parenthesis in textu sacro vestigium, nulla necessitas, cùm planus sit et apertus Christi sermo. Quòd si ad libitum fas sit ejusmodi verborum constructiones, sicut et parentheses fingere, nihil tam certum ac firmum erit, quod non evertatur.

Dices : Non magis ex istis Christi verbis : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, inferri potest necessitas ista verba pronuntiandi inter baptizandum, quàm ex istis : *Euntes, docete omnes gentes*, inferatur necessitas dicendi inter docendum : *Ego vos doceo;* vel ex istis : *In nomine meo dæmonia ejicietis, languores sanabitis*, necessitas dicendi : *Dæmonia ejicio, languores sano*, etc. : atqui istud postremum necessarium non est, neque ex Christi verbis colligitur; ergo, etc.

Confirmatur : Quia illud, *in nomine*, apud S. Matth., c. 28, non significat in expressione seu invocatione, sed in virtute et fide Patris, et Filii, et Spiritûs sancti : sicut quandò in Actibus Apostolorum legimus Apostolos baptizâsse in nomine Christi, illud, *in nomine*, idem est ac, in virtute et fide, non verò in expressione seu appellatione nominis Christi; aliàs sequeretur validum aliquando fuisse Baptismum datum in solo Christi nomine, quod vulgò non admittunt theologi.

Resp. : Nego maj. et parit. : Ratio disparitatis ex solâ Christi voluntate petenda est. In factis enim ejusmodi, tota ratio facti est voluntas facientis : voluntas autem Christi nobis per Ecclesiam sponsam ejus ac fidelem interpretem declaratur. Si verò superiorem et à priori rationem quæras, cur inter baptizandum necesse sit exprimere actum baptizantis, et invocare SS. Trinitatem; inter verò docendum, aut quid simile, istud necesse non sit, hæc potest afferri : quia nempe actio quâ quis docet, vel dæmonia ejicit, aut morbos sanat, per semetipsam satis determinata est ad hoc vel illud, absque additione talium verborum : *Ego doceo, ego dæmonia ejicio*, etc. Atverò cùm actio baptizantis ex se sit indifferens, et possit ad multa referri, necesse est ut per aliquid speciale determinetur ad actionem sacram, divinam, religiosam, uno verbo ad sacramentalem : istud autem per quod determinatur, est tum declaratio seu expressio invocantis, tum invocatio distincta trium personarum SS. Trinitatis, tum intentio baptizantis quâ vult facere quod facit Ecclesia et Christus instituit. *Accedit verbum ad elementum*, ait S. Augustinus, *et fit Sacramentum.*

Ad confirmationem, nego istud, *in nomine*, apud S. Matth., significare solùm in virtute et fide, non verò in invocatione seu appellatione nominis Patris et Filii, et Spiritûs sancti; utrumque enim significat. Nec valet adducta paritas ex Baptismo dato in nomine Christi, in Actibus Apostolorum : ibi enim, *in nomine*, idem est ac in virtute et fide, non in solâ expressione nominis Christi, ut dicemus infra; quia scilicet eò loci non agitur de formâ Baptismi, sed tantùm de necessitate. Præterea verò, quæ suprema nobis esse

debet ratio, Ecclesia istud, *in nomine*, apud S. Matth., intellexit semper de invocatione seu appellatione nominis Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; istud verò, *in nomine Christi*, in Actibus Apostolorum, non intellexit de solâ invocatione nominis Christi in Baptismo.

Quâ formâ utantur Græci. An antiqua sit et valida.

Arcudius, lib. 1 de Baptismo, cap. 8, hanc apud Græcos usitatam baptizandi formam refert : *Baptizatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Multi inter nostros scholasticos, loco *baptizatur*, legunt *baptizetur;* sensu nimirùm vel optativo seu deprecativo, vel imperativo : unde Eugenius IV in decreto utrumque modum refert et approbat. Verùm ex solâ textûs græci lectione in Euchologio apud Goarium, p. 355 et 365, et apud Arcudium, loco citato, perspicuum est Græcos modo indicativo dicere : *Baptizatur.*

Hujus verò formæ tam tenaces sunt Græci, ut eorum nonnulli schismatici baptizatos à Latinis rebaptizare ausi fuerint, ut colligimus ex concilio Lateranensi IV, cap. 4, sub Innocentio III, an 1215, sive quòd existimarent formam quâ utuntur Latini, legitimam non esse, ut putat Bellarminus, nec improbabile videtur Arcudio; sive quòd prætermissam ab illis trinam mersionem falsò crediderint; sive denique ex cæco quodam adversùs eos odio.

Innocentius IV, scribens in caput primum de Baptismo et ejus effectibus, negat legitimum fore Baptismum quem Græcus in Occidentali Ecclesiâ conferret in formâ apud Græcos consuetâ : verùm hoc in capite, sicut et in aliis nonnullis quæ privatus doctor scripsit, deserendus est.

Tempore S. Thomæ, quidam existimabant, ut ipse refert in 4, dist. 3, q. 2, art. 2, in responsione ad primum, formam Græcorum invalidam esse.

Conclusio. — Forma hæc baptizandi apud Græcos : *Baptizatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti,* antiqua est et valida.

1° De antiquitate constat ex veteribus formulis quæ referuntur à variis auctoribus.

A Theodoro Lectore, lib. 2 Collectaneorum, in quo quemdam, nomine Barbam, à Deuterio Ariano Constantinopoli ita baptizatum refert : *Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto;* ubi quamvis vitiosa sit forma in expressione SS. Trinitatis, priora tamen verba indicant Baptismum apud Græcos solitum conferri verbo indicativo passivo. Istud porrò factum contigit circa annum Christi 500.

A Joanne Mosco Prati spiritualis, cap. 176, ubi ait judæum in arenâ sic baptizatum fuisse : *Baptizatur Theodorus in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Istud contigisse narratur circa annum Christi 630.

A Severo vulgò Alexandrino, lib. de Ritibus Baptismi, Pontifex in hunc modum ait : *Baptizatur talis in nomine*, etc. Dicitur Severus vixisse circa annum Christi 630

Denique omnes Græcorum libri rituales eamdem formam continent.

Si verò quæras hujusce formæ rationem : — Respondebit 1° Gabriel Philadelphiensis episcopus in libro de Sacramentis, duplicem esse. 1° : Quia Scriptura etiam verbo passivo utitur. *Ego*, inquit Joannes, *à te debeo baptizari.* 2° Quia hæc loquendi formula modestiam Baptizantis indicat, qui ne videatur sibi primarium Baptismi ministerium arrogare, non audet in primâ personâ dicere : *Ego te baptizo.* Unde S. Chrysostomus, hom. 1, in Acta Apostolorum, expendens ista verba : *Vos autem baptizabimini, non post multos hos dies : Neque dixit*, inquit, *Ego vos baptizo Spiritu sancto, sed baptizabimini, nos docens ut modestè de nobis sentiamus.* Respondebit 2° Arcudius, lib. 1, de Baptismo, c. 8, idcircò Græcos verbo indicativo passivo uti, ut eorum apud suos occurratur errori, qui cum illis schismaticis Corinthiis dicebant : *Ego sum Pauli, Ego sum Cephæ*, etc., quasi significare vellent, Baptismum vel à Paulo, vel à Cephâ aut ab alio quocumque ministro suam trahere virtutem; qui error non tantùm in Græciam, sed et in Africam serpserat : unde S. Augustinus, sermone 99, de Verbis S. Lucæ, aliàs, homiliâ 23, inter 50, loquens de peccatis quæ Magdalenæ peccatrici dimissa sunt : *Medicus bonus*, inquit, *ægros non solùm præsentes sanabat, sed et futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines qui dicerent : Ego peccata dimitto, ego justifico, ego sano quemcumque baptizo.* Aliquandò tamen verbo indicativo in primâ personâ usos esse Græcos colligi potest ex S. Greg. Naz., orat. 40, versùs finem : *Baptizo te*, inquit, *docens in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.*

2° Formam istam apud Græcos solemnem validam esse constat, tum quia nunquàm eâ de re litem illis movêre Latini; nunquàm ab illis eâ formâ baptizatos rebaptizârunt : tum quia Eugenius IV, S. Pontifex, in instructione Armenis datâ, postquàm dixit formam Baptismi esse istam : *Ego te baptizo*, etc., mox subjungit : *Non tamen negamus, quin et per illa verba; Baptizetur, vel baptizatur manibus meis talis servus vel serva Dei in nomine*, etc..... *verum perficiatur Baptisma.* Rationem addit, quia principalis causa ex quâ fluit virtus Baptismi, est SS. Trinitas, instrumentalis autem est minister qui tradit exteriùs Sacramentum : at utraque exprimitur in formâ Græcorum; ministerialis quidem non ita distinctè, sed tamen, ait Arcudius, facilè intelligitur. Tum denique, quia quoties unio cum Græcis tentata est et perfecta, nusquàm ab iis postulârunt Latini, ut antiquam suam baptizandi formam immutarent.

Dices 1° : Alexander III, decreto : *Si quis puerum*, exigit ut actus baptizantis ministri exprimatur. At in formâ Græcorum non exprimitur.—Resp. : Nego min. : Exigit quidem S. Pontifex, explicitam fieri mentionem actionis externæ; utrum verò activè, vel passivè exprimatur, parùm interest. Cùm minister apud Græcos ait : *Baptizatur* N., subintelligitur *à me* baptizatur.

Dices 2° : Albertus magnus in 4, dist. 3, q. 2, ad

8, refert S. Pontificem respondisse quosdam, qui erant sub regimine Ecclesiæ Romanæ in Dalmatiâ, rebaptizandos esse, eò quòd sub hâc verborum formulâ essent baptizati : *Baptizatur servus Christi.* — Resp. ita quidem primò respondisse S. Pontificem, at postea re maturius ponderatâ negâsse illos rebaptizandos esse.

Quâ formâ Baptismi utantur Latini. An antiqua sit et valida.

Consueta apud Latinos baptizandi forma hæc est : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Amen :* quæ ultima vox necessaria non est ad veritatem Sacramenti, sed tantùm additur formæ jam perfectæ, ut significet minister se firmum ac ratum habere quod fecit, et baptizato cœlestem gratiam apprecari.

De antiquitate formæ illius, ratione invocationis expressæ SS. Trinitatis, nemo dubitat; sed tantùm controversia est de priori parte, quâ actus baptizantis verbo indicativo activo exprimitur.

Ratio dubitandi Morino, lib. 8, de Pœnit., c. 9 et 16, et aliis nonnullis est, tum quia quinque prioribus seculis nullus formam illam verbo indicativo activo expressam refert, tum quia ex professo S. Augustinus, sermone 99, de Verbis S. Lucæ, aliàs, homiliâ 23, inter 50, damnat in hæreticis eam administrandorum Sacramentorum formam absolutam : *Ego peccata dimitto; Ego sanctifico; Ego sano quemcumque baptizo.* Verba S. Doctoris paulò ante laudavimus. Cùm verò hæretici objicerent datam esse hominibus à Christo potestatem dimittendi peccata, adeòque posse illos jure merito dicere : *Ego dimitto peccata; Ego absolvo,* etc., reponit sanctus doctor, *non alio sensu dici homines remittere peccata, quàm quia Spiritum sanctum acceperunt, qui remittit peccata.* Ibid. observat, *Christum non dixisse Magdalenæ : Ego dimitto tibi peccata tua; sed : Remittuntur tibi peccata tua;* quibus certè innuere videtur S. Augustinus, ætate suâ incognitam fuisse formam absolutam administrandorum Sacramentorum verbo activo indicativo expressam : sola ergo deprecativa verbo optativo expressa forma obtinuit prioribus seculis in administratione Sacramentorum.

Conclusio. — Hæc apud Latinos baptizandi forma; *Ego te baptizo in nomine,* etc., antiqua est et maximè conveniens.

Probatur prima pars : Quia etsi fateamur ingenuè, ex quinque prioribus seculis disertum non extare testimonium formæ illius absolutæ verbo indicativo expressæ, non inde tamen rectè colligitur, formam illam non fuisse antiquitùs observatam : quia qui omnium primi leguntur inter veteres formam ejusmodi præscripsisse aut commemorâsse, ut seculo sexto sanctus Gregorius Magnus in suo sacramentario, et postea auctor Ordinis Romani, et antiqua liturgia gallicana à doctissimo Mabillonio edita et illustrata, titulo 25, Venerabilis Beda, l. variarum Quæstionum, quæstione 14, et alii subinde benè multi, eam non tanquàm recens inductam, sed ut veterem et à majoribus transmissam tradiderunt. Et verò à formâ Græcorum non distat, nisi quòd enuntiatur apud illos in tertiâ personâ *baptizatur;* apud nos verò in primâ, *baptizo;* ex utrâque enim parte indicativa est et absoluta, non deprecativa.

Nec obstat 1° penuria testimoniorum ante sextum seculum : his quippe primis temporibus, propter frequentiam hæreticorum adulterantium invocationem personarum SS. Trinitatis absolutè necessariam, magis attenti erant et solliciti veteres in demonstrandâ necessitate illius invocationis, quàm in commemorando verbo quo utebantur ut exprimerent actum baptizantis.

Quanquàm si vera sunt et genuina Acta martyrii S. Stephani S. Pontificis, quæ Baronio ad annum Christi 259, n. 20, fidelissima videntur, habemus exemplum Baptismi dati ab illo S. Pontifice sub hâc formâ, ibid., n. 23 : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti baptizo te.*

Nec obstat 2° auctoritas adducta S. Augustini. Non enim simpliciter damnat sanctus doctor in se verba hæc : *Ego absolvo, Ego baptizo;* sed pravum et erroneum eorum verborum sensum quem fingebant Donatistæ quos ibi impugnat. Docebant scilicet illi, Sacramentorum vim et efficaciam pendere ex merito ministri, non ex virtute Christi; atque sensu illo erroneo superbè jactabant se dimittere peccata, se baptizare, etc., quos impugnans meritò dicebat sanctus doctor : *Daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum, et ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti peccata; non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata.*

Probatur secunda pars, nempe formam hanc Baptismi apud nos usurpatam, maximè convenientem esse, quia nempe rectè exprimit Baptismi causam tum instrumentalem, seu ministerialem, tum principalem, tum ipsam baptizati personam. Instrumentalem quidem per ista : *Ego baptizo;* principalem per ista, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Istud verò, *in nomine*, significat præter ipsam oralem appellationem personarum Trinitatis, virtutem, auctoritatem, fidem Trinitatis, cui nomen damus, ac spondemus obsequium cùm baptizamur. Dicitur autem, *in nomine*, non, *in nominibus*, ut clariùs unitas essentiæ, virtutis et operationis trium personarum divinarum significetur. Ipsa denique persona baptizati clarè exprimitur per pronomen, *te.*

An hæc verba : Ego te baptizo, *quibus actus baptizantis exprimitur, necessaria sint ut Sacramentum valeat.*

Quæstionis præsentis sensus non est, an necesse sit personam ministri in Baptismo exprimere; communis enim ferè est opinio, id non esse necessarium. Ita S. Th. in 4, dist. 3, art. 2, ad 1 : *Utrum*, inquit, *expressio personæ ministri quæ fit secundùm nos, sit de necessitate Baptismi, apud quosdam dubium est; probabilius tamen dici potest quòd non sit, ne cogamur totam Græcorum ecclesiam absque Baptismo ponere, qui personam non exprimunt baptizantis : quod dicitur con-*

silio sanctorum Patrum factum, contra errorem eorum qui in baptizantis personâ spem ponebant, de quo 1 Cor. 1. Videntur S. Th. cæterique scholastici supponere Græcos modo vel optativo, vel deprecatorio, dicere : *Baptizetur servus Dei;* in quo loquendi modo nulla involvitur personæ baptizantis mentio, sicut in isto modo indicativo : *Baptizatur servus Dei*, in quo facilè suppletur istud, nempe, per me, seu, manibus meis.

Sensus igitur quæstionis est, utrùm validus olim fuerit, aut etiamnùm valere possit Baptismus datus à ministro qui inter abluendum ista tantùm proferret verba : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* non additis, aut : *Ego te baptizo*, aut, *Baptizatur talis*, aut aliis æquivalentibus verbis quibus actio baptizantis exprimitur.

Duodecimo Ecclesiæ seculo excitata primùm legitur hæc quæstio aliis affirmantem, aliis negantem sententiam propugnantibus.

Opiniones diversæ.

Præpositivus in 4 parte Summæ theologicæ, Petrus Cantor aliquot ante Præpositivum annis, in Summâ de Sacramentis et animæ consiliis, quæ asservatur manuscripta in bibliothecâ Victorinâ fol. 156, parte 2.

Hugo à S. Victore, lib. 2, parte 6, cap. 13, de Sacramentis.

Petrus Lombardus, magister sententiarum, l. 4, dist. 3.

Denique Stephanus Tornacensis episcopus interrogatus à Pontio, episcopo Claromontano, de subjectâ quæstione, epistolâ 5, putant validum et ratum esse Sacramentum Baptismi cum solâ expressione seu invocatione nominis *Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, absque illis aut similibus verbis : *Ego te baptizo*, vel, *baptizatur* talis. Sententiam hanc nonnullis momentis confirmare conatur dictus Stephanus in citatâ Epistolâ 5.

Alii negantem sequuntur partem, inter quos primus et auctoritate et dignitate eminet Alexander III, editâ ex professo eam in rem constitutione, quæ habetur Extra. *de Baptismo et ejus effectu.* cap. *Si quis.* Obiit autem ille an. 1181, id est, eâ ipsâ ætate quâ floruit Stephanus Tornacensis, cui procul dubio, ut et cæteris ejusdem temporis Scriptoribus, ignota fuit hæc S. Pontificis constitutio, quæ non videtur priùs juris publici facta, quàm eam Raymundus in Decretales retulerit, et Raymundi compilatio à Gregorio IX, auctoritatem in judiciis obtinuerit. Paulò ante Gregorium IX, dicta Alexandri III definitio, secundæ Decretalium compilationi sub Innocentio III factæ, inserta quidem fuerat : *Sed ab iisdem doctoribus scholasticis*, inquit Morinus, l. 8, de Pœnit. c. 16, n. 21, *partim ignorata fuit, partim minùs quàm Raymundi collectio æstimata, eò quòd Pontifex eam non confirmâsset.*

In eamdem negantem opinionem abiit eodem seculo duodecimo Mauritius, episcopus Parisiensis, qui de hâc quæstione consultus fuerat à Pontio, Claromontano episcopo. Extat responsum Mauritii inter epistolas Stephani Tornacensis, n. 4.

Morinus lib. 8 de Pœnit., cap. 16, n. 21, mediam quamdam inire sententiam videtur : nempe Stephani et aliorum scholasticorum rationes probabiles judicat; adeòque ante receptam Alexandri III constitutionem ratum et validum fuisse Baptismum cum his solis verbis collatum : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* sed post receptam S. Pontificis definitionem, nullum ampliùs esse nisi exprimatur actio baptizantis per ista aut æquivalentia verba : *Ego te baptizo, baptizatur talis*, etc. Scilicet idem ille putat judicandum de Baptismo, ac de Matrimonio, v. g., quod ante decretum Tridentinum valuit clam contractum sine testibus et parochi præsentiâ; sed post decretum illud nullum est; potest quippe Ecclesia in administratione Sacramentorum certas præscribere leges et conditiones, quibus non observatis, nullum sit et declaretur Sacramentum. Cùm igitur definierit Alexander III nullum esse Baptismum sine istis aut similibus verbis : *Ego te baptizo*, etc., concludendum est, post talem definitionem verba ejusmodi absolutè necessaria esse ut ratum sit et validum Sacramentum Baptismi. His ita historicè præmissis, sit

Conclusio. — Verba ista : *Ego te baptizo*, aut æquivalentia quibus actio baptizantis exprimitur, absolutè necessaria sunt ut valeat Baptismus.

Probatur 1° ex perpetuo et constanti usu ecclesiæ tùm græcæ, tum latinæ, quæ inter baptizandum usa est verbis exprimentibus actionem ministri, sicut ex citatis antea testimoniis colligere est. Illius autem usûs et praxis necessitatem deduxit Ecclesia ex mandato Christi apud Matth. c. 28 : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* quo loco par videtur astrui necessitas et invocandi SS. Trinitatem, et exprimendi actionem baptizantis; aut si istud postremum sustuleris, et aliud quoque tolli poterit, aut saltem nulla satis firma ex Scripturis ratio haberi poterit, quâ unum præ alio necessarium absolutè esse demonstretur. Non enim apertè et expressè dixit Christus, ut inter baptizandum appellaremus nomen Patris et Filii et Spiritûs sancti; et istud, *in nomine*, interpretari quis posset in virtute, auctoritate, fide; attamen constat istud esse falsum. Unde? ex ipsâ Ecclesiæ, quæ fidelis est verborum Christi sponsi sui interpres, traditione ac perpetuâ praxi; ergo, cùm ex eâdem praxi constet semper usurpata esse verba quibus exprimitur actio ministri, dicendum verba illa semper judicata fuisse necessaria ut ratum sit et validum Baptisma : et quidquid adversùs necessitatem exprimendi actionem baptizantis dicitur à Stephano Tornacensi, illud omne retorqueri ac converti potest adversùs necessitatem invocandi nomen Patris et Filii et Spiritûs sancti.

Probatur 2° ex definitione Alexandri III, S. Pontificis. Extra. *de Baptismo*, cap. *Si quis*, cujus hæc verba sunt : *Si quis puerum ter in aquâ merserit in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti, amen; et non dixerit :*

« *Ego te Baptizo*, » etc., *puer non est baptizatus.*

Prædecessoris sui definitionem confirmavit ejusdem nominis Alexander VIII in censurâ multarum propositionum factâ die 7 decembris anni 1690, inter quas hæc, n. 27, damnatur : *Valuit aliquando Baptismus sub hâc formâ collatus : In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, prætermissis istis : Ego te baptizo.*

Probatur 3° ex Mauritio, episcopo Parisiensi, qui à Pontio, episcopo Claromontano (sicut et Stephanus Tornacensis) eâ de re consultus, respondit per epistolam inter Stephani epistolas, n. 4, nullum esse Baptismum collatum prætermissis istis aut similibus verbis : *Ego te baptizo.* Quin ipse Pontius, in cujus diœcesi contigerat aliquem fuisse baptizatum sine istis verbis, Parisiensem et Tornacensem consulens episcopos per epistolam, quæ extat n. 3, inter epistolas Stephani Tornacensis, significat sibi nullum quoque videri ejusmodi Baptismum, et *pessimam* appellat consuetudinem eorum qui quâlibet premente necessitate omittunt ista verba : *Ego te baptizo.* Imò ipse Stephanus Tornacensis, quanquàm oppositam sententiam multis momentis confirmare nitatur, non eam tamen ut certam omninò ac indubitatam proponit aut affirmanter definit. *Opiniones profundo*, inquit, *non assertiones, paratus summi et catholici viri Domini Parisiensis sequi vestigia.* Parisiensis autem ille episcopus erat Mauritius, qui, ut diximus, Baptismum ejusmodi improbavit.

Doctissimus P. Martène, l. 1, de antiquis Ecclesiæ ritibus, c. 1, art. 14, n. 15 et seq., varia refert antiqua missalia græca et latina, in quibus, si unum excipias rituale ecclesiæ Cameracensis ab annis circiter trecentis exaratum, exprimitur actio ministri baptizantis.

Probatur denique ratione S. Thomæ, 3 parte, q. 66, art. 5, ad 2 : *Cùm ablutio hominis in aquâ*, inquit, *propter multa fieri possit, oportet quòd determinetur in verbis formæ ad quid fiat : quod quidem non fit per hoc quod dicitur : In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss. 3. Unde si non exprimatur actus Baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum.*

Ex his facile est diluere quæ Stephanus Tornacensis adducit, ut opinionem nostræ conclusioni adversam tueatur.

Primò, ait Scripturam solummodò præcipere ut baptizemus in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, non ut dicamus : *Ego te baptizo*, quæ verba inutilia omninò videntur, ubi manifesta est actio baptizantis. Sicut cùm dixit Christus : *Euntes docete omnes gentes;* necesse non est ut inter docendum dicamus : *Ego vos docco.* Pariter cùm Elisæus servo suo puerum suscitaturo jussit ut poneret baculum suum super faciem pueri, quis dicat necesse fuisse servo pronuntiare hæc verba : *Pono baculum Elisæi super faciem tuam?* Item cùm jubet Deus Moysen virgam suam projicere ut fieret serpens, numquid necesse fuit Moysen dicere : *Virgam projicio?* Non certè. Pariter igitur præcepto Christi satisfacit qui baptizat in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, nec dicit : *Ego te baptizo.*

Verùm hujusce ratiocinii infirmitas patet ex jam dictis supra, ubi quærebamus an Christus aliquam Baptismi formam præscripserit. Etsi enim Scriptura apertè non jubeat ut inter baptizandum dicamus : *Ego te baptizo*, hunc tamen esse verborum Christi sensum traditio et praxis Ecclesiæ perpetua demonstrat. Et verò, ut observatum jam fuit, eadem Scriptura apertè non dicit ut inter baptizandum pronuntiemus nomen Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; et tamen certissimè constat sine expressâ illâ invocatione nullum esse Baptismum. Unde porrò illud? Ex constanti et perpetuâ Ecclesiæ traditione et praxi. Exempla verò adducta non sunt ad rem nostram : tum quia non sunt in re sacramentariâ, de quâ hìc tantùm sermo est; tum quia actiones adductæ ex sese satis erant ad unum quid determinatæ; at non ita est actio baptizantis sine istis verbis : *Ego te baptizo*, ut ait S. Thom. citatus.

Secundò, Stephanus ait SS. Patres, cùm de validitate Baptismi actum est, aliquandò sollicitos duntaxat fuisse de verbis istis : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, non de aliis. Verùm discriminis istius aperta est ratio; nempe de illis tantùm verbis, quæ hæretici adulterabant, tunc institutam controversiam, non de aliis, circa quæ nullam legimus subortam quæstionem ante seculum duodecimum.

Tertiò, addit Stephanus, viros laicos plebeios solitos in necessitate baptizare in his tantùm verbis : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Verùm abusus fuit, quem Pontius, episcopus Claromontanus, pessimum appellat; et, ut dicebat aliâ in occasione S. Cyprianus, *consuetudo sine veritate vetustas erroris est.*

Exemplum verò Matrimonii quod adducit Morinus, l. 8 de Pœnit., c. 16, n. 21, ut confirmet Stephani sententiam, et probet ante Constitutionem Alexandri III valuisse Baptismum prætermissis istis verbis : *Ego te baptizo;* post Constitutionem verò non valere, sicut valuit Matrimonium clandestinè contractum ante decretum Tridentinum, post verò decretum illud, non ampliùs ratum est et validum; exemplum, inquam, illud appositum non videtur. Istud quippe discriminis est inter Sacramenta quorum materia in aliquo morali, aut in aliquo physico consistit, ut in prioribus possit Ecclesia certas quasdam leges ac conditiones præscribere, quibus omissis, inhabilis declaratur aut minister ad conferendum, aut suscipiens ad percipiendum Sacramentum : sic inhabiles ad contrahendum matrimonium declaravit concilium Tridentinum eos qui non contraherent coram proprio parocho et testibus; et inhabilis declaratur sacerdos, quanquàm validè et legitimè ordinatus, ad absolvendum à peccatis, nisi jurisdictionem habeat et episcopi ordinarii approbationem. Quid ita? Quia nempe materia illorum Sacramentorum consistit in aliquo morali; cùm autem rei moralis bonitas non semper absoluta sit in se, sed relativa ad varias temporum, locorum et personarum circumstantias, à quibus plerùmque depen-

det (quod enim uno tempore et in his circumstantiis optimum est, mutatis illis circumstantiis, aut malum, aut certè non ita opportunum et consentaneum esse potest); inde necesse fuit Christum Ecclesiæ suæ prudentiæ ac sapientiæ subjecisse moralem illorum Sacramentorum materiam in quibus administrandis potest, prout ad commune fidelium bonum, et Sacramentorum dignitatem expedire judicaverit, certas apponere leges et conditiones, non quidem ut mutetur illorum Sacramentorum materia, id enim juris non habet Ecclesia, sed ut inhabiles declarentur vel ministri ad conficienda, vel suscipientes ad percipienda Sacramenta. At non ita est in iis Sacramentis quorum materia in aliquo physico, vel forma in certis verbis posita est, qualis est, v. g., Baptismus : sic enim rata, fixa et à Christo determinata est, tum materia tum forma ipsius, ut semper ratum sit Sacramentum, si illa observetur sicut oportet; nec potest Ecclesia aut addere, aut detrahere quidquam ex iis quæ Christus instituit tanquàm absolutè necessaria ad substantiam Sacramenti. Si igitur aliquandò valuisset Baptismus sine istis verbis : *Ego te baptizo*, adhuc valeret non obstante declaratione Alexandri III. At nusquàm valuisse contendimus, quod suâ Constitutione non primùm declaravit S. Pontifex, sed tantùm confirmavit antiquam Ecclesiæ doctrinam.

Dixi in conclusione, ista verba : *Ego te baptizo*, vel æquivalentia, esse necessaria : ubi observabis 1°, pronomen, *ego*, absolutè non esse necessarium, quia satis exprimitur persona baptizans per verbum, *baptizo*. Observabis 2°, quòd si verbo *baptizo*, quis substitueret vel *tingo*, vel *lavo*, vel *merga*, aut *abluo*, validè baptizaret, quia unus et idem est illorum verborum sensus. Unde deserendus Innocentius IV, scribens in caput 1 *de Baptismo*, ubi putat nullum fore Baptismum, si quis diceret : *Ego Petrus*, vel : *Ego sacerdos te tingo*, aut *abluo*, aut *balneo* (1).

(1) Petes 1° : Utrùm valeat Baptisma collatum sub hâc formâ, baptizo, aut baptizatur in nomine Patris, etc., absque expressione baptizandi? — R. Negativè : 1° Personam baptizandi esse exprimendam colligitur ex illo Matth : *Baptizantes eos*. 2° Formâ debet significari id quod in Sacramento peragitur ; in Sacramento autem applicatur materia subjecto determinato, quod non significatur dicendo simpliciter : Baptizo aut baptizatur : atque ideò debet significari determinatum subjectum per *te*, aut aliquid simile. 3° Debet exprimi distinctio inter baptizantem et baptizatum, sicut inter generantem et genitum; est enim baptismus Sacramentum regenerationis; unde Innoc. III, Extra. de Bapt., cap. *Debitum*, declarat neminem posse seipsum baptizare : ista autem distinctio non significatur nisi exprimatur persona baptizanda.

Neque refert quòd hæc distinctio significetur per ipsam applicationem materiæ ad alterum; quia, ut dictum est, forma debet significare id quod agitur : Non enim in solâ materiâ, sed maximè in formâ consistit significatio Sacramenti.

Si dicas Stephanum III, in Rescriptis Carisiacis nullam designare personam in formâ Baptismi, et Eugenium IV, in Decreto unionis declarâsse perfici Sacramentum, *si exprimatur actus qui per ipsum exercetur cum sanctissimæ Trinitatis invocatione*. — R. ad 1 : Rescripta Carisiaca supposititia aut adulterata reputari ab eruditis, ut vidimus supra. Ad 2 : Eugenius *An distincta trium personarum divinarum invocatio sit absolutè necessaria ; et num valuerit olim Baptismus datus in solo Christi nomine.*

Socinus, disputatione de Baptismo, c. 2, negans istis Christi apud S. Matth. verbis : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc., contineri et præceptum et formam baptizandi, consequenter docet Apostolos reipsà baptizâsse in solo Christi nomine.

Inter scholæ magistros non una est opinio.

Sunt qui existimant, non tantùm Apostolorum ætate valuisse, sed etiam subsequente, et etiam nunc valere Baptismum in solo Christi nomine collatum. Ita innuere videtur Beda, Commentario in cap. 10 Actorum ; Hugo à S. Victore, l. 2 de Sacramentis, parte 6, cap. 2 ; Magister Sententiarum, l. 4, dist. 3, priùs descripserat formam Latinorum et Græcorum, quibus exprimitur persona baptizati : unde dùm dicit perfici Sacramentum, *si exprimatur actus*, intelligit actum determinatum, ut exprimitur in formâ Latinorum per *te*, et in formâ Græcorum per τὸ, *Servus Christi*.

Utrùm verò debeat exprimi persona baptizandi determinatè per nomen ejus proprium, vel per pronomen secundæ vel tertiæ personæ *te* vel *istum?* Id quidem requirit Eugenius IV, in laudato decreto, dicens in formâ Græcorum, baptizetur Christi servus (talis); attamen nullâ ratione videtur id esse de necessitate Sacramenti ; unde qui diceret : *Baptizo servum Christi*, vel *baptizatur servus Christi*, meo judicio subsisteret Sacramentum.

Sed quid, si quis honoris causâ dicat : *Baptizo vos;* vel assuetus loqui in plurali numero dicat : *Nos te baptizamus?* Resolvit Sylvester post Cajetan. in simili verbo, *absolutio*, quòd valeret; quia non variaret substantiam formæ : ejusmodi tamen vanitates sint fugiendæ.

Petes 2° : Utrùm si minister dicat *in nominibus* loco *in nomine*, valeat Baptismus ? — R. negativè : quia non dixit Christus : Baptizantes *in nominibus*, sed *in nomine ;* super quæ verba S. Ambros. lib. 1 de Spiritu S., cap. 14, ait : *In nomine dixit, non in nominibus ; non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritûs Sancti, quia unus Deus*. Idem S. Hieron., in cap. 4 ad Ephes., et S. Aug, lib. 2 adv. Maximinum, cap. 22, et tract. 6 in Joan : Ratio est quia τὸ *in nomine* significat substantiam, virtutem, auctoritatem, potestatem, quæ una est in tribus personis ; unde dicendo *in nominibus* falsum significatur.

Non sequitur tamen fore irritum Baptisma, si replicato τὸ nomine quis dicat : Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, et in nomine Spiritûs Sancti : quia ut dictum est, τὸ *in nomine* significat substantiam, virtutem, majestatem divinam ; nomen autem essentiale potest repeti sine pluralitate : Sicut dicimus in Symbolo S. Athanasii : *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tamen tres dii*. Similiter in exorcismo baptizandorum antequàm accedant ad baptisterium : *Exorciso te, omnis spiritus immunde, in nomine Dei patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Filii ejus et judicis nostri, et in virtute Spiritûs sancti*.

Quantùm ad præpositionem *in*, non est de essentiâ formæ, quia illâ omissâ remanet sensus substantialis : Similiter particula *et*, propter eamdem rationem : nisi fortè omittatur in sensu Sabelliano ad significandum hæc tria nomina esse unam et eamdem personam tribus facultatibus instructam. Tandem pariter constat particulam *amen* non esse de substantiâ formæ, sed esse tantùm Sacramenti jam perfecti acclamationem et approbationem ; undè in pluribus ritualibus omittitur. (Billuart.)

litterâ E; Cajetanus in Commentariis, ex quibus tamen, editione alterâ Romanâ, jussu Pii V, sententia hæc expuncta fuit. At eadem in Adriani VI operibus in 4°, q. 2, de Baptismo, adhuc legitur; quæ quidem opera ab illo antea, cùm adhuc privatus esset, exarata sunt, typis deinde Romæ edita cùm pontificatum gereret, ipso præsente ac spectante, an. 1522. His accedere videtur Vossius, Disput. de Baptismo, thesi 5, ubi contendit idem omninò esse baptizare *in nomine Christi*, ac *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* licèt judicet satius esse et consultius, si tres personæ distinctè appellentur.

Sunt qui docent Apostolos, quidem ex legitimâ causâ dispensationis, nempe ad majorem nominis Christi commendationem et celebritatem apud primos Christianos promovendam, baptizâsse in solo ejus nomine, seu in solâ invocatione; sed sublatâ deinde hâc dispensationis causâ, non ampliùs ratum esse Baptisma nisi sub invocatione distinctâ trium divinarum personarum. Ita S. Th., hìc, art. 6, ad 1; S. Bonaventura, in 4, dist. 3, 1 parte distinctionis, art. 2, q. 2, ad 3.

Maldonatus, de Sacramentis, tom. 1, q. 3, judicat non esse improbabilem sententiam eorum qui putant ratum esse et validum Baptisma collatum in nomine collectivo SS. Trinitatis, quamvis ibidem fateatur contrariam opinionem communiorem esse, et consuetudine magis probatam.

Sunt denique qui existimant (et quidem nostro judicio veriùs), nusquàm in solo Christi nomine collatum valuisse Baptismum, sed distinctam Patris, et Filii, et Spiritûs sancti appellationem semper necessariam fuisse. Cum illis sit

Conclusio. — Distincta Patris, et Filii, et Spiritûs sancti invocatio absolutè necessaria est; nec unquàm valuit, aut valere potest Baptismus in solô nomine Christi collatus.

Duæ sunt partes.

Prima pars demonstrata manet, ex testimoniis tum Scripturæ tum SS. Patrum quæ adduximus supra, ubi quærebamus an Christus aliquam Baptismi formam præscripserit. Consule.

Et verò perpetua et constans Ecclesiæ universæ traditio et praxis invictè dogma istud catholicum demonstrat; nullâ quippe aliâ regulâ usa est Ecclesia in admittendo vel rejiciendo hæreticorum Baptismo, quàm expendendo, an inter baptizandum forma consueta et à Christo præscripta, invocatio nempe trium divinarum personarum, observata fuisset aut violata; ita ut jussi sint rebaptizari qui in aliâ formâ fuerant baptizati. Sic concilium Nicænum I rebaptizari jussit paulianistas; concilium Laodicenum, montanistas; conc. II, Arelatense, can. 16 et 17, photinianos; conc. Constantinopol. I, quod est generale II, eunomianos, montanistas, sabellianos, de quibus omnibus diximus antea initio hujus quæstionis. Unde conc. Arelatense I, an. 314, can. 8, sic decernit: *Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Quo in canone istud obiter observabis, collectivum nomen Trinitatis exponi per distinctam enumerationem Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; quod etiam disertè docet S. Ambrosius, lib. de Mysteriis, c. 4. Postquàm enim dixit: *Tu baptizatus es in nomine Trinitatis;* statim explicat nomen collectivum, factâ expressâ enumeratione personarum: *Confessus es Patrem*, inquit, *recordare quid feceris; confessus es Filium, confessus es Spiritum sanctum.* Non sufficeret igitur ad veritatem Baptismi, si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.*

Probatur etiam ratione quam adducit Tertullianus, l. de Baptismo, c. 6. Cùm enim Baptismus sit fidei Sacramentum, quo fidem nostram in tres personas SS. Trinitatis salutis nostræ auctores ac sponsores testamur et obligamus, necesse fuit tres illas divinas personas distinctè et expressè appellari seu invocari. Sic loquitur: *Angelus Baptismi arbiter superventuro Spiritui sancto vias dirigit, ablutione delictorum, quam fides impetrat, obsignatâ in Patre, et Filio, et Spiritu sancto. Nam, si in tribus testibus stabit omne verbum, quantò magis, dùm habemus per benedictionem eosdem arbitros fidei quos et sponsores salutis, sufficit ad fiduciam spei nostræ etiam numerus nominum divinorum? Cùm autem sub tribus et testatio fidei, et sponsio salutis pignerentur, necessariò adjicitur Ecclesiæ mentio; quoniam ubi tres, id est, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, ibi Ecclesia quæ trium corpus est.* Alludit Tertullianus eò loci ad publicam professionem fidei in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quam à baptizandis exigebat Ecclesia.

Secunda pars, nempe nunquàm validè collatum fuisse Baptisma in solo Christi nomine,

Probatur auctoritate SS. Patrum, qui exponentes ea ipsa Scripturæ loca in quibus aliqui baptizati dicuntur in nomine Christi, docent reipsà eos fuisse baptizatos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Ita inprimis.

S. Cyprianus, epistolâ 73 ad Jubaian.: *Jesu Christi mentionem facit Petrus*, inquit, *non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.*

Auctor anonymus, sed antiquus, Cypriano coætaneus, in tractatu cui titulus est: *Non debere denuò baptizari, qui semel in nomine Domini nostri Jesu Christi sint tincti*, probat quòd etsi à baptizandis invocaretur Christi nomen, non tamen in solâ nominis ipsius invocatione, sed in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti baptizati censendi sint. *Neque æstimes*, inquit, *huic tractatui contrarium esse, quòd dixit Dominus: Ite, docete omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, quia cùm hoc verum et omnibus modis in Ecclesiâ observandum sit, et observari quoque solitum sit, tamen considerare oportet quòd invocatio nominis Jesu non debet à nobis futilis videri, propter venerationem et virtutem ipsius nominis.*

S. Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 12, cui

titulus : *Adversùs eos qui dicunt sufficere Baptisma tantùm in nomine Domini*, ex professo conclusionem nostram demonstrat, et in speciem contraria nonnulla Scripturæ testimonia conciliat. *Neminem*, inquit, *in fraudem inducat illud Apostoli, quòd de nomine Patris et Spiritûs sancti mentionem in Baptismatis commemoratione frequenter omittit; neque ideò putet usum harum vocum esse indifferentem.... Siquidem Christi appellatio totius Deitatis est professio; quippe quæ simul declarat et Deum qui unxit, et Filium qui unctus est, et Spiritum sanctum qui est unctio.* Et postea : *Videtur interdùm et Spiritûs tantùm in Baptismate fecisse mentionem Apostolus.* « *Omnes enim*, inquit, 1 *Cor.* 12, *in uno* « *corpore et in uno Spiritu baptizati sumus,* » etc. *At non ideò quis dixerit perfectum esse Baptisma in quo solum Spiritûs nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem*, etc., sicut supra retulimus, cùm quærebamus an Christus aliquam Baptismi formam præscripserit.

Mirum certè est, potuisse Vossium, disput. 2 de Baptismo, thesi 5, hunc S. doctoris textum laudare, ut ostendat Baptismum in solo Christi nomine collatum validum visum esse antiquis Ecclesiæ Patribus, cùm datâ operâ omninò oppositum demonstrandum sibi proposuerit S. Basilius.

Didymus, l. 2 de Spiritu sancto, non longè ab initio : *Non arbitror*, inquit, *quemquam tam vecordem atque insanum futurum, ut perfectum Baptisma putet quod datur in nomine Patris et Filii, sine assumptione Spiritûs sancti; aut rursùs in nomine Patris et Spiritûs sancti, Filii vocabulo prætermisso; aut certè in nomine Filii et Spiritûs sancti, non præposito vocabulo Patris. Licèt enim quis possit existere saxei, ut ita dicam, cordis, et penitùs mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet contrarius legislator Christi; tamen sine perfectione baptizabit, imò penitùs à peccatis liberare non poterit, quos à se baptizatos existimaverit.*

Origenes in caput 6 Epistolæ ad Romanos : *Cur*, nquit, *hic Apostolus Christi nomen assumpsit dicens :* « *Quicumque in Christo baptizati sumus;* » *cùm utique non habeatur legitimum Baptisma, nisi sub nomine Trinitatis?* Deinde respondetur : *Quoniam hoc loco non tam Baptismatis rationem, quàm mortis Christi discutere cupiebat.*

Theophilactus, in caput ultimum S. Lucæ : *Quomodò*, inquit, *Baptisma in nomine solius Christi fieri intelligemus, præsertim cùm aliàs doceamur baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti? Primùm dicimus, quòd quando dicimus, Baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quòd oporteat in solius Christi nomine fieri.*

S. Augustinus, l. 2 contra Maximinum arianum, cap. 17, solvens objectionem illius adversùs divinitatem Spiritûs sancti ex eo ductam, quòd Scriptura rerum creationem Spiritui sancto non adscribat, respondet ex illo Scripturæ silentio malè inferri reipsà Spiritum sanctum Creatorem non esse; sicut ex eo quòd Scriptura aliquando asserat baptizatos nonnullos fuisse in nomine Christi, non propterea inferre licet eos baptizatos fuisse in solo nomine Christi; non apellato nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti. Audiatur S. doctor. *Si autem quia non est nominatus* (Spiritus sanctus), *quòd etiam per illum facta sit creatura, quando de Filio dictum est :* « *Omnia per ipsum facta* « *sunt;* » *ideò putas Dei Spiritum non esse Creatorem; procul dubio, nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus :* « *Agite pœnitentiam, et baptizetur* « *unusquisque vestrùm in nomine Domini Jesu Christi;* » *quia non ait, et Spiritûs sancti; nec in Patris nomine; quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre et Spiritu sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari; et tamen intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; cur non sic audis de Filio Dei :* « *Omnia per ipsum fa-* « *cta sunt;* » *ut et non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum sanctum?* Quo loco S. Doctor regulam præscribit solvendis præsentis controversiæ difficultatibus maximè opportunam : scilicet, quando Scriptura alicujus tantùm personæ divinæ mentionem facit, alias non censeri exclusas; imò omnes præsupponi, cùm trium divinarum personarum una sit operatio, sicut una est essentia.

Venerabilis Beda, lib. variarum Quæstionum, q. 14 : *Si quis*, inquit, *baptizans dicat : Baptizo te in Christo Jesu; et non dicat : In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, sicut Dominus instituit, non est verus Baptismus; et ideò videndum est ne quis erret in verbis Apostoli, quibus dicit : Nunc baptizo in Christo Jesu, aliter intelligens quàm dictum sit.* Quo loco videtur Beda correxisse quod scripserat Commentario in caput 10 Actorum, ubi ex S. Ambrosio exponit quomodò S. Lucas asserat multos in nomine Christi fuisse baptizatos : quanquàm cùm ibi S. Ambrosii verba tantùm referat, eodem sensu exponi posset quo ipsum S. Ambrosium mox exponemus.

Denique S. Joannes Damascenus, lib. 4 orthodoxæ Fidei, cap. 10, exponit quid sit baptizari in Christi nomine; et docet idem esse ac baptizari in fidem Christi, non verò in appellatione solius nominis Christi. *In Christum baptizatum esse*, inquit, *nihil aliud indicat quàm in illum credendo salutiferâ aquâ tingi. Fieri autem non potest ut in Christum credamus, nisi Patris, et Filii, et Spiritûs sancti confessione imbuti simus..... Enimverò quænam verborum forma adhibenda esset, Dominus Discipulis suis exposuit :* « *Baptizantes* « *eos, inquiens, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs* « *sancti.* »

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° : Constat ex Actibus Apostolorum, multos in nomine Christi baptizatos fuisse. Cap. 2, v. 38, S. Petrus ait *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Cap. 8, v. 12 : *Cùm verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri et mulieres.* Cap. 10, v. 48 : *Jussit eos* (S. Petrus) *baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Cap. 19, v. 5, de quibusdam discipulis quos S. Paulus

invenit Ephesi, dicitur : *His auditis, baptizati sunt in nomine Jesu.*

Resp. ex citatis modò SS. Patrum testimoniis patere ad propositam difficultatem responsionem, quæ triplex afferri potest.

Prima est, nomen Christi in Baptismo appellatum fuisse, non prætermisso nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti; unâ enim personâ nominatâ, cæteræ non censentur excludi, imò potiùs supponuntur pariter appellatæ. Ita exponunt S. Cyprianus, Anonymus, S. Basilius, S. Augustinus, Beda. Atque, ut ait Eulogius apud Photium in Bibliothecâ, codice 280 : *Quod dictum est in Actis de iis qui Baptismum Joannis accepissent : « His auditis, baptizati sunt in nomine Domini « Jesu ; » hoc est, quia baptizati sunt juxta traditionem, doctrinamque Domini Jesu. Quare et alibi cùm dicit : « In Christo (vel in morte) Christi baptizati sunt, » eumdem sensum debemus intelligere significari; hoc est, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti baptizati sunt. Sic enim docuit et tradidit Jesus Christus Dominus noster, ut Baptisma fieret.* Verisimile quippe non est Apostolos tam religiosos et accuratos mandatorum Christi observatores, tam solemne præceptum baptizandi in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti datum à Christo, Matth. 28, neglexisse. Imò legimus ab ipsis rebaptizatos Ephesios, quòd declarâssent se nihil audivisse de Spiritu sancto *In quo ergo*, inquiunt Act. 19, v. 3, *baptizati estis?* Quâ quæstione supponunt solitum fuisse exprimi in Baptismo nomen Spiritûs sancti, sicut Patris et Filii; Baptismus ergo in nomine Christi, idem est ac secundùm præceptum Christi datus.

Secunda est, baptizari in nomine Christi idem esse ac baptizari in fide Christi, seu post emissam publicam professionem fidei in Christum. Ita S. Joannes Damascenus citatus; nullus quippe baptizabatur, nisi priùs contestatus fuisset se credere in Christum. Hunc sensum non obscurè insinuat Scriptura. Act. 22, v. 16, Ananias sic Paulum compellat : *Quid moraris? Exurge et baptizâre, et ablue peccata tua invocato nomine ipsius.* Et c. 8, v. 36, ubi narratur quomodò baptizatus sit eunuchus reginæ Candacis à Philippo, *venerunt*, ait S. Lucas, *ad quamdam aquam; et ait eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait : Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam Philippus et eunuchus et baptizavit eum.* Ubi observabis non addi : *Baptizavit eum in nomine Christi*, sicut aliis in locis. Quid ita? quia eunuchus ille jam suam in Christum fidem professus fuerat. Illud ergo, *in nomine Christi*, intelligi debet, non ex parte ministri baptizantis, quasi inter baptizandum solum Christi nomen aliquando expressum et appellatum fuerit, sed ex parte subjecti recipientis Baptismum, à quo exigebatur priùs fidei in Christum professio.

Tertia responsio est, baptizari in nomine Christi nihil esse aliud quàm baptizari Baptismo Christi, in ejus virtute et auctoritate : ut nempe Baptismus Christi distinguatur à Baptismo Joannis quo tincti duntaxat fuerant ii de quibus dicitur Act. 19, v. 5 : *Baptizati sunt in nomine Jesu ;* id est, Baptismo Christi. Istud, *in nomine*, sæpiùs usurpari ab auctoribus sacris pro virtute seu auctoritate, manifestum est ex S. Petro, Act. 3, v. 6, ubi sanans claudum, ait : *In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula.* Et cap. 4, v. 7, sacerdotes et scribæ sic interrogant Petrum et Joannem : *In quâ virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Responsionem confirmat Theophylactus in cap. 24. S. Lucæ. *Quando dicimus*, inquit, *Baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quòd oporteat in solius Christi nomine fieri, sed quòd Christi Baptisma..... spirituale sit, non Judaicum; neque quale Joannis in pœnitentiam solùm, sed et communionem Spiritûs sancti et remissionem peccatorum conferat.*

Instabis : Tam istud, *in nomine Christi*, in Actibus Apostolorum significat in invocatione, quàm apud S. Matth., c. 28, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, significet in invocatione seu appellatione Patris et Filii et Spiritûs sancti, non verò tantùm in virtute et auctoritate; atqui hoc postremum verum est; ergo, etc. — Resp. 1° : Nego maj. In his enim rebus quæ facti sunt et pendent à virtute Christi, Ecclesiæ ac traditionis judicium audiri debet : at ex perpetuâ Ecclesiæ praxi ac traditionis constantis judicio constat istud, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, apud S. Matth. idem esse ac in invocatione seu appellatione, quia inter baptizandum semper invocatum est nomen Patris et Filii et Spiritûs sancti. At non ita est de nomine Christi saltem solo, per exclusionem aliarum personarum; nusquàm enim ex traditione Ecclesiæ demonstrabitur valuisse Baptismum sub invocatione solius nominis Christi collatum. Resp. 2° istud, *in nomine Christi*, in Actibus Apostolorum, significare posse invocationem Christi, non quidem per exclusionem, sed per adjunctionem aliarum personarum, ut antea diximus.

Objicies 2° auctoritatem duorum SS. Pontificum Stephani et Nicolai I, quorum primus sedere cœpit, an. 255, alter an. 858, uterque verò credidit ratum esse et validum Baptisma datum in solo Christi nomine.

De Stephano testis est sanctus Cyprianus, epist. 73 ad Jubaian., ubi de illo conqueritur, quòd nequidem à Marcione baptizatos iterùm baptizari velit, eo prætextu, quòd in nomine Jesu Christi baptizati videantur. *Quomodò ergo*, inquit, *quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imò et contra Ecclesiam, modò in nomine Jesu Christi, ubicumque et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plenâ et adunatâ Trinitate?* Opponit ibi S. doctor Baptismum in nomine Christi, Baptismo in plenâ et adunatâ Trinitate; seu qui, juxta Christi mandatum, conferri debet in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; atque Stephano ejusque sequacibus objicit, quòd contra istud mandatum, ratum haberent Baptismum in nomine Christi collatum.

Idem refertur in Actis passionis hujus S. martyris et pontificis, quæ, teste Baronio, ad an. 259, n. 20, accurata sunt et fide dignissima. Narratur enim ibid. n. 22, facto frequenti conventu in cryptâ Nepotianâ, Stephanum in nomine Domini nostri Jesu Christi baptizâsse, et signo sacri mysterii consecrâsse numero centum et octo, tam viros quàm mulieres.

De Nicolao I, constat ex ejus responso ad consulta Bulgarorum, cap. 104, ubi sic loquitur : *A quodam Judæo, nescitis utrùm christiano, an pagano, multos in patriâ vestrâ baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum consulitis. His profectò si in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt* (*unum quippe idemque est, ut S. exponit Ambrosius*), *constat eos non esse denuò baptizandos; sed primùm utrùm christianus an paganus ipse Judæus extiterit, vel si postmodùm factus fuerit christianus, investigandum est. Quamvis non prætereundum esse credamus, quid beatus de Baptismo dicat Augustinus : Jam satis, inquit, ostendimus ad Baptismum qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat quàm doctrina cœlestis insinuat.* — Resp. ad auctoritatem Stephani, 1° incertum planè esse an S. Cyprianus de Stephano loquatur : ait enim tantùm : *Quidam dicunt;* qui verò illi sint, non explicat. Nec planè liquet an quod ibi asserit S. doctor, legerit in ipsâ genuinâ Stephani epistolâ : hanc quippe se à Jubaiano accepisse narrat; at verisimile non videtur Stephanum scripsisse Jubaiano in remotioribus Africæ partibus episcopo, et non sancto Cypriano Carthaginensi episcopo, præsertim cùm ad ipsum recta misisset decretum de non rebaptizandis hæreticis, sicut colligitur ex ipsâ S. Cypriani ad Pompeium epistolâ, n. 74. 2° Esto de Stephano loquatur S. Cyprianus, pace ipsius dictum sit, eum Stephani mentem et sensum satis assecutum non fuisse, cùm existimavit Baptismum in nomine Christi datum, Stephano idem esse, ac in solâ nominis Christi invocatione. Non ita est : per Baptismum enim in nomine Christi, intelligebat Stephanus Baptismum virtute et auctoritate Christi institutum et datum; et quidem appositè ad statum controversiæ quam cum Cypriano habebat, ut nempe ostenderet parùm referre à quo Baptismus conferatur, modò sit Baptismus Christi, id est, virtute et auctoritate Christi institutus, cujus proinde vis et efficacia non pendet, ut putabat S. Cyprianus cum suis, à fide ministri, sed ex virtute Christi, qui tam benè per hæreticos ac per orthodoxos, per malos ac bonos Sacramenta sua dispensat.

Hanc autem fuisse veram et genuinam mentem S. pontificis Stephani patet, tùm ex ipso statu controversiæ inter ipsum et S. Cyprianum excitatæ; non enim de formâ Baptismi, sed de fide ministri agebatur inter illos : tùm quia Stephanus in nullâ re à traditione discessit, qui solemne istud emiserat decretum : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est :* at tota docet traditio, Baptismum conferri debere sub invocatione expressâ trium personarum SS. Trinitatis. Tùm quia in illis ipsis Actibus passionis S. Stephani quos commemorat Baronius ad an. Christi 259, n. 23, refertur Nemesium tribunum militum à Stephano baptizatum fuisse sub hâc formâ : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti baptizo te.* Quando igitur in iisdem Actibus refertur eum baptizâsse in nomine Jesu Christi, per illud, *in nomine* intelligi debet in virtute seu auctoritate Christi, seu Baptismo Christi. Tùm denique quia Firmilianus Cypriano et Stephano coætaneus, testatur Stephanum reipsâ baptizâsse in plenâ et adunatâ Trinitate. Sic loquitur in epistolâ ad Cyprianum inter Cyprianicas, n. 76 : *Illud quoque absurdum, quòd non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eò quòd qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocatâ trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Idem quoque post narratam dæmoniacæ cujusdam feminæ historiam subdit : *Quid igitur,* ait, *de hujusce Baptismo dicemus.... maximè cui nec symbolum defuit Trinitatis?* Igitur, teste Firmiliano (quanquàm in Stephanum parùm propenso) Stephanus baptizabat sub invocatione trinitatis nominum Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.

Ad auctoritatem Nicolai I,

Sunt qui in ejus responso duplicem distinguunt partem : priorem in quâ agit duntaxat de fide baptizandi, non de formâ ex parte ministri baptizantis; ac ejus mentem esse aiunt, parùm scilicet referre an qui baptizandus est testetur se credere in Trinitatem, aut in Christum, cùm unum et idem sit : istud ergo, *baptizari in nomine Christi*, in mente S. Pontificis, attenditur ex parte subjecti seu suscipientis Baptismum, à quo postulabatur fides in Christum; non ex parte ministri, quasi verba illa tantùm sufficere voluerit pro formâ Baptismi. Responsionem probant, quia S. Pontifex adducit auctoritatem tùm Actuum Apostolorum, tùm S. Ambrosii : at in illis locis non agitur de formâ Baptismi, sed de fide baptizandi. Posteriorem verò responsi partem aiunt spectare ministrum Baptismi, in quo exigit, ut verbis evangelicis utatur pro formâ : nihilominùs jubet examinari quis sit ille minister, an Judæus, an paganus, an Christianus; non quòd dubitet S. Pontifex ratum esse Baptisma à quocumque verbis evangelicis collatum, sed quòd periculum sit, ne paganus aut Judæus formam corrumpat inter baptizandum.

Verùm responsio ista, ut nihil dissimulemus, gratis ficta videtur, nullumque habet in citato Nicolai responso fundamentum; in quo non duplex est sed unum responsi argumentum, nempe conditio baptizantis, non verò fides baptizati. Namque tale responsum est, qualis interrogatio, at non interrogatus fuit S. Pontifex, de fide suscipientis Baptismum, sed de ministro, an si paganus sit, vel Judæus, legitimè baptizet : quando igitur respondet S. Pontifex, legitimè illum baptizare, si in nomine Trinitatis vel in nomine Christi baptizet, manifestum est illud ex parte ministri debere intelligi, non ex parte subjecti recipientis Baptismum; atque ejus mentem esse, Ba-

ptismum perinde ratum esse, si vel in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi conferatur : sub disjunctione enim utrumque proponit.

Nec obstat quòd in confirmationem sui responsi adducat auctoritatem Actuum Apostolorum et S. Ambrosii, quia nempe in eâ persuasione fuit Nicolaus, his in locis sermonem esse de Baptismo reverà datò in solo Christi nomine. Adde quòd S. Pontifex loquatur de eo quo posito non sunt rebaptizandi illi Bulgari, quo verò sublato forent rebaptizandi : at istud nullatenùs intellexit de fide aut ex parte baptizantis, aut ex parte baptizati ; siquidem ex professo citat Augustinum dicentem, *non pertinere ad Baptismum verbis evangelicis consecratum cujusquam vel dantis vel accipientis errorem ;* ergo illud intelligere duntaxat potuit de formâ per ministrum pronuntiatâ, qui si deprehendatur baptizâsse in nomine Trinitatis aut in nomine Christi, Baptismus ratus est nec iterandus, secùs verò nullus et iterandus.

Alii igitur respondent, S. Pontificem ex privatâ suâ sententiâ extra quæsita respondisse, valere Baptismum in nomine Christi collatum : de hoc enim interrogatus non fuerat, et istud obiter inseruit suo responso, quòd hâc in parte Ecclesiæ universæ judicio probatum non fuit ; adeòque, salvâ quæ ipsi debetur reverentiâ, deseri potest.

Objicies 3° auctoritatem aliquorum SS. Patrum, Cypriani, Hilarii, Basilii, Ambrosii et Bernardi, qui omnes testantur Apostolos in solo Christi nomine validè baptizâsse.

S. Cyprianus, epist. 73 ad Jubaianum, docet *Apostolos baptizâsse Judæos in nomine Jesu, gentiles autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.*

S. Hilarius, l. de Synodis contra Arianos in postremâ editione, n. 85 : *Ne postremò Apostoli*, inquit, *reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti jussi, tantùm in nomine Jesu baptizârunt.*

S. Basilius, lib. 5, adversùs Eunomium, cap 3 : *Gentes*, inquit, *quæ crediderint ac edoctæ fuerint, jubet baptizari in Trinitatis nomine. Petrus verò ad Judæos qui de Christo occidendo conjurârunt, ac pœnitentiâ ducebantur : Pœniteat, inquit, unumquemque vestrûm, fratres, vestræ malitiæ ac viæ pravæ, atque baptizetur in nomine Domini Jesu, et salvabitur : tanquàm possit eadem efficere Filius in lavacri regeneratione, quæ Pater et Spiritus sanctus efficiunt.* Et paulò post : *Proindè si Spiritus sanctus in Apostolis eadem operari potest, quæ Patris ac Filii nomen in iis qui ex gentibus crediderant, et Domini Jesu nomen in iis quos pœnituerat Judæis (nemo enim dixerit Apostolos minùs accepisse gratiæ per lavacrum, quàm qui erant ex gentibus, propterea quòd ipsi in Spiritu sancto gratiam habuerunt) quomodò non est ejusdem cum Patre et Filio substantiæ Spiritus, qui est quoque ejusdem operationis?*

S. Ambrosius, lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 3, refellens objectionem eorum qui ex istis Apostoli verbis primæ Corinth. 8, v. 8 : *Ex Patre sunt omnia, et per Filium omnia*, inferebant Spiritum sanctum non esse Deum, quia eò loci prætermittitur ; ostendit istud silentium divinitati Spiritûs sancti non obesse, duplici præsertim argumento.

1° Quia in multis Scripturæ locis commendatur Spiritûs sancti virtus et potestas, in quibus Patris aut Filii nomen siletur ; nec tamen inde quis meritò inferret Patrem et Filium Deum non esse.

2° Quia ubi in Scripturis aliqua divina operatio vel Patris, vel Filii, vel Spiritûs sancti designatur, etsi una tantùm appelletur persona, ad omnes tamen operatio illa referri debet, quia trium personarum una est et omninò par virtus et auctoritas. Hanc autem suam responsionem confirmat sanctus doctor duplici exemplo ; nempe eunuchi Candacis reginæ, qui baptizatus tantùm in Christo plenum consecutus est mysterium ; et eorum qui Act. 19, leguntur baptizati tantùm in nomine Jesu Christi, nec tamen in his iteratum est Baptisma, sed novatum. Audiatur sanctus doctor. *Denique Æthiops eunuchus Candacis reginæ baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est. Et illi qui negaverunt se scire Spiritum sanctum, quamvis baptizatos se dicerent in Joannis Baptismo, baptizati sunt postea.... Baptizati sunt itaque in nomine Jesu Christi ; nec iteratum est Baptisma, sed novatum, unum enim Baptisma. Ubi autem non est plenum Baptismatis sacramentum, nec principium vel species aliqua Baptismatis æstimatur. Plenum autem est, si Patrem et Filium et Spiritum sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodùm si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum ; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum : ita etiam quamvis et Patrem et Filium et Spiritum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritûs sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Denique et illi ipsi qui dixerant : Nec si Spiritus sanctus sit audivimus, baptizati sunt postea in nomine Domini Jesu Christi.... Nec contrarium debet videri, quia quamvis etiam postea tacitum sit de Spiritu, tamen creditum est ; et quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide. Cùm enim dicitur : In nomine Domini Jesu Christi, per unitatem nominis impletum mysterium est, nec à Christi Baptismate Spiritus separatur, quia Joannes in pœnitentiam baptizavit, Christus in Spiritu. Nunc autem consideremus utrum quemadmodùm in Christi nomine plenum esse mysterium legimus Baptismatis sacramentum, ita etiam sancto tantùm Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur ; quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Deum Patrem à quo unctus est Filius ; et ipsum qui unctus est, Filium, et Spiritum quo unctus est, designâsti.*

Ex quo S. doctoris testimonio duo urgeri possunt.

Primum, ratum esse Baptismum qui confertur sub invocatione seu appellatione unius duntaxat personæ SS. Trinitatis, modò fides habeatur sana et integra in tres personas ; quia nempe, juxta S. doctorem, unâ appellatâ personâ, aliæ subintelliguntur : quòd si

omnes appellarentur et fides integra non foret, totum subverteretur mysterium.

Secundum, ratum fuisse Baptisma datum in nomine Christi, et in quo *tacitum est verbo de Spiritu sancto*, *licèt expressum sit fide*. At Baptismus in quo tacitum, est nomen Spiritûs sancti, procul dubio collatum non fuit sub expressâ invocatione trium personarum divinarum. Et verò institutum S. doctoris erat, ut ostenderet æqualem esse trium SS. Trinitatis personarum auctoritatem et operationem, licèt aliquando una nominetur, aliis silentio prætermissis : appositè igitur ad hunc finem debuit proferre Scripturæ testimonia, in quibus una tantùm persona sine aliis appelletur ; et ita cùm adducit exemplum eunuchi reginæ Candacis, et aliorum qui baptizati leguntur in nomine Christi, supponit in tali Baptismo reipsà solum Christi nomen fuisse appellatum : aliàs exempla hæc ad rem apposita non fuissent.

Denique S. Bernardus, epistolâ 403, aliàs 340, ad Henricum archidiaconum, interrogatus quid esset sentiendum de Baptismo in extremis collato sub istâ verborum formulâ : *Baptizo te in nomine Dei, et sanctæ et veræ crucis*, sic respondet : *Ego verè hunc baptizatum puto ; nec sonum vocis, veritati fidei, et pietati intentionis præjudicare potuisse.* — Resp. ad singulos SS. Patres.

Ad S. Cyprianum : Non loquitur sanctus doctor de formâ Baptismi, sed de professione publicâ fidei illius qui baptizandus erat ; aitque à Judæis postulatam fidem in Christum, à gentilibus verò in Trinitatem : non quasi diversa sit fides in se, sed quia varia fuit explicita fidei professio, quæ à baptizandis exigebatur. Sic à Judæis, qui jactabant, inquit, *se Patrem habere*, postulata est explicita professio fidei in Filium ; à gentilibus verò qui unum in tribus personis non agnoscebant Deum, postulata est explicita professio fidei in Trinitatem.

Ad S. Hilarium : Baptismus in nomine Christi idem est apud ipsum eò loci, ac in virtute et auctoritate Christi ; imò ex loco citato infertur potiùs Apostolos baptizàsse sub invocatione expressâ SS. Trinitatis. Namque ejus scopus est ut ostendat, ea Scripturæ testimonia quæ Ariani tanquàm contraria et pugnantia objiciebant, reipsà non pugnare inter se ; et inter alia adducit textum Actuum Apostolorum, ubi refertur multos in nomine Christi fuisse baptizatos, cùm tamen Christus expressè jusserit baptizandum in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, quæ loca, juxta S. doctorem, non pugnant inter se : at pugnarent omninò, si reipsà vellet Apostolos baptizàsse in solo Christi nomine : violàssent enim mandatum Christi, apud S. Matth., c. 28. Aliâ igitur ratione conciliari ea testimonia non possunt, quàm si dicamus Apostolos nusquàm baptizàsse in solo Christi nomine ; et textus in speciem oppositos exponendos esse de Baptismo Christi, hoc est virtute et auctoritate Christi collato.

Ad S. Basilium : Manifestè constat ex testimonio ipsius inter probationes conclusionis adducto, eum in contrariâ planè sententiâ fuisse. Sensus igitur illius in loco unde sumitur objectio est, Baptismum in virtute et auctoritate Christi collatum ratum esse : eadem quippe est trium personarum virtus, eadem auctoritas et operatio, quod demonstrandum susceperat, ut inde probaret Spiritum sanctum Deum esse perinde ac Patrem et Filium, quia Baptismus confertur in ejus nomine, sicut in nomine Patris et Filii.

Ad S. Ambrosium, dico eum loco citato non agere de formâ Baptismi, sed tantùm de fide baptizandi. Alludit scilicet ad illam solemnem fidei professionem quæ à catechumenis, antequàm baptizarentur, solebat exigi, de quâ mentionem faciunt veteres, S. Justinus, apologiâ 2 ; Tertullianus, lib. de Baptismo, c. 6 ; S. Basilius, l. 3 adversùs Eunomium, et ipse S. Ambrosius, l. 2 de Sacramentis, cap. 7. *Interrogatus es*, inquit, *credis in Deum Patrem ? credis in Dominum nostrum Jesum Christum ? credis in Spiritum sanctum ?* Vult igitur sanctus doctor, in illâ solemni fidei professione quam baptizandi emittebant, satis esse si una persona nominetur, modò fides in omnes habeatur : quòd si omnes appellarentur, et aliqua negaretur, vacuum esset mysterium, id est, nullum gratiæ effectum consequeretur qui Baptismum susciperet. Quòd verò loquatur sanctus doctor de fide baptizandorum, constat ex his verbis, loco in objectione citato : *Ergo isti, quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritûs sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere Baptismatis sacramentum.* Et postea : *Plenum autem est* (Baptismatis sacramentum) *si Patrem et Filium Spiritumque sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues....* Et postea : *Ita etiam quamvis et Patrem et Filium et Spiritum sanctum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritûs sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Quæ sanè verba de ministro baptizante exponi non debent, nisi velis S. doctorem in eo errore versatum fuisse, fidem ministri planè necessariam esse ut Sacramenta validè conficiat ; hoc enim importarent verba laudata, si de ministro loqueretur sanctus doctor : verùm ab illo errore alienus omninò fuit ; igitur de subjecto percipiente Sacramentum loquitur.

Porrò S. Ambrosium, cùm ex professo agit de formâ Baptismi, affirmare eam verbis evangelicis, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, exprimendam esse, manifestum est ex lib. de Mysteriis, c. 4, ab eo citato, ubi quærebamus an Christus Baptismi formam præscripserit. Consule.

Denique ad S. Bernardum respondet Estius in 4, dist. 3, paragrapho 5, prædictam epistolam non esse sancti Bernardi : verùm id non probat. Horstius, in notis ad hanc epistolam, addit se non facilè creditum non esse Bernardi ; cui subscribere videtur doctissimus Mabillonius laudans codices in quibus illa continetur : verùm candidè fatetur improbandam esse hanc S. doctoris sententiam, quæ Scripturis et traditioni adversatur.

Quæres 1° quid sentiendum sit de variis immutationibus quæ contingere possunt in formâ Baptismi. — Resp. graviter peccare eum qui vel tantillùm for-

mam ab Ecclesiâ usurpari solitam immutat : formam verò integram non manere, ac nullum proinde esse sacramentum, si, verbis mutatis, additis, detractis, transpositis, non maneat idem verborum sensus ; secùs si remaneat. De quibus mutationis speciebus dicitur in tractatu de Sacramentis in genere, et consuli potest Estius, in 4, dist. 3, § 6 (1).

Quæres 2° quid sentiendum sit de formâ istâ : *Ego te baptizo in nomine genitoris et geniti, et procedentis ab utroque.* — Resp. dubiam et incertam videri, adeòque Baptismum esse sub conditione iterandum : tum quia nusquàm talis forma fuit ab antiquis usurpata ; imò videtur ab iis improbata, ut constat ex S. Athanasio, sermone 2, contra Arianos, circa medium ; S. Epiphanio, hæresi 73, n. 14, 19 et 20. Tum quia, ut observat ibid. S. Epiphanius, vocabulum, *ingeniti*, sufficienter non exprimit vim hujus nominis Patris ; neque vocabulum, *geniti*, vim nominis Filii. Tum denique quia nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti significantur personarum proprietates et ipsæ personæ ; nomine à genitoris et geniti significantur tantùm actus notionales.

ARTICULUS V.

DE DISCRIMINE BAPTISMI CHRISTI A BAPTISMO JOANNIS.

Errores.

Circa discrimen Baptismi Christi à Baptismo Joannis errârunt ex veteribus, Petilianus episcopus Donatista, qui contendebat unum esse Christi et Joannis Baptisma, tribus tamen (ut inquiebat) gradibus consecratum ; ita ut aquam Joanni, Spiritum sanctum Christo, ignem denique Paracleto tribueret. Ita S. Augustinus, l. 2 contra Litteras Petiliani, cap. 32.

Undecimo vergente seculo, Bogomili, ita dicti linguâ Bulgarorum, *quasi misericordiam Dei implorantes*, auctore Basilio quodam medico è sectâ Masalianorum, docuêre Baptismum nostrum, quia in aquâ fit, esse Baptismum Joannis ; Baptismum verò suum esse Baptismum Christi, qui fit per Spiritum : unde quotquot è catholicis ad sectam suam transibant, sui iterùm Baptismo tingebant. Ita Euthymius in Panoplià, parte 2, titulo 23, cap. 16. Ortam autem illam sectam undecimo seculo inclinante, inde conjicimus, quòd Euthymius, qui florebat initio duodecimi, asserat eam non multò ante caput extulisse.

Ex recentioribus, Lutherani et Calvinistæ unum esse substantià et efficacià Christi ac Joannis Baptismum contendunt.

Lutherus tamen initio suæ prædicationis discrimen statuebat inter utrumque Baptismum : in disputatione enim de Baptismo legis, Joannis et Christi, editâ an. 1520, Baptismum Christi in tribus maximè à Baptismo Joannis discrepâsse affirmat : 1° quia Baptismus Joannis non erat Sacramentum sicut Baptismus Christi ; 2° quòd iste peccata remittit, non alter ; 3° quia baptizati à Joanne rursùs baptizati sunt, non verò ii qui Baptismo Christi tincti fuerant.

Verùm cùm hæc Lutheri sententia parùm cohæreat cum alio doctrinæ Lutheranæ capite circa efficaciam Sacramentorum merè objectivam, quæ tota consistit in eo ut fidem excitet, improbata fuit et rejecta à discipulis Lutheri ; quippe ad fidem excitabat non minùs Baptisma Joannis quàm Christi. Ita Melancton in Locis anni 1558, titulo *de Baptismo*, ubi totum discrimen utriusque Baptismi in eo reponit *quòd Joannes*, inquit, *de passuro Christo, Apostoli de passo et ressuscitato prædicabant ; ministerium tamen fuit idem, et effectus eosdem habuit in credentibus.* Idem sentiunt Centuriatores, centuriâ 1, c. 4 ; Zuinglius, libro de verâ et falsâ Religione, cap. de Baptismo ; Calvinus, l. 4 Institutionis, cap. 15, n. 7, ubi unum et idem fuisse Christi et Joannis Baptisma probat, tum ex unitate doctrinæ per utrumque annuntiatæ, tum ex remissione peccatorum per utrumque procuratâ : Chrysostomum verò, Augustinum, et alios veteres discrimen inter utrumque Baptismum statuentes non esse audiendos inverecundè ac protervè pronuntiat. Kemnitius, in 2 parte examinis concilii Tridentini ; Vossius, integrâ disputatione 8, de Baptismo. Quibusdam tamen prærogativis, nempè copiosiori Spiritûs sancti gratiæ largitione, Baptismum Christi superiorem fuisse Baptismo Joannis, non inviti concedunt recentiores Lutheri et Calvini discipuli, quanquàm eumdem fuisse naturâ et substantià pertinaciùs contendant.

Scholasticorum opiniones.

Inter scholasticos

Magister Sententiarum, l. 4, dist. 2, litterâ F, distinguit duo genera baptizatorum à Joanne : unum eorum qui in Baptismo Joannis spem suam ponebant, nec cognoscebant Spiritum sanctum, et ii Christi baptismate subinde baptizari debuerunt ; alterum eorum, qui spem suam in Baptismo Joannis non collocabant, et Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum credebant, qui alio non indiguêre Baptismo, nec etiam postea baptizati sunt. Hanc Magistri sententiam recensens S. Th., 3 parte, q. 38, art. 6, eam, quantùm ad secundam partem, vocat penitùs irritationabilem : et verò cum Magistri placitis non satis videtur cohærere, quippe qui eâdem distinctione litterâ D, et E, expressè doceat Baptismum Joannis non contulisse gratiam neque peccatorum remissionem. Distinctionem hanc eorum qui Baptismo Joannis tincti fuerant, videtur Magister hausisse ab antiquis nonnullis, qui contendunt eos quos S. Paulus jussit

(1) Hìc cautè notandum fieri facilè posse ut habeantur quasi formæ communi æquivalentes termini, qui eidem reverà non æquivaleant, unde, et id jam alibi observavimus, non valet Baptisma collatum in nomine SS. Trinitatis, vel in nomine Dei unius et trini, etsi voces illæ idem esse videntur quòd Pater, Filius et Spiritus sanctus. Idemque est si datum esset *in nomine Genitoris, Nati, et S. Flaminis ; in nomine Patris, et* Verbi, vel *Patris et Christi ; in nomine primæ, secundæ et tertiæ personæ.* Standum ergo est et immobiliter standum perpetuæ et constanti Ecclesiæ praxi. Sanè, aiebat S. Epiphanius, hær. 73, *non dicit* Christus *baptizantes eos in nomine Geniti et Ingeniti, sed in nomine Patris*, etc., quod et iisdem penè verbis docet sanctus Athanasius, sermo 2 contra Arianos. (Collet.)

baptizari, Act. 19, non fuisse vero Baptismo Joannis priùs baptizatos.

Nonnulli existimârunt Baptismum Joannis fuisse verum Sacramentum, quod, juxta Durandum, q. 3, ad veterem legem pertinuit; juxta verò S. Bonaventuram in 4, dist. 2, art. 2, q. 2, et S. Thomam in 4, dist. 2, q. 2, art. 1, neque ad veterem neque ad novam legem referri debet, sed medium quemdam inter utramque locum occupat. Ab hâc tamen sententiâ recessit Angelicus doctor in Summâ, 3 part., q. 38, art. 1, in resp. ad 1, ubi expressè ait : *Baptismum Joannis non fuisse per se Sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad Baptismum Christi.* His ita præmissis, dogma catholicum nobis probandum est.

Conclusio. — Baptismus Joannis diversus fuit à Baptismo Christi naturâ et efficaciâ.

Duæ sunt partes.

Prima pars probatur : Quia ille ritus naturâ et substantiâ diversus fuit à Baptismo Christi, qui nec Sacramentum fuit, nec Christum habuit auctorem, nec ejusdem formæ fuit ac necessitatis : atqui talis fuit Baptismus Joannis.

1° Non fuit Sacramentum. Tùm quia verum Sacramentum signum est stabile ac permanens : at Joannis Baptismus brevissimo duravit tempore. Ut enim ait S. Augustinus, lib. 5 de Baptismo, cap. 9 : *Accepit Joannes Baptismum non diù mansurum, sed quantùm satis esset ad parandam viam Domino, cujus eum esse præcursorem oportebat.* Tùm quia nec veteris, nec etiam novæ legis Sacramentis accenseri potest : non veteris, quia *lex et prophetæ usque ad Joannem*, Lucæ 16, v. 16, non novæ, quia nec à Christo institutus fuit, nec vim habuit delendi ex se peccata, nec Ecclesia unquàm illum inter Sacramenta evangelica numeravit. Unde S. Thomas, 3 part., q. 38, art. 1. ad 1, ait *Baptismum Joannis fuisse quasi quoddam sacramentale, disponens ac præparans ad Baptismum Christi :* unde medium veluti locum tenuit inter ritus novæ et veteris legis. *Nos*, inquit Tertull., l. 4, adversùs Marcionem, cap. 33, *limitem quemdam agnoscimus Joannem constitutum inter vetera et nova, ad quem desineret Judaismus, et à quo inciperet Christianismus.* Et l. de Baptismo, cap. 10, de Baptismo Joannis ait : *Agebatur itaque Baptismus pœnitentiæ, quasi candidatus sanctificationis in Christo subsecuturæ.*

2° Baptismus Joannis Christum non habuit auctorem. Hinc nusquàm appellatur aut Baptismus Christi, aut simpliciter Baptismus, sed Baptismus Joannis; quâ limitatione Scriptura non tantùm innuere voluit Joannem fuisse ministrum hujus Baptismi, aliàs pari ratione Baptismus Christi dici posset Baptismus Petri vel Pauli, qui sunt tantùm illius causæ ministeriales, quod tamen ne dicatur vetat Apostolus, 1 Corinth. 1, v. 13, sed innuere voluit Joannem auctorem esse illius Baptismi, quanquàm inspiratione ac motione cœlesti ductus ille fuerit ad hunc ritum instituendum. Unde Matth. 21, v. 25, dicitur *esse è cœlo;* et Lucæ 7, v. 30, Pharisæi dicuntur *sprevisse consilium Dei*, quòd baptizari à Joanne noluissent. *Nos*, inquit Tertullianus, l. de Baptismo, c. 10, *possumus æstimare divinum quidem eum Baptismum fuisse mandatu, non potestate.*

3° Baptismi Joannis non eadem fuit forma, quæ Baptismi Christi : tum quia incertum planè est utrùm Joannes aliquâ verborum formulâ inter baptizandum usus fuerit ; tum quia si usus est istâ quæ insinuatur, Act. 19, v. 4 : *Baptizo vos in eum qui venturus est*, sanè omninò diversa est ab eâ quam præscripsit Christus, Matth. 28. Quanquàm, ut observat Vossius, eâ formâ uti non potuit, neque cùm Christum, neque cùm alios post incœptum Christi ministerium baptizavit: tunc enim vera non fuisset formæ hujus significatio, siquidem jam tùm præsens aderat Christus. Et certè eâ verborum formulâ usum non fuisse Joannem inde potest suaderi, quòd cùm Pharisæi ipsum interrogâssent, an esset Christus, respondit Joannes se non esse. Ignorabant igitur antea Pharisæi, an Joannes esset Christus : porrò si baptizâsset in nomine Christi venturi, istud ignorare minimè potuissent. Non etiam in nomine Trinitatis baptizâsse Joannem manifestè colligitur ex cap. 19 Act., ubi ab ipso baptizati declarant se nihil audivisse de Spiritu sancto.

4° Denique, Baptismus Joannis æqualis non fuit cum Baptismo Christi necessitatis : hìc enim omnes obstringit tam parvulos quàm adultos; ille verò cùm esset Baptismus pœnitentiæ, solos adultos : unde rursùs baptizati sunt, qui solo Joannis Baptismo, non verò qui Baptismo Christi jam tincti fuerant.

Secunda pars probatur : Quia ille Baptismus diversus omninò fuit à Baptismo Christi virtute et efficaciâ, qui fuit tantùm in aquâ, non autem in Spiritu sancto; in pœnitentiam ad quam excitabat, non in regenerationem quam non operabatur; quo qui baptizati duntaxat fuerant, rursùs baptizati sunt Baptismo Christi : atqui talem fuisse Joannis Baptismum Scriptura disertis verbis profitetur; ergo, etc.

Minor pro triplici ejus parte probatur ex Scripturâ.

1° Baptismum suum in aquâ duntaxat fuisse, non in Spiritu sancto, ipse Joannes statim declarat Pharisæis ad se, ut baptizarentur, venientibus, ne fortè plùs aliquid accepturos se putarent, quàm reipsà accepturi erant. *Ego quidem*, inquit, Matth. 3, v. 11, *baptizo vos in aquâ, in pœnitentiam ; qui autem post me venturus est, fortior me est..... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Et Marci 1, v. 8 : *Ego baptizavi vos in aquâ, ille vos baptizabit in Spiritu sancto.* Idem adhuc repetit apud S. Lucam, c. 3, v. 16, et Joannis 1, v. 26, ubi interrogantibus Pharisæis quare baptizaret, cùm nec esset Christus, nec Elias, nec propheta, respondet se non nisi in aquâ baptizare, Christum verò in Spiritu sancto. *Ego*, inquit, *baptizo in aquâ, medius autem vestrùm stetit quem vos nescitis..... hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Igitur Baptismus Joannis à Baptismo Christi in hoc maximè discrepabat, quòd iste in aquâ foret et in Spiritu sancto, ille verò in aquâ tantùm.

Novatores duo reponunt ad hæc Scripturæ testimonia : primum, Joannem noluisse citatis verbis Baptismum suum à Christo Baptismo distinguere, *sed personam suam cum Christi personâ contulisse, ac declarâsse se ministrum duntaxat aquæ ; illum verò Spiritûs sancti datorem esse, quam suam virtutem visibili miraculo declaraturus erat Christus, quâ die Spiritum sanctum Apostolis sub linguis igneis mitteret.* Ita Calvinus, lib. 4 Institutionis, c. 15, n. 8. Alterum, quod magis placet Vossio, disput. 8, de Baptismo, thesi 12 et 13. Joannem non comparare Baptismum suum cum verò Christi Baptismo, sed cum illâ copiosâ et abundanti donorum Spiritûs sancti effusione, quæ sub specie linguarum ignearum in die Pentecostes facta est, quæ sensu figurato dicitur Baptismus, et in quâ longè inferior fuit Baptismus Joannis Baptismo Christi. Imò si Calvinum audiamus, loco mox citato, ipse Baptismus Christi, quem ipso adhuc in terris agente Apostoli administrabant, non tam copiosam Spiritûs sancti gratiam conferebat ante Christi Ascensionem, ac postea ; nec inde tamen inferri potest diversum fuisse Baptismum. Hujus interpretationis auctorem Christum et S. Petrum facit Vossius : Christus enim post Resurrectionem Apostolis suis dixit Act. 1, v. 5 : *Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies :* quæ verba S. Petrus repetit Act. 11, v. 16 : *Recordatus sum,* inquit, *verbi Domini, sicut dicebat, Joannes quidem baptizavit aquâ,* etc. Confirmabat hâc observatione Vossius quòd nempe Scriptura verbo potiùs de futuro, *baptizabit,* utatur, quàm de præsenti ; ut innuat se alludere ad illam quæ futura erat, copiosam donorum Spiritûs sancti in die Pentecostes effusionem.

Refellitur utraque responsio.

Prima quidem : Utrumque enim distinguit Joannes, et Baptismum suum, et personam suam : Baptismum quidem, in eo quòd in aquâ duntaxat foret, cujus ipse auctor erat, non minister tantùm ; Baptismus verò Christi in Spiritu sancto. Si enim totum discrimen in eo reposuisset Joannes, quòd ipse minister esset aquæ, Christus verò auctor gratiæ, nihil sanè habuisset singulare ; in Baptismo etenim Christi, Apostoli ministri erant duntaxat aquæ, non auctores gratiæ : habuit tamen Baptismus Joannis istud singulare, ut semper Joannis Baptismus appellatus fuerit ; Baptismus verò Christi nusquàm dictus sit Baptismus aut Petri, aut Pauli, aut cujuscumque alterius ministri. Quid ita ? quia nempe Joannes non tantùm minister fuit, sed et auctor seu institutor sui Baptismatis ; Apostoli verò cæterique sunt tantùm ministri Baptismi Christi. Joannes igitur non tantùm personam suam, sed et Baptismum suum distinguit à Baptismo Christi. Adde quòd plerùmque tempore futuro de Christo dicat : *Ipse baptizabit in Spiritu sancto.* At si Spiritûs sancti gratiæ Baptismo Joannis annexa fuisset perinde ac Christi Baptismo, non dixisset tempore futuro : *Baptizabit in Spiritu sancto,* sed, *baptizat.*

Secunda responsio non minùs falsa est. Suum etenim Baptismum Joannes opponit non tantùm futuræ illi copiosiori Spiritûs santi effusioni in die Pentecostes, sed etiam Baptismo quo Christus baptizavit ante suam in cœlos Ascensionem. Non enim tantùm verbo de futuro, *baptizabit, baptizabimini,* utitur, sed etiam de præsenti : *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Unde vana prorsùs ac futilis est Vossii observatio. Falsa non minùs Calvini sententia, nempe Baptismum Christi ante Ascensionem ejus in cœlum, non tam copiosam contulisse Spiritûs sancti gratiam, quàm postea : hæc quippe abundantior donorum cœlestium largitio non ad Baptismum præcisè, sed ad Confirmationis sacramentum die Pentecostes institutum referri debet.

2° Baptismum Joannis fuisse duntaxat in pœnitentiam ad quam excitabat, sæpiùs testatur Scriptura.

Marci 1, v. 4 : *Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judæa regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.*

Matth. 3, v. 11 : *Baptizo vos in aquâ in pœnitentiam,* ait ipse Joannes.

Et Lucæ 3, v. 3 : *Venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ.* Idem repetitur, Act. 13, v. 24.

3° Baptizatos à Joanne rursùs tinctos fuisse Baptismo Christi, constat ex Actibus Apostolorum, c. 19, ubi duodecim Ephesii baptizati Baptismo Joannis, qui se nihil de Spiritu sancto audivisse declaraverant, baptizati sunt à Paulo in nomine Jesu Christi. Unde S. Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos ait : *Baptisma Joannis in tantum imperfectum fuisse, ut constet postea Christi Baptismate baptizatos qui ab eo fuerant baptizati.*

Anabaptistæ hoc iterati baptismatis exemplo et auctoritate nixi, putant iterùm baptizari posse, qui legitimo baptismo jam tincti sunt. Invictè illi quidem à catholicis revincuntur, quibus persuasum est Baptismum Joannis longè diversum fuisse à Christi Baptismo : sed Novatores Lutherani et Calvinistæ, quibus placet eumdem esse naturâ et efficaciâ, ab iis se expedire vix possunt, ac sese in iis refellendis validissimo præsidio privant. Quapropter multa confingunt, ut istud nostrum argumentum declinent et infringant.

Respondent 1°, post Calvinum, eos qui dicuntur à Paulo baptizati, Act. 19, reipsà verò aquæ Baptismo tinctos non fuisse, cùm à Joanne jam baptizati fuissent, sed abundantiori duntaxat donorum Spiritûs sancti largitione donatos, quæ sensu figurato Baptismus dicitur ; vel baptizati dicuntur, id est, pleniùs edocti et instructi de Mysteriis fidei christianæ.

Refellitur hæc responsio, 1° quia sacer contextus disertè distinguit, et Baptismum, et manûs impositionem per quam abundantiorem Spiritûs sancti gratiam perceperunt illi qui sunt à Paulo baptizati. *Baptizati sunt,* ait historicus sacer, Act. 19, v. 5, *in nomine Domini Jesu. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis,*

et prophetabant. 2° Quia vox ista, *Baptismus*, cùm simpliciter et sine ullo addito usurpatur in Scripturis, significat aquæ lotionem, seu Baptismum verum : cùm verò usurpatur ad significandam donorum Spiritûs sancti abundantem et conspicuam effusionem, aliquid adjunctum habet quo ista significatio determinatur, ut colligitur ex cap. 1 Act., et 3 S. Matth. 3° Quia nomen Baptismi solitariè sumptum nusquàm à sacris auctoribus usurpatur pro doctrinâ et instructione; atque merum istud est cerebri Sociniani figmentum, cui vel inviti arma et vires suppeditant Calvinistæ, quanquàm ab iis multùm abhorrere se videri velint.

Respondent 2° ista verba, c. 19, v. 5 Actuum Apostolorum : *His auditis baptizati sunt*, non esse S. Lucæ historici, sed S. Pauli narrantis quâ ratione post præmissam à Joanne instructionem seu doctrinam, illi Ephesii baptizati fuissent ab ipsomet Joanne; ita ut sensus sit : *His auditis*, nempe auditâ Joannis prædicatione et doctrinâ, baptizati sunt illi à Joanne.

Refellitur ista responsio, 1° quia gratis omninò ficta est, nullum enim ne vel levissimum quidem extat in sacro textu hujus transpositionis vestigium; et ipse Vossius, disput. 8, de Baptismo, thesi 33, non dissimulat explicationem hanc novam esse, omnibus antiquis incognitam. 2° Quia series contextûs postulat ut citata verba sint S. Lucæ historici narrantis quomodò Ephesii illi, post factam declarationem se nihil de Spiritu sancto audivisse, à Paulo baptizati sint in nomine Jesu, id est, Baptismo Christi, in quo Spiritûs sancti mentio erat. 3° Quia ab eodem sunt baptizati, à quo manus ipsis sunt impositæ. 4° denique, quia dicuntur baptizati in nomine Domini Jesu : at non Joannes, sed Apostoli ita baptizabant.

Respondent 3° baptizatos à Joanne ideò rursùs baptizatos esse Baptismo Christi, tum quia ejus urgebat obligatio, tum quia copiosiorem conferebat gratiam.

Refellitur 1°, quia lex Baptismi eos tantùm in mente adversariorum obstringebat, qui vero Christi Baptismo tincti non fuerant : at, juxta adversarios, Baptismus à Joanne ministratus erat Baptismus Christi; quomodò igitur à Joanne baptizatos lex Baptismi Christi rursùs obstrinxisset? 2° Quia gratis fingitur Baptismum Joannis contulisse ex se interiorem gratiam et animæ mundationem, atque Christi Baptismum necessarium duntaxat fuisse ad copiosiorem percipiendam gratiam Spiritûs sancti : ad illam enim assequendam non Baptismus Christi, sed manûs impositio necessaria tantùm fuisset. 3° Quia explicanda non est Scriptura ad sensum et arbitrium cujuscumque, sed juxta communem SS. Patrum sententiam : at illi communi suffragio docent Baptismum Joannis gratiâ interiori vacuum fuisse, ut mox ostendemus. Unde S. Augustinus, l. 5, de Baptismo, c. 9 : *Baptizatos*, inquit, *à Paulo eos qui jam Baptismo Joannis baptizati fuissent, legimus in Actis Apostolorum; non ob aliud, nisi quia Baptismus Joannis non fuerit Baptismus Christi.* Et c. 10 : *Quæro*, inquit, *si Baptismo Joannis peccata dimittebantur, quid ampliùs præstare potuit Baptismus Christi iis quos Apostolus Paulus post Baptismum Joannis Christi Baptismo voluit baptizari?*

Respondent denique, mirum non esse si jusserit Paulus baptizari Ephesios illos, cùm baptizati non fuissent vero ac legitimo Joannis Baptismo; sed à discipulis duntaxat Joannis, violato ritu legitimo ac præscripto, fuerant baptizati. Rem autem ita se habere probant :

Ex S. Ambrosio, lib. 1, de Spiritu sancto, c. 3, ubi negat verè baptizatos fuisse Baptismo Joannis duodecim illos discipulos, quos Act. 19, jussit Paulus baptizari.

Ex Optato Milevitano, lib. 5 adversùs Parmenianum, ubi distinguit Baptismum Joannis ante et post Resurrectionem Christi; ac docet Joannis Baptismum ante Christi Resurrectionem plenum fuisse et perfectum, nec iteratum, sed post Resurrectionem ac promulgatam Baptismi legem, imperfectum fuisse et iteratum, atque isto duntaxat tinctos fuisse Ephesios illos quos jussit Paulus baptizari in nomine Domini Jesu.

Ex Eulogio Alexandrino, lib. 2 adversùs Novatianos apud Photium Bibliothecæ codice 280, ubi disertis et expressis verbis docet eos qui leguntur baptizati, Act. 19, non à Joanne, sed ab ejus duntaxat discipulis baptizatos fuisse, violatâ traditione et ritu baptizandi præscripto; alios verò qui legitimo Joannis Baptismo tincti fuerant, non baptizatos fuisse.

Refellitur responsio : Quia Act. 19, de Baptismo ab ipso Joanne ministrato loquitur S. Paulus, non de alio : *Joannes*, inquit, v. 4, *baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum;* ergo Ephesii quos jussit iterùm baptizari, vero Joannis Baptismo tincti fuerant.

Ad S. Ambrosium, dissimulare non possumus sanctum doctorem in eâ fuisse opinione, ac distinxisse Baptismum Joannis ab eo quem ejus discipuli ministrabant.

Ad Optatum, contendit ille solùm Apostolos rebaptizâsse eos qui Joannis Baptismo tincti fuerant post Christi resurrectionem, non alios qui antea fuerant baptizati; quia nempe lex Baptismi Christi obligavit post resurrectionem, non verò antea. In illius igitur auctoris sententiâ, Baptismus Joannis ante resurrectionem Christi collatus, ratus fuit, nec iteratus; hoc enim unum habebat ex hoc exemplo adversùs Parmenianum demonstrandum, Baptismum scilicet, qui in usu est ac probatus, non esse iterandum : inde verò concludi non potest, parem visum fuisse Optato naturâ et efficaciâ Baptismum Christi et Joannis; imò contrarium planè infertur, cùm doceat rebaptizatum esse post Joannem, non verò post Christum, saltem postquàm lex Baptismi Christi vigere cœpit.

Ad Eulogium Alexandrinum, non est quod curemus benignâ interpretatione eum ad nos adducere, qui totus reluctatur; sed ut optimè observat Photius post adductum ex libro ipsius secundo fragmentum : *Sic existimavit Eulogius, cùm plurimi Patres ostendant Joannis Baptisma fuisse imperfectum.* Cùm igitur illo

cæteros Patres deseruerit, à nobis deserendus quoque est.

Probatur 2° conclusio ex constanti SS. Patrum utriusque ecclesiæ tùm Græcæ tùm Latinæ traditione. Nonnulla indicâsse testimonia nobis sufficiet, cùm veteres sibi contrarios esse hâc in parte non dissimulet Calvinus, l. 4 Institut., c. 15, n. 7, quos more suo protervè et inverecundè judicat esse non audiendos.

Ex Græcis itaque

Origenes in Joan., tom. 8, ait: *Qui in Actis baptizati erant in Joannis Baptismo, et neque an Spiritus sanctus esset, audierant, denuò ab Apostolo baptizantur, quia regneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos suos fiebat.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 3, probat tantùm differre Baptismum Joannis à Baptismo Christi, quantùm ipse Joannes Christo fuit inferior.

S. Basilius Magnus, exhortatione ad Baptismum; *Joannes*, inquit, *prædicabat Baptisma pœnitentiæ, ad idque egrediebatur Judæa tota: prædicat Dominus Baptisma adoptionis; ecquis eorum qui in ipso spem reposuêre, morem non geret? Baptisma illud vim habebat introducendi: hoc, perficiendi. Illud erat secessus à peccato: hoc conjunctio est cum Deo.*

S. Gregorius Nazianzenus, orat. 39, de triplici Baptismo, Moysis, Joannis et Christi loquens, docet primum fuisse tantùm per figuram; secundum, verum et non judaico more: *Non enim in aquâ solùm*, inquit, *sed etiam ad pœnitentiam; nondùm tamen prorsùs spiritualiter: nec enim addit, in Spiritu.* Tertium, *perfectum numerisque omnibus absolutum.*

S. Chrysostomus, hom. 11 in Matth., ait nihil aliud habuisse Joannis Baptismum, quàm ut Judæos ad pœnitentiam adduceret.

S. Cyrillus Alexandrinus commentario in Joan. ait, Evangelistam, cùm prævideret futuros esse qui nullum statuerent discrimen inter Baptismum Christi et Joannis, expressis verbis discrimen illud exposuisse.

Ex Latinis

Tertullianus l. de Baptismo, cap. 10, datâ operâ de Baptismo Joannis disserit, aitque *eum mandatu quidem divinum fuisse, sed humanum conditione et potestate. Nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus.*

S. Hilarius, in Matth., cap. 2, docet opus legis inefficax fuisse ad salutem; Baptismum Joannis ad solam pœnitentiam provocâsse, Baptismum verò Christi peccatorum remissionem largiri.

S. Ambrosius ad caput 3 S. Lucæ: *Non aqua omnis*, inquit, *ablutio est, sed hæc inter se diversa esse non possunt; et ideò aliud fuit Baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est.*

Optatus, lib. 5 contra Parmenianum, probat alterum fuisse Christi Baptismum, et alterum Joannis, quia rebaptizatum est post Joannem, non verò post Christum. Exemplum istud iterati Baptismatis à Joanne collati, post S. Cyprianum, epistolâ 73, opponebant Donatistæ, ut ostenderent semel baptizatos posse iterùm baptizari; cui argumento non aliter occurrunt SS. Ecclesiæ Patres, Hieronymus, Optatus, Augustinus, quàm ostendendo latum fuisse discrimen inter utrumque Christi ac Joannis Baptismum; atque rebaptizatum quidem fuisse post Joannem, quia imperfectus erat et interiori gratiâ vacuus ejus Baptismus, seu quia Baptismus quem ministrabat, non erat Christi; è contra nusquàm rebaptizatum esse post Christum ejusque Baptismum verbis evangelicis consecratum, quia verus ille est ac perfectus Baptismus.

S. Hieronymus, dialogo adversùs Luciferianos. *Joannes*, inquit, *Spiritum sanctum non dedit, quem Cornelius centurio, antequàm baptizaretur, accepit? Responde, quæso, cur non dederit? ignoras? Audi quid Scripturæ doceant: Joannis Baptisma non tam peccata dimisit, quàm Baptisma pœnitentiæ fuit in peccatorum remissionem, id est, futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura.*

S. denique Augustinus pluribus in locis idem docet, ut in Enchiridio ad Laurentium, cap. 49, tract. 5 in Joan., lib. 5 contra Donatistas, cap. 9 et 10, l. 2 contra Litteras Petiliani, cap. 22, 24, 36 et 37.

Hâc expensâ constanti Ecclesiæ traditione, meritò conc. Trid., sess. 7, can. 1, de Baptismo, ita definit: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.*

Solvuntur objectiones.

Objicies 1°: Scriptura eamdem materiam et formam, eumdem auctorem ac effectum assignat Baptismi Joannis et Christi. De materiâ nulla dubitandi ratio esse potest; uterque enim Baptismus in aquâ perficiebatur: de formâ autem constat ex cap. 19, v. 4 Actorum, ubi Joannes dicitur baptizâsse *in nomine venturi*, quod idem est ac in nomine Christi. De auctore patet, quia Matth. 21, v. 25, dicitur esse de cœlo: denique effectus Baptismi Joannis fuit remissio peccatorum, Marci 1, v. 4, et Lucæ 3, v. 3. *Et venit* (Joannes) *in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; quod certè consonat cum Baptismo Christi, de quo dicitur Act. 2, v, 38: *Baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum:* ergo Baptismus Joannis ejusdem fuit naturæ et efficaciæ cum Baptismo Christi. — Resp., nego maj.: Exceptâ enim solâ materiâ, quam in utroque Baptismo eamdem fuisse concedimus, fuisse eamdem formam, aut eumdem auctorem vel effectum pernegamus. De formâ et auctore jam inter probationes conclusionis dictum est: remissio verò peccatorum non Baptismo Joannis, sed pœnitentiæ ad quam excitabat, tribuitur: seu, ut ait S. Augustinus, l. 5 contra Donatistas, c. 10, Joannes baptizabat in remissionem peccatorum *in spe*, hoc est, obtinendam per Christum, ratione pœnitentiæ ad quam Baptismus Joannis promovebat. Hinc est quòd Baptismus Christi nusquàm appelletur, sicut Baptismus Joannis, pœnitentiæ, sed regenerationis seu renovationis. Quid ita? quia pœ-

nitentia alio modo se habuit in Baptismo Joannis, et alio in Baptismo Christi: hunc præcedit tanquàm dispositio, illum verò sequitur tanquàm ejus unicus effectus.

Objicies 2° aliqua SS. Patrum testimonia.

Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 4 : *Nec*, inquit, *quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit.*

S. Basilius, lib. 1 de Baptismo : *Joannis Baptisma*, inquit, *multimodis excelluit. Nam peccata nullo modo discernebat..... Quin etiam sine ullâ prorsùs dilatione simul atque ad gratiam Dei et Christi ejus aliquis accesserat, quantacumque et qualiacumque peccata confessus fuisset, et baptizabatur in Jordane fluvio, et statim veniam consequebatur peccatorum.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi mystagogicâ 2 : *Per Baptismum Joannis*, inquit, *dabatur remissio peccatorum ; per Baptismum Christi, adoptio filiorum.*

Optatus, l. 5, contra Parmenianum, scribit baptizatos Baptismo Joannis, per violentiam ; baptizatos verò Baptismo Christi, per legem intrâsse in regnum cœlorum.

S. Augustinus, lib. 5, de Baptismo contra Donatistas cap. 10 : *Ne quisquam*, inquit, *contendat etiam in Baptismo Joannis dimissa esse peccata; sed aliquam ampliorem sanctificationem eis quos jussit Paulus Apostolus denuò baptizari, per Baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.*

S. Petrus Chrysologus, sermone 137 : *Erat*, inquit, *penes Joannem venia, sed non sine pœnitentiâ... Erat Baptisma quod culpam tolleret, conscientiam non deleret.*

Resp. ad singula testimonia.

Ad Tertullianum : Comparat ille Baptismum Joannis et Christi, ratione materiæ, quæ eadem fuit, non verò ratione effectûs. *Nulla distinctio est*, inquit *mari quis aut stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur.*

Ad S. Basilium : Extollit ibi S. doctor Baptismum Joannis supra Baptismum Mosis, non verò æquiparat Baptismo Christi. In eo verò superabat Baptismus Joannis Baptismum Mosis, quòd hìc umbra tantùm foret, seu typus et imago Baptismatis, in quo nullum erat pœnitentiæ signum, nulla peccatorum confessio, nullum melioris vitæ propositum, sicut in Baptismo Joannis, ad quem accedentes sua confitebantur peccata, quorum remissionem statim obtinebant, non virtute ipsius Baptismi, sed pœnitentiæ adjunctæ, ad quam excitabat Joannes. Promisit enim Deus in quâcumque die pœnitentiam egerit peccator, se illius iniquitatum non recordaturum, Ezechielis 18, v. 21. Baptismum autem Joannis tantùm à Baptismo Christi distare ait S. Basilius loco citato, *quantùm sol stellis antecellit.*

Ad S. Cyrillum, Optatum et alios, eadem est responsio : nempe Baptismum Joannis peccatorum remissionem dedisse, non propriâ virtute et efficacià, sed ratione pœnitentiæ adjunctæ.

Idem respondendum ad S. Augustinum.

Ad S. Chrysologum, dico eum citato loco nostræ potiùs favere, quàm adversari conclusioni. *Per Baptismum enim Joannis*, inquit, *purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam.*

Objicies 3° : Si Baptismus Joannis gratiam et peccatorum remissionem non dedit, quare Apostoli eo solùm Baptismo tincti, non fuerunt Christi Baptismo denuò baptizati? — Resp. 1° S. Augustinum, lib. 3, de Animâ et ejus Origine, cap. 9, colligere ex istis Christi verbis, Joan. 13. v. 10 : *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet*, Apostolos Baptismo Christi fuisse initiatos. Resp. 2° quòd etsi constaret Apostolos non fuisse Baptismo Christi baptizatos, non inde benè inferretur per Joannis Baptismum eos gratiam Spiritûs sancti assecutos fuisse. Cùm enim Christus Sacramenta instituit, suam virtutem illis non ita alligavit, quin absque eorum ministerio gratiam, cùm voluerit, conferre possit ; adeòque Apostolis suis sine suo Baptismo regenerationis et renovationis gratiam immediatè conferre potuit. An reipsà ita fecerit, nihil habemus in Scripturis expressum.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

Summi momenti est præsens controversia, in quâ accuratè pertractandâ paulò diutiùs immorari nos adigit Socinianorum temeritas et pervicacia.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1° duplicem vulgò distingui à theologis necessitatem, unam medii, alteram præcepti.

1° Illud necessarium dicitur necessitate medii, sine quo vel ejus voto seu desiderio finis obtineri non potest : hoc modo Baptismus et Pœnitentia Sacramenta sunt necessaria necessitate medii ad salutem. Ratio à priori est, quia ejusmodi Sacramenta ex institutione Christi eum continent et conferunt gratiæ spiritualis effectum, qui per se ita necessarius est, ut sine illo nemo possit esse salvus : ita nemo potest salvus esse sine gratiâ, vel regenerante in Baptismo, vel reparante in Pœnitentiâ. Unde in rebus hujuscemodi, nec ignorantia, nec impotentia excusat ; et quanquàm reus non sit violati præcepti, qui Baptismi legem aut invincibiliter ignorat, vel ipsi obsequi non potest, gratiam tamen illi annexam non percipit, (nisi in casu martyrii ac perfectæ contritionis) et tum negativè, ut aiunt, propter gratiæ illius defectum, tum positivè, propter peccatum sive originale sive actuale non dimissum, æternæ damnationi ille obnoxius est.

Quæ porrò necessaria sunt necessitate medii, ea quoque ex se necessaria sunt necessitate præcepti, quia tenetur unusquisque adhibere omnia necessaria ad salutem assequendam : non tamen suam habent necessitatem ex præcepto, nisi, ut dicitur, præsuppositivè ; imò potiùs ex necessitate quam habent ex propriâ suâ conditione, fit ut sint quoque ex præcepto necessaria.

2° Illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod sine peccato non potest omitti ; atque in ejusmodi rebus excusat vel ignorantia vel impotentia. Reverà observatio præcepti necessaria fit necessitate medii respectu illius qui capax est præcepti, illudque observare tenetur ; sed, ut ait Vasquez in 3 part. q.

73, art. 3, cap. 1 et 3, talis observatio præceptorum negativè tantùm necessaria est ad salutem, ne scilicet propter transgressionem præcepti aliquod ponatur saluti impedimentum : è contra quod est necessarium necessitate medii, positivè confert ad salutem, quia nempe continet gratiam per se necessariam ad salutem. Unde necessitas medii et præcepti non tam ex modo loquendi Scripturæ dignosci potest, quàm ex subjectâ materiâ, si nempe res proposita talis sit quæ conferat gratiæ effectum per se et absolutè necessarium : eodem quippe modo Scriptura exprimit et necessitatem medii, v. g., in pœnitentiâ his verbis, Luc. 13, 5 : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis ;* et necessitatem præcepti in Eucharistiâ : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Joan. 6, 54.

Observandum 2°, inter ea quæ necessaria sunt necessitate medii, alia esse interna salutis media, qualis est gratia sanctificans ; alia verò externa, qualis est v. g., ablutio exterior in Baptismo ; inter quæ istud discriminis occurrit, quòd sine medio interno, actu et re percepto, impossibile sit obtinere vitam æternam : ita sine sanctificante gratiâ nullus unquàm salvus esse potest. Atverò sine medio externo, nempe Sacramento, potest quis salvus fieri, nempe per fidem charitate perfectâ formatam, quæ justificat ante realem et actualem Sacramenti perceptionem, cum solo ejus voto sive explicito sive implicito saltem, quod in perfectâ charitate semper includitur. Ratio est quia medium externum ex Christi institutione ordinatur ad conferendam internam sanctificantem gratiam : cùm autem divina virtus non sit exterioribus signis necessariò alligata, atque possit gratia sanctificans per contritionem perfectam obtineri, hinc est quòd externum illud medium aliquibus in casibus suppleri possit per votum seu desiderium ipsius. Sic suppletur Baptismus per martyrium et contritionem perfectam.

Observandum 3° votum rei alicujus necessariæ nihil aliud esse quàm desiderium illius obtinendæ. Duplex autem distinguitur : unum explicitum et proprium, quod ex rei cognitione nascitur ; alterum verò implicitum et generale, quod tendit ad rem, quatenùs est à Christo præscripta, quod votum seu desiderium adimplendi omnia Christi præcepta, semper includitur in charitate perfectâ à quâ sejungi non potest, atque semper necessarium est necessitate medii. Fieri quippe non potest, ut quis salvus fiat, nisi implicitè saltem habeat voluntatem servandi quæcumque sunt à Christo præscripta ; hoc est, nisi ita sit animo affectus et præparatus, ut illa omnia velit observare cùm ea cognoscet, et adimplendi facultas dabitur. Nonnihil autem discriminis est inter ista duo, nempe votum rei alicujus esse necessarium, et rem ipsam necessariam esse in voto. Prius enim significat, voluntatem observandi rem præceptam esse necessariam, quod verum est : posterius, rem præceptam tantæ necessitatis esse ad salutem, ut si non reipsà, saltem voto debeat haberi ; quod non semper verum est, præsertim in rebus quæ ex præcepto duntaxat sunt necessariæ.

Observandum 4° necessitatem Baptismi attendi posse vel respectu adultorum, vel respectu infantium : isti autem vel sunt filii fidelium christianorum, vel infidelium.

Observandum denique inter hæreticos alios esse qui impugnant necessitatem medii Baptismi, alios verò necessitatem præcepti, ut mox constabit.

Duo itaque duobus sequentibus articulis sunt nobis inquirenda.

In primo, utrùm Baptismus in re vel in voto sit necessarius adultis necessitate medii et præcepti ; infantibus verò necessitate medii.

In secundo, utrùm Baptismus suppleri possit per votum illius, per contritionem perfectam et martyrium, et quomodò.

ARTICULUS PRIMUS.

UTRUM BAPTISMUS NECESSARIUS SIT IN RE VEL IN VOTO ADULTIS, NECESSITATE MEDII ET PRÆCEPTI ; INFANTIBUS VERÒ NECESSITATE MEDII.

Errores.

Cùm per Baptismum Religioni christianæ nomen demus, adoptemur in filios Dei, et æternæ salutis capaces efficiamur, mirum esse non debet quòd antiquus salutis nostræ æmulus dæmon tot adversùs illius Sacramenti necessitatem ac virtutem hostes inter veteres et novos hæreticos suscitaverit

Ex veteribus, secundo seculo Caiani et Quintiliani à Quintillâ feminâ sic dicti, negârunt Baptismi necessitatem, rati fidem sufficere ad salutem. Ita Tertull., l. de Baptismo, cap. 1.

Tertio seculo, Manichæi, teste S. Augustino, hæresi 46, Baptismum in aquâ nihil cuipiam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant. Ratio aperta est, quia illi aquam, ut et cæteras res corporeas à diabolo creatas esse contenderent.

Quarto seculo, Ascodrutæ, ut loquitur Theodoretus, l. 1 hæretic. Fabularum, cap. 10, dicunt non debere divina mysteria quæ invisibilium sunt signa, per res visibiles perfici. Propterea nec baptizant eos qui accedunt, nec apud eos celebratur Baptismatis mysterium.

Eodem seculo, Seleuciani et Hermiani, teste S. Augustino, hæresi 59, Baptismum in aquâ rejecerunt.

Eodem seculo, Massaliani (quod nomen ex linguâ Syrâ ductum esse, et significare orantes, unde græcè dicti sunt εὐχῖται, observat S. Augustinus, hæresi 57) docebant nullam ex Baptismo et Eucharistiâ percipi utilitatem, sed perpetuâ oratione peccatum tolli radicitùs. Ita Theodoretus, lib. 4 hæretic. Fabul., Epiphanius, hæresi 80; Joannes Damascenus lib. de Hæresibus.

Eodem seculo, Archontici Baptismum damnârunt, inquit S. Epiphanius, hæresi 40, tametsi inter eos sint qui Baptismo initiati antea fuerint. Ita Theodoretus. l. 1 hæretic. Fabul., c. 11.

Quinto seculo, cùm Pelagiani negantes originale peccatum ab Augustino premerentur argumento ducto

ex necessitate Baptismi, coacti sunt negare Baptismum necessarium esse ad delendum originale peccatum. Urgente verò sancto doctore ista verba Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum*, quibus constat, vel infantes non baptizatos à regno cœlorum arceri non debere, utpote innocentes, quos tamen arcebant Pelagiani; vel eos labe originali infectos esse, ad quam diluendam opus haberent renasci per Baptismum, eò illi adducti fuêre, ut distinguerent inter regnum cœlorum et vitam æternam; ac infantes quidem propter defectum Baptismi à regno cœlorum excluderent, vitâ tamen æternâ donarent, quia innocentes sunt nullâ originis labe maculati.

Initio ejusdem seculi Vincentius Victor dixit *aliquos eorum qui sine Baptismo Christi ex hâc vitâ migraverint, interim non ire in regnum cœlorum, sed in paradisum; postea verò in resurrectione mortuorum etiam ad regni cœlorum beatitudinem admittendos fore.* Ita S. Augustinus, l. 3 de Origine animæ, cap. 1.

Ex recentioribus hæreticis qui seculo decimo quinto Ecclesiam infestârunt,

Joannes Wiclef, teste Thomâ Valdensi, tom. 2, de Sacramentis, cap. 96, docuit Baptismum necessarium non esse. Ita constat ex sess. 15 conc. Constantiensis. Idem asseruit Zuinglius, lib. de verâ et falsâ Religione, cap. de Baptismo, ubi ostendit Baptisma merum esse externum symbolum nullius ad salutem præsidii.

Martinus Bucerus in cap. 3 Matthæi, idem quoque asseruit, sed alio fundamento nixus, nempe, *quia pueri prædestinati etiam sine Baptismo salvantur, non prædestinati etiam cum Baptismo damnantur.*

Calvinus, lib. 4 Institutionis, necessarium quidem esse ex præcepto non inficiatur Baptismum; sed ad delendum originale peccatum omnibus sive adultis sive parvulis esse necessarium, totis viribus repugnat. Cap. 15, n. 10, sic loquitur : *Jam perspicuum est quàm falsum sit quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii persistunt, per Baptismum solvi nos et eximi ab originali peccato, et à corruptione quæ ab Adam in universam posteritatem propagata est.* Et n. 22, expressè ait, *non arceri à regno cœlorum infantes quos è præsenti vitâ migrare continget, antequàm aquâ mergi datum fuerit. Atqui jam visum est fieri non levem injuriam Dei fœderi, nisi in eo acquiescimus, ac si per se infirmum esset, cùm ejus effectus neque à Baptismo neque ab ullis accessionibus pendeat. Accedit postea Sacramentum sigilli instar, non quòd efficaciam Dei promissioni, quasi per se invalidæ, conferat, sed eam duntaxat nobis confirmet. Unde sequitur, non ideò baptizari fidelium liberos, ut filii Dei tunc primùm fiant qui ante alieni fuerint ab Ecclesiâ, sed solemni potiùs signo ideò recipi in Ecclesiam, quia promissionis beneficio jam ante ad Christi corpus pertinebant. Proinde si in omittendo signo nec socordia est, nec contemptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo sumus.* Ita Calvinus, quibus significat parvulos sine Baptismo excedentes ex hâc vitâ, salvos esse propter fœdus quod Christus cum Christianis pepigit; virtute cujus illos sanctos esse nec ipsis labem originalem à Deo imputari contendit; et ita Baptismum necessarium ipsis non esse ut solvantur à labe originali, sed tantùm ut obsignet divinam promissionem. Adultis quoque minimè ad salutem necessarium esse docet, quos ait fide justificari; et per Baptismum tantùm obsignari, confirmari et nutriri hanc fidem : *Quatenùs*, inquit ibid., n. 14, *erigendæ, alendæ, confirmandæque fidei nostræ datur, sumendus est.*

E sinu Calvinistarum orti Sociniani iisdemque cum ipsis placitis innutriti ac imbuti, multò tamen longiùs progressi sunt audaciâ et temeritate in oppugnandis fidei Christianæ mysteriis; seu, ut meliùs dicam, eò usque prorupit effrenis eorum licentia, quò proclivi ac facili lapsu ducunt Calvinistarum documenta : nempe ubi semel neglectâ Ecclesiæ ac traditionis auctoritate, suum unicuique permittitur in exponendâ Scripturâ judicium, nullâ ampliùs certâ lege ac regulâ contineri potest humanum ingenium, sed pro innatâ libertate quisque liberiùs genio suo indulgens, novos Scripturæ sensus, nova dogmata, novamque excogitat et sequitur religionem, quod certè tristi et infelici eventu contigisse videmus in Socinianis, cùm aliis in mysteriis, tum in eo de quo hìc disputamus Baptismi Sacramento. A Calvinistis hausêre illi quidem, Baptismum necessitate medii non esse necessarium ad delendum peccatum originale, neque in adultis neque in parvulis; sed ab iisdem edocti Ecclesiæ et traditionis vocem spernere, ac suum duntaxat privatum consulere judicium, nullo retenti freno auctoritatis, longiùs processerunt, ac negârunt.

1° Christum Apostolis dedisse baptizandi præceptum : verba quippe Christi, Matth. 28 : *Euntes docete, baptizantes*, etc., interpretantur non de aquæ Baptismo, sed de solâ instructione seu doctrinâ. Aiunt tamen post Volkelium, lib. 6 de verâ Religione, cap. 14 : *Apostolos etsi non jussos ritum baptizandi convenienter usurpâsse, tum quia populus Judæus cæremoniis valdè delectabatur, utpote in illis quasi enutritus et educatus; tum quia Baptismi cæremonia à magni nominis magnæque auctoritatis viro, nempe Joanne, jam antea introducta, magnoque applausu ab omnibus recepta fuerat : tum denique quia aptissima erat ad adumbrandum Christianorum officium ac statum; unde conveniens fuit viros hujus ætatis per Baptismi cæremoniam christianæ Religioni adscribi.* Ita Volkelius.

2° Negârunt baptizandi præceptum datum à Christo, Matth. 28 (si tamen præceptum est), universale fuisse, ab omnibus in perpetuum observandum; sed certis duntaxat personis pro certo quodam tempore addictum fuisse, nempe illis qui Ecclesiæ initio à paganismo vel judaismo convertebantur ad Christum; cæteris verò qui vel è Christianis nascuntur, vel in christianâ fide sunt educati, minimè necessarium esse contendunt, cùm Baptismus sit res libera et indifferens, quæ sine salutis dispendio observari possit vel omitti : unde non negant posse aliquem baptizari, si ita velit; modò fiat, inquiunt, sine scandalo, absque ullâ impositâ necessitatis lege, et persuasione talem

ritum esse ad salutem necessarium. Ita Socinus, disputatione de Baptismo, tom. 1 Operum ipsius, pag. 710; Ostorodius Institutionum Germanicarum, cap. 9; Volkelius, l. 6 de verâ Religione, cap. 14, quod integrum est de præsenti argumento.

3° Docent Baptismum esse merum ritum externum, ac publicum duntaxat professionis christianæ symbolum, omni interiori gratiâ vacuum ac planè destitutum : unde in catechesi majore Racoviensi, non alia profertur Baptismi definitio, quàm *quòd sit ritus exterior quo homines vel è judaismo, vel è gentilismo, ad Religionem christianam accedentes manifestè profitentur se Christum pro suo Domino agnoscere*. E scriptis Socini catechesim illam compegit Smalcius, et typis evulgavit Racoviæ anno 1606.

Ad Socinianos ex parte accedere videtur episcopus sectæ Arminianorum seu Remonstrantium defensor præcipuus. Respondens enim ad quæstiones sexaginta quatuor theologicas sibi à discipulis propositas, tom. 1 Operum, ad 37, docet 1° apud S. Matth., cap. 28, sermonem esse de vero aquæ Baptismo. 2° Si Baptismus nihil aliud sit quàm tessera, nota, vel sigillum christianæ professionis, præceptum ejus ad eos duntaxat pertinere, qui christianam profitentur Religionem. 3° Si Baptismus sit (ut ipse putat) sigillum seu obsignatio remissionis peccatorum antea commissorum, ejus præceptum eos primariò adstringere, qui à paganismo ad Christum convertuntur; secundariò verò eos qui in Religione christianâ nati, multis tamen se peccatis obstrinxêre. 4° Si qui sint qui vitam ab omni scelere immunem et puram duxerint (quod rarum) eos Baptismi lege non teneri; non est enim opus medico benè habentibus. Ex quo non obscurè colligitur, in mente hujus auctoris Baptismum necessarium non esse *medii*, ut dicitur, necessitate ad salutem.

Lutherani et Calvinistæ quibus nostri semper exprobravêre, quòd suâ ab Ecclesiâ defectione socinianæ impietati locum et ortum dedissent, nec pestem hanc ullâ arte (si suis placitis starent) expugnare possent, nihil non tentârunt, ut multis editis ex professo operibus, fidei nostræ capita, Trinitatis inprimis et Incarnationis, quæ nobiscum habent communia, contra illos defenderent ac probarent; sed eventu, ut plurimùm, infelici, uti ostendimus passim, quando se dedit occasio. Nihil enim juris sibi assumere possunt Lutherani et Calvinistæ in Scripturis ad privatum suum sensum detorquendis, quod idem sibi non arrogent Socinianj; nec ullus inter eos judex erit, qui litem inter illos dirimat. Quis enim esset? Scriptura? at de ejus sensu controvertitur, et quisque eam ad partes suas trahere conatur. An ratio? sed omnes in sensu suo abundant. An Ecclesia et traditio? rectè quidem : at illi vocem ejus ac judicium rejiciunt; atque ut à proposito argumento non discedamus, dicant nobis Calvinistæ quo jure verba isthæc Christi Joannis 3, v. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum*, detorqueant ad sensum metaphoricum, neque de vero aquæ Baptismo intelligant; Socinianos verò qui hæc pariter Christi verba Joan. 28 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, interpretantur non de Baptismo aquæ, sed instructionis et doctrinæ, rejiciant ac confutent. Dicant pariter, quo argumento ex unâ Scripturâ adversùs eosdem evincere possunt, inter baptizandum appellandos esse seu invocandos Patrem, Filium et Spiritum sanctum, atque sensum verborum Christi, Matth. 28, non esse istum, *Docete, baptizate in fide Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*. Certè absque traditionis auxilio nusquàm id evincere poterunt : adeò verum est Calvinistas excusso semel Ecclesiæ et auctoritatis legitimæ jugo, vel invitos Socinianis arma subministrare, nec ab eorum manibus sese expedire posse.

Præter illos errores, nonnulli è nostris scholasticis singulares aliquas opiniones amplexi sunt.

Scholasticorum aliquorum opiniones.

Cajetanus, 3 part., ad art. 2 et 11, q. 68, docuit parvulos fidelium christianorum, quibus per Baptismum subveniri non potest, non tantùm ex privilegio Dei singulari, sed ex lege Dei communi et ordinariâ salvari posse votis et orationibus parentum, maximè si exteriùs aliquod adhibeant signum, quo generale votum parvulis applicare se testentur. Hæc opinio non modò temeraria, sed etiam fidei tam parùm consona visa est Pio V, summo Pontifici, ut jusserit in editione Romanâ alterâ expungi Commentarium hujusce secundi et undecimi articuli.

Quidam alii censuêre, lege quidem ordinariâ, parvulos etiam fidelium sine Baptismo non salvari; verùmtamen Deum pro suâ summâ clementiâ vel exaudire parentum vota pro salute infantium, adeòque eos hortandos ut pro illis apud Deum intercedant; vel Deum supplere defectus essentiales Baptismi, si qui sint ex parte materiæ vel formæ, vel intentionis ministri. Ita Gerson, sermone de Nativitate B. Virginis, consideratione 2; Gabriel in 4, dist. 4, q. 2, art. 3, dubio 2; Altissiodorensis in Summâ, lib. 3, tract. 3, q. 2 art. 4; S. Bonaventura in 4, dist. 3, primâ parte distinctionis, q. 2, art. 2, ad. 2; Durandus in 4, dist. 6, q. 2, n. 12 et alii qui salutem hanc infantium probabiliter ex divinâ misericordiâ præsumunt, non tamen velut rem certam et indubitatam admittunt.

Sunt qui infantibus sine Baptismo ex hâc vitâ migrantibus felicitatem quamdam temporalem, et naturalem veluti quemdam paradisum assignent, ut Pighius et Catharinus apud Bellarminum, tom. 4, lib. 6, cap. 2, et nostrâ hâc ætate non ita pridem eminentissimus cardinalis Sfondratus, in libro cui titulus : *Nodus prædestinationis dissolutus*, parte 1, paragrapho 1, n. 13, docet *parvulos qui sine Baptismo decedunt, cœlesti quidem regno, quasi paternæ culpæ reos nec expiatos excludi; non tamen excludi naturalibus bonis, et à peccato præservari æternoque supplicio, quo si adolescerent, puniendi essent; cùm sola*, inquit, *præservatio à peccatis pluris valeat majorisque pretii sit, quàm regnum ipsum cœleste*. Idem repetit ibid., 23. Adversùs doctrinam hanc graviter expostulârunt duo Ecclesiæ nostræ Gallicanæ archiepiscopi et tres episcopi, datâ ad S. Pon-

tificem beatæ memoriæ Innocentium XII solemni epistolâ, 7 kalendas martii anni 1697, quibus rescripsit summus Pontifex die 6 maii anni ejusdem, *se librum cardinalis Sfondrati et res ab ipsis adnotatas, insignium theologorum discussioni commisisse, ut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, quod justum esset, subinde decernere valeret.* Interim nullum, quod sciamus, à sanctâ Sede ad nos pervenit eâ de re judicium. Sapienter quidem ac graviter Bellarminus loco paulò ante notato observat, *misericordiam nostram parvulis jam defunctis nihil prodesse, è contra nihil obesse nostræ sententiæ severitatem. Multùm autem*, inquit, *nobis obest, si ob inutilem misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas aut Ecclesiam defendamus : idcircò non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturæ, conciliorum et Patrum sententiam consulere et sequi debemus.*

His ita præmissis, dogma catholicum demonstrandum est, et à vanis Socinianorum aliorumque hæreticorum conatibus vindicandum.

Conclusio. — Baptismus in re vel in voto necessarius est adultis necessitate medii et præcepti, parvulis necessitate medii ad salutem.

Duæ sunt partes conclusionis.

Probatur prima pars de necessitate præcepti, ex Scripturis quæ contortis à Socinianorum expositionibus vindicantur.

Primum argumentum petitur ex cap. 28 S. Matthæi, v. 19, ubi perspicuis verbis Christus Apostolis suis præceptum et formam baptizandi exponit : *Euntes ergo*, inquit, *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.*

Socinus disputatione de Baptismo scriptâ an. 1580 Cracoviæ, cap. 2, duo excipit adversùs apertum istud testimonium : primum est, hìc de vero aquæ Baptismo sermonem non esse, sed de doctrinâ et instructione, quæ sensu metaphorico Baptismus dicitur; alterum, dato et non concesso mandatum in aquâ baptizandi à Christo hìc dari, perpetuum illud non debere esse, neque ad omnes omninò homines extendendum. Utraque responsio paulò uberiùs et apertiùs evolvenda nobis est ac confutanda, ut intelligat unusquisque quàm vanis et futilibus argumentis innitatur sociniana temeritas.

Prima itaque Socini responsio est, in Scripturis Baptismi nomen sæpiùs usurpari pro doctrinâ, atque eo ipso sensu sumi Matth. cap. 28, v. 19, citato. Utrumque sic probat :

Primum quidem ex cap. 18, v. 25 Actuum Apostolorum, ubi legimus Apollo Baptismum Joannis duntaxat scivisse; et cap. 19, v. 3, ubi discipuli Ephesi interrogati in quem baptizati essent, respondent se baptizatos esse Baptismo Joannis. At his in locis, ait Socinus, idem est Baptismus, ac doctrina : nihil enim, inquit, ibi ad rem faciebat, quòd Apollo sciret aquæ Baptismum quo utebatur Joannes, cùm de doctrinâ præsertim ageretur. Pariter Baptismus, aut baptizare, significat nonnunquàm initiationem, seu initiare. Ita S. Paulus priore ad Corinthios 10, v. 2, ait : *Hebræorum patres baptizatos fuisse in Moyse, in nube et in mari;* id est, eos initiatos et quasi consecratos fuisse Deo per Moysen. Eadem est significatio Act. 19, v. 3, cùm Paulus ait : *In quo ergo baptizati estis*, id est, initiati?

Refellitur Socinus, quia confundit quæ non sunt confundenda, et separat quæ non sunt separanda. Confundit doctrinam, cum aquâ baptismali; et Baptismum nudè et simpliciter sumptum, pro doctrinâ usurpari perperam ille contendit : duo enim illa distingui debent, non confundi. In Baptismo enim Joannis, de quo mentio fit citatis in locis, duo erant : et doctrina quâ Joannes informabat baptizandos, et ritus ipse baptizandi in verâ aquâ : unum aliud includebat, nempe Baptismus doctrinam; sed doctrina illa præcisè non dicebatur Baptismus, seu intinctio vel immersio. Citata igitur ex Actibus Apostolorum loca Socinum jugulant, siquidem duo distincta continent, quæ ille perperam confundit. Unde sic arguere possumus : Eodem sensu verbum *baptizantes* sumi debet apud S. Matth., cap. 28, v. 19, ac in Actibus Apostolorum, c. 18, v. 25, et cap. 19, v. 3. Atqui istis in locis non pro solâ doctrinâ usurpatur, sed pro ipso vero in aquâ baptizandi ritu, Joannes enim in verâ aquâ baptizavit. Ergo pariter apud S. Matth. non sumitur pro solâ doctrinâ seu instructione, sed pro ablutione seu immersione in aquâ, includente et præsupponente doctrinam; separat igitur Socinus aquam ab instructione seu doctrinâ quæ non debet separari. Pariter igitur asserimus Baptismi nomine significari initiationem seu consecrationem : at illam fieri contendimus non per solam doctrinam, sed per aquam quâ intingimur, tanquàm per verum et propriè dictum Sacramentum.

Secundum, nempe Matth. 28, v. 19, *baptizantes* idem significare ac instruentes seu docentes, probat Socinus multis, sed miseris profectò, argumentis.

1° Quia in Græco textu, loco *docete*, habetur μαθητεύσατε, id est, *discipulos facite;* quod certè verbum ad doctrinam et disciplinam quâ informandi sunt discipuli, refertur.

Verùm, quis hoc negat? nemo profectò. An doctrinam à Baptismo aquæ sejungimus? non certè; sed utrumque includimus et distinguimus, sicut reipsâ fecit Christus in suo præcepto : *Docete*, inquit, *baptizantes*. En doctrina et Baptismus. Quòd si per *baptizantes* non aliud intellexisset quàm doctrinæ Baptismum, certè absurda fuisset et omninò inutilis repetitio in unâ et eâdem brevi periodo : sensus enim esset, *docete docentes*. Esto igitur verbum Græcum significet, *discipulos facite :* sanè per doctrinam fiunt discipuli, et per Baptismum initiantur et consecrantur; unum enim ab altero divelli non debet. Unde S. Marcus cap. 16, v. 16, fidem quæ per doctrinam habetur, Baptismo præmittit.

2° Si Christus eo in loco per verbum *baptizantes*, aquæ terrenæ Baptismum intellexisset, sine dubio, ait Socinus, non minùs Baptismum istum externum Apostolis suis commendâsset, quàm ipsam Evangelii prædicationem, nec minùs eos ad baptizandum, quàm

ad prædicandum misisset : atqui tamen Apostolus primæ Corinth. 1, v. 17, declarat se à Christo missum non esse ad baptizandum, sed ad evangelizandum. Neque est quòd respondeatur, sensum Apostoli esse, se præcipuè missum fuisse ad prædicandum, quod munus per se obire tenebatur, non verò ad baptizandum, quod per alios æquè poterat adimplere. Namque, ait Volkelius, loco antea citato, ratio propter quam testatur Apostolus se non missum esse ad baptizandum, hæc est ut effugeret suspicionem nonnullorum, qui existimabant Paulum in suo baptizare nomine, unde oborta est illa discipulorum Corinthiorum contentiosa æmulatio : at ratio illa tota subsisteret, si aut per se, aut per alios, aut præcipuè, aut minùs præcipuè destinatus fuisset S. Paulus ad baptizandum.

Verùm vana prorsùs ac futilis ratio. Falsò quippe supponit Socinus, Apostolis injunctum non esse baptizandi sicut docendi præceptum, quod ex praxi illorum cognosci haud dubiè certissimè potest. Porrò in historiâ Actuum Apostolorum, c. 2, post eximiam S. Petri prædicationem, baptizatos legimus Judæorum circiter tria millia; et cap. 4, quinque millia; et cap. 8, Philippus Samaritanos, Simonem magum, et eunuchum; cap. 9 Ananias Paulum; cap. 10, S. Petrus Cornelium cum omni ejus familiâ; cap. 16, S. Paulus Lydiam cum omni ejus pariter familiâ; cap. 18, Crispum et Corinthios; et cap. 19, duodecim Ephesios baptizavit : at verisimile non videtur, Apostolos non jussos præceptum Christi datum, Matth. 28, executioni demandâsse. S. igitur Paulus non negat sibi, sicut et cæteris, impositum baptizandi præceptum, sed comparatè loquitur, innuitque se magis præcipuè destinatum esse ad prædicandum, quàm ad baptizandum; quia multò plures ad illud, quàm ad istud munus exequendum dotes requiruntur, quibus ille divinitùs cumulatus fuerat : Baptismus scilicet per quemlibet administrari potest, at non ita verbum Dei. Hanc veterum Caianorum objectionem ita solvit Tertullianus, l. de Baptismo, c. 14. Neque urget quod addit Volkelius : namque hâc ratione non utitur S. Paulus, ut probet se missum non esse ad baptizandum, sed ut gratias agat quòd cùm paucos baptizaverit, schismati et contentiosæ Corinthiorum æmulationi locum non dederit. Tanta scilicet insedebat animis primorum fidelium opinio et admiratio Apostolorum, ut ex humano affectu nonnulli se hujus vel illius discipulos esse gloriarentur, et ita schismati locum dederint, de quo loquitur Apostolus : quòd verò id ex Baptismi administratione ortum fuerit, sanè per accidens est respectu illius Baptismi.

3° Christus, inquit Socinus, Matth. 28, non magis præceptum baptizandi, quàm formam expressit his verbis : *Docete, baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* At his verbis formam Baptismi non exprimi vel ex eo potissimùm constat, quòd Apostoli negantur baptizâsse in aliâ formâ, nempe in nomine Christi.

Verùm ex ante dictis manifestum est Apostolos non baptizâsse in solo Christi nomine. (Consule.)

4° Baptismus Christi sæpiùs in Scripturis opponitur Baptismo Joannis, quòd iste in aquâ foret, ille in Spiritu; ergo Christi Baptismus in verâ aquâ non perficiebatur.

Verùm non advertit Socinus, totam distinctionem Baptismi Christi et Joannis non fuisse penès aquam, quæ in utroque pro materiâ erat, sed penès effectum, nempe interiorem animæ purgationem per gratiam, quam conferebat Christi, non verò Joannis Baptisma.

5° Hebræorum 6, rudimenta christianæ disciplinæ enarrat Apostolus; at de Baptismo aquæ omninò silet.

Verùm falsum est quod supponit Socinus : sic enim loquitur Apostolus v. 1 et 2 : *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.*

Quænam porrò est illa doctrina Baptismatum, nisi veri, quod in usu erat ex Christi mandato, Baptismatis? Baptismatum dixit in plurali Apostolus, vel more Hebræorum ad majorem emphasim; vel quia etsi unum specie, numero tamen plura multis administrantur; vel denique quia nostrum Baptisma multis Judæorum baptismatis opponit.

6° Denique, quia S. Petrus, epistolæ 1, c. 3, v. 21, docet Baptismum nos salvos facere, non quo carnis sordes abluuntur, sed quo fit ut bona conscientia Deum interroget : at non ita locutus fuisset S. Petrus, si aquæ Baptismum omnibus ex præcepto necessarium esse credidisset.

Verùm fallitur Socinus. Verissima quippe est S. Petri sententia, nempe effectum Baptismi positum non esse in ablutione sordium corporis, sed in gratiâ interiori ac conscientiæ munditie. Opponit enim ibi Baptismum Christi frequentibus Judæorum lotionibus, quæ merè carnales erant ad justitiam et emundationem carnis; Baptismus verò Christi, etsi perficiatur in aquâ, ejus tamen effectus ad animam usque pertingit, nec hæret in carne.

Secunda Socini responsio est : Dato et non concesso citatis Christi verbis Matth. 28, baptizandi præceptum contineri, illud tamen ad certum tempus ac personas restrictum fuisse, non omnibus in perpetuum injunctum. Probat autem his momentis :

1° Quia ii soli baptizandi sunt, quos Apostoli docuêre, utrumque enim conjungitur; ergo alii qui ab Apostolis aut eorum successoribus edocti non fuêre, illo Baptismi mandato non adstringuntur.

Verùm nihil eâ ratione miserum magis ac stolidum afferri potest. Ubi enim legit Socinus, eos tantùm baptizandos esse qui ab Apostolis fuerant edocti? certè nullibi. Reverà ii tantùm sunt baptizandi, qui sunt imbuti fide et doctrinâ Christianâ; sed eos tantùm esse baptizandos qui sunt ab Apostolis edocti, non alios, certè figmentum est cerebri Sociniani.

Etverò multos docuêre Apostoli, quos propriis manibus non baptizârunt; unde S. Paulus fatetur se ad prædicandum missum esse, non ad baptizandum :

nec verisimile est S. Petrum propriis manibus baptizàsse unâ die tria et alterâ quinque hominum millia quos suâ prædicatione ad Christum adduxerat. Aliquos pariter baptizârunt, quos ab aliis edoctos noverant : sic Ananias Paulum baptizavit, Act. 9, et S. Paulus, Act. 19, curat eos baptizari, qui ab aliis jam instructi et informati fuerant fidei Christianæ documentis.

Quòd verò mandatum Baptismi ad omnes omninò omnium ætatum homines pertineat, patet, 1° quia nullam limitationis ac restrictionis notam præ se fert; 2° quia continuâ seculorum omnium praxi evidenter demonstratur præcepti hujus universalitas; 3° quia continet præceptum docendi simul et baptizandi : at præceptum docendi universale est ac perpetuum; 4° quia Christus eodem loco promittit se Ecclesiæ adfuturum usque ad consummationem seculi : quod igitur ibi præscribit, ad omnes omnium ætatum homines spectat; 5° quia unio spiritûs ac mutua charitas, quam ex unitate Baptismi commendat Apostolus, Ephes. 4, in perpetuum ab omnibus fidelibus est observanda; 6° quia præceptum Baptismi simile est præcepto Eucharistiæ : sicut enim dixit Christus, *Hoc facite;* ita dixit, *Docete, baptizate;* ergo sicut Eucharistiæ præceptum omnibus ad futuras omnes ætates injunctum esse agnoscit Socinus, ita et præceptum Baptismi; 7° denique, quia effectus quos Apostoli Baptismo tribuunt, ad omnes omnium temporum homines æqualiter pertinent, quales sunt communio cum Christo, Rom. 6, v. 3 et 4; Galat. 3, v. 27 : remissio peccatorum, Act. 22, v. 16 : regeneratio spiritûs, ad Titum 3, v. 5 : vita æterna, Marci 16, v. 16; Joannis 3, v. 5.

2° Ii soli sunt baptizandi, inquit Socinus, qui ejusdem sunt conditionis et sortis cum iis quos Apostoli ex Christi mandato baptizârunt, illi scilicet qui vel à nullâ, vel à falsâ religione, à paganismo vel judaismo ad Christum convertebantur; ergo alii qui in religione Christianâ vel nati sunt, vel ab ineunte ætate ei nomen dedêre, Baptismi lege non tenentur.

Verùm absurda consecutio. Cùm enim per Baptismum Christo ejusque religioni nomen detur, ii omnes baptizandi sunt, qui Christo nomen dare volunt, sive nullam, sive falsam antea religionem coluerint vel non coluerint.

Quòd verò Apostolorum ætate non alii baptizarentur, quàm qui vel à paganismo, vel à judaismo ad Christum convertebantur, mirum profectò videri non debet, cùm non alii tunc temporis forent homines, quàm religione aut pagani aut Judæi.

3° Inquit Socinus : Mandavit quidem Christus Apostolis ut baptizarent, sed non omnibus hominibus injunxit ut baptizarentur.

Verùm quid absurdius proferri potest, et ad demonstrandam figmenti Sociniani stoliditatem aptius? Quasi non sit eadem necessitas quæ Apostolos obstringit ut baptizent, et gentes omnes ut baptizentur : nonne ista correlativa sunt? nonne dicere pariter quis posset, injunctam quidem fuisse Apostolis legem docendi, non verò gentibus ut doceantur? an ferret Socinus? Non puto. Quare? Quia doctrina necessaria est ad fidem, sine quâ nemo salvus esse potest; at pariter Marci 16, v. 15, salus Baptismo adscribitur : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit*, inquit Christus.

4° Denique, ait Socinus, multi veri Christiani in Actibus Apostolorum memorantur, quos tamen baptizatos fuisse non legimus; ut Apollo, de quo Act. 18, v. 24, et ipsimet Apostoli ac septuaginta discipuli; item illi centum et viginti de quibus Act. 1, v. 15, et quingenti illi fratres, quibus simul Dominum Jesum, postquàm à mortuis resurrexerat, visum fuisse Paulus scribit, 1 Corinth. 15, v. 6.

Verùm 1° argumentum istud Socini merè negativum est, ex quo nihil certò concludi potest : neque enim valet ista consequentia : Hi et illi non leguntur baptizati; ergo reipsà baptizati non sunt. Imò potiùs sic argueret quisquis adhuc suî compos esset : Exstat expressum Baptismi percipiendi mandatum Christi; ergo etsi hi et illi christiani non legantur baptizati, præsumi debet eos reipsà fuisse baptizatos : neque enim necesse est, ut rei communis, certæ ac publicæ omnia exempla proferat historicus; imò quò res magis trita est, communis et publica, eò sæpius ab historico prætermittitur; 2° reipsà baptizatos fuisse Apostolos innuere videtur Christus cùm dixit, Joan. 13, v. 10, ad S. Petrum : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Unde meritò S. Augustinus, l. 3 de Animâ et ejus Origine. cap. 9, sic loquitur : *Si ipsos Apostolos baptizatos esse per hoc nobis innotescere potuit, quòd beato Petro Dominus ait : « Qui lotus est, non indiget « nisi ut pedes lavet : » quid de aliis, de quibus vel tale nihil legimus dictum, de Barnabâ, de Timotheo, de Tito, de Silâ, de Philemone, de ipsis evangelistis, Marco et Lucâ, de innumerabilibus cæteris, quos absis ut baptizatos esse dubitemus, quamvis non legamus?* Idem docet epistolâ 44, aliàs 163, et epistolâ 265, aliàs 108.

Secundum argumentum pro confirmatione primæ partis conclusionis adductæ, petitur ex cap. 16 S. Marci, v. 14 et 15, ubi Christus ad discipulos ait : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Præceptum baptizandi quod eò loci Christus Apostolis suis injungit, perpetuum esse et universale, seu ad omnes cujuslibet temporis homines pertinere, duo invictè demonstrant, 1° quòd jubeat Christus Apostolos ire per mundum universum; 2° quòd salus Baptismo perinde ac fidei promittitur : at id cui annexa est salutis promissio, non ad certum tempus, nec ad certos homines restringitur, sed perpetuum est et universale.

Socinus citatâ jam disputatione de Baptismo, cap. 3, idem respondet ad hoc S. Marci testimonium, quod ad testimonium S. Matth., nempe, neque de vero aquæ Baptismo intelligi debere : neque si intelligatur, consequens esse ut præceptum illud in perpetuum et

ab omnibus sit observandum; atque nova quædam figmenta excogitat ut istud assequatur.

Respondet itaque 1° per Baptismum apud S. Marcum intelligi aut pœnitentiam, aut publicam nominis Christi et ejus Evangelii professionem, vel utrumque simul. *Quid enim est*, inquit ille, *quod per Baptismum convenientiùs possit significari, quàm pœnitentia vera quæ animæ et spiritûs ablutio est; aut Evangelii et nominis Jesu Christi professio publica, cùm Baptismus ipse aquæ ab Apostolis usurpatus in eum finem potissimùm respiceret, ut quis publicè Christo nomen daret.*

Responsionem probat.

1° Quia si nomine Baptismi verus aquæ Baptismus intelligatur, sequitur vi hujus loci parem esse fidei et Baptismi necessitatem ad salutem: sed hoc absurdum est; potest enim quis salvus esse sine Baptismo, nemo sine fide.

2° Quia favet codex Complutensis; in quo articulus ó repetitur. Sic quippe verba reddi debent: *Qui crediderit, et qui baptizatus fuerit, salvabitur.* At articulus ille alium, quàm aquæ veræ Baptismum significat, iste enim tantæ non est necessitatis.

3° Apostolus, Ephes. 5, v. 26, et ad Titum 3, v. 5, affirmat Deum lavacro aquæ mundàsse suam Ecclesiam, et nos lavacro illo regenerationis salvare: at his in locis per lavacrum aquæ intelligit aquam metaphoricam, scilicet pœnitentiam, quæ animam lavat sicut aqua corpus: tum quia eo ipso sensu aquam usurpat idem Apostolus ad Hebr. 10, v. 22, cùm ait: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ, et abluti corpus aquâ mundâ.* Tum quia aqua naturalis nun quàm potest mundare animam, cum quâ nullam habet proportionem.

4° Denique, quia publicæ fidei in Christum professioni Christus salutem æternam promisit, Matth. 10, v. 32, Rom. 10, v. 9. Ergo citato S. Marci loco, per hæc verba, *baptizatus fuerit*, intelligi rectè potest publica fidei in Christum professio. Adeò rara et exquisita visa est Socino ista solutio, ut gratulabundus eam sibi maximè placere fateatur. Gratuletur ergo sibi ereptum omnem sensum ac pudorem, qui tam ineptè et miserè planum et apertum Scripturæ sensum distorqueat.

Refellitur Sociniana responsio. Etsi enim fateamur Baptismi nomen aliquandò transferri ad significandam pœnitentiam, non tamen inde benè colligitur, eo sensu usurpari citato capite S. Marci: imò naturali et obvio sensu verum aquæ Baptismum significari, series ipsa textûs sacri, Apostolorum usus et praxis apertè demonstrat. Quòd si quis contenderet, citato loco, Baptismi nomine significari martyrium, ut reverà aliquando significatur, quo jure, quâve ratione expugnare illum posset Socinus? Præterea S. Petrus, Act. 2, v. 38, expressè distinguit Baptismum et pœnitentiam: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritûs sancti.* Etsi ergo daremus, per Baptismum pœnitentiam designari, quam nempe tanquàm præviam dispositionem supponit, non tamen excludi debet verus aquæ Baptismus.

Ad primam responsionis Socinianæ probationem, dico parem esse necessitatem fidei, et Baptismi saltem in voto seu desiderio, licèt par non sit ejus necessitas in re suscepti. Neque distinctionem hanc gratis fictam esse, infra, Deo dante, ostendemus: qui enim Baptismi ejusque necessitatis legem tulit, idem perfectæ contritioni ac martyrio vitam æternam promisit: ergo qui Baptismum in re percipere non possunt, eumdem planè effectum consequuntur per votum ipsius, per contritionem perfectam ad martyrium.

Ad secundam: Otiosa est et vana Socini observatio, cùm et ipse fateatur articulum ó in multis Scripturæ locis redundare, nec ad probationem vim habere majorem. Quòd si juxta Codicem Complutensem geminatum articulum legamus, et Socini regulam sequamur, repetitio articuli citato in loco probationem nostram confirmat, nedùm infringit: emphasim enim quamdam habet, et indicat non satis esse ad salutem quòd quis fidem habeat, nisi et baptizetur, quod unum hìc contendimus.

Ad tertiam: Nihil potuit Socinus aptius proferre ad suammet convellendam sententiam, quàm loca S. Pauli ad Ephes. 5, v. 26, et ad Titum 3, v. 5, in quibus lavacro aquæ, id est, Baptismo, vim sanctificandi ac mundandi animam tribuit, non quidem ex propriâ seu naturali aquæ virtute, ut falsò supponit Socinus, sed ex virtute Spiritûs sancti aquâ utentis tanquàm instrumento: unde gratis et ineptè omninò more suo existimat ille, aquæ nomen figuratè et metaphoricè usurpandum, contra mentem et naturalem verborum S. Pauli sensum. Nec quidquam potest assequi ex citato, cap. 10, v. 22, epistolæ ad Hebræos: per illa enim verba, *abluti corpus aquâ mundâ*, alludit Apostolus ad Baptismum, hortaturque fideles, ut cum eâ mentis et corporis munditie vivant, quam exigit Baptismus. Quòd si per illam ablutionem Apostolum ad varias Judæorum lotiones respexisse contendas, nihil inde inferri poterit adversùs veritatem quam propugnamus. Lege Estium in hunc locum.

Ad quartam: Non negamus professioni fidei in Christum annexam esse salutem; non negamus quoque per Baptismum eam significari; sed contendimus solemnem hanc fidei professionem fieri in uno Baptismo aquæ quem includit et præsupponit.

Respondet 2° ad citatum S. Marci testimonium Socinus, præceptum illud Baptismi nec perpetuum esse nec universale; duasque de novo addit probationes cap. 3 et 5 suæ disputationis de Baptismo.

Prima est quia, inquit cap. 3, post citata verba apud S. Marcum, hæc sequuntur: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis*, etc. At cùm illa conspicua Spiritûs sancti dona jam cessaverint, dicendum est, et cessâsse præceptum Baptismi, quod cum illis conjunctum erat.

Secunda est, quia, inquit, cap. 5, præceptum Baptismi simile est præcepto abstinendi à sanguine et

suffocatis, quod sanè perpetuum non fuit, sed datum ad tempus, licèt conjunctum cum præcepto fugiendi fornicationem, quod in perpetuum debet observari; ergo pariter, licèt S. Petrus, Act. 2, v. 38, utrumque simul præscripserit, pœnitentiam scilicet et Baptismum, dici tamen meritò potest, Baptismi ritum temporaneum esse, licèt pœnitentia semper sit necessaria.

Verùm nullo negotio evertitur utraque Sociniana responsio.

Prima quidem: Si enim inferri meritò possit jam abrogatam esse Baptismi legem, quia cessârunt conspicua illa dona quibus initio Ecclesiæ ornabantur recens baptizati, concludi etiam poterit nullam quoque jam esse fidei necessitatem, propter eamdem causam: dicitur enim de primis fidelibus, *signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*; at istud consequens non admittit Socinus. Distinguere igitur ille debuisset inter manifesta illa Spiritûs sancti dona, quibus ad confirmandam nascentem Ecclesiam ornari debuêre primi fideles, et quæ proinde adultâ jam Ecclesiâ cessare debuêre; et inter ritus stabiles atque permansuros, qui omni tempore necessarii sunt, qualis est, v. g., Baptismus, Eucharistia, etc.

Secunda quoque responsio planè nulla est. Ubi enim unquàm legit Socinus, Apostolos utrumque præceptum baptizandi et abstinendi à sanguine et suffocatis inter se contulisse, et ejusdem planè conditionis fecisse? Quàm latum enim est inter utrumque discrimen! Namque 1° Christus est auctor præcepti Baptismi; Apostoli verò abstinentiæ à sanguine et suffocatis. 2° Ratio hujus abstinentiæ temporalis fuit, et ad œconomicam Ecclesiæ disciplinam spectans, nempe ne infirmi quidam Judæi scandalum paterentur, si promiscuè licitum foret uti sanguine et suffocatis; Baptismi verò lex perpetua fuit, non tantùm ad distinctionem fidelis ab infideli, sed ad regenerationem et sanctificationem fidelium cujuscùmque sexûs, ætatis, conditionum et temporum. 3° Ipsi Apostoli decretum de suffocato et sanguine interpretati sunt in suis epistolis, et planè confirmatâ libertate christianâ tanquàm inutile abrogaverunt, 1 Corinth. 10 et Coloss. 2, aliam tamen ejusdem decreti partem, quæ spectat fornicationem, confirmârunt et in perpetuum observandam esse monuerunt: quia nempe fornicatio non ideò tantùm mala est, quia prohibita, sed idcircò prohibita, quia per se mala, contra falsam nonnullorum gentilium opinionem; ergo toto cœlo aberrat, qui existimat Apostolos idem de præcepto Baptismi statuisse, quod de præcepto abstinendi à sanguine et suffocato.

Hactenùs manus nobis dedêrè Lutherani et Calvinistæ, ut adversùs Socinianos demonstretur, Baptismi præceptum perpetuum esse ac universale, quo obstringuntur omnes adulti: nunc se illis contra nos adjungunt, ut impugnent ejusdem Baptismi absolutam seu medii necessitatem; sed hâc variatione satis ostendunt nihil apud se fixum esse: quo enim jure Scripturæ testimonia, quæ nos adducimus pro necessitate medii Baptismatis, illi detorquent et de solâ necessitate præcepti exponunt, ita Sociani testimonia Scripturæ, quæ Lutherani et Calvinistæ proferunt pro universali et perpetuâ lege Baptismi, detorquent pariter ac de lege ad tempus latâ interpretantur; atque, ut jam observavimus, nullus inter eos judex esse potest, qui litem illam dirimat, quandoquidem nec Ecclesiæ, nec traditionis auctoritas ab illis agnoscatur.

Probatur secunda pars de necessitate medii, ex Scripturis, quæ à contortis Socinianorum et aliorum expositionibus vindicantur.

Primum argumentum petitur ex cap. 3, S. Joan. v. 5, ubi Christus alloquitur Nicodemum et ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Decretoria planè sententia, et tam claris verbis expressa, ut Pelagiani illius evidentiâ superati, ausi non fuerint negare necessarium esse absolutè Baptismum, sed novo figmento distinguere maluerint inter regnum cœlorum et vitam æternam, ut jam observavimus, quæst. 1, art. 2, in solutione ad primam objectionem: ut nempe infantes sine Baptismo morientes excluderent quidem à regno cœlorum, propter verba Christi mox relata, vitâ tamen æternâ donarent propter innocentiam.

Novatoribus nostris Lutheranis et Calvinistis tam clara etiam visa est hæc Christi sententia ad exprimendam absolutam seu medii necessitatem, ut coacti fuerint verba Christi ad metaphoricum sensum detorquêre, nec de vero aquæ Baptismo interpretari, adversùs quos editus est ex professo canon secundus sessionis 7 conc. Tridentini.

Sociniani qui ex Calvinistis hauserunt hujusce loci metaphoricam et figuratam explicationem, eâdem quoque licentiâ usi sunt ut ista verba Christi Matth. 28: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, ad metaphoricum, pariter sensum detorquerent: neque licentiam hanc ipsis vitio vertere meritò possunt Calvinistæ, cui ipsimet locum et ortum dedêre.

Verùm ipsa anxietas et inconstantia Calvinistarum in hoc Christi testimonio, Joan. 3, versando satis ostendit difficile esse à primo, naturali, obvio et communi verborum sensu discedere. Namque istâ erroneâ opinione occupati, nempe filios Christianorum per fidem parentum et pactum Christi salvos fieri, consequens est ut negent Baptismum esse ipsis absolutè ad salutem necessarium, et verba Christi relata Joan. 3, quæ necessitatem illam manifestè exprimunt, à naturali et obvio sensu deflectant ad figuratum et metaphoricum. Aliunde verò cùm iidem adversùs Anabaptistas probant infantes esse baptizandos, non alio firmiori argumento utuntur, quàm eo quod petitur ex citatis Christi verbis Joan. 3, quasi illi obliti essent se verba illa non intelligere de vero aquæ Baptismo, adeò verùm est parum sibi constare et cohærere errorem, ac spreto Ecclesiæ judicio mentem nostram perpetuò fluctuare, ac circumferri omni vento doctrinæ: sed hæc sufficiant pro isto primo argumento. Lege quæ diximus supra, quæst. 1, art. 2, solutione

ad primam objectionem, de illo Christi testimonio apud S. Joan., c. 3, v. 5.

Secundum argumentum petitur ex iis locis in quibus salus æterna, regeneratio et renovatio hominis, peccatorum remissio, Baptismo annexa legitur. Joan. 3, v. 5, mox citato, Ephes. 5, v. 25 et 26 : *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Ad Titum 3, v. 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti.* Somniat haud dubiè Socinus, cùm respondet his in locis sermonem esse duntaxat de interiori animæ lavacro seu mundatione per gratiam, non de vero aquæ Baptismo : utrumque enim Apostolus exprimit, sanctificationem, per aquæ lavacrum.

Actorum 2, v. 38 : *Baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum*, ait S. Petrus. Et cap. 22, v. 16 : *Quid moraris?* inquit Ananias ad Paulum : *Exsurge et baptizare, et ablue peccata tua invocato nomine ipsius.* Neque verò scopum attingit Socinus, c. 7, suæ disputationis, cùm ait verba hæc, *ablue peccata tua*, connectenda non esse cum verbo præcedente, *baptizare*, sed cum sequentibus, *invocato nomine ipsius;* ita ut remissio peccatorum detur invocationi nominis Christi, non aquæ Baptismo. Namque 1° gratis omninò et absque ullo prorsùs fundamento talis fingitur verborum connexio et constructio : quòd si cuilibet ad arbitrium verba sacrâ connectere cum aliis, transferre, exponere liceat, nihil tam firmum erit quòd perditus aliquis convellere non tentet : 2° quia etsi talis supponeretur qualis à Socino fingitur, et peccatorum remissio fidei seu invocationi nominis Christi tribuatur, an propterea excludi deberet Baptismus aquæ, cujus toties expressam mentionem facit sacer contextus? Non profectò. Neque plus urget quod addit, verbum, *mundandi*, *purgandi*, *remittendi peccata*, etc., cùm Baptismo accommodatur, non rem ipsam, sed rei declarationem significare; id est, baptismum nudum signum esse quo declaratur jam dimissa esse per fidem peccata. Quod ut probet, remittit lectorem ad cap. 13 et 14. Levitici, ubi cùm de mundatione leprosi agitur, verbum *mundare*, *sanare*, usurpatur pro merâ declaratione mundationis jam factæ.

Namque Baptismus signum quidem est remissionis peccatorum, non vacuum et iners, sed practicum et efficax, tanquàm instrumentum Christi; hoc enim importat particula causalis, *per*, quâ utitur S. Paulus, citato cap. 3, v. 5 Epistolæ ad Titum. Neque si aliquando in Scripturis verbum, *mundare*, etc., usurpatur pro rei declaratione, sequitur nusquàm significare rem ipsam effectivè productam : aliàs dicere quis posset Christum, qui peccata remisit Magdalenæ, verè ea non remisisse, sed declarâsse duntaxat esse remissa. Sacerdos legalis verè à leprâ non mundabat, sed mundatum declarabat; ejus tamen declaratio merè otiosa non erat ac sterilis, siquidem jus conferebat ad civilem cum aliis societatem, et legalem quamdam seu carnis munditiem efficiebat : Sacramenta verò Christi non exteriorem, sed interiorem animæ purgationem operantur.

S. Petrus epistolæ 1, cap. 3, v. 21, comparans Baptismum cum arcâ Noe, seu rem figuratam cum figurâ, docet homines per Baptismum salvos fieri, sicut salvi facti sunt ab aquis diluvii qui in arcâ inclusi fuêre, *in quâ*, inquit, *pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam; quod et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma.*

Socinus, citatâ toties disput. de Baptismo, c. 12, ad solitum effugium se recipit, nempe S. Petrum sensu metaphorico Baptismi vocem hic usurpâsse, pro internâ mundatione animæ, quæ tam necessaria est ut salvi simus, quàm necessaria fuit arca, ut ab aquis diluvii emergerent qui in eâ includebantur. Fundamentum responsionis petit ex verbis sequentibus S. Petri : *Non carnis*, inquit, *depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.*

Verùm natura comparationis quam S. Petrus instituit inter arcam et aquas diluvii, et Baptismi aquas salutares, huic solito Socini effugio locum non relinquit, ac eum verum aquæ Baptismum intellexisse manifestè demonstrat. Nec ullius momenti est probatio adducta : meritò enim declarat Apostolorum princeps, Baptismi effectum positum non esse in emundatione seu depositione sordium corporis, sed in purgatione animæ interiori; idque appositè omninò adversùs falsam Judæorum persuasionem, qui se justos et puros arbitrabantur, si pluries in die corpus lavassent frequentibus illis lotionibus de quibus loquitur S. Marcus, cap. 7, v. 3 et 4.

Ex his porrò Scripturæ testimoniis secundo nostro argumento adductis, et aliis ejusmodi sic arguimus : Illud est absolutè necessarium, seu medii, ut dicitur, necessitate ad salutem, cui annexa est salus, animæ mundatio, interior regeneratio et renovatio, peccatorum remissio : atqui talis est Baptismus; ergo, etc.

Neque ulla fit exceptio eorum qui sunt à fidelibus parentibus progeniti; sed omnibus indistinctè dicitur : *Qui baptizatus non fuerit condemnabitur. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et verò filii fidelium nascuntur obnoxii peccato originali, sunt filii iræ et indignationis, sicut alii omnes; atque parentum fides prodesse iis non potest, nisi quatenùs impellit eos ad remedium Baptismatis à Christo institutum ipsis conferendum. Jacob et Esau filii erant optimi parentis Isaac; Deus tamen Jacob dilexit, Esau autem odio habuit. David pariter erat filius hominis fidelis, et tamen psalm. 50, v. 7, dicit : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Hinc trita SS. Patrum sententia, homines *christianos non nasci, sed fieri*, nempè per Baptismum. Ita Tertull., Apolog. c. 18; S. Hieronymus, epistolâ 57 ad Lætam. Divino ergo judicio relinquere debemus eos infantes qui sine Baptismo ex hâc vitâ discedunt, nihil de illis definire ac sentire, nisi quod Scriptura et traditio docet, à quibus regulis

nulli christiano licet discedere. Ut enim observat antea citatus Bellarminus, nostra nec severitas, nec clementia infantibus illis aut nocet, aut prodest; verissimumque est quod ait Catechismus romanus, parte 2, de Baptismo, n. 30 : *Nihil magis necessarium videri, quàm ut doceamur omnibus hominibus Baptismi legem à Domino præscriptam esse, ita ut, nisi per gratiam Baptismi Deo renascantur, in sempiternam miseriam et interitum, à parentibus, sive illi fideles, sive infideles sint, procreentur.* Ex quibus satis intelligitur, quale sit ferendum judicium de sententiâ Cajetani, et aliorum nonnullorum priùs memoratâ.

Tertium argumentum petimus ex iis testimoniis quibus constat nos per Baptismum induere Christum, ejusdem spiritûs et corporis fieri membra, ejusdem fidei, unionis ac charitatis esse participes, unius Dei esse cultores; quæ quidem totidem sunt necessitatis absolutè argumenta.

1° Per Baptismum Christus induitur, sine quo nulla speranda salus, Galat. 3, v. 27 : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Induere autem Christum in phrasi Scripturæ, est Christo conformem fieri imitatione virtutum et bonorum operum, Rom. 6, v. 3 et 4, et cap. 13, v. 14; Coloss. 2, v. 12.

Socinus, cap. 10 suæ disputationis, fatetur eò loci loqui Apostolum de vero aquæ Baptismo, sed negat per ista, *Christum induistis*, significari, reipsà Galatas Christum in Baptismo induisse; sed tantùm eos promisisse et professos fuisse quòd vellent Christum induere : solus quippe Deus, ait Socinus, potest scire an reipsà quis in Baptismo Christum induat; solus enim intuetur cor, ac dispositiones cum quibus ad Baptismum quis accedit. Probabile autem esse Galatas non induisse Christum, innuit ipse Apostolus cùm, cap. 3, miratur eos tam citò transferri ab eo qui ipsos vocaverat in Christi gratiâ, ad aliud Evangelium; unde dementes eos et fascinatos appellat. Addit Wolkelius, istam particulam, *quicumque*, vel, *quotquot baptizati estis*, innuere aliquos tantùm inter Galatas, non verò omnes baptizatos fuisse; hincque colligit Baptismum ad omnes non pertinere.

Verùm cùm apostolus absolutè affirmat Galatas Christum induisse quandò baptizati sunt, respicit tantùm ad virtutem et efficaciam Baptismi, cujus participes esse debuerant Galatæ, qui per Baptismum Christo nomen dederant, et se legem ipsius sequi velle professi fuerant; tanquàm fieri potuit eorum nonnullos Baptismi gratiam non percipere, propter pravam aliquam conscientiæ dispositionem. Ut autem ita absolutè pronuntiet Apostolus, satis est, quòd ad hoc institutus sit Baptismus, ut Christus induatur, non interiùs tantùm per gratiam, sed etiam exteriùs per publicam et externam fidei christianæ professionem, quæ Baptismo semper præmittebatur. Quod addit Socinus, planè vanum est, quasi non potuerint Galatæ à gratiâ baptismali brevi excidere præ humanâ inconstantiâ et infirmitate. Observatio Wolkelii ejus oscitantiam et imperitiam prodit : nemo enim ignorat particulam hanc, *quotquot*, *quicumque*, apud auctores tum profanos, tum sacros, non semper vim habere exceptivam; ut cùm S. Paulus 1, ad Timoth. 6, v. 1, ait : *Quicumque sunt sub jugo servi*, non innuere vult ex servis alios esse sub jugo, alios non esse; sed omnes haud dubiè sub jugo esse intelligit.

2° Per Baptismum nos ejusdem et unius Spiritûs participes, ejusdemque corporis membra fieri, docet Apostolus 1, Corinth. 12, v. 13 : *In uno Spiritu*, inquit, *omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi; et omnes in uno Spiritu potati sumus.* Ergo sicut nemo potest salvus fieri, nisi unus sit cum Christo spiritus ac Ecclesiæ membrum fiat; ita quoque nisi baptizetur, cùm per Baptismum et unus cum Christo spiritus, et Ecclesiæ membrum evadit.

Socinus, cap. 8 suæ disputationis, contendit eò loci Apostolum loqui duntaxat de interiori per gratiam Baptismo, sicut de interiori potu; non verò de externo per aquam veram Baptismo, aut potu.

Verùm, etsi non diffiteamur, nonnullis ex catholicis explicationem hanc probari, altera tamen rejici non debet; imò potiùs accommodata videtur ad scopum et institutum Apostoli, quo hortatur fideles ad mutuam unionem et charitatem, quia sunt ejusdem spiritûs participes, et ejusdem corporis membra : illius autem communitatis seu spiritûs et fidei participationis debet esse aliquod exterius symbolum, quo nempe omnes fideles inter se colligentur, et in unum religionis nomen adunentur; symbolum autem illud exterius, est Baptismus et Eucharistia, quia omnes Christiani ejusdem Baptismi, ejusdemque mensæ participes sunt. Igitur per Baptismum et potum intelligit Apostolus verum aquæ Baptismum et verum Eucharistiæ sacramentum. Neque est quòd dicat Socinus, eos omnes qui baptizantur, non fieri participes intentionis spiritûs, nec vera Christi membra : namque satis est quòd id postulet et efficiat Baptismus quantùm est ex se; licèt per accidens, et ratione subjecti obicem gratiæ ponentis, suo interdùm frustretur effectu.

3° Denique unitatem Dei, fidei, spei et charitatis probat et commendat Apostolus ex unitate Baptismi. Ephes. 4, v. 3 : *Solliciti*, inquit, *servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et pater omnium.* Sicut igitur necesse est ad salutem, ut unum agnoscamus et colamus Deum, ut unam fidem, spem ac charitatem habeamus; ita quoque unum Christi Baptismum, in quo fidei in unum Deum professio publica emittitur.

Socinus, cap. 9, more suo, Baptismatis nomen hìc metaphoricè usurpandum esse pro solâ interiori gratiâ Spiritûs sancti contendit, non aliis nixus rationibus quàm iis quas antea refutavimus. Verùm si Baptismi vocem ibi metaphoricè sumendam pugnaciter ille contendat, quidni alter Socino non minùs perditus cavillator, per fidem, militare sacramentum; per Dominum, regem; per spiritum, aerem

interpretabitur? Adde quòd Baptismus spiritualis, prout contra Baptismum aquæ distinguitur, non sit aliquid à fide, spe, charitate, aliisque donis Spiritûs sancti distinctum; et tamen Apostolus ea distinguit, ac variis exprimit terminis.

Probatur 2° conclusio, ex constanti et perpetuâ traditione Ecclesiæ.

Dissentiunt à se invicem Sociniani, et Novatores Calvinistæ.

Socinus ratus Baptismum ritum esse liberum et indifferentem, docet, cap. 15, disput. de Baptismo, non semper ab Ecclesiâ usurpatum fuisse, quod probat duplici momento: primo, ex lib. 7 Hist. Eusebii, cap. 8, ubi, referente Dionysio Alexandrino, Novatus dicitur Baptismum abrogâsse: secundo, ex can. 9, concilii generalis Nicæni I, in quo Cathari seu Novatiani recipiuntur ad Ecclesiam redeuntes, per pœnitentiam, nullâ factâ Baptismi mentione.

Verùm non potuit Socinus vel malitiam, vel crassiorem imperitiam suam apertiùs prodere. Quantùm enim spectat ad primum, certum est Novatum non penitùs abrogâsse Baptismum: ille siquidem non tantùm suos baptizabat, sed etiam baptizatos à Catholicis iterùm tingebat, et quidem eâdem observatâ formâ quæ à Catholicis ex præscripto Christi observabatur, sicut colligimus ex S. Cypriano, epistolâ 69 ad Magnum, et epistolâ 73 ad Jubaianum. Hoc igitur duntaxat sensu dicitur Baptismum abrogâsse, quòd repetendo Baptismum à Catholicis collatum, illum quasi nullum haberet et abrogaret. Ad secundum: mirum non est Catharos à concilio Nicæno per solam pœnitentiam admitti, utpote qui legitimè baptizati fuissent, nec iterari debeat Baptismus legitimâ formâ à quocumque collatus. At non idem de Paulianistis, can. 19, decernit concilium, quos jubet baptizari, ubi ad Ecclesiam redeunt. Quid ita? quia illi legitimâ et à Christo præscriptâ formâ baptizati non fuerant; atque vel ex hoc ipso canone intelligere debuerat Socinus, quàm constans et perpetuus fuerit semper in Ecclesiâ Christi Baptismatis usus, quàm certa necessitatis illius apud omnes fideles persuasio.

Novatores nostri, etsi contra Socinum contendant Baptismi legem et usum perpetuum et constantem semper fuisse in Ecclesiâ, omnesque ejus præcepto teneri vel pro se, vel pro aliis quorum curam gerunt, negant tamen veteres, ante Ambrosium et Augustinum, Patres tantam illius agnovisse necessitatem, ut infantes sine illo morientes æternum pereant. Scilicet volunt illi Augustinum inprimis æstu disputationis adversùs Pelagianos abreptum longiùs quàm par esset processisse, atque necessitatem hanc contra Veterum sententiam excogitâsse ac defendisse.

Satis igitur nobis erit, si ex testimoniis veterum Ambrosio et Augustino ætate superiorum, ostendamus eamdem semper viguisse fidem pro necessitate absolutâ Baptismi; nihil ab Augustino et sequentibus eam in rem assertum, quod à suis prædecessoribus certâ traditionis serie non acceperint. Duplici autem viâ id demonstrabimus, 1° recensendo testimonia veterum ex tribus primis Ecclesiæ seculis; subsequentes enim nostros esse concedere videntur Novatores; 2° generalibus quibusdam momentis ex usu et praxi Ecclesiæ perpetuâ depromptis.

PRIMUM ARGUMENTUM, *ex testimoniis veterum.*

S. Justinus, Apolog. 2, pro Christianis, postquàm recensuit dispositiones quibus instructi esse debent qui baptizari cupiunt, sic pergit: *Deinde eò adducuntur à nobis ubi aqua est, atque eo regenerationis modo quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum parentis et Domini Dei; et Servatoris nostri Jesu Christi, et Spiritûs sancti in aquâ tum levantur. Christus enim ipse dixit: Nisi regenerati fueritis, non intrabitis in regnum cœlorum.* Rationem necessariæ illius per Baptismum regenerationis ibid. repetit S. doctor, ex peccato quod nascendo contrahimus. *Rationem autem illius rei*, inquit, *ab Apostolis illam accepimus. Quandoquidem priorem nativitatem nostram ignorantes, necessitate quâdam, liquido genitali satu, mutuâ parentum mixtione intercedente, progenerati sumus, et in malis moribus pravâque consuetudine educti, ut ne necessitatis et ignorantiæ liberi permaneamus, sed delectûs et scientiæ filii fiamus, ac remissionem ante commissorum peccatorum consequamur in aquâ.* Igitur ex S. Justino, aquæ Baptismus à Deo institutus et ordinatus est, ut homo spiritualiter renascatur, ac peccatorum remissionem obtineat. Sicut igitur sine illâ regeneratione servari nemo potest, ita etiam nec sine Baptismo, aut ejus voto.

S. Irenæus, lib. 3, cap. 17, aliàs 19: *Sicut*, inquit, *de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aquâ, quæ de cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic et nos, lignum aridum existentes primùm, nunquàm fructificaremus vitam, sine supernâ voluntariâ pluviâ. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quæ est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per spiritum. Unde et utraque necessaria, cùm utraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro.*

Lib. 2, cap. 22, aliàs 39, docuerat infantes necessariò esse baptizandos. At necessitas ejusmodi non tantùm præcepti, cujus illi sunt incapaces, sed medii seu absoluta supponi debet à S. Irenæo. Et verò comparationes quibus utitur in priori testimonio, eò tendunt ut attendenti patebit.

Tertullianus, lib. de Baptismo, ex professo Baptismi necessitatem probat adversùs Quintilianos et Caianos. *Sic ergo*, inquit cap. 13, *scelestissimi illi provocant quæstiones. Adeò dicunt: Baptismus non est necessarius, quibus fides satis est; nam et Abraham nullius aquæ, nisi fidei Sacramento Deo placuit.* En hæreticorum illorum objectio, cui sic Tertullianus: *Fuerit salus retrò per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodò fidei, quæ retrò erat nuda, nec potest jam sine suâ lege. Lex enim tingendi imposita est, et forma præscripta: Ite, in*

quit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Huic legi collata definitio illa: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum: obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tingebantur: tunc et Paulus ubi credidit, tinctus est. Nihil potuit Tertullianus disertius proferre adversùs Socinianos et Novatores Calvinistas, ut Baptismi necessitatem tum præcepti, tum medii demonstraret.

S. Cyprianus, in famosâ quam cum Stephano S. Pontifice habuit controversiâ, de Baptismo ab hæreticis dato, supponit absolutè necessarium esse ad salutem Baptismum; atque hâc erronêâ occupatus sententiâ, apud hæreticos verum non esse Baptisma Christi, ab illis baptizatos iterùm baptizabat ut vitam æternam assequi possent: *Quia*, inquit, epist. 72 ad Stephanum, *parum est eis manum imponere, nisi accipiant et Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim demùm plenè sanctificari et esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur, cùm scriptum sit: Nisi quis renatus fuerit*, etc. Idem repetit epist. 73 ad Jubaianum, simulque occupat et solvit istam objectionem, quam Novatores nostri adoptârunt) nempe: *Si quis antequàm in Ecclesiâ baptizetur, in confessione nominis apprehensus fuerit et occisus, an spem salutis et præmium confessionis amittit, eò quòd ex aquâ non fuerit priùs renatus?* cui objectioni respondet sanctus martyr, ejusmodi *non privari Sacramento Baptismi, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis Baptismo:* quod idem est ac si diceret Baptismum aquæ suppleri per contritionem perfectam et martyrium.

In concilio Carthaginensi an. 256, cui præfuit S. Cyprianus, et adfuêre episcopi 87, Nemesianus à Tubunis probans baptizatos ab hæreticis debere vero Ecclesiæ Baptismo iterùm tingi, adducit istud Christi Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. *Hic est*, inquit, *Spiritus qui ab initio ferebatur super aquam. Neque enim Spiritus sine aquâ operari potest, neque aqua sine Spiritu.* Et postea: *Nisi ergo acceperint Baptisma salutare in Ecclesiâ catholicâ, quæ una est, salvi esse non possunt, sed cum carnalibus in judicio Domini damnabuntur.* Cùm ait episcopus ille, Spiritum non posse agere sine aquâ, intelligi debet de potentiâ et lege Dei ordinariâ; absolutè enim potest, cùm virtus ipsius non sit Sacramento alligata.

Denique idem S. doctor consultus à Fido in Africâ episcopo, an infantes baptizari debeant ante octavum à nativitate diem, respondet epist. 69, in suo provinciali concilio sexaginta sex episcoporum statutum fuisse, eos ante illum diem baptizari posse et debere, ut à noxâ originali liberentur. *Quantò magis*, inquit, *prohiberi non debet infans qui recens natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendum hoc ipsum faciliùs accedit, quòd illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata?* Porrò infantes, ut jam observatum fuit, non tenentur lege Baptismi vi solius præcepti cujus sunt incapaces; ergo quia est medium à Deo institutum ad eluendam originalis peccati labem. Decretum hoc S. Cypriani et coepiscoporum ejus expendens S. Augustinus, epist. 166, aliàs 28, ad Hieronymum, ait novam non esse definitionem, sed firmissimam Ecclesiæ fidem.

S. Clemens Alexandrinus, lib. 1 Pædagogi, cap. 6: *Tincti*, inquit, *illuminamur, in filios adoptamur... vocatur lavacrum per quod peccata abstergimus; gratia quâ remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur.*

Origines, Hom. 8 in Leviticum: *Quid causa sit*, inquit, *cùm Baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundùm Ecclesiæ observantiam etiam parvulis Baptismum dari; cùm utique si nihil esset in parvulis quod ad remissionem et indulgentiam pertineret, gratia Baptismi superflua videretur.* Et hom. 14 in Lucam: *Quia per Baptismi*, inquit, *Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli: Nisi enim quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum.* Et lib. 5 in caput 6 ad Romanos: *Pro hoc*, inquit (nempe peccato originis), *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare. Sciebant enim.... quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam et Spiritum sanctum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 3, ait: *Qui in aquam descensurus es, non aquæ simplici mentem adhibe, sed Spiritûs sancti virtute salutem suscipe: nam sine utrisque ad perfectionem deduci non poteris..... Et si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres, qui sine aquâ regno cœlesti potiuntur.*

Mitto innumera Baptismi ejusque virtutis magnifica apud veteres encomia, de quibus, ubi de variis nominibus baptismi, initio hujus tractatûs disserebamus. Mitto etiam ea veterum testimonia quæ pro fide peccati originalis laudavit S. Augustinus adversùs Pelagianos, à quibus accusabatur quòd omnium primus opinionem hujus peccati invexisset; nempe Rheticii Augustodunensis, Olympii, in Hispaniâ episcopi, S. Hilarii, S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Chrysostomi, S. Ambrosii, qui omnes dùm adstruunt fidem peccati originalis, necessitatem remedii, nempe Baptismi, eâdem viâ demonstrant.

His veterum suorum prædecessorum præsidiis muniti, ac immotis fidei antiquæ terminis inhærentes, non verò ultra metas abrepti, sicut calumniantur Novatores, Ambrosius et Augustinus tantam agnovêre necessitatem Baptismi, ut, excepto martyrii ac perfectæ contritionis casu, nullus sine eo possit æternam salutem assequi. Unde meritò

S. Ambrosius, lib. de Mysteriis, cap. 4, ait: *Credit Catechumenus..... sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris*, etc., *remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.* Et l. 2 de Abraham, cap. 11, n. 79: *Nemo*, inquit, *ascendit in regnum cœlorum, nisi per sacramentum Baptismatis.* Et n. 84, exponens ista Christi verba, *nisi quis renatus fuerit* etc.: *Utique*, inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.*

S. quoque Augustinus, lib. 3 de Origine animæ, cap. 9 : *Noli*, inquit, *credere, nec dicere, nec docere infantes, antequàm baptizantur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus.* Et Epist. 166, aliàs 28 ad Hieronymum : *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vitâ exeunt, hic profectò et contra Apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo omninò vivificari non posse.*

Magistro suo subscribunt fidelissimi discipuli, Fulgentius et Prosper.

S. Fulgentius, lib. de Fide ad Petrum, cap. 27 : *Firmissimè tene*, inquit, *et nullatenùs dubites, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur, sive cùm de matribus nati sine sacramento sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris*, etc., *de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.*

S. Prosper, lib. 2 de Vocatione gentium, cap. 20, agens de multitudine infantium qui non recipiunt Baptismum, quamvis Deus velit omnes salvos fieri, affirmat nihilominùs eos æternâ vitâ privari. *Quid hoc profundius*, inquit, *quid mirabilius esse potest? Neque enim credi fas est, eos qui regenerationis non adepti sunt sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium.*

Denique perpetuam hanc Ecclesiæ fidem suo suffragio confirmârunt quatuordecim episcopi Græci in concilio Diospolitano, teste Augustino, Epist. 186 ad Paulinum, aliàs 106, capite 9. Latini in concilio Carthaginensi, qui scribunt Innocentio S. Pontifici de Actis adversùs Pelagium Epistolam, quæ inter Augustinianas est n. 175, aliàs 90.

SECUNDUM ARGUMENTUM, *ex usu et praxi Ecclesiæ perpetuâ, ac generalibus quibusdam momentis.*

1° Ex perpetuo et constanti Baptismatis usu in Ecclesiâ semper observato, firmissimum ejus necessitatis absolutæ argumentum deducitur. Fides quippe nostra non modo ex scriptis veterum quæ supersunt, sed etiam ex praxi, usu, et factis ipsis, in quibus viva quædam ac spirans traditio continetur, validissimè comprobatur. Sic probabat olim S. Augustinus gratiæ necessitatem adversùs Pelagianos, ex precibus quæ toto terrarum orbe ad Deum semper fusæ sunt, usu et praxi nunquàm interruptâ; quod unum momentum, etsi cætera deessent, satis esset fidei nostræ veritati demonstrandæ. *Ipsa oratio*, inquiebat, Epist. 177 ad Innocentium summum Pontificem, aliàs 95, *clarissima est gratiæ testificatio.* Non aliâ igitur ratione duci potuit Ecclesia in constanti et perpetuâ Baptismi administratione, quàm quòd illum ex Christi instituto ac præcepto omnibus et singulis ad salutem omninò necessarium esse intellexit.

2° Constantis et ubique receptæ fidei certius non est argumentum, quàm erroris oppositi, ubi primùm caput extollit, publica proscriptio et damnatio : at statim proscripti sunt et pro hæreticis ab Ecclesiâ habiti, qui necessitatem Baptismi variis temporibus impugnavêre : secundo seculo Caïani et Quintiliani; Manichæi tertio; Ascodrutæ, Archontici, Seleuciani et Hermiani quarto; Pelagiani quinto; et alii qui deinceps veteres ac jam sopitos errores excitârunt.

3° Constans semper fuit Ecclesiæ doctrina et praxis, infantes baptizari posse et debere, ut à labe originali purgati regni cœlestis et vitæ æternæ participes fieri possent. Constat ex S. Cypriano, epistolâ ad Fidum, ex concilio Carthaginensi et Milevitano, apud S. Augustinum, epist. 175 et 176, aliàs 90 et 92, ubi Patres Pelagianorum errores exponentes, aiunt : *Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic eos mortiferâ istâ doctrinâ in æternum necant.* Censent igitur Patres illi, idcircò baptizandos esse parvulos, quia salutem aliâ viâ non possunt assequi; seu, ut loquitur S. Augustinus, citatâ ad Hieronymum epistolâ, *quia creditur aliter eos in Christo vivificari non posse.*

4° Etsi statuta quædam forent tempora ad solemnem Baptismi administrationem, semper tamen provisum est ab Ecclesiâ, ut in periculo mortis et urgente necessitate, quæ legem nescit, sive infantibus, sive adultis in lecto ægrotantibus, quolibet tempore per Sacramentum Baptismi subveniretur. Ita colligimus ex conciliis antea citatis, Romano sub Cornelio, Neocæsariensi, can. 12; Autissiodorensi, can. 18; Matisconensi II, can. 3; Parisiensi VI, can. 7. Ex S. Cypriano, epistolâ ad Magnum; ex Siricio, epistolâ ad Himerium, Tarraconensem episcopum, ex S. Leone, epistolâ 4, ad universos episcopos per Siciliam constitutos : unde gravissimi peccati rei habebantur sacerdotes, qui sine Baptismi subsidio aliquem ex hâc vitâ migrare permittebant. Rationem affert Siricius mox laudatus, *ne*, inquit, *ad nostram perniciem tendat animarum, si, negato desiderantibus fontes salutari, exiens unusquisque de seculo, et regnum perdat et vitam.*

Atque inde est quòd S. Augustinus, epist. 228, aliàs 180, ad Honoratum, et alii veteres cum ipso ignavos illos pastores tam graviter exagitent, qui persecutionis tempore fugientes ut vitæ suæ consulant, miseras oves curæ suæ commissas derelinquunt, et omni ope spirituali ac Sacramentorum subsidio destitutas periculo damnationis æternæ exponunt. Inde quoque episcopi ad martyrium rapti tantum sui desiderium suis populis relinquebant, nimirùm propter spiritualem quam ab ipsis per Sacramenta expectabant opem. Sic audire est fideles Africanos, suos pastores dùm ad martyrium ducerentur, alloquentes apud Victorem Vitensem, l. 2, de Persecutione Wandalicâ : *Quibus nos*, inquiunt, *miseros relinquitis, dùm pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, et reconciliationis indulgentiâ obstrictos peccatorum vinculis soluturi?*

5° Veteres eorum semper negligentiam damnarunt qui ad finem usque vitæ Baptismum suum differebant

atque ejuscemodi in lecto baptizatos, in pœnam dilationis et negligentiæ, irregulares habuerunt ad sacros ordines percipiendos, ut constat ex testimoniis supra relatis, ubi de antiquitate et necessitate trinæ immersionis agebamus conclusione primâ, et in solutione ad primam objectionem. At, quæso, quo fundamento nixæ istæ quærimoniæ, nisi quòd per hanc dilationem exponerent sese periculo carendi Baptismo ad salutem planè necessario?

6° Denique, non aliâ de causâ ipsis laicis, etiam mulieribus, permisit Ecclesia in mortis periculo Baptismum administrare, quàm quòd eum absolutè ad salutem necessarium esse semper judicavit.

Igitur hâc inspectâ et benè exploratâ Ecclesiæ totius fide, et nunquàm interruptâ traditione, concilium Trid., sess. 7, can. 5, sic definit : *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.* Et can. 2, de istâ Christi apud S. Joan., cap. 3, sententiâ : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque adeò verba illa Domini : Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto*, etc., *ad metaphoram detorserit, anathema sit.*

Jam in concilio Lugdunensi, an. 1274, et in Florentino, an. 1439, definierat Ecclesia, *illorum animas qui cum solo originali peccato decedunt* (adeòque sine Baptismo), *mox in infernum descendere.* Igitur Ecclesia semper credidit Baptismum omnibus et singulis hominibus absolutè necessarium esse ad salutem (1).

(1) Que faut-il penser du sort des enfants morts sans baptême? Exposons d'abord ce qu'ordonne de croire la foi catholique, et nous verrons ensuite ce que nous permet l'opinion. Nous le dirons sans détour : que ces enfants descendent dans l'enfer, qu'ils soient damnés, qu'il n'y ait pas pour eux de région mitoyenne entre le ciel et l'enfer; qu'ils soient privés à jamais de la possession du Dieu qui fait le bonheur des élus dans le royaume céleste, tel est le langage, telle est la doctrine de l'Eglise; mais là se borne son enseignement : hors de là est la région des opinions et des conjectures. Et quoi! direz-vous, ce sont là tous les adoucissements que vous sembliez annoncer touchant le dogme catholique! C'est ici qu'il faut nous expliquer et nous entendre. Qu'est-ce que le ciel? c'est le lieu des récompenses et de la félicité. Qu'est-ce que l'enfer? c'est le lieu des privations et des peines. Mais, dans l'enfer comme dans le ciel, il est diverses demeures; pour les uns, les châtiments sont divers, suivant les fautes; comme, pour les autres, les récompenses varient suivant le degré de mérite et de vertu. Que les enfants baptisés, mourant dans leur innocence, soient éternellement heureux dans le ciel, c'est un point de la croyance catholique; que les enfants non baptisés soient privés de ce bonheur, et que leur damnation soit inséparable de cette privation, c'est encore un article de notre foi. Mais jusqu'à quel point Dieu leur fait-il connaître la grandeur du bien dont ils sont privés? dans quel degré de douleur et d'amertume en sentent-ils la privation? C'est un secret pour nous; et nous ne sommes pas obligés de croire qu'ils en sont aussi douloureusement affectés que peuvent l'être ceux qui, par leurs fautes personnelles, ont perdu ce bien immense. De plus, outre cette privation de félicité, les enfants souffrent-ils une peine positive, telle que celle du feu, plus ou moins vive? Sur cela l'Eglise n'a rien décidé; elle permet à chacun d'embrasser le sentiment qui lui paraît le plus plausible. Je vous prie de remarquer, Messieurs, que le bonheur de voir et de posséder Dieu dans les cieux, de le contempler dans ses perfections adorables, dans cette beauté toujours ancienne et toujours nouvelle, comme parle saint Augustin (*a*); que ce bonheur est une faveur purement gratuite, une libéralité toute miséricordieuse, que Dieu ne doit à personne. C'est une destinée si haute, si sublime, si divine que l'homme n'a par lui-même nul droit d'y prétendre : dès lors si les enfants en sont privés, je vois là pour eux la perte d'une immense félicité; mais du côté du souverain Juge, qui ne la devait à personne, il n'y a pas même une ombre d'injustice.

Donnons à cette matière un plus long développement. Il suffit d'être initié aux premières études théologiques, pour savoir que saint Fulgence au cinquième siècle, saint Grégoire-le Grand dans le sixième, et après eux plusieurs théologiens, ont pensé que les enfants non baptisés, outre la privation de la félicité céleste, souffraient encore, à cause de la tache originelle, une peine sensible, celle du feu, plus ou moins vive; mais nous savons également que l'opinion contraire a été embrassée par saint Grégoire de Nazianze, par saint Thomas, saint Bernard, et le très-grand nombre des docteurs des écoles catholiques, sans qu'il se soit élevé contre eux aucune réclamation de la part de ceux qui sont les dépositaires de la foi, je veux dire, le corps des premiers pasteurs, les évêques et le souverain Pontife qui en est le chef : et pour tout homme instruit et impartial, cela seul décèle un partage d'opinions d'après lequel il est permis à chacun d'abonder dans son sens. Saint Augustin, cette grande lumière de l'Eglise chrétienne, qui paraissait d'abord pencher vers le sentiment le plus sévère, avoue dans une lettre à saint Jérôme (*b*), que, lorsqu'il vient à examiner la question des peines subies par ces enfants il n'éprouve que doutes, perplexités, embarras. Ce n'est pas tout, dans son dernier ouvrage contre les Pélagiens, celui où il combat l'un de ces sectaires, nommé Julien, nous lisons ces paroles (*c*) : « Je ne « dis pas que les enfants morts sans baptême doivent « subir une si grande peine, qu'il vaudrait mieux « pour eux qu'ils ne fussent pas nés..... Quoique je « ne puisse pas décider ce que sera, quelle sera, et « combien grande sera leur damnation, je n'ose néan- « moins dire qu'il serait meilleur pour ces enfants de « n'être point, que d'être dans cet état. » Ainsi saint Augustin permet de penser que la damnation de ces enfants est telle, qu'ils aiment mieux exister que de ne pas exister.

Je ne me permettrai pas de les appeler simplement heureux; je ne dirai pas qu'ils jouissent d'un bonheur naturel, pur et sans mélange; non, je ne vais pas jusque-là : mais je puis me les figurer comme des princes détrônés, privés d'un royaume auquel ils pouvaient prétendre, comme des exilés qui regrettent une patrie qu'ils ne doivent jamais revoir; je puis croire que leur destinée est préférable au néant. Ce monde, Messieurs, n'est pas le séjour du repos ni du bonheur parfait; et cependant il est peu d'hommes qui préfèrent la mort à la vie. Tel est donc le sort de ces enfants, que, tout imparfait qu'il est, ils l'aiment mieux que l'anéantissement, et qu'ils désirent de le conserver.

Quel était sur cette matière le sentiment de l'évêque de Meaux, qui, de son vivant même, fut révéré comme l'oracle de l'Eglise gallicane, et qui a été le théologien le plus profond comme le plus grand ora-

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° Ex citatis toties Christi verbis Joan. 3 :

(*a*) *Confess.* lib. 10, cap. 27.
(*b*) *Epist.* 166, n. 16.
(*c*) *Contra Julian.* lib. 5, c. 11, n. 44.

Nisi quis renatus fuerit, etc., inferri duntaxat potest, necessarium esse Baptismum necessitate præcepti, non medii. Necessitas autem præcepti eos tantùm obstringit, qui præcepti sunt capaces, adultos scilicet, non verò infantes.

Antecedens probatur : Quia illud necessarium est solâ duntaxat præcepti necessitate, cujus necessitas tota pendet ab institutione et mandato Christi, non verò ab internâ rei ipsius naturâ et conditione ; in hoc enim stat totum discrimen necessitatis medii et præcepti. Sic, v. g., necessitas fidei et gratiæ sanctificantis ad obtinendam salutem æternam, absoluta est ac simplex, seu medii, quia ex ipsâmet naturâ et conditione fidei et gratiæ sanctificantis nascitur : atqui necessitas Baptismi et aliorum Sacramentorum tota pendet ex liberâ Dei voluntate ; ergo, etc. — Resp. nego maj. : Ex solâ quippe Dei voluntate ac institutione fit quòd aliqua Sacramenta absolutè seu necessitate medii, alia verò ex præcepto duntaxat sint necessaria.

Instabis 1° : Necessitas præcepti tam pendet ab unâ Dei voluntate ac institutione, quàm necessitas medii,

teur de son siècle et de sa nation? Nous avons de lui, sur le sort des enfants, un écrit raisonné dont voici l'origine. Un prélat, le cardinal Sfondrate, avait avancé à ce sujet une opinion qui parut s'éloigner de la simplicité et de la pureté du dogme catholique ; Bossuet, de concert avec plusieurs évêques français, le dénonça au saint Siége dans une lettre adressée au pape Innocent XII, lettre que nous avons encore (*a*). Bossuet s'y élève bien avec force contre ceux qui veulent affranchir les enfans non baptisés de la damnation, mais en même temps il reconnaît que la plupart des docteurs *les prétendent exempts de la peine du sens, c'est-à-dire, du tourment du feu éternel;* et il était si loin de condamner ce sentiment comme une erreur, qu'il ajoute (*b*) : « Que nous importe à nous, qui ne « disputons pas sur ce point?.... Nous l'abandonnons « à la dispute des théologiens. »

Je pourrais me prévaloir d'une autorité plus imposante par l'éminente dignité du personnage, celle d'un des plus savants Papes qui se soient jamais assis sur la chaire de saint Pierre, de Benoît XIV, qui a vécu dans le dernier siècle. Ses écrits, pleins d'une immense érudition, sont remarquables par l'exactitude avec laquelle il distingue les dogmes qu'il faut croire des opinions qui sont un sujet de controverse. Or, dans un de ses ouvrages, ayant eu occasion de parler de la damnation de ces enfants, il dit (*c*) : « Outre la « privation de la béatitude, sont ils exempts ou non « de la peine qu'on appelle du *sens?* C'est une chose « encore controversée parmi les théologiens. » Donc ici l'Église n'a rien décidé.

Il n'est personne parmi vous qui ne connaisse de réputation cette célèbre école de théologie de Paris, à laquelle l'église gallicane a dû la plus grande partie de sa gloire, parce que c'est dans son sein que s'étaient formés tant de pontifes et de docteurs pleins de science et de vertu. Dépositaire et gardienne fidèle de toutes les bonnes doctrines, son autorité est d'un très-grand poids ; et ici elle a consigné son sentiment dans un acte très-solennel, dans la *Censure* qu'elle fit de l'*Emile* de Jean-Jacques en 1762 ; censure qui est un chef-d'œuvre, non de style, mais de doctrine. L'école de Paris y déclare (*d*) en termes formels, que la seule chose enseignée comme un article de foi, c'est que ces enfants sont privés de la possession de Dieu, grâce toute gratuite qui ne leur était pas due : ensuite elle expose la doctrine de S. Augustin, telle que nous l'avons fait connaître ; et comme tout cela est avoué, je m'abstiendrai de toute citation.

Mais où se trouve plus spécialement consignée la foi catholique, c'est dans les décrets de ces conciles appelés généraux, parce qu'ils représentent l'Église entière, ou dans ces livres élémentaires appelés Catéchismes, qu'elle met dans les mains des fidèles, et qui sont l'expression la plus simple de la croyance universelle. Or, dans deux de ces conciles généraux, l'un tenu à Lyon et l'autre à Florence, il a bien été décidé que les enfants souillés de la tache originelle, comme ceux qui sont coupables de péchés actuels, descendent dans l'enfer, mais pour subir toutefois des peines inégales, et nos Catéchismes, en enseignant qu'ils sont dans une éternelle séparation de Dieu, n'ajoutent pas qu'ils y sont livrés aux flammes éternelles, ainsi que les incrédules aiment à le supposer : le croie qui voudra ; quant à moi je ne le crois pas.

Je ferai à ce sujet une réflexion qui peut être utile. Lorsque l'Église a parlé, le vrai fidèle n'a d'autre partage que la soumission ; il n'est ni génie, ni science humaine, qui ne doive s'abaisser devant cette Église enseignante à laquelle Jésus-Christ a confié le sacré dépôt : opposer l'Eglise ancienne à l'Eglise moderne, s'armer contre ses décisions de quelques passages des livres saints ou des saints docteurs ; tout cela conduirait à la voie de discussion et d'examen, voie impraticable à la presque totalité du genre humain, et dans laquelle on a vu s'égarer si souvent les plus habiles. Les promesses de Jésus-Christ embrassent tous les temps : assistée par l'Esprit de vérité, l'Eglise doit traverser tous les âges dans l'inviolable pureté de sa doctrine ; elle est aussi vraie aujourd'hui dans son enseignement, qu'elle l'était il y a dix-huit siècles. Aussi la seule chose qui intéresse essentiellement le fidèle, c'est de savoir ce que l'Eglise enseigne, il n'a pas besoin de remonter plus haut, ni de chercher au-delà : l'autorité, voilà sa règle. Si les esprits viennent à franchir cette barrière sacrée, attendez-vous à les voir goûter de toutes les erreurs sans être satisfaits par aucune, et, poussés par une injuste curiosité, tomber enfin dans les plus prodigieux égarements. Ainsi, du moment que l'Eglise prononce, soyons dociles, comme doivent l'être des enfants à l'égard d'une mère honorée et tendrement chérie ; mais aussi ne voyons pas en elle un tyran qui voudrait nous assujétir à ses caprices ; sachons user de la sage liberté qu'elle-même autorise. Et certes, si c'est un crime à ses yeux que de convertir ses dogmes en opinions humaines, ce serait aussi un excès très-répréhensible que de convertir les opinions privées en dogmes catholiques ; ce serait se croire plus clairvoyant et plus orthodoxe que celle qui est pour nous la colonne de la vérité ; ce serait vouloir imposer aux esprits un joug intolérable, mettre ses sentiments particuliers à la place de ceux de l'Eglise elle-même, caractère qui fut celui des novateurs de tous les temps. Car si des schismes, si des hérésies ont désolé l'Eglise c'est précisément parce que des individus ont préféré leurs opinions privées à la doctrine universelle. Si donc l'Eglise catholique décide sur ce qui est en litige touchant le sort des enfants morts sans être baptisés, nous ne disputerons pas avec elle ; nous nous soumettrons d'esprit et de cœur, sans réserve, à sa décision suprême : mais jusque-là, libres dans nos opinions, nous aimerons à embrasser celle qui nous paraîtra, d'après nos faibles lumières, plus conforme à la bonté divine.

(Frayssinous, *Conférences*, t. 3.

(*a*) Lettre 201, *Œuvres de Bossuet*, tom. 38, in-8, édit. de Vers.

(*b*) *Œuvres de Bossuet*, ibid., pag. 36.

(*c*) *De Festis Dom.* lib. 1, cap. 8, *de Sabbato sancto*, n. 12.

(*d*) Censure de la proposition 26ᵉ.

et tam reus est peccati et à vitâ æternâ excluditur, qui præceptum violat, quàm qui medium salutis omninò necessarium omittit; et ita si ad unam Dei instituentis voluntatem recurratur, confunditur necessitas medii cum necessitate præcepti. — Resp., nego conseq. Res quippe necessaria necessitate medii ex ipsâ etiam Dei voluntate includit eum gratiæ interioris effectum, sine quo salus obtineri non potest, ut diximus inter prænotata; talia sunt Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ. Non ita porrò est de rebus ex præcepto duntaxat necessariis: quapropter non confunditur necessitas medii cum necessitate præcepti, etiam ex ipsâmet Dei instituentis voluntate. Deinde in eo etiam distat necessitas medii à necessitate præcepti, quòd præceptum Dei positivum pro quolibet instanti non obligat, sed certo duntaxat tempore: quare violati præcepti ille reus tantùm habetur, quandò præceptum non observat quo tempore tenetur illud observare. È contra quod necessarium est necessitate absolutâ et medii, semper obligat.

Instabis 2°: Quod necessarium est necessitate medii nusquàm suppleri potest; in eo non excusat aut ignorantia, aut impotentia; sine eo re aut voto saltem percepto salus haberi non potest: atqui talis non est Baptismus; suppleri etenim potest per martyrium et perfectam contritionem; in eo excusat ignorantia aut impotentia: qui enim aut invincibiliter ignoraret mandatum et institutionem Baptismi, aut in iis esset angustiis in quibus eum non posset percipere, illi proprofectò defectus Baptismi ad culpam non imputaretur. Igitur sine eo re percepto, imò et sine ipsius voto ac desiderio potest quis salvus esse: qui enim nihil unquàm de lege Baptismi audivisset, ac laboraret eâ in re invincibili ignorantiâ, ille certè Baptismi votum seu desiderium elicere non posset: si tamen Deum super omnia charitate perfectâ diligat, salutis æternæ particeps erit. Infantes pariter hujus voti sunt incapaces.

Major argumenti manifesta videtur in exemplo fidei et gratiæ sanctificantis, quæ suppleri nullatenùs possunt, et sine quibus re perceptis salus obtineri non potest; quia scilicet necessariæ sunt necessitate medii, seu absolutâ. — Resp. ad primum, distinguo: Quod necessarium est necessitate medii, suppleri non potest per aliud: si sit medium internum salutis, qualis est fides et gratia sanctificans, concedo; si sit medium duntaxat externum, qualia sunt Sacramenta, nego. Ista quippe media pendent à liberâ Christi instituentis voluntate, qui ea ordinavit ad obtinenda media interna salutis: cùm igitur media illa interna salutis aliâ viâ possunt obtineri, media externa tunc suppleri possunt; virtus enim Christi non est necessariò illis exterioribus signis alligata: ita suppleri potest Baptismus per martyrium et perfectam contritionem. Vide quæ diximus inter prænotata.

Ad secundum: Ab eo quod est necessarium necessitate medii, non excusat aut ignorantia aut impotentia; à lege autem Baptismi excusat aut ignorantia aut impotentia, distinguo: à lege Baptismi sub eâ ratione quâ mandatum includit, excusat aut ignorantia aut impotentia; id est, qui invincibiliter ignorat Baptismum, aut non potest ex verâ impotentiâ, secluso contemptu et negligentiâ, eum percipere, ille reus non est violati mandati, neque præcisè damnabitur propter transgressionem illius, verum est; at æternæ damnationis reus est ille tum negativè, propter defectum gratiæ regenerantis, tum positivè, propter peccatum originale, vel etiam actuale non dimissum.

Ad tertium: Potest quidem sine Baptismo in re percepto, per martyrium aut perfectam contritionem quis salvus esse, sed non sine voto seu desiderio Baptismi saltem implicito, quod in charitate perfectâ semper includitur. In eo quidem qui invincibiliter ignoraret Baptismi legem, explicitum esse non posset Baptismi votum; sed implicitum eo in casu sufficeret, quod à charitate perfectâ sejungi non potest: in eo verò qui legem Baptismi cognosceret, explicitum votum requireretur.

Instabis 3°: In casu mox proposito, Baptismi votum non magis necessarium videtur, nec magis includitur in contritione perfectâ, quàm cujuscumque alterius mandati Christi; certum enim est eum qui Deum super omnia charitate perfectâ diligit, ita debere animo affectum esse, ut omnia Christi mandata, ubi ea noverit, et adimplendi facultas dabitur, velit adimplere. — Resp. reverà in casu proposito, Baptismi votum, quod supponitur tantùm implicitum, non magis includi in illâ contritione perfectâ, quàm cujuscumque alterius Christi mandati, adeòque non magis videri necessarium; verùm id per accidens est respectu Baptismi in eo casu singulari. Cùm enim docent theologi, votum seu desiderium Baptismi saltem necessarium esse, loquuntur ex hypothesi quòd promulgata sit et cognita lex Baptismi; quo casu docent, premente impotentiâ, saltem Baptismi desiderium seu votum explicitum habendum esse, quia Christus pro suâ benignitate et clementiâ voluit, ut iis in angustiis sincerum Baptismi votum junctum cum perfectâ contritione, Baptismi ipsius vices et locum suppleret. Aliorum quidem mandatorum Christi votum generale et implicitum semper necessarium est, quod, ut diximus, à perfectâ contritione non sejungitur; neque idcircò dicendum, mandata illa omnia, aut res quæ in mandatis habemus, esse in voto absolutè necessarias. Inter prænotata enim observavimus, discrimen esse inter ista duo, nempe votum rei alicujus esse necessarium, et rem necessariam esse in voto: prius significat voluntatem observandi rem præceptam esse necessariam, quod verum est; posterius, rem præceptam tantæ necessitatis esse ad salutem, ut si non reipsà, saltem voto et desiderio haberi debeat, quod non semper verum est, in illis præsertim rebus, quæ ex solo præcepto sunt necessariæ, nec continent medium ad salutem absolutè necessarium: non tantùm autem necessarium est votum Baptismi, sicut et aliarum rerum quæ sub præceptum cadunt, sed necessarius etiam est Baptismus ipse in voto seu desiderio.

Instabis 4°: Si vi istorum Christi verborum, *Nisi*

quis renatus fuerit, etc., inferatur Baptismum necessarium esse necessitate medii, inferri quoque poterit, eum æqualis necessitatis esse ac gratiam ipsam Spiritûs sancti, ac consequenter sine eo re percepto nusquàm posse obtineri salutem; sicut non potest obtineri sine gratiâ sanctificante actu receptâ. Antecedens probatur, quia Scriptura utrumque per copulativam *et*, conjungit, *ex aquâ et Spiritu*. — Resp. : Nego ant. ejusque probationem : particula enim copulativa *et*, non semper demonstrat parem esse rerum, quas conjungit, necessitatem. Sic, v. g., Act. 15, v. 20, de Gentibus, S. Jacobus ait, necesse esse, *ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine*. An dicet quis parem omninò esse necessitatem abstinendi ab idololatriâ, fornicatione, et à sanguine et suffocatis? absit : idololatria enim et fornicatio intrinsecè ex se malæ sunt, nec ullo unquàm honesto fine possunt cohonestari; unde jure ipso naturali prohibentur : at abstinentia à sanguine et suffocatis per se nec bona est nec mala, sed planè indifferens, et ex iis rebus quæ pro variis temporum circumstantiis, aut licitæ sunt aut prohibitæ; et reipsà lex illa ab Apostolis lata perpetua non fuit, sed ad tempus; igitur ex subjectâ materiâ judicari debet, an particula *et* conjungat res æqualiter necessarias. Porrò in adducto testimonio Joan. 3, particula *et* res diversas omninò conjungit, nempe interiorem Spiritûs sancti gratiam, quæ ex propriâ naturâ absolutè est necessaria; et exteriorem Baptismi ritum, qui aliquando potest suppleri. Meritò tamen particulam *et* adhibuit sacer contextus, quia lege ordinariâ necessarius est Baptismus ad assequendam Spiritûs sancti gratiam; et si loco particulæ *et*, disjunctivam *vel* posuisset, suspicari quis fortè potuisset alterutrum è duobus esse tantùm necessarium, aut Spiritum, aut aquam, cùm tamen utrumque exigatur, unum tanquàm medium internum, alterum verò externum.

Instabis 4° : Non magis ex istis verbis : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu*, etc., colligi potest absoluta Baptismi necessitas, quàm ex istis : *Nisi manducaveritis carnem et biberitis sanguinem*, etc., colligatur absoluta necessitas Eucharistiæ.

Resp. nego maj. et parit : Disparitas non aliunde repeti debet, quàm ex solâ Christi voluntate nobis in Scripturis et traditione Ecclesiæ declaratâ, quâ constat Baptismum semper judicatum fuisse necessarium absolutè ad salutem, non verò Eucharistiam : quare? quia sic voluit et instituit Christus. Aliunde verò discrimen utriusque indicare videtur diversa loquendi ratio Scripturæ : de Baptismo enim absolutè et indefinitè ait : *Nisi quis renatus fuerit*, quâ significat Baptismi legem ad omnes et singulos pertinere; de Eucharistiâ verò, *nisi manducaveritis*, quâ solos adultos præcepti capaces Eucharistiæ lege teneri non obscurè innuit.

Instabis 5° : Auctores etiam catholici verba citata : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., ad solos adultos restringunt qui sunt præcepti capaces, et quos reos facit non ipsa præcisè Baptismi privatio, sed contemptus præcepti Christi. Ita Magister Sententiarum, lib. 4, dist. 4, litterâ E, ait verba Christi citata ad eos pertinere qui possunt, et contemnunt baptizari. Ita pariter Hugo à sancto Victore, l. 1, de Sacramentis, cap. 13, relatis istis S. Augustini verbis, ex lib. 4, contra Donat., cap. 22 : *Tunc impletur invisibiliter, cùm mysterium Baptismi non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit;* addit verba citata : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., sic restringenda esse : *Si quis renasci contempserit*. Idem ferè docet S. Bonaventura in 4, dist. 4, part. 2, art. 1, q. 1.

Sunt præterea non pauci qui de divinâ misericordiâ tam benè sperant ac confidunt, ut infantes sine Baptismo ex hâc vitâ rapti, in gratiam pietatis parentum, aut à damnatione liberent, aut etiam felicitate quâdam naturali donandos contendant, ut Cajetanus, Gabriel, Gerso, Durandus, Pighius, Catharinus, cardinalis Sfondratus, quos initio hujus disputationis appellavimus. — Resp. ad primum : Nego citatos auctores verba ista Christi : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., ad solos adultos restringere; nec satis mirari possumus quâ fronte audeant adversarii nobis Magistrum Sententiarum opponere. Ille quippe loco in objectione citato sic loquitur : *Non tantùm valet fides aliena parvulo, quantùm propria adulto. Parvulis enim non sufficit fides Ecclesiæ sine Sacramento; quia si absque Baptismo fuerint defuncti, damnabuntur, sicut multis sanctorum auctoritatibus comprobatur*. Antea dixerat, verba citata : *Nisi quis*, etc., esse intelligenda, vel de iis qui possunt et contemnunt baptizari; vel de regeneratione, quæ fit per aquam et Spiritum sanctum, quæ regeneratio fit non tantùm per Baptismum, sed etiam *per pœnitentiam et sanguinem;* quibus verbis non obscurè declarat, Baptismum aquæ, etsi necessarium, suppleri tamen posse per martyrium et pœnitentiam. Idem planè docent Hugo Victorinus et S. Bonaventura.

Ad secundum : Eorum auctorum sententia quæ planè singularis est, rejicienda est; quæ nec in Scripturis, nec in traditione Ecclesiæ fundamentum habet, à quibus immotis regulis nulli catholico fas est unquàm recedere. Vide supra, initio hujus quæstionis, judicium Bellarmini de hâc illorum scholasticorum opinione.

Instabis 6° : Non desunt apud veteres Ecclesiæ Patres argumenta quibus ostenditur non tantam ipsis visam esse Baptismi necessitatem, quantam hìc defendimus.

1° Veteres illi Orientales et Africani, qui tanto studio adversùs Stephanum S. Pontificem contendebant Baptismum ab hæreticis collatum nullum esse, rati quæstionem hanc non ad fidem, sed ad disciplinam pertinere, unicuique permittebant sentiendi quid vellet licentiam; atque œconomiâ et dispensatione interdùm utebantur, ut non rebaptizarent, qui ab aliquibus hæreticis baptizati fuerant, quanquàm nullum illi judicarent talem Baptismum. Ita colligimus ex S. Basilio, canone 1 epistolæ ad Amphilochium. Ipse quoque S. Cyprianus, epist. 73 ad Jubaianum, solvens istam

objectionem : *Sed dicet aliquis : Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt?* Respondet : *Potens est Dominus misericordiâ suâ indulgentiam dare, et eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesiâ dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare.* Porrò si veteribus illis persuasum fuisset Baptismum absolutè necessarium esse ad salutem, an quæstionem validitatis Baptismi ab hæreticis dati, non fidei esse, sed disciplinæ dixissent? An non iterâssent semper eum Baptismum, quem nullum judicabant? An non declarâssent à regno cœlorum extorres, qui sine vero Baptismo ex hâc vitâ migrâssent?

2° Constat ex Historiâ Ecclesiasticâ, plurimos viros quorum memoriam veneratur Ecclesia, pluribus annis in catechumenatu vixisse, aut etiam extremo tantùm vitæ tempore Baptismum percepisse.

Ita de Constantino imperatore narrat Eusebius in ejus vitâ, cap. 62, quem sequuntur S. Hieronymus in Chronico, Socrates, lib. 1, c. 39, et alii : S. quoque Ambrosius, cùm adhuc esset catechumenus, ad episcopatum assumptus est. S. etiam Martinus dicitur octo annis vixisse in catechumenatu : at si viris illis persuasum fuisset Baptismum tantæ necessitatis esse, an per tot annos eum distulissent viri aliunde suæ æternæ salutis adeò solliciti?

3° Constat Ecclesiam pro catechumenis sine Baptismo defunctis olim preces et sacrificia Deo obtulisse, ut colligimus ex S. Ambrosio, oratione funebri pro Valentiniano imperatore, ex conc. II Arelatensi, an. 452, can. 12; ex concilio Carthaginensi IV, an. 398, can. 79; ex Innocentio III, Extrav. *de Sententiâ excommunicationis*, cap. 28. — Resp. nego ant. : His quippe argumentis hoc unum efficitur, quod ultrò fatemur, existimâsse veteres votum Baptismi aliquibus in casibus ad salutem sufficere.

Ad primum : Non idcircò veteres excitatam de Baptismo hæreticorum controversiam ad disciplinam pertinere, et in eâ dispensationis et œconomiæ locum esse censuerunt, quòd ignorarent absolutam esse Baptismatis necessitatem, sed quòd cùm illa quæstio nondùm esset eliquata et totius Ecclesiæ judicio definita, posset unusquisque, salvâ unitate et pace, sentire et facere quid vellet. Unde S. Basilius aliique qui S. Cypriano adhærebant, etsi rectè nôssent et Baptismum absolutè necessarium esse, et apud hæreticos nullum esse, tamen ex prudenti œconomiâ, aliquando baptizatos ab hæreticis non rebaptizârunt, rati in ejusmodi circumstantiis divinam non deesse misericordiam; atque ejusmodi hæreticis ad Ecclesiæ unitatem sincero corde redeuntibus sufficere ad salutem Baptismi desiderium, unitatem Ecclesiæ, ac perfectam cordis conversionem.

Non rarò veteres in casu necessitatis, aut in dubio de validitate Baptismi, ad misericordiam Dei confugiunt, ut sine accepto in re Sacramento, de salute alicujus benè sperent atque confidant. Sic S. Dionysius Alexandrinus annuere recusavit votis alicujus senis, qui jam à longo tempore in Ecclesiâ receptus et Sacramentorum particeps factus, confessus tamen fuerat, se vero Ecclesiæ Baptismo tinctum non fuisse, quique enixè postulabat ut iterùm baptizaretur; non annuit, inquam, ejus postulationi S. Dionysius. Quare? quia nempe existimavit in his circumstantiis diuturnam cum fidelibus communionem, et participationem Sacramentorum sufficere ad salutem illius hominis. Ita pariter Innocentius III consultus ab episcopo Cremonensi de quodam presbytero defuncto, qui baptizatus non fuerat; respondet : *Presbyterum qui sine undâ Baptismatis extremum diem clausit, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum et cœlestis patriæ gaudium adeptum esse.* Ita etiam qui olim post actam semel publicam pœnitentiam, iterùm se iisdem implicabant gravioribus delictis, divino relinquebantur judicio, nullâ ipsis impositâ publicâ, vel etiam privatâ pœnitentiâ, non ex desperatione veniæ, sed ad rigorem disciplinæ.

Ad secundum : Ex factis quibusdam particularibus efficax non colligitur argumentum; quia occurrere potuêre quædam rationes ac circumstantiæ, propter quas viri illi sancti absque peccato Baptismum in plures annos differre potuerunt, nempe ut diutiùs ac maturiùs sese ad illius gratiam percipiendam præparârent per opera pietatis et pœnitentiæ : quanquàm non desunt inter veteres, inprimis S. Gregorius Nazianzenus, qui acriori stylo insurgunt adversùs eos, qui Baptismum suum ad extremam usque senectutem protrahebant.

Ad tertium : Non una fuit Ecclesiæ disciplina circa preces et sacrificia, quæ in gratiam catechumenorum sine Baptismo defunctorum offerebantur : in aliquibus enim ecclesiis in pœnam dilati Baptismatis ejusmodi suffragia denegabantur, ut ex dicendis ad articulum sequentem constabit; in aliis verò concedebantur, quia persuasum erat ejusmodi catechumenos casu inopinato ex hâc vitâ raptos, per votum Baptismi salvari, et fidelium precibus juvari posse.

Instabis : 6° Nonnulli ex SS. Patribus apertè affirmant neminem, exceptis solis martyribus, sine Baptismo reipsâ percepto, salvum fieri posse, quâcumque tandem necessitate teneantur.

S. Ambrosius, l. 2 de Abraham, c. 11, post relata verba Christi, Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. *Nullum excipit*, ait, *non aliquâ præventum necessitate.* Et l. de Mysteriis, c. 4 : *Credit*, inquit, *catechumenus in crucem Domini Jesu, quâ et ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.*

S. Fulgentius, l. de fide ad Petrum, c. 3, iisdem Christi verbis Joannis 3 adductis, addit : *Absque Sacramento Baptismatis, præter eos qui in Ecclesiâ Catholicâ sine Baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam.*

Gennadius, l. de Eccles. Dogmat., c. 41, aliàs 74 : *Baptizatis tantùm*, ait, *iter esse salutis credimus. Nullum*

catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credamus, excepto martyrio, ubi tota Baptismi Sacramenta complentur. — R. 1° objectionem hanc inferiùs solvendam esse, ubi quæstio erit an perfecta contritio votum Baptismatis includens, vices ejus ac locum supplere possit. Resp. 2° non sine consilio, nonnullos è veteribus frequenter non insinuâsse, votum Baptismi ex contritione perfectâ ad salutem in necessitate sufficere, ne scilicet favere viderentur eorum pravæ consuetudini, qui ex negligentiâ, vel alio quocumque motivo, Baptismum ad extremum usque vitæ tempus differebant. Resp. 3° ad S. Ambrosium, eum in adversâ prorsùs sententiâ fuisse, qui Valentinianum imperatorem solo Baptismi voto salutem animæ assecutum fuisse confidit. Verba postea proferemus. Quod autem ex libro de Mysteriis hìc opponitur, de iis intelligenda sunt, qui vel ex negligentiâ, vel, quod pejus esset, ex contemptu Baptismum non perciperent.

Non aliter exponendus S. Fulgentius, aut deserendus; quemadmodùm et ipse Gennadius.

Objicies 2° : Pueri fidelium salvi fiunt per solam fidem parentum; ergo Baptismus non est absolutè necessarius.

Antecedens probatur : Quia non minorem vim et efficaciam habet fides in lege gratiæ, quàm in lege naturæ et Mosis; eadem enim est quoad substantiam, easdemque habet sibi in Scripturis annexas promissiones : atqui in lege naturæ et Mosis fides parentùm et Ecclesiæ salvos faciebat infantes, qui sine circumcisione, vel alio remedio exteriori applicato ex hàc vitâ migrabant. Ita expressè docent SS. Gregorius Magnus, lib. 4 Moral., c. 2; Bernardus, Epist. 77 ad Hugonem de sancto Victore, et alii quorum sententiæ subscripsimus in tractatu de Sacramentis in genere, q. 2, art. 2, conclusione 2; ergo, etc.

Major videtur certa; aliàs fides in novâ lege, et infantes fidelium christianorum deterioris longè forent conditionis, quàm fuerint in lege naturæ aut Mosis.

Resp. 1° : Nego min. Sicut enim in lege naturæ et Mosis necesse fuit (in sententiâ multorum) fidem aliquo signo exteriori tanquàm conditione manifestari; ita nunc, Deo sic volente, necesse est aquam, tanquàm causam instrumentalem gratiæ, usurpari. Resp. 2° : Esto antiquitùs seu retrò suffecerit *fides nuda*, ut loquitur Tertullianus solvens eamdem objectionem à Caianis et Quintilianis olim propositam, l. de Baptismo, c. 13, at postquàm *lex tingendi data est et forma prescripta*, obstricta est fides ad Baptismi necessitatem. Non itaque minoris est virtutis et efficaciæ fides nostra, quàm veterum; sed fidei additum est Baptismi mandatum : et quemadmodùm lex moralis, licèt non sit minoris efficaciæ in viro religioso quàm in seculari, illi tamen non sufficit ad salutem, nisi et consilia, ad quæ se obstrinxit, observet; ita pariter etsi fides nostra tam efficax sit ex se, quàm fides veterum, quia tamen annexum jam habet Baptismi mandatum, sine illo ad salutem non sufficit

Neque inde sequitur deteriorem esse conditionem fidei et infantium in novâ lege : imò multis titulis melior est; 1° quia fides jam longè facilior et communior, longè abundantior gratia, quàm fuerit in lege naturæ vel Mosis; 2° quia salus infantis non jam à fide parentum, sed ab ipsâ Sacramenti applicatione pendet, seclusâ ministrantis fide et probitate; 3° quia Baptismus statim ab ipsâ nativitate potest infantibus ministrari, in lege autem Mosis circumcidi ante octavum à nativitate diem infans non poterat; 4° multis et infinitis penè legalibus præceptis ac cæremoniis gravati erant et obruti Judæi, quibus nos per Christum liberi facti sumus; 5° denique, veteribus nondùm patebat cœlum; nobis verò, postquàm *Christus ascendens in altum secum captivam duxit captivitatem*, jam apertum est : longè igitur potior est nostra conditio, quàm veterum.

Instabis 1° : Quod antea sufficiebat, postea verò non sufficit, videtur deterioris esse conditionis : atqui in veteri lege sufficiebat fides, jam verò non sufficit; ergo, etc. — Resp. dist. maj. : Quod antea sufficiebat et postea non sufficit propter imminutionem virtutis, deterioris est conditionis, concedo : propter additionem Sacramenti, nego. Porrò fidei virtus non est imminuta, sed fidei additum est Baptismi mandatum.

Instabis 2° : Ex S. Augustino parentum fides prodest infantibus ad salutem obtinendam : *Ut possit*, inquit, epist. 98, aliàs 23, ad Bonifacium, *regenerari* (parvulus) *per officium voluntatis alienæ, cùm offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus.* Ita pariter S. Bernardus, epist. 77, seu tract. de Baptismo: *Dignum est*, inquit, *et ad Dei spectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam gratia prodesse concedat alienam. Nec enim Omnipotentis justitia propriam putat ab iis exigendam fidem, quos novit propriam nullam habere culpam. Porrò alienâ opus est fide, cùm sine sorde non nascantur alienâ..... Nec dubium, quòd macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat vel debeat emundari* — Resp., dist. ant : Parentum fides prodest infantibus, cum Sacramento Baptismi, *cùm offertur consecrandus*, ait S. Augustinus, concedo; sine Sacramento, nego. Nihil aliud volunt Augustinus et Bernardus locis citatis, quàm in parvulis necessariam non esse fidem actualem, cujus sunt incapaces; sed illam suppleri ex Dei benignitate per fidem Ecclesiæ et parentum, quâ illi moventur ut infantes baptizandos ministris Ecclesiæ offerant. Unde susceptores pro iis ad singula interrogata, respondent, *credo*, *abrenuntio*, etc.

Instabis 3°. Tam potest infantibus fidelium prodesse ad salutem aliena parentum fides, quàm iis nocere ad damnationem alienum Adami peccatum. — Resp. : Nego maj. 1° Quia in rebus quæ à solâ Dei voluntate pendent, non alia inquiri debet ratio, quàm ejus voluntas. Porrò noluit Christus infantes per solam parentum fidem sine Baptismo salvos fieri. 2° Disparitas est, quia peccatum primi parentis non est planè extrinsecum et alienum respectu illorum infantium, sed

illis proprium et internum; quia etsi solus Adamus proprio et personali voluntatis motu peccaverit, omnes tamen ejus posteri in eò jam tùm inclusi, in eo quoque peccaverunt, ut ait Apostolus, Rom. 5, v. 12, adeòque peccatum Adami proprium est naturæ totius humanæ, seu omnium filiorum ejus.

Atverò fides parentum omni sensu externa est et aliena respectu infantium; et sicut infantibus non noceret parentum malitia et impietas, quâ eos demoniacis sacrilegiis obligarent, ita sola sine Sacramento iis ad salutem non prodest fides parentum : quia, ut ait S. Augustinus, epistolâ mox citatâ 98, *cùm homo*, non jam in lumbis peccantis, *sed in seipso est*, *ab eo qui genuit alter effectus*, *peccato alterius sine suâ consensione non tenetur obnoxius*.., sed *anima quæ peccaverit ipsa morietur*.

Instabis 4° : Potest adultus per fidem propriam et actualem sine Sacramento re percepto salvus fieri : quidni ergo infans per fidem alienam parentum? — Resp. 1°, ut supra, solam hìc consulendam esse Dei voluntatem. 2° Adultus non salvus fit per solam fidem, sed per charitatem perfectam quâ formaliter homo justus redditur; charitas autem illa seu gratia sanctificans non obtinetur, nisi vel per Sacramenta, vel per proprios actus voluntatis ex divino et supernaturali auxilio elicitos : at infantes incapaces sunt illorum actuum personalium.

Instabis 5° : Sequitur ex hâc doctrinâ, innumeros sine suâ culpâ perire parvulos qui sine Baptismo moriuntur, quod certè parùm videtur consentaneum divinæ misericordiæ ac voluntati quâ vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. — Resp. cum S. Augustino, l. de Dono persever., c. 12, et S. Prospero, l. 2 de Vocatione gentium, c. 8, Dei judicia occulta esse, sed justa in damnatione tot infantium qui sine Baptismo moriuntur. Non enim damnantur illi præcisè propter defectum Baptismi, sed propter culpam originalem quam nascendo contraxerunt, et quæ non deleta per Baptismum, eos æternæ damnationis reos efficit : misericordiæ autem divinæ mensura non alia debet æstimari, quàm quæ in Scripturis et traditione expressa nobis est. Stat quoque Dei antecedens voluntas de salute omnium, cum damnatione illorum infantium sine Baptismo morientium; siquidem ex voluntate illâ antecedenti et sincerâ præparavit omnibus media necessaria ad salutem : sed illius voluntatis virtute non tenetur Deus invertere cursum causarum secundarum, ut procuret omnibus infantibus, antequàm moriantur, applicari remedium Baptismatis; istud enim pertinet ad voluntatem, ut vocant, consequentem, ex quâ alios vult perire propter labem originalem, alios verò vult salvos esse per Baptismum : cur autem illos potiùs quàm alios eligat, *O altitudo!*

Instabis 6° : Gen. 17, v. 7, Deus inito cum Abrahamo fœdere, promisit se futurum ipsius Deum et seminis ejus; quæ quidem promissio ad nos etiam fideles spectat, ut testatur Apostolus, Rom. 4 et 11, et Galat. 3. Sicut igitur Judæorum filii incircumcisi morientes, per fidem parentum salvi esse poterant, quia stante illo fœdere nati erant; ita quoque et filii Christianorum, qui ex hâc vitâ rapiuntur ante perceptum Baptismum.

Confirmatur ex Apostolo primæ Corinth. 7, v. 14 : *Sanctificatus est*, inquit, *vir infidelis per mulierem fidelem; et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*. Docet igitur Apostolus, filium ex uno tantùm parente fideli progenitum idcircò sanctum esse, quia in illo fœdere gratiæ ac fidei christianæ nascitur. — Resp. nego conseq. : 1° Quia certum non est filios Judæorum incircumcisos salvari potuisse per solam fidem parentum, sine ullo Sacramento seu signo exteriori. 2° Quia etsi Deus ita decrevisset in veteri lege, non consequens est, eum idem quoque in novâ statuisse; imò certum est legem Baptismi positam ab eo fuisse : in his autem rebus non alia inquiri ratio debet, quàm voluntas Dei. *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* inquit Apostolus, Rom. 9, v. 20. Pactum autem illud quod Deus cum Abrahamo pepigit, ad omnes quidem ejus posteros pertinet, *non qui filii carnis*, inquit Apostolus, Rom. 9, v. 8, *sed qui filii sunt promissionis;* id est, qui parentis Abrahæ fidem imitantes, participes sunt promissionum quæ ipsi factæ sunt : seu, ut loquitur c. 4, v. 16 : *Ideò ex fide, ut secundùm gratiam sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed et ei qui ex fide est Abrahæ*. Porrò infantes fideles non evadunt in novâ lege, nisi per Baptismum, qui sacramentum est fidei.

Etverò si fœdus illud gratiæ in quo nascuntur infantes fidelium, eos sanctificaret, nullum posset assignari instans in quo peccatum originale contraherent; generantur enim in illo fœdere, sicut nascuntur.

Ad confirmationem : Non loquitur Apostolus de formali et immediatâ sanctificatione, quasi eo ipso formaliter infidelis sanctus sit, quòd cum fideli cohabitet, sed de sanctificatione quasi præparatoriâ et educationis, quia nimirùm sanctiùs et castiùs educandi sunt pueri, si parentum alteruter fidelis sit; et mulier fidelis potest exemplo, adhortatione et instructione virum infidelem Christo lucrari. Ita exponit S. Hieronymus respondens ad quæsita Paulini. Congruit hæc expositio scopo Apostoli : vult enim ostendere, conjugem infidelem, si commorari non detrectet, non esse dimittendum; idque duobus argumentis : uno petito à sanctificatione conjugis, altero à sanctificatione filiorum. Pelagianis ex eodem Apostoli testimonio probantibus nullum esse peccatum originale, respondet S. Augustinus, l. 2, de Baptismo, c. 25 et 26, et l. 3, c. 12, et serm. 14 de Verbis Apostoli, c. 19, multiplicem in Scripturis sanctificationem designari, non modò rerum, sed etiam hominum, quæ non semper conjuncta est cum remissione peccatorum. Sic, v. g., catechumenus, priusquàm baptizetur, secundùm aliquem modum sanctificatur per signum Christi, et orationem manûs impositionis.

Objicies denique : Adulti non obligantur lege Baptismi. Namque ii vel sunt infideles pagani, qui nihil

unquàm de Christo audiverunt, vel qui de Christo aliquid audiverunt : sed neutri possunt eâ lege teneri. Non primi, quia lex non obligat nisi promulgata ; at apud ejusmodi paganos non supponitur promulgata Baptismi lex : non alii, dici enim non potest quâ ætate, et quo tempore eos illa lex obstringat ; an in juventute, an in senectute : illud enim nullo præcepto aut divino aut ecclesiastico determinatum habemus. — Resp. 1° eos adultos qui invincibili laborant ignorantiâ fidei christianæ, non teneri lege Baptismi, quatenùs cadit sub præceptum ; adeòque eos non damnari propter violatum Baptismi mandatum, sicut nec propter infidelitatem purè negativam : sed eos teneri lege Baptismi, quatenùs medium est institutum à Christo ad delendum peccatum originale : adeòque æternùm peribunt illi, non præcisè, ut jam diximus, propter defectum Baptismi, sed propter peccata, sive originale, sive actualia. Resp. 2° alios adultos teneri lege positivâ Baptismi : cùm verò ea sit legis positivæ natura, ut non obliget semper et pro semper, hinc physicè nullum tempus est præfixum pro Baptismo percipiendo. Cùm tamen iste sit absolutè necessarius, tenetur quilibet, cùm ad discretionis annos pervenerit, salutis suæ curam gerere, ac consequenter sibi procurare Baptismum ; ad id autem tenetur jure ipso naturali, divino et ecclesiastico : jure quidem naturali, quo tenetur quilibet assumere media ad salutem necessaria : jure divino positivo ; eodem quippe præcepto quo Christus præcepit apostolis docere gentes et baptizare, præcepit etiam gentibus ut audirent apostolos, et ab illis baptizarentur : jure etiam ecclesiastico, quod est juris divini interpretatio. Constat autem jus illud ecclesiasticum ex SS. Patribus, aliisque momentis ex traditione Ecclesiæ depromptis, de quibus inter probationes conclusionis (1).

(1) Quæres an etiam necessarius sit Baptismus, ut alia Sacramenta licitè vel validè recipiantur. — R. contra nuperos quosdam doctores, nullum Sacramentum validè recipi à non baptizato præter Eucharistiam, quæ quidem nihil tunc operatur ex opere operato.

Prob. 1° quia Baptismus vocatur à concilio Florentino in decreto unionis, *vitæ spiritualis janua*, et ab Innocentio III, à S. Thomâ, cæterisque post ipsum doctoribus, *fundamentum omnium Sacramentorum :* atqui ubi fundamentum deficit, deficit et ædificium ; sicut deficit ingressus, ubi deest janua ; ergo.

Nec dicas, deficiente tonsurâ, deficere fundamentum ad ordines, et ordines nihilominùs validè recipi. Nam tonsura est quidem dispositio ad ordines ex Ecclesiæ constituto, sed nusquàm habita est pro fundamento ordinum : etverò quâ ratione fundamentum esset ordinis, id quod, nonnisi longo post institutos ordines tempore, ab Ecclesiâ constitutum est.

Prob. 2° ex cap. 3, *de Presbytero non baptizato*, ubi presbyterum hunc baptizari jubet Innocentius III, et iterùm ordinari, juxta concilii Compendiensis decretum : atqui non ordinaretur denuò, qui jam validè ordinatus esset ; ergo nulla fuerat hujus hominis ordinatio ; ergo pari jure nec valuisset confirmatio eidem collata, nec quantùm ad rationem Sacramenti contractum ab eodem matrimonium.

Nec est quòd opponas Innocentium de hâc loqui ordinatione, tanquàm de *dubitabili casu ;* ac proinde sententiam suæ oppositam habere ut probabilem. Nam 1° non est verè probabile, quod verè dubium est ; 2° multò minùs probabile censeri debet, quod infirmioribus nititur momentis : ei porrò qui amotis præjudiciis textum Innocentii III expenderit, infirmiora videbuntur momenta, quæ pro valore prædictæ ordinationis afferebantur, quàm quæ pugnabant ex adverso.

Prob. 3° ex D. Thomâ sic loquente in 4, dist. 24, q. 1, art. 2, quæst. 3 : *Qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum suscipere potest*, validè scilicet, ut indubium est ex serie contextûs.

Prob. 4° : Non est à communi sententiâ recedendum in materiâ gravi, sine urgenti fundamento, seu, ut loquitur S. Thomas, *sine causâ cogente ;* aliàs incurritur temeritatis aut saltem singularitatis nota : atqui opinio adversariorum, vel potiùs adversarii, à trito itinere recedit sine causâ verè cogente. Minor non aliunde meliùs quàm ex objectionum solutione probari potest. Itaque

Objicitur 1° auctoritas S. Dionysii Alexandrini, qui teste Rufino, cuidam, de Baptismatis sui validitate dubitanti respondit, *eum debere confidere fidei suæ, et conscientiæ jam purgatæ, quòd tamdiù in Sacramentis nobis jam particeps fuisset :* atqui responsio hæc supponit Sacramenta validè recipi à non baptizato ; cùm supponat hunc per illa justificatum esse et *purgatum* ; ergo. —R. : Vel credidit Dionysius Baptisma verè dubium, non debere iterari in iis qui post idem receptum pluries ad Eucharistiam accessêre ; vel ratus Alexandrum legitimè baptizatum esse, voluit animos ejus hinc tranquillare, quòd pluries Eucharistiam recepisset. Si 1°, tam nobis licet ab unâ ejus opinionis parte recedere, quàm liceat adversario recedere ab alterâ : neque enim, opinor, negabit in dubio rebaptizandum esse, qui ante dubium pluries Eucharistiam receperit. Si 2°, neg. min., quia statim ac supponebat S. Dionysius Alexandrum verè baptizatum, supponebat validè ab eo recepta fuisse Sacramenta.

Ergo, inquies, non pacabat Dionysius animum Alexandri circa salutem æternam malèque hortabatur ut *confideret fidei suæ ;* cùm Alexander esset in dubio, Dionysius non item. — R. Dionysium tranquillâsse animos Alexandri, prout tranquillari solent animi scrupulosorum. Idem est enim ac si dixisset : Qui pluries Sacramenta piè recepit, pluries in Deum piè et sanctè affectus est : atqui non patietur Deus hominem tam piè tam sanctè affectum perire ; quandoquidem legitimè præsumatur justificatus ex opere operantis ; ergo nihil est quod æternæ suæ saluti vereri meritò possit. Utique idem nos hodiè responderemus adulto, quem de Baptismi sui validitate perperàm dubitantem, à secundo Baptismo prohibere vellemus.

Obj. 2° : S. Ambrosius, lib. *de Excessu fratris* sui Satyri, sic loquitur : *Qui tantùm mysterii cœlestis involuti in orario præsidium fuisset expertus*, ut è furibundo mari, in quod se projecerat, evasisset incolumis, *quantùm arbitrabatur, si ore sumeret, et toto pectoris hauriret arcano ;* ergo catechumenus simplex, qualis tunc erat Satyrus, mysterium cœleste, id est, Eucharistiam *ore sumere* poterat. — R. neg. conseq. : Idem enim est ac si dicat Ambrosius : Cui tantùm profuit Eucharistia collo appensa, quantò plus, ob eximiam ejus fidem profutura fuisset, si hanc sumpsisset ore : sed qui hoc dicit, ne obiter quidem insinuat Eucharistiam à tali viro hic et nunc recipi potuisse ; imò subindicat contrarium. An enim vir fidei plenus et amoris, qualem Ambrosius Satyrum exhibet, ingruente

ARTICULUS II.

AN ET QUOMODO BAPTISMUS AQUÆ SUPPLERI POSSIT PER MARTYRIUM, ET PERFECTAM CONTRITIONEM BAPTISMI VOTUM INCLUDENTEM.

Triplex apud SS. Patres distinguitur Baptismus : nempe fluminis per aquam ; sanguinis per passionem ;

et flaminis seu spiritûs, per lacrymas et cordis perfectam contritionem. Ita S. Ambrosius in Psalm. 118, enarratione in octonarium tertium; S. Gregor. Nazianz., orat. 39 in sancta lumina, circa finem; S. Augustinus, l. 4, de Baptismo contra Donatistas, c. 21 et sequentibus; S. Isidorus Hispal., lib. 1 de Institutione clericali, cap. 4; S. Bernardus, epist. 77.

S. Thomas, 3 part., q. 66, art. 11, hujus divisionis rationem affert, quæ fundamentum habet in Scripturis, in quibus Baptismi nomen, et martyrio et pœnitentiæ seu perfectæ contritioni accommodatur, sicut ostendimus initio hujus tractatûs, cùm varias nominis Baptismi significationes exponebamus.

Quæritur hìc utrùm martyrium et contritio perfecta includens votum Baptismi, ejus vices supplere possint, eamdemque vim habeant ad expungenda peccata, sive originale, sive actualia. De utroque sigillatim hìc dicendum.

An et quomodò martyrium suppleat vices Baptismi aquæ.

Martyrium (1) generatim est omnis pœna in odium mortis periculo à sacrâ abstinuisset synaxi, si sibi licitum credidisset ejus participem fieri.

Obj. 3° : Qui capax est effectûs, capax est causæ : atqui homo, qui se invicibiliter credens baptizatum, justificatus est per contritionem, capax est effectûs Eucharistiæ; cùm capax sit argumenti gratiæ; ergo et Eucharistiæ ipsius capax reputari debet. — R. ad 1, neg. min : Effectus enim Eucharistiæ non est gratia quæcumque, sed gratia sacramentalis : hujus porrò incapax est qui necdùm baptizatus fuit; licèt capax sit gratiæ æquivalentis, aut etiam majoris.

Inst. : Ut quis capax sit gratiæ sacramentalis, satis est ut sit verè regeneratus : atqui is de quo loquimur verè regeneratus est; cùm ad regenerationem sufficiat Baptismus in re vel in voto; ergo.

Confirm. : Qui ingressus est januam vitæ spiritualis, capax est cujuscumque gratiæ : sed qui Baptismum habet in voto, spiritualis vitæ januam necessariò ingressus est; ergo.—R. neg. maj. : Non enim ut quis cujuslibet gratiæ capax sit, satis est ut quocumque modo regeneratus sit, seu, ut intelligitur in objectione, justificatus : sed necessum est ut ex aqua et Spiritu sancto regeneratus sit : unde tametsi certo quodam sensu ingressus sit januam vitæ spiritualis, non habet jus ad Sacramenta, et gratiam ius correspondentem, donec januam hanc per aquæ lavacrum ingressus sit. Unde patet solutio ad confirm. (Collet.)

(1) Martyrium, quod juxta vim nominis idem est ac testimonium, ex Ecclesiæ usu definitur, perpessio mortis veræ, lethalisve cruciatûs, propter fidem Christi, aut veram virtutem tolerata, et in ejus odium illata.

Dicitur 1° *perpessio mortis veræ*, ut intelligatur non esse propriè martyres, qui solùm habuerint martyrii desiderium.

Dicitur 2° *aut cruciatûs*, quia etsi necesse non est, ut martyr dolorem sentiat, cùm sensum hunc quandoque avertat Deus, necessum tamen est ut aliquid recipiat, quod de se illativum sit doloris.

Dicitur 3° cruciatûs *lethalis*, unde, si strictè loqui velis, martyres non sunt, qui gravia quidem passi sunt pro Christo, sed tamen haud gravia satis ut mortem inferrent. Quapropter tametsi confessores, qui jam incœperant propter Christum torqueri, olim martyres inter computati sunt, ut videre est apud Tertullianum, lib. ad martyres, et Cyprianum, epist. 9, 16, 30, etc., ii tamen pro martyribus, consummatis scilicet, et simpliciter dictis, posteriori ævo habiti non fuère. Stat nihilominùs martyrii ratio, ubi ponitur à tortore Christi inflicta, et pro ejus amore constanter tolerata : propriè ac strictè est ipsa mors pro Christo tolerata.

causa, quæ certam inferat mortem, nisi hanc Deus impediat per miraculum. Unde Joannem evangelistam colit Ecclesia ut martyrem; quia in ferventis olei dolio, cui immersus est, naturaliter occumbere debuit. Idem de pueris tribus in fornacem conjectis dicendum.

Dicitur 4° *propter fidem Christi* : quia *martyrem non pœna, sed causa facit*, ut benè Augustinus, conc. 2 in Ps. 34. Unde S. Petrus, ep. 1, c. 4 : *Nemo vestrùm patiatur ut homicida aut fur.... si autem ut Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in eo nomine.* Hinc nemo martyr extra Ecclesiam : neque martyr est hæreticus, qui vel pro erroris sui defensione, vel pro quopiam veræ fidei articulo comburitur; quia non patitur *ut* verè *Christianus;* cùm quæ credit, fide solùm credat humanâ, eâ nimirùm quâ credit errores suos, pro quibus etiam mori paratus est. Hinc rursùs Catholici omnes, et meritò, ad martyrium in adultis requirunt passionem ex supernaturali motivo profectam; quia Christi martyres Christo uniri debent, quod per solas philosophiæ vires fieri nequit. Consulantur Cyprianus, epist. 52, 54 et 73; Augustinus de Bapt., lib. 1, cap. 11; lib. 3, cap. 16; lib. 4, cap. 17; et è Theologis Suarez, tom. 3, in 3 part. S. Thomæ, disp. 24, sect. 2.

Dicitur 5° *aut veram virtutem*, exercitam scilicet, aut exercendam. Unde martyribus annumerandi veniunt, qui lethali cadunt ictu, seu propter asserta sua Ecclesiæ jura, ut S. Thomas Cantuariensis; seu ne confessionis sigillo deessent, ut Joannes Nepomucenus; seu ne libidini impuræ cederent, ut tot novi Testamenti virgines; seu quia sacris operati sint, etc. Hi nempe omnes exhibent testimonium Christo, quatenus legem ipsius, et traditam ab ipso de virtutibus doctrinam fuso sanguine comprobant.

Dicitur 6° *tolerata*, nimirùm à quocumque inferatur; unde puella vel judex, qui etiam à Catholicis necantur, ne resistant ille à sententiâ justè latâ, isthæc à salubri castitatis voto, verè sunt martyres. In his tamen, ut in cæteris martyribus, nulla intervenire debet ad vitæ propriæ defensionem resistentia; quia martyrii passio debet in adultis esse voluntaria; et *mortis Christi, tanquàm ovis ad occisionem ducti, assimilativa.* Unde milites ab hæreticis aut infidelibus in bello Religionis occisi, etsi merentur plurimùm, non sunt in rigore martyres; quia dùm resistendo cadunt, victi sunt potiùs, quàm victores. Qui tamen ex naturali mortis metu resisterent, non vim vi repellendo, sed lethalem ictum, seu fugâ, seu interpositi objecti ope declinando, à martyrum cœtu non essent alieni; quia non est hæc veri nominis resistentia, quæ voluntariam mortis acceptationem excludat.

Dicitur 7°, *et in odium ejus illata* : quia eos tantùm ut martyres colit Ecclesia, qui in odium Christi aut Christianæ virtutis occubuêre : unde, quidquid reclamet Theophilus Raynaud, in opere *de Martyrio per pestem*, non est propriè martyr qui ob præstita peste infectis auxilia mortem oppetit, nisi ad id à tyranno damnatus sit in odium Dei, ut fusè et eruditè probat, in opere suo *de servorum Dei Beatificatione*, etc., Prosper de Lambertinis, qui nunc toti Ecclesiæ ut pietate et scientiâ sic et dignitate præest. Vid. lib. 3, c. 11. Et verò unum è martyrii privilegiis, est ut necatâ propter Christum matre, filius quem utero gerit, ab originali noxâ mundetur, ut mox dicturi sumus : id autem Catholicorum nemo hactenùs dixit de infante illius, quæ peste contractis ministrando, diem clauserit. His adde pari quo matrem illam jure, inscribendos fore martyrum albo, seu qui mori mallent, quàm castitatis jacturam facere, ut S. Casimiro evenit; seu qui vetito medio vitam servare nollent, ut Carthusienses carnium esu, Religiosi regularum infractione, etc., hi enim et similes in exercitio Christianæ virtutis moriuntur : unde ulteriùs pro illis orandum non esset;

Duas igitur requirit conditiones, et pœnam, et causam. Duobus verò modis considerari potest martyrium, nempè quatenùs est actus voluntarius alicujus virtutis, fortitudinis nimirùm, vel charitatis; aut quatenùs est simpliciter pœna in odium Christi inflicta. Priori respectu dici potest opus operantis; posteriori verò, opus operatum. Soli adulti capaces sunt martyrii, quatenùs est opus operantis; infantes verò, quatenùs est opus operatum. Hinc S. Bernardus, sermone de Innocentibus, ait inter martyres alios esse voluntate simul et opere; alios solâ voluntate; alios denique solo opere. *Habemus*, inquit, *in beato Stephano martyrii simul et opus et voluntatem; habemus solam voluntatem in beato Joanne; solùm in beatis Innocentibus opus.*

De utroque martyrio tam in adultis quàm in parvulis duo quæruntur.

1° An vices Baptismi aquæ suppleat, eamdemque vim habeat ad expungenda peccata, qualis propria est Baptismi aquæ.

2° An illos effectus eodem modo producat ac Baptismus; id est, ex opere operato, vi ipsius pœnæ in odium Christi inflictæ : ita tamen ut in adultis, perinde ac Baptismus ipse aquæ, prærequirat aliquas prævias conditiones seu dispositiones; an verò eos effectus producat tantùm ex opere operantis, id est, ratione solius charitatis, ex cujus perfectissimo motivo martyrium toleratur.

Errores et opiniones.

Inter veteres hæreticos, Gnostici et Valentiniani contenderunt nullum esse martyrii meritum, nullam ejus virtutem ac laudem, nullum, cùm necessitas postulat, illius tolerandi mandatum : *Nec simplicitas ista, sed vanitas, imò dementia est pro Deo mori*, inquiunt illi apud Tertull., libro Scorpiace, cap. 1. Ad hunc errorem odio et invidiâ compulsus legitur Valentinus, impatienti animo ferens aliquem martyrem sibi in episcopatu, quem ambiebat, antepositum fuisse. Ita refert Tertullianus, lib. adversùs Valentinianos, cap. 4. *Speraverat*, inquit, *episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio, sed alium ex martyrii prærogativâ loci petitum indignatus, de Ecclesiâ authenticæ regulæ abrupit, ut solent animi pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi.*

Valentino adhæsit Tatianus, Justini Martyris discipulus. *Tatianus totus secundùm Valentinum sapit*, inquit Tertull., lib. de Præscriptionibus, cap. 52. Adversùs Valentinum stylum exacuêre S. Justinus, martyr et philosophus; S. Irenæus, omnium doctrinarum curiosissimus explorator; Miltiades ecclesiarum sophista, et Proclus. Ita Tertull., lib. adversùs Valentinianos, cap. 5.

Inter novatores posteriorum temporum, Kemnitius, in secundâ parte concilii Tridentini; et Illyricus, centuriâ 5, cap. 4, docent per martyrium peccata dimitti, non tanquàm per Baptismum, sed propter solam fidem, quæ tempore martyrii Christum apprehendit : in quo certè parùm sibi constare videntur; cùm enim, juxta illos, etiam in Baptismo sola fides justificet, sequitur martyrium eodem prorsùs modo justificare, quo Baptismus.

Ex Orthodoxis nullus martyrio adultorum vim et efficaciam detrahit; sed disputant duntaxat tum de martyrio infantium, tum de dispositionibus in adultis ad effectum martyrii obtinendum necessariis, et de modo quo martyrium in ipsis operatur.

Richardus Armacanus, in Irlandiâ archiepiscopus, lib. 8 de Quæstionibus Armenorum, c. 37, in fine, judicat probabile ex infantibus ab Herode propter Christum occisis, eos qui circumcisi non erant, salvos non fuisse, sed eos tantùm, qui Sacramentum circumcisionis acceperant : addit, et secundùm communem Dei legem, tam veterem quàm novam, parvulos circumcisos nullum incrementum gratiæ ex morte pro Christo accepisse; et ita neque majorem gloriam virtute illius fuisse consecutos, quàm virtute solius circumcisionis consequerentur. Utrùm autem Deus peculiari privilegio cum circumcisis usus fuerit, ut majorem illis gratiam et gloriam rependeret, non audet affirmare.

Adrianus, in 4, quæst. ultimâ de Baptismo, cum Armacano idem sentit, nempe ex solâ Scripturâ constare eos infantes, qui ab Herode occisi sunt non acceptâ priùs circumcisione, salutem obtinuisse.

Jacobus de Vitriaco cardinalis, l. Historiæ Occidentalis, c. 36, docet parvulos Christianorum non baptizatos, etiamsi à paganis pro Christo occiderentur, non salvari, nec ad eos extendi privilegium speciale SS. Innocentium qui ab Herode pro Christo occisi sunt.

Circa martyrium adultorum, sunt qui nullas in ipsis prævias exigere videntur dispositiones : qui, etsi putent præceptum dilectionis per se quidem obligare, præsertim in articulo mortis, ab eâ tamen obligatione per accidens liberos existimant eos qui pro Christo moriuntur. Sunt qui ex opere operantis duntaxat, et ratione charitatis quam includit, velint martyrium efficax esse, saltem respectu adultorum; alia enim ipsis videtur esse infantium conditio. Ita Vasquez et alii quos appellat ad tertiam partem, q. 68, disput. 153, c. 1. Vult tamen ipse Vasquez, aliquem peculiarem effectum ex opere operato martyrio competere, nempe remissionem omnis pœnæ temporalis. Alii dispositiones prævias exigunt in adultis, et tam eorum quàm parvulorum respectu, martyrium operari ex opere operato contendunt. Juxta istos sit

Conclusio. — Baptismus sanguinis, seu martyrium, virtutem Baptismi aquæ perfectè supplet (1) ex

cùm ex Innocentio III, cap. 6 *de Celeb. Missar.*, *injuriam faciat martyri, qui orat pro martyre :* at hæc plus quàm falsa sunt et absurda. Unde Renaudi propositio ab Inquisitione Romanâ proscripta est, an. 1647, die martii 11, prout multis ostendit Thomas Hartadus. Ita Gonet, disp. 1, n. 170 et seq. (Collet.)

(1) Tamen martyrium non potest supplere Baptisma quoad characteris impressionem; est enim impressio hæc effectus proprius trium Sacramentorum, quæ iterari non possunt; 2° nec ipsum supplere potest quoad subjectionem Ecclesiasticæ jurisdictioni; quia hæc ad eos solùm extenditur qui Ecclesiæ incorporati fuerint; 3° neque quoad capacitatem proximam alia re-

opere operato, tum in infantibus, tum in adultis : in istis tamen prævia quædam conditiones requiruntur.

Probatur prima pars de infantibus. 1° Quia ad eos extenditur generalis ista Christi sententia, Matth. 10, v. 39 : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

2° Quia Ecclesia universa infantes ab Herode in odium Christi crudeliter occisos, tanquàm veros martyres semper agnovit et coluit. *Deus*, inquit in oratione festivitatis SS. Innocentium, *cujus præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Unde S. Augustinus, lib. 3 de libero Arbitrio, cap. 23 : *Etiam*, inquit, *infantes illos, qui, cùm Dominus Jesus Christus necandus quæreretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia.* Nullam Ecclesia, nullam S. Augustinus et alii distinctionem faciunt eorum qui circumcisi vel non circumcisi fuerant; sed omnes indiscriminatim eos infantes martyres appellant, et ut tales colunt et honorant; quanquàm verisimile sit aliquos ex illis incircumcisos fuisse, cùm jusserit Herodes à bimatu et infra omnes trucidari infantes qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus ejus.

3° Communis hæc est SS. Patrum sententia.

S. Augustinus, aut quisquis est auctor sermonis ad catechumenos, qui exstat inter opera S. Augustini post ejus tractatum de Symbolo in ultimâ editione, cap. 4 : *Præstitit eis Christus*, inquit, *ut pro Christo morerentur; præstitit ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur. Nati sunt ad mortem, sed continuò eos mors reddidit vitæ.*

Et in epistolâ ad Hieronymum 166, aliàs 28, interpretans id quod docuerat lib. 3 de libero Arbitrio, c. 23, de Pœnis parvulorum : *Quis novit*, inquiebat ibi, *quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus? Quoniam, quanquàm nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt.* Hæc, inquam, sua verba exponens, ait : *Hoc non immeritò dici video de his qui vel pro Christi nomine ac verâ Religione tale aliquid nescientes patiuntur, vel Sacramento Christi jam imbuti sunt.*

Et lib. 13 de Civitate Dei, cap. 7, nullâ factâ distinctione adultorum et infantium, generatim sic loquitur : *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit : Si quis non renatus fuerit ex aquâ*, etc., *aliâ sententiâ istos fecit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit : Qui me confessus fuerit*, etc., *et alio loco : Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

S. Chrysostomus, hom. 3 in varios S. Matthæi locos, loquens de infantibus ab Herode trucidatis : *Mercantur*, inquit, *pœnâ martyrium, gloriam sanguine comparant, vitam æternam temporali morte commutant.*

S. Leo, serm. 1 de Epiphaniâ Domini, cap. 3 : *Necari omnes Bethleem parvulos jubet.... sed quos rex impius eximit mundo, Christus inserit cœlo; et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem.*

Denique S. Bernardus, sermone de Innocentibus, hæc habet : *Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptivos filios numerari. Alioquin quomodo coævos sibi pueros puer ille qui natus est nobis, non contra nos, pateretur occidi, quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret? ut quemadmodùm cæteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc verò Baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominùs pro eo susceptum martyrium illis proficeret ad sanctitatem.* Quo in loco istud observandum, nempe martyrium loco circumcisionis fuisse illis infantibus; non ergo salvi facti sunt propter ipsam circumcisionem, ut placet Armacano.

Secunda pars de adultis

Probatur 1° ex Scripturâ, Matth. 10, v. 32 et seq. : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Marci 8, v. 35 : *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam*, quibus verbis lex generalis exprimitur à quâ nullus excipitur, nequidem ipsi non baptizati. Ut enim rectè arguit S. Augustinus, lib. 13 de Civitate Dei, c. 7, jam citato : *Qui dixit : Nisi quis renatus fuerit ex aquâ*, etc., *idem et generaliter dixit : Qui me confessus fuerit*, etc. Confirmatur ex isto Christi apud S. Joan., c. 15, v. 13 : *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* At perfecta charitas peccata omnia delet et omninò expungit.

Probatur 2° ex sententiâ et praxi totius Ecclesiæ.

1° Ecclesia pro martyribus nec preces nec sacrificia offert Deo, quibus eos non indigere intelligit; sed suas eis coronas ac triumphos duntaxat gratulatur, eorumque apud Deum opem et gratiam implorat : *Injuriam enim facit martyri, qui orat pro martyre*, inquit Innocentius III, cap. *Cùm Marthæ*, de Celebratione missarum; quod ex Augustino depromptum est. Tractatu enim 84 in Joannem, ait : *Idcò quippe ad ipsam mensam non sic eos* (martyres) *commemoramus, quemadmodùm alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus.*

2° Ad preces et commendationem martyrum Ecclesia lapsis pœnitentibus pœnas aliquas canonicas et temporales relaxabat, teste S. Cypriano.

3° Pro mensurâ charitatis, dilectionis et contritionis, easdem pœnas iisdem pœnitentibus eadem Ecclesia mitigabat et relaxabat; adeò ipsi semper fuit persuasum per charitatem hominem Deo gratum fieri eique reconciliari.

Probatur 3° ex SS. Patribus.

cipiendi Sacramenta; cùm hæc ab iis tantùm recipi possint, qui per Baptismum effecti sunt ejusdem Ecclesiæ membra, uti dictum est superiùs; ergo.

(Collet.)

Tertullianus in Apologetico, in fine. *Quis*, inquit, *non pati exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, et omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat : omnia enim huic operi delictæ donantur.*

Et lib. de Baptismo, cap. 16 : *Est*, inquit, *nobis etiam secundum lavacrum, sanguinis scilicet, de quo Dominus : Habeo*, inquit, *Baptismo tingi.... Hic est Baptismus qui lavacrum* (nempe aquæ) *et non acceptum repræsentat, et perditum reddit.*

S. Cyprianus, præfatione in librum de Exhortatione martyrii : *Nos*, inquit, *qui Domino permittente, primum Baptisma* (æquæ seu fluminis) *credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes et docentes hoc esse Baptisma in gratiâ majus, in potestate sublimius, in honore præstantius : Baptisma in quo baptizant Angeli, in quo Deus et Christus ejus exultant; Baptisma post quod nemo jam peccat; Baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat; Baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ Baptismo accipitur peccatorum remissio; in sanguinis corona virtutum.*

Et cap. 12 ejusdem tractatûs : *Quis*, inquit, *non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat.... Quanta est dignitas et quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus?*

Et epist. 73 ad Jubaianum, paulò post medium : *Numquid potest*, inquit, *vis Baptismi esse major aut potior quàm passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, et sanguine suo baptizetur?* Et postea : *Sciant catechumenos* (pro fide occisos) *nec privari Baptismi Sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis Baptismo, de quo et Dominus dicebat se habere aliud Baptisma baptizari : sanguine autem suo baptizatos, et passione sanctificatos consummari, et divinæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 3 : *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres, qui vel sine aquâ regno cœlesti potiuntur.*

Eusebius, lib. 6 Hist., cap. 14, ait mulierem quamdam, nomine Heraïs, adhuc catechumenam, per ignem Baptismum esse adeptam.

Denique S. Augustinus, lib. 1 de Animâ et ejus Origine, cap. 9 : *Nemo*, inquit, *fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo.*

Probatur denique ratione quam suggerit S. Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 15, quia nempe Baptismus aquæ vim habet delendi peccata, quia est in similitudinem mortis Christi, ad Rom. 6. At martyres non per figuram, sed per veritatem mortem pro Christo sustinent. *Jam verò*, ait S. doctor, *sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate, reverà non imitatione Christi* (ut fit in Baptismo aquæ) *mortem perpessi, nihil hujusmodi Sacramentis quæ sunt in aquâ, opus habuerunt ad salutem, nimirùm in proprio sanguine baptizati.*

Tertia pars, nempe martyrium ex opere ipso operato efficax esse, probatur.

1° Quia ex citatis modò testimoniis, martyrium Baptismo aquæ comparatur, imò et illo excellentius esse dicitur; sicut ergo Baptismus aquæ agit ex opere operato, ita et Baptismus sanguinis.

2° In infantibus propriæ dispositionis incapacibus, non aliâ ratione agere potest martyrium, quàm vi propriâ seu ex opere operato; ergo et in adultis.

3° Si tota martyrii vis et efficacia esset à charitate, inutilis foret divisio Baptismatis in Baptismum flaminis et sanguinis, siquidem unum cum alio confunditur : namque tota Baptismi flaminis vis est à Spiritu sancto, per charitatem diffusam in cordibus; at non alia foret efficacia martyrii, si ageret tantùm ex opere operantis, seu ex charitate, ex cujus motivo elicitur.

4° Potest esse intensior charitas in confessoribus, quàm in aliquibus martyribus, neque tamen illi martyrii palmam reportant, et inter martyres computantur et honorantur.

5° Denique, quia videtur hæc esse S. Thomæ sententia, tum in Summâ, 3 parte, q. 87, art. 1 ad 2, ubi docet, *dormienti dimitti peccata mortalia et venialia ratione mortis illatæ pro Christo, modò non invenerit voluntatem peccato actu adhærentem.* Ergo censet effectum martyrii produci virtute ipsius operis, non dispositionis quæ sit in martyre.

Tùm 2-2, q. 124, art. 1, ad 1 : *Effusio sanguinis propter Christum*, inquit, *vicem gerit Baptismatis. Unde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita et in occisis propter Christum, meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam.* Sicut ergo Baptismus agit ex opere operato, ita et martyrium.

Tùm in 4, dist. 4, q. 3, ad 1 : *Non habet hoc*, inquit (nempe liberationem à culpâ et pœnâ), *tantùm ex opere operante, neque quantùm ad pœnam quâ aliquis peccatum per martyrium expiet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato; neque quantùm ad devotionem justæ voluntatis, quia contingit quòd voluntate majori charitate informatâ, aliquis sine martyrio non potest ab omni pœnâ liberari, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi.*

Ultima denique pars, nempe requiri in adultis prævias aliquas dispositiones, ut martyrii plenum consequantur effectum.

Probatur 1° ex Apostolo, 1 Corinth. 13, v. 3 : *Si tradidero*, inquit, *corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ergo requiritur prævia charitas saltem inchoata et initialis.

Favet Tertullianus, lib. adversùs Praxeam, c. 1, ubi de illo ait : *Homo fuit inquietus; insuper de jactatione martyrii inflatus, ob solum et simplex et breve carceris tædium; quando etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens.*

Favet S. Thom., 3 parte, q. 66, art. 12, ad 2 : *Ef-*

fusio sanguinis, inquit, *non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate.*

Favet conc. Trid., sess. 14, cap. 4, ubi ait contritionem quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum.

2° Mors pro Christo inflicta et tolerata in schismatico vel hæretico, peccatum hæresis aut schismatis priùs non remittit, quàm homo Ecclesiæ catholicæ fuerit aggregatus; neque valet ejusmodi martyrium charitate destitutum ad regnum cœlorum obtinendum, sed tantùm ad mitius in inferno supplicium subeundum, sicut expressè docet S. Augustinus, lib. de Patientiâ, cap. 26. Ergo pariter in catholico peccatore peccata non dimittit martyrium, sine virtuali saltem pœnitentiâ ac peccatorum detestatione, seu aversione voluntatis à malo.

3° Id probat praxis et disciplina Ecclesiæ, quæ instante vel sæviente persecutione, curabat martyres nondùm baptizatos baptizari, aut nondùm per pœnitentiam reconciliatos, reconciliari ac Eucharistiæ participatione muniri, ut nimirùm his præsidiis confirmati et roborati, paratiores essent et alacriores ad supplicia pro Christo constanti animo toleranda. Ita colligimus ex S. Cypriano, epistolâ 54 ad Cornelium. Hinc est quòd martyres in carceribus detenti postulabant à sociis baptizari : ita sanctus Romanus statim pro Christo trucidandus, sanctum Laurentium sollicitabat : *Festina*, inquiebat, *me baptizare.* Nonnulli quoque ad tempus sese occultabant, non quidem ut martyrium declinarent, sed ut baptizari possent, quemadmodùm de quodam Antonio refert Usuardi martyrologium, ad diem undecimam kalendarum septembris : omnes denique precibus jejuniis, orationibus ac bonis operibus præparabant se, ut digni haberentur qui pro Christi nomine contumeliam paterentur, ut dicitur Act. 5, v. 41.

4° Martyrium verus est Baptismus, et quidem aquæ Baptismo præstantior; ergo tam requirit in adultis prævias dispositiones, quàm Baptismus aquæ.

5° Denique, ut valeat in adultis martyrium, debet esse voluntaria et supernaturalis Christi confessio; est enim actus fortitudinis et charitatis : atqui non potest illa confessio esse voluntaria et supernaturalis sine virtuali saltem peccatorum detestatione.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° contra primam partem conclusionis : Martyrium est actus fortitudinis et charitatis : atqui infantes sunt incapaces ejusmodi actuum; ergo et martyrii.

Resp., dist. maj. : Martyrium est actus fortitudinis et charitatis in adultis, concedo; in infantibus subdistinguo : ex parte operis operati, seu pœnæ in odium Christi inflictæ, concedo ex; parte operis operantis, nego. Satis enim est in infantibus ad laudem et præmium martyrii reportandum, quòd in odium Christi occisi sint.

Instabis. Generalis est hæc Christi sententia, Joan. 3, v. 5. *Nisi quis renatus fuerit*, etc. Ergo sine Baptismo nemo salvus esse potest. — Resp. non minùs generalem esse hanc Christi sententiam, Matth. 10, v. 32 : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Sanguinis ergo Baptismus supplet vices Baptismi aquæ.

Objicies 2° contra secundam partem : Tertull., lib. de Pudicitiâ, cap. ultimo, negat martyrium verum esse Baptisma. Cùm enim nonnulli in vinculis pro fide Christi detenti mœchis pœnitentiæ tempus relaxari postularent, negat id fieri debere : *Quod si est*, inquit, *jam et martyrium aliud erit Baptisma.*

Resp. 1° Tertullianum in citato libro de Pudicitiâ audiendum non esse, qui ad Montani partes desertâ Ecclesiâ jam tum defecerat.

Resp. 2° citato in loco hoc unum duntaxat velle, nempe non esse propter martyrum merita et preces, omninò relaxandam lapsis pœnitentiam. *Sufficiat*, inquit, *martyri propria delicta purgâsse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus.* Quanquàm et in hoc aberrat Tertullianus, quòd nolit in gratiam martyrum lapsis quamdam concedi indulgentiam seu pœnas relaxari : Montanista enim factus, existimabat non posse ab Ecclesiâ peccata dimitti. De eàdem intempestivâ indulgentiâ nonnunquàm conquestus est S. Cyprianus ex amore disciplinæ, non ex desperatione indulgentiæ : non negabat enim posse et debere aliquando Ecclesiam in gratiam martyrum lapsis aliquam pœnarum canonicarum partem relaxare, sed ægrè admodum ferebat totam relaxari, ita ut sine ullâ pœnitentiâ statim ad participationem mysteriorum admitterentur; unde Ecclesiasticam disciplinam enervari ac pessumdari conquerebatur.

Objicies 3° contra tertiam partem : Martyrium est actus perfectissimæ charitatis, *Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, inquit Christus, Joan. 15, v. 13. Ergo martyrium agit ex opere operantis, non ex opere operato.

Resp. Dist. ant. : Est actus perfectissimæ charitatis, objectivè, aut effectivè, quæ ex martyrio sequatur, concedo : elicitivè, aut quæ antecedat, nego. Mors quippe subeunda pro Christo objectum est arduum ac difficillimum, unde maximam vi suâ charitatem producit; at non semper profluit ex maximâ charitate elicitivè. Reverà eam aliquando supponere potest, ac etiam supponit, sed non necessariò : namque ex corrupto nonnunquàm principio, puta ex superbiâ, ostentatione ac vanâ glorià, etc., potest quis mortem sustinere; unde vulgare effatum, *martyrem non facit pœna, sed causa.* Supponit igitur martyrium charitatem saltem inchoatam et imperfectam, tanquàm dispositionem necessariam : quòd si contingeret eam perfectam esse, adhuc virtute pœnæ martyrium ad delendam omnem pœnam efficaciter influeret. *Ad actum martyrii*, ait S. Th. 2-2, q. 124, a. 2, ad 2, *inclinat quidem charitas, sicut primum et principale motivum per modum virtutis imperantis, fortitudo autem sicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde est quòd martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis : inde etiam est, quòd utramque virtutem ma-*

mfestat. Quòd autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut et quilibet virtutis actus ; et ideò sine charitate non valet.

Instabis 1°: S. Cyprianus, epistolâ 54 ad Cornelium jam laudatâ, asserit lapsos reconciliandos priùs esse, quàm ad martyrium subeundum accedant ; refellitque eos qui contendebant martyrium sufficere. *Nec quisquam dicat*, inquit, *qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur*. Ergo existimat sanctus ille martyr, martyrium ex se seu ex opere operato efficax non esse, sed ex opere operantis duntaxat, ratione charitatis.

Et S. Bernardus, epistolâ 77 ad Hugonem de S. Victore : *Pro certo*, inquit, *cùm non aliunde martyrium nisi ex fidei merito illam obtinuerit prærogativam, ut singulariter vice Baptismi securè suscipiatur; non video cur non ipsa* (nempe fides) *æquè et sine martyrio apud Deum tantùmdem possit.*— Resp. ex his hoc unum colligi posse, quod probavimus, nempe prævias in adultis conditiones exigi ad effectum martyrii obtinendum. Neque verò martyrium dispensat à perceptione sacramenti Baptismi et Pœnitentiæ, cùm adest ea percipiendi facultas ; imò martyres ad fidem constanter confitendam, ac pro Christo mortem obeundam inde magis idonei fiunt, quo majori ex Sacramentis gratiâ roborantur, ac veluti ad victoriam præformantur.

Instabis 2° : Martyrium consistit in morte pro Christo inflictâ et toleratâ : sed mors pro Christo supponit charitatem, charitas autem primam gratiam ; igitur martyrium vi propriâ primam gratiam non confert, nec consequenter delet peccata ex opere operato.

Confirmatur : Quia vel martyrium consistit in morte, vel in voluntate supernaturali subeundæ mortis præsentis pro Christo : atqui non potest consistere in istâ voluntate; aliàs posset quis ab acceptâ semel per tale propositum martyrii gratiâ excidere, ut contigit uni ex quadraginta martyribus, quorum martyrium celebrat Ecclesia die 9 martii : attamen istud consequens negatur à S. Cypriano, præfatione in librum de Exhortatione martyrii, et à S. Gregorio Nazianzeno, orat. 39, quæ est in sancta lumina, ubi ait martyrium esse Baptismi genus *cæteris eo præstantius, quòd nullis postea sordibus contaminatur*.

Quòd si in morte consistat, vix potest explicari quandonam gratiam producat ex opere operato. Quod enim agit ex opere operato, debet esse perfectum, et in facto esse, ut aiunt : atqui mors, quando perfecta est ac completa, nihil producere potest cùm homo tunc sit extra statum viæ.— Resp. 1° : Nego maj. Pro martyribus enim olim habebantur, qui quodlibet pro Christi fide supplicium, etsi ad mortem non esset tolerâssent. Sic Praxeas à Tertulliano, l. adversùs eum jam citato, cap. 1, dicitur *de tolerantione martyrii inflatus, ob solum et simplex et breve carceris tædium*. Sic apud Eusebium, lib. 5, c. 19, inter adversùs subscriptiones concilii quod habitum est adversùs Montanistas, legitur subscriptiones aphrygas seu Montanistas, legitur subscriptiones Aurelius Cyrenius martyr. Sic Marcellus Papa, die 16 januarii, Sylverius, die 16 junii, Martinus II, die 12 novembris, tanquàm martyres ab Ecclesiâ coluntur, qui tamen à tyrannis occisi non sunt.

Meritò igitur dici potest martyrium consistere in voluntate supernaturali subeundæ mortis præsentis pro Christo ; neque contrarium evincit prima instantiæ confirmatio : namque ut voluntas illa palmam martyrii reportet, debet esse constans, et non mutari. SS. autem Cyprianus et Gregorius Nazianzenus loquuntur de voluntate firmâ et perseverante, seu de martyrio per mortem consummato. — Resp. 2°. Dist. maj. Martyrium consistit in ipsâ morte inchoatâ, seu in illis lethalibus vulneribus ex quibus mors naturaliter sequitur, concedo ; in ipsâ morte perfectâ et physicè consummatâ, subdistinguo : quantùm ad omnem effectum martyrii, gloriam scilicet et consummatam gratiam, concedo ; quantùm ad ipsam gratiam et remissionem peccatorum, tàm ratione culpæ quàm pœnæ, iterùm distinguo : consistit in ipsâ morte, id est, in ipso instanti separationis animæ à corpore, concedo ; post separationem animæ à corpore, nego. Distinguo min. Atqui mors suppon gratiam, mors consummata et in facto esse, concedo ; inchoata, iterùm distinguo : aliquando supponit gratiam et charitatem perfectam, concedo ; semper et necessariò, nego. Consistit igitur martyrium, ipsiusque gratia in eo agonis Christiani instanti confertur, in quo licèt actu non sit mors, cursus tamen vitæ et martyrii certamen consummatur, ob inevitabilem mortis jamjam impendentis necessitatem : quòd si contingat martyrem accepto lethali vulnere aliquamdiù in vivis superstitem permanere, tunc plenam martyrii gratiam assequetur, quando ex inflicto vulnere vitam cum morte commutabit; et ita SS. Pontifices mox enumerati ut martyres veri coluntur, quia etsi statim à tyrannis occisi non sint, iis tamen ærumnis ac laboribus sunt afflicti propter Christum, ex quibus tandem mors secuta est.

Hinc patet solutio ad secundam confirmationem : plenitudo enim martyrii conferri solet in instanti separationis animæ à corpore. Neque hìc subtiliùs ac morosiùs inquiri debet, quale sit illud ultimum instans martyrii, an sit primum hominis non esse, vel ultimum esse illius : satis est quòd instans dissolutionis seu separationis animæ à corpore Deo sit perspectum.

Instabis 3°: Si martyrium agit ex opere operato, ergo est verum Sacramentum.—Resp. : nego conseq. : Tùm quia martyrium non est ordinarium remedium à Christo institutum ad remissionem peccatorum ; tùm quia certam non habet verborum formam, sicut cætera Sacramenta ; tùm quia per ministros Christi non confertur, sed potiùs per ministros diaboli (1).

(1) Non abs re erit hìc proferre rationes quibus sententia docens martyrium non agere ex opere operato, quantùm ad remissionem culpæ, propugnari potest. Sic eam defendit Collet :

« Conclusio. Martyrium quasi ex opere operato supplet Baptismi vices in infantibus, et in ipsis etiam adultis, quantùm ad relaxationem pœnæ peccato de-

Objicies 4° contra quartam conclusionis partem. Tam efficax est martyrium in adultis, quàm in parbitæ, an quantùm ad remissionem culpæ non omninò constat.

« Dixi, *quasi ex opere operato*, quia operari strictè et propriè ex opere operato, iis solùm divinæ misericordiæ instrumentis competit, quæ important actionem nomine et vice Christi tanquàm principalis agentis exercitam : id autem in solis Sacramentis locum habet, non in martyrio, quod à tyrannis non in nomine et vice Christi, sed potiùs dæmonis infertur. Jam

« Prob. prima pars : Martyrium ex dictis supplet Baptismi defectum in infantibus : atqui non supplet ex opere operantis; ergo superest ut supp'eat vel ex opere operato, vel per modum operis operati, seu, ut alii dicere malunt, ex singulari privilegio.

« Prob. secunda pars : Per martyrium remittitur tota pœna temporalis, unde injuriam facit martyri, qui orat pro martyre; atqui tota hæc pœna non remittitur nisi ex opere operato, ad sensum expositum, qui deinceps subintelligetur. Vel enim tota pœna remittitur vi operis operati, vel propter vim satisfactoriam pœnæ, vel demùm propter fervorem charitatis : atqui nullum è postremis duobus dici potest. Non primum : gratis enim dicitur quod mors lenis, puta capitis abscissio, sit plena et idonea satisfactio pro gravissimis sceleribus, quibus se quis toto longæ vitæ decursu fœdaverit, et ex quibus ipsam mortem, eamque per graviora quæque supplicia inferendam promeruerit. Non secundum : multi enim S. confessores ardentiori charitatis æstu perusti sunt quàm martyres multi; nec ideò tamen indulgentiam pœnæ temporalis peccatis antea commissis debitæ consecuti sunt; ergo.

« Prob. tertia pars : In materiâ quæ non spernendis hinc et inde momentis fulcitur, nihil est quòd certò constet : atqui in præsenti materiâ, utraque pars contradictionis rationibus minimè spernendis fulcitur. Qui enim martyrium negant ad salutem prodesse, secluso veræ charitatis actu quo acceptetur mors in odium Christi illata, arguunt et pugnant, nec improbabiliter, 1° ex his Pauli verbis, 1 Cor. 13 : *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, ex quibus colligit S. Thomas, 3 p., q. 66, art. 12, ad 2, *quòd effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate. Ex quo*, pergit S. doctor, *patet quòd Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, et non è converso : unde ex hoc ipso probatur perfectior.*

« Reponunt quidem adversarii cum Goneto, hic, disp. 1, n. 163, martyrium, tametsi feratur sine charitate antecedente, nunquàm tamen esse sine charitate consequente : quia in eo qui solùm attritus est de peccatis suis semper producitur charitas vi martyrii ipsius.

Verùm hæc responsio duplici ex capite nutat : 1° quòd supponit id quod in quæstione est; 2° quòd directè adversatur S. Thomæ. Siquidem disertè docet Angelicus præceptor in Baptismo sanguinis contineri et Baptismum flaminis; ex quo ulteriùs infert sanguinis Baptismum Baptismo flaminis esse perfectiorem : atqui si Baptismus sanguinis non aliam haberet charitatem quàm quæ ipsius martyrii effectus sit, jam nec contineret Baptismum flaminis; cùm iste prævios intensæ dilectionis actus supponat, ut fatentur omnes, nec esset eo perfectior, cùm Baptismo flaminis admodùm intenso major respondere possit gratia quàm martyrio; ergo.

« Confirm.: S. doctor, 2-2, q. 124, art. 2, sic habet ad 2 : *Ad actum martyrii inclinat quidem charitas, sicut primum et principale motivum per modum virtutis imperantis; fortitudo autem sicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde est quòd martyrium est actus charitatis ut imperantis; fortitudinis autem ut elicientis... Quòd autem sit meritorium hoc habet ex charitate, sicut et quilibet virtutis actus; et ideò sine charitate non valet :* atqui charitas quæ inclinat ad actum martyrii, quæ est martyrii primum et principale motivum, quæ martyrium imperat, à quâ martyrium habet quòd sit meritorium, necessariò martyrium antecedit; ut benè notat, qui tamen nobis adversatur Contensonius; ergo.

« Arguunt 2° : Quia martyrium sine charitatis actu justificare non potest, nisi id ita sit à Deo constitutum : atqui Deum id ita constituisse, nec ex Scripturâ probari potest, nec ex Ecclesiæ definitionibus, nec ex assertione Patrum.

« Non ex Scripturâ : hi enim textus : *Qui me confessus fuerit : Qui perdiderit animam suam*, tacitam hanc important conditionem quoad adultos : Qui me confessus fuerit, *ut par est;* prout fatentur adversarii, qui ideò volunt omnes adultum acceptare mortem ex motivo pio et supernaturali, et cum attritione, seu *formidolosâ*, ut alii dicunt, seu *dilectrice*, ut placet quibusdam : atqui nullibi declarat Scriptura eum qui ex motivo à motivo charitatis diverso et inferiore mortem acceptat confiteri Christum *ut par est;* imò contrarium in allato S. Pauli textu docere videtur; ergo.

« Non ex Ecclesiæ definitionibus : cedo enim vel unam seu generalem, seu particularem synodum, cedo vel unum è Romanis pontificibus, qui mortem in odium Christi illatam, et ex solo inferi metu aut gloriæ desiderio, citra amorem Dei propter se acceptatam, definierit ad peccati remissionem sufficere.

« Non ex Patribus : hi enim plus quidem martyrio tribuunt efficaciæ quàm Baptismati : sed non dicunt efficaciam hanc martyrio competere independenter ab actu charitatis : imò plures saltem vim illam perfectæ Christi dilectioni attribuunt. Sic Tertullianus, lib. adversùs Praxeam, c. 1 : *Etsi*, inquit, *corpus suum tradidisset exurendum* Praxeas, *nihil profecisset, dilectionem Dei non habens;* et Scorpiaci, cap. 6 : *Propterea*, inquit, *martyribus nihil jam reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat, ex totâ animâ suâ, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit :* ubi quæ martyrio inest vis delendi peccata tribuitur perfectæ Dei dilectioni ex quâ martyrium libenter suscipitur. Sic Augustinus, lib. 4 de Bapt., c. 17 : *Numquid potest*, inquit Cyprianus, *vis Baptismi major esse aut potior quàm confessio, quàm passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, et sanguine suo baptizetur? Et tamen*, inquit, *neque hoc Baptisma hæretico prodest..... quia charitatem non habuisse convincitur, de quâ Apostolus dicit :* Etsi tradidero corpus meum, etc.; ibid., lib. 3, c. 16, ad hæc Apostoli verba : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, sic loquitur : *Ipsa est charitas quam non habent qui ab Ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt, ac per hoc, etiamsi... tradunt corpus suum ut ardeant, nihil eis prodest.* Ubi ad effectum martyrii prærequiritur ut martyri inexistat vera et intensa charitas; et lib. 13 de Civ. Dei, cap. 7, post hæc verba quibus perperàm innituntur adversarii : *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm si abluerentur sacro fonte Baptismatis*, hæc addit paulò post quibus præcedens propositio ad eos qui ex amore mortem subeunt determinatur : *Sed quando sine abundantiâ gratiæ Spiritûs illius qui ubi vult spirat, tantùm Christum amare possunt, ut eum in tanto vitæ discrimine, sub tantâ spe veniæ negare non possint.* Sic S. Bernardus, epist. 77 ad Hugonem Victorinum : *Etsi*, inquit, *martyrium vicem Baptismi posse implere conceditur, non plenè hoc facit pœna, sed ipsa fides*, utique quæ per dilectionem operatur; *nam absque ipsâ quid est martyrium nisi pœna. Quæ ergo martyrio præstat, ut absque ullâ dubietate pro Baptismate reputetur*, quomodò *ipsa ita infirma*

Resp. Idem argumentum de Baptismo aquæ retorqueri posse, qui in adultis prævias exigit dispositiones, non verò in parvulis; nec alia quærenda est hìc ratio, quàm ipsamet adultorum et infantium conditio diver-

et imbecillis per se erit, ut quod dare alteri valet sola non valeat obtinere? Ubi martyrium justificandi vim totam habet ex eâ fide quæ *per se* et extra martyrium justificare valet.

« Arguunt 3°, quia præceptum charitatis obligat sub mortali in articulo mortis; ergo martyr qui charitatis actum non eliceret peccaret lethaliter, nedùm martyrii gratiam reciperet. Quod enim reponit Gonet, n. 164: Martyres per accidens *ab hàc obligatione liberari*, et gratis dicitur, et habet nescio quid quod offendat.

« Arguunt 4°, quia, ex omnium consensu, ea solùm passio martyrium est, quæ est mors pro Christo tolerata: atqui mors pro Christo tolerata, est mors tolerata ex affectu amoris amitiæ erga Christum. Prob. min., quia mori pro aliquo, v. g., pro amico, in sensu obvio maximè et naturali, est mori ex affectu amicitiæ erga ipsum; uti apertè supponit Christus ipse, Joan. 15, cùm ait: *Majorem hàc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* ubi animam ponere pro amicis, est illam ponere ex ipsorum dilectione, et quidem tantà, ut ii rebus omnibus, ac ipsi vitæ præponantur.

« Et verò qui mortem sibi in odium Christi illatam acceptaret, non ex amore amicitiæ, sed ex inferiori motivo, puta ex solo damnationis metu, solove cœlestis gloriæ intuitu, is nonnisi impropriè diceretur mori pro Christo, sed meliùs pro amore sui, cui vel pœnam timet, vel bonum exoptat. Esset quidem utrumque, nempe metus ille, aut desiderium beatitudinis, bonum quid et maximè ordinatum: sed quæritur an bonum illud, quod ad justificationem non sufficit extra martyrium, ad eamdem sufficiat in martyrio. Volunt id adversarii, sed non evincunt. Ne verò momenta eorum, quæ fortè graviora sunt, quàm videantur nobis, dissimulâsse incusemur.

« Pugnant illi 1° ex ipso S. Thomâ, qui in 4, dist. 4, q. 3, art. 3, quæst. 3, ad 1, sic loquitur: *Baptismus sanguinis non habet hoc*, id est, à culpâ omni et pœnâ solvere, *tantum ex opere operantis..... sed hoc habet ex imitatione passionis Christi*: quod ibid. repetit, q. 4, et in qq. ad Annibaldum.

« 2° Quia Christus morti pro se toleratæ vitam æternam promittendo, nec amorem sui super omnia requisiit, nec adultos inter et infantes distinxit: atqui ex supra concessis Baptismus in infantibus operatur ex opere operato; ergo et in adultis. Et verò si valet argumentum istud: Baptismus infantes justificat ex opere operato, ergo et adultos, debet valere et istud: Martyrium infantes justificat vi suâ, ergo et adultos.

« 3° Quia Patres parem, quin et majorem martyrio tribuunt vim, quàm Baptismo: atqui fictitia erit vis ea martyrii major, nisi operetur ex opere operato. Id enim quicum damnabitur homo iis in circumstantiis in quibus per Baptismum salvaretur, nequidem vim habebit Baptismo parem: atqui cum martyrio damnabitur homo.... Sit enim fidelis peccator, sed attritus tantùm, qui mori malit, quàm negare fidem, erit is verè martyr, quia pro Christo et fide morietur: atqui is tamen juxta adversarios non salvabitur, tametsi in iisdem circumstantiis per Baptismum salvandus esset; ergo.

Confirm. quia Ecclesia neminem temerè colit; colit autem ut martyres, omnes illos quos in confessione veræ fidei et unitate Ecclesiæ mortuos esse constat: atqui hos temerè, saltem aliquando, coleret ut martyres, si ad martyrium necesse foret mortem ex perfectæ charitatis motivo acceptari; cùm fieri facilè possit ut multi eam acceptent solo supplicii æterni metu; quod motivum ipse proposuit Christus, cùm dixit: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam.*

« 4° Quia si martyrium ex solo opere operantis conferret primam gratiam, jam Baptismus sanguinis non distingueretur à Baptismo flaminis; sed utrumque esset verum flaminis Baptisma, quia utrumque consisteret in actu dilectionis Dei super omnia propter se: atqui falsum est consequens, totique adversum theologiæ, quæ tria distinguit Baptismata; ergo martyrium primam gratiam conferre debet ex opere operato. Et verò si martyrium ex singulari Dei privilegio habet quòd peccata omnia remittat quoad reatum pœnæ temporalis; quidni dicatur habere privilegium ea remittendi quoad reatum culpæ.

« Verùm hæc et id genus alia quædam, non ita urgent, ut iis necessariò cedendum sit. Unde

« Ad primum: Patet ex dictis S. Thomam in Summâ, operum suorum postremo, recessisse, ut non semel, ab eâ quam primò tenuerat opinione: quod grave est contra adversarios præjudicium.

« Ad secundum: 1° Retorq. argum. Christus morienti pro se vitam æternam promisit, nullâ factâ mentione seu motivi supernaturalis, quo adultus acceptet mortem pro Christo, seu saltem contritionis imperfectæ, per quam idem adultus admissa à se peccata detestetur: atqui tamen fatentur adversarii non prodesse martyrium, nisi ex motivo supernaturali acceptetur, et annexam habeat contritionem, ad quam eorum alii initium quoddam charitatis requirant, alii solum pœnæ timorem sufficere putant; ergo.

« Si dicant conditiones illas satis involvi in his verbis: *Qui me confessus fuerit*, etc., dicam et in his involvi conditiones quæ à nobis requiruntur; præsertim cùm id non ineptè adstruant probationes quas primo et tertio loco adduximus. Unde 2° neg. maj. pro primâ parte.

« Ad secund. part.: Dico vel allata Scripturæ loca non comprehendere parvulos; vel quod verius est, ita parvulis et adultis uno et eodem tenore vitam æternam polliceri, ut aliquos pro his, nullos pro illis actus supponant. Dicimus autem in adultis supponere affectum charitatis, ex quo mori malint quàm Christum negare, si justi sunt; si verò injusti et peccatores, cum affectu charitatis contritionem perfectam, quâ de peccatis doleant ob Deum propter se summè dilectum.

« Nec valet paritas à Baptismo petita: quia quam habet Baptismus vim parvulos ex opere operato justificandi, hanc ex eo habet quòd est Sacramentum: porrò non minùs pro adultis Sacramentum est, quàm pro infantibus: secùs de martyrio.

« Ad tertium: Dist. 1° maj. Patres vim tribuunt martyrio quàm Baptismo majorem, quia martyrium non modò reatum culpæ diluit, sed et totius pœnæ reatum; item quia martyrium ad altiorem sanctitatis et gloriæ gradum evehit quàm Baptismus, concedo; quia martyrium hos habeat effectus ex opere operato, et citra maximas martyris dispositiones, nego. E contra enim Patres vim et effectus martyrii referunt in ardentem charitatem, ex cujus affectu adultus Christum rebus omnibus ac propriæ etiam vitæ anteponit. Atque hinc diluitur reliqua objectio. Imò, si memini, non colunturur hodiè martyres nisi miraculis conspicui.

« Ad confirm.: 1° Non colit Ecclesia solemni cultu et absoluto eos omnes, qui ne christum negarent, mortem oppetunt. Novit enim ipsa, et novimus nos, qui Algerii, et in diversis mundi partibus hâc de causâ trucidati sunt, et qui tamen hâc cultûs specie non donantur.

« 2° Esto Ecclesia non examinet an martyr mortem sibi in odium Religionis illatam tulerit ex affectu charitatis; sed neque examinat utrùm hanc saltem passus sit ex motivo quopiam honesto et supernaturali; et tamen motivum hoc necessarium esse volunt adversarii, quorum etiam plures non tam quoad substantiam,

sa, quâ fit ut adulti suî compotes debeant Sacramenta volentes percipere, adeòque cum iis animi præparaquàm quoad gradum differunt à nobis. Itaque si hæc minutiùs non vellicat et expendit Ecclesia, non quia martyrium in adultis operari credat ex opere operato; cùm id saltem dubium sit, et pro dubio haberi sinat Ecclesia, sed quia ex eo quòd adultus in unitate fidei et Ecclesiæ mortem sibi in odium Christi illatam patienter toleravit, et ex aliis circumstantiis sufficienter judicat, adultum hunc ex ferventi erga Christum charitate mortem tolerâsse; quo quidem in judicio errare non potest Ecclesia propter infallibilem S. Spiritûs assistentiam.

« Ad quartum : Neg. maj. Satìs enim distinguuntur, quæ distinguuntur ut continens et contentum : porrò in hypothesi nostrâ sic distinguuntur Baptismus flaminis et sanguinis; hic enim illum continet cum addito, non è contra.

« At, inquies, in opinione nostrâ damnabitur adultus peccator pro fide moriens ex solo, v. g., gloriæ cœlestis desiderio, si non habeat contritionem perfectam, aut saltem, si peccatorum oblitus, non diligat Deum super omnia propter se.

« Respondet P. Simonnet, non infimus è Soc. Jesu theologus, 1° *adultum peccatorem in hâc hypothesi damnatum iri, quia desiderium gloriæ cœlestis, etiam efficax, non sufficit ad justificationem peccatoris adulti, etiam pro fide morientis, sine dilectione Dei super omnia propter se.*

« Respondet 2° idem negando hypothesim ut impossibilem saltem moraliter. Quia, inquit, moraliter fieri non potest, ut adultus mortem in odium Christi illatam ex motivo honesto toleret sine aliquâ Christi dilectione, eâque perfectâ, secundùm id Joan. 15 : *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ponat quis pro amicis suis.* Et verò adultus ille non acceptat mortem ex cœlestis gloriæ desiderio, sine præveniente, et cooperante Spiritûs sancti gratiâ, quæ eum potenter inflammet : quis porrò hominem eò usque adjutum, non sic adjuvari putet, ut ad intensum Dei propter se amorem provehatur; ergo, ait idem theologus, nunquàm secundùm ordinariam Dei providentiam continget, ut adultus peccator ex solo gloriæ cœlestis desiderio, aut alio quovis motivo honesto et supernaturali, mortem in odium Christi illatam, sine perfectâ Christi dilectione acceptet atque patiatur.

« Unde colliges nostram hanc quæstionem non infiniti esse momenti; licèt ad id inservire possit, ut qui se martyrio vicinos esse sentiunt, peccata sua pro viribus detestentur, et corda sua, quo exquisitissimo poterunt charitatis sensu inflamment. Adde curandum non baptizatis, ut ociùs, si fieri potest, baptizentur, prout, instante martyrio, curabat S. Romanus, his ad S. Laurentium verbis : *Festina me baptizare.* Quin et si nunc abesset, paulò post adfutura ministri copia, satiùs esset occultare se ad tempus, ut perciperetur regenerationis gratia, prout fecit Antonius apud Usuardum in Martyrologio ad diem augusti 22. Et quoniam *spiritus promptus est, caro autem infirma*, nec orationi, nec bonis, cujuscumque illa sint generis, operibus parcendum, ut dignum, in contumeliis et vulneribus, Deo, angelis et hominibus spectaculum exhibeatur.

« Quæres an liceat offerre se martyrio, et aliquando subsit obligatio illud subeundi. — R. ad 1 : Non licet citra rationabilem causam, specialemve S. Spiritûs instinctum offerre se martyrio : 1° quia hoc vetuit Christus, Matth. 10, ubi ait : *Cùm persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam;* quòd fecère et sancti, ut Paulùs, qui pluries fugâ *manus* tyrannorum *evasit;* Athanasius, qui maximam vitæ partem in antris aut sepulcris delituit; et Christus ipse martyrum caput et exemplar, qui, ut habet idem Athanasius in Apologiâ de fugâ suâ, *non indignum putavit, cùm quæreretur, quemadmodum et nos abscondere se, et cùm persecutionem pateretur, fugere et insidias declinare.*

« 2° Quia qui martyrio sese offerunt sine justâ causâ, puta cùm inde nec infidelium conversio, cleri, nec Dei gloria, aut fidei exaltatio promoveri potest, et præsumptionis exhibent non parùm, cùm ultro ingerant se gravissimæ tentationi; et gratis tyrannorum peccato cooperantur, eorumque furori pabulum præbent; quod intrinsecè malum est. Unde arguendi qui jactis conviciis barbarorum sævitiam inflammant, nisi bonâ fide, ignorantiâ, vel speciali Spiritûs impulsu excusentur. Constat enim martyres duriusculè identidem insurrexisse in tyrannos etiam principes, ut patet in Machabæis.

« R. ad 2, urgere aliquando subeundi martyrii obligationem; ut 1° si vel moriendum sit, vel à fide, castitate aut similibus deficiendum; 2° si aliter fides vel religio conservari non possit; 3° si id necesse sit ad erigendos martyrum in tormentis deficientium animos, etc.

« Quæres iterùm quo instanti martyrium operetur quoad remissionem pœnæ, an instanti, quod sit primum hominis non esse, an instanti quod mortem præcedat, et sit ultimum esse martyris. — R. martyrium eâ operari brevissimâ temporis morâ, quæ mortem præcedit : quia licèt necdùm tolerata sit mors physicè, cùm homo necdùm egerit animam; est tamen idem homo moraliter consummatus : unde vel nihil ampliùs habet libertatis, vel, si quod fortè habet, confirmatur in gratiâ, ut jam subtrahatur peccato.

« An autem pari modo confirmaretur in gratiâ, qui, ut evangelista Joannes, morti per miraculum subduceretur, res est in thesauris Dei signata; ita tamen opinantur plerique, quia id postulat excellentia martyrii, et propensa Dei in milites suos munificentia. Monet tamen in opere jam citato Benedictus XIV, quòd, si quis *miraculosè à tormentis liberaretur quæ ipsi naturaliter mortem intulissent, et in pace moreretur; ad hoc ut inter martyres adscribi posset, juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam, probandum esset, eum tempore quo supervixit, nunquàm à charitate cecidisse, et in virtutibus heroicis se exercuisse, et pretiosâ deinde morte occubuisse.* Lib. 3, c. 12, n. 16 et seq. »

tionibus quas illorum sanctitas exigit : è contra infantes propriæ voluntatis nondùm capaces, sine ullo proprio motu ea percipere cum fructu possunt.

An et quomodò perfecta charitas includens votum Baptismi, vices ejus suppleat.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1° Baptismum flaminis seu spiritûs eum appellari, qui in perfectâ contritione seu charitate consistit, quæ quidem perfecta esse potest extensivè vel intensivè. Perfecta dicitur charitas seu amor Dei extensivè, quando Deus super omnia diligitur, et rebus omnibus anteponitur; perfecta verò intensivè, quando summâ intensione ac maximo conatu et affectu voluntas in Dei amorem rapitur : tanquàm enim rem certam et apud omnes exploratam hic supponimus contritionem imperfectam, quæ attritio nuncupatur, et nullam includit charitatem propriè ac strictè sumptam, non posse vices Baptismi aquæ supplere.

Observandum 2° perfectam illam charitatem et cordis contritionem spectari posse, vel in casu necessitatis, cùm impossibile est reipsà suscipere Baptismum; vel extra talem necessitatem.

Observandum 3° Baptismi votum seu desiderium duplex distingui posse : unum explicitum seu expressum, quo quis sciens quid sit Baptismus, actu expresso et elicito cupit baptizari, alterum implicitum et ge-

nerale, quo quis nihil de Baptismo sciens, sed efficaciter desiderans Deo in omnibus placere, sic animo est comparatus, ut omnia ejus mandata, cùm ad suam pervenerint cognitionem, adimplere velit : in isto quippe affectu includitur voluntas Baptismi, sicut et aliorum Dei mandatorum adimplendorum.

Observandum 4° duplicem esse inprimis aquæ baptismalis effectum, nempe remissionem omnis culpæ et pœnæ.

Observandum 5° sensum præsentis quæstionis non esse, an perfecta contritio Baptismi vices suppleat ex opere operato, et per modùm Sacramenti; nihil quippe hìc occurrit, quod non sit ex parte ipsius operantis : quòd ergo voluntas Baptismi suscipiendi pro Baptismo habeatur, non provenit ex naturâ rei ipsius, *sed ex misericordiâ Dei, qui propter fidem et desiderium quærentis salutem, complet in necessitate quod est ex parte Sacramenti*, ut rectè hìc observat Estius in 4 dist., 4 paragr. 17.

Sensus igitur quæstionis est utrùm perfecta contritio, sive extensivè sive intensivè talis sit, sive in necessitate sive extra suppleat vices Baptismi aquæ, quoad remissionem omnis pœnæ et culpæ : et quale requiratur Baptismi desiderium seu votum; an expressum et explicitum an implicitum in ipsâ contritione perfectâ inclusum sufficiat: circa quam controversiam non una est veterum et recentiorum opinio.

OPINIONES.

Fuêre inter veteres tam rigidi et severi defensores necessitatis Baptismi, ut existimaverint, nequidem in necessitate sufficere ad salutem, Baptismi desiderium ex charitate profectum.

Quarto seculo S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 40 in sanctum Baptisma, non longè à medio, ostendit iis qui vi aliquâ et inopinato casu à Baptismo excidunt, nihil prodesse votum seu desiderium Baptismi. Triplicem scilicet ibi distinguit ordinem eorum qui non sunt baptizati.

Primus est eorum qui ferarum more viventes, omnibus vitiis inquinantur, nec multùm curant de Baptismo; *ita ut*, inquit, *si ipsis datur, non gravatim accipiant ; si non detur, susque deque ferant.*

Secundus, eorum qui Baptismum quidem et honorant et desiderant, sed præ ignaviâ, et ut vitiis liberiùs indulgeant, diù protrahunt illum ac differunt.

Tertius, eorum qui rectè quidem vivunt, sed vel propter ignorantiam, vel propter tyrannidem à Baptismo exciderunt: *Tyrannis autem*, inquit, *nihil aliud est, quàm rei alicujus consequendæ inopinatò erepta facultas.*

Primi et secundi ordinis homines non baptizatos graviter puniendos fore asserit S. doctor, utpote qui Baptismum neglexerint, quanquàm leviùs aliis qui contempserunt: tertii verò ordinis, suppliciis quidem æternis non torquendos: quia nihil supplicii meruerunt, sed tamen æternam gloriam non consecuturos. *Postremi*, inquit, *nec cœlesti gloriâ, nec suppliciis à justo iudice afficientur, utpote qui licèt* (Baptismo) *signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potiùs fuerint, quàm fecerint.* Quod illustrat ibidem exemplo hominis, qui voluit quidem alium occidere, quem tamen de facto non occidit: voluntas illius apud judices pro facto non habetur; neque tanquàm reus homicidii plectitur.

In hoc postremo ordine supponit S. doctor hominem rectè viventem, carentem improbitate, qui non ex contemptu, neque ex negligentiâ, sed ex inopinato tantùm casu Baptismum non percipit, qui tamen nec suppliciis est afficiendus, cùm careat improbitate; (quâ nihilominùs non careret, si supponeret eum ex negligentiâ saltem à Baptismo excidisse) nec gloriâ donandus, quia caret Baptismo. Medium igitur aliquem locum putat esse pro ejuscemodi hominibus, sicut et pro infantibus morte immaturâ ante perceptum Baptisma raptis; adeòque putat votum seu desiderium Baptismi junctum cum vitæ probitate non sufficere ad æternam gloriam.

Nonnulli ex nostris conantur in benigniorem sensum inflectere sanctum doctorem, quasi supponeret eos de quibus tertio loco loquitur, non habere desiderium seu voluntatem percipiendi Baptismatis ex charitate seu contritione perfectâ; sed aliquam ex eorum parte causam subesse, propter quam baptismali gratiâ privati fuerint. Laudamus quidem eorum conatum, et optaremus posse S. doctoris verba in hunc sensum adduci; sed reclamat ipse contextus, reclamat ipse Nicætas hujus orationis commentator.

Quinto seculo Gennadius Massiliensis, qui verus est auctor libri de Dogmatibus Ecclesiasticis, apud S. Augustinum, tom. 8, in Appendice, c. 41, aliàs 74, docet catechumenum non salvari, etiamsi in bonis operibus vixerit, nisi Baptismo aquæ aut sanguinis fuerit purgatus.

Sexto seculo S. Fulgentius, epist. 12, ad Ferrandum diaconum, de Baptismo Æthiopis, eò etiam inclinare videtur, nempe votum Baptismi non sufficere ad salutem, etiam premente necessitate. Rogatus enim à Ferrando diacono, quid sentiendum foret de Baptismo cujusdam Æthiopis, qui in catechumenatu diù tentatus ac probatus subito morbo, sensu ac voce destitutus, in extremis baptizatus fuerat, respondet 1° rectè illum fuisse baptizatum, ac præcedentem fidei promissionem ac pietatem, quam revocâsse non censebatur, ei cum Baptismo sufficere ad salutem. Respondet 2° cap. 8, *illum sine Baptismi sacramento solâ confessione non potuisse salvari, qui enim crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Illum utique adolescentem, quia credidisse et confessum fuisse novimus, ideò per sacramentum Baptismatis salvum fuisse firmamus: qui si non baptizaretur, non solùm nesciens, sed etiam sciens, nullatenùs salvaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in Baptismate. Nam in illâ ætate, non solùm ei confessio sine Baptismate nihil prodesset, sed nec ipsum Baptisma non credenti neque confitenti ullatenùs proficeret ad salutem.*

Et lib. de Fide ad Petrum, cap. 3, sic loquitur: *Ex illo tempore quo Salvator noster dixit : Si quis renatus non fuerit*, etc., *absque sacramento Baptismatis, præter*

eos qui in Ecclesiâ Catholicâ sine Baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Clariora hæc sunt, quàm ut alium in sensum possint detorqueri.

Seculo decimo tertio, tempore S. Bernardi, fuêre qui contenderunt ex quo primùm à Christo dictum est : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., neminem absque percepto re Baptismo, vel, ejus vice, martyrio, ullatenùs salvari potuisse, etsi fortè quis cum verâ fide et contritione cordis illum expeteret. Ita testatur S. Bernardus, epist. 77 ad Hugonem Victorinum, à quo de istâ quæstione interrogatus fuerat.

Videtur tunc temporis excitata hæc quæstio, de quâ consultus est Innocentius III, et de quâ scripsêre ex professo S. Bernardus jam dictâ epistolâ, Hugo Victorinus, lib. 2 de Sacramentis, parte 6, c. 7 ; et Magister Sententiarum, lib. 4, dist. 4, litterâ D.

Inter recentiores, Michael Baius, aut quisquis auctor est propositionum quæ à Pio V et Gregorio XIII damnatæ sunt, existimat catechumenos ante perceptum Baptismum habere quidem posse perfectam charitatem et contritionem, sed peccatorum remissionem non obtinere nisi per Baptismum. Talis enim est propositio 31 : *Charitas perfecta, quæ est ex corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ, in catechumenis et pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.*

Estius, in 4, dist. 17, paragr. 2, docet peccata non remitti ordinariè ante actualem Baptismi, vel Pœnitentiæ perceptionem, etsi perfecta sit tum intensivè, tum extensivè charitas, sed rarò tantùm et in necessitate.

Pamelius, in Scholiis ad epist 54 S. Cypriani, fatetur quidem contritionem solam sufficere ad remissionem peccatorum in casu necessitatis, non verò extra necessitatem.

Sunt inter scholasticos, qui putant implicitum Baptismi desiderium sufficere ad justificationem ; sed ad vitam æternam obtinendam necessarium esse explicitum. Eò videtur inclinare Melchior Canus, relectione de Sacramentis in genere, art. 2, conclusione 3. Sunt qui implicitum solummodò sufficere volunt, sive ad justificationem, sive ad vitam æternam obtinendam. Ita Vega, lib. 5, super conc. Trid., c. 14 ; Vasquez et alii. Sunt qui factâ distinctione eorum quibus promulgata est lex Baptismi, et eorum qui penitùs illam ignorant, dicunt istis sufficere votum implicitum, aliis verò necessarium esse explicitum. Ita sentire videtur Dominicus Soto, in 4, dist. 5, q. unicà art. 2. Sunt denique, qui per votum Baptismi censent omnem culpam et pœnam remitti ; alii verò fatentur quidem culpam, negant verò pœnam omnem condonari. His ita expositis, sit

Conclusio. — Baptismus flaminis, seu perfecta charitas et cordis contritio includens votum Baptismi aquæ, illius vices supplet in adultis.

Probatur 1°, ex Scripturis quæ charitatis vim sæpiùs commendant. Joan. 14, v. 21 : *Qui diligit me diligetur à Patre meo, et ego diligam eum.* Ezechielis 18, v. 21 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... vitâ vivet et non morietur.* Et v. 30 : *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Rom. 10, v. 11 : *Omnis qui credit in illum, non confundetur.* Et v. 13 : *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Probatur 2° ex concilio Tridentino tribus in locis.

Sessione 6, c. 4, ubi docet, *post Evangelium promulgatum, nunquàm fieri translationem à statu veteris Adæ ad statum gratiæ, sine lavacro regenerationis aut ejus voto.*

Sessione 7, c. 4, de Sacramentis in genere, damnantur qui dicunt *sine Sacramentis aut eorum voto, per solam fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci.*

Denique sess. 14, c. 4, sic loquuntur Patres : *Docet præterea* (sancta synodus) *etsi contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur ; ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto quod in illâ includitur, non esse adscribendam.*

Atqui eadem est ratio contritionis ex charitate perfectâ ante Baptismum. Nam, cap. 2 de Pœnitentiâ dicitur : *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondùm regeneratis ipse Baptismus.* Sicut igitur contritio ex charitate perfectâ non tollit peccatum mortale post Baptismum, sine voto Pœnitentiæ; ita neque ante Baptismum, sine ipsius voto.

Ex his patet falsam esse, ac meritò à SS. pontificibus Pio V et Gregorio XIII proscriptam fuisse memoratam Baii propositionem.

Quin Innocentius III, qui sedere cœpit an. 1190, conclusionem nostram duobus decretis evidenter confirmat : primum est ad Metensem episcopum, et extat l. 3 Decretal., tit. 42, c. 4. Interrogatus scilicet quid sentiendum esset de quodam Judæo qui morti proximus seipsum baptizaverat, respondet 1° *quòd cùm inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, iste Judæus denuò sit baptizandus ab alio ;* tùm addit : *Quamvis si talis continuò decessisset, ad cœlestem patriam protinùs evolâsset propter Sacramenti fidem, et non propter fidei Sacramentum.*

Alterum decretum extat eodem libro, tit. 43, cap. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato, ubi sic respondet episcopo Cremonensi : *Si in sanctæ matris Ecclesiæ et Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solutum, et cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter.*

Tùm laudat auctoritatem SS. Augustini et Ambrosii ; monetque prædictum episcopum, *ut sopitis quæstionibus doctorum, SS. Patrum sententias teneat, et in Ecclesiâ suâ juges preces hostiasque Deo offerri jubeat pro presbytero memorato.*

Ex quibus, sicut et ex Hugone Victorino et S. Bernardo, videmus tunc temporis inter doctores quæstionem nostram excitatam et agitatam fuisse.

Probatur 3° ex SS. Patribus.

S. Cyprianus epist. 73 ad Jubaianum, supponit manifestè votum ac desiderium Baptismi vices ejus supplere. Cùm enim in eâ versaretur opinione, Baptismum ab hæreticis collatum nullum esse, hanc sibi proponit quæstionem : *Quid nempe fiet de his qui ab hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt* (et ita diem extremum obierunt)? Respondet Deum ex suâ indulgentiâ et misericordiâ eorum voluntatem supplere posse. Eadem planè mens fuit S. Dionysii Alexandrini in epistolâ ad Xistum S. P. apud Euseb., l. 7, c. 9.

S. Ambrosius, oratione funebri de obitu Valentiniani imperatoris sic loquitur : *Audio vos dolere, quòd non acceperit Sacramenta Baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudùm hoc voti habuit, ut antequàm in Italiam venisset, initiaretur, et proximè baptizari se à me velle significavit; et ideò præ cæteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam quam desideravit? Non habet quam poposcit? certè quia poposcit, accepit. Et ubi est illud? Justus quâcumque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit*, Sapientiæ 4. Et paulò post : *Quòd si martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas.* Denique post multa, converso ad eum sermone, ait : *Non quicumque te, sed Christus illuminavit gratiâ spirituali : ille te baptizavit, quia humana tibi officia defuerant. Plus adeptus es, qui minora te amisisse credebas.*

S. Augustinus, lib. 4 de Baptismo, c. 22 : *Invenio*, inquit, *non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat posse supplere; sed etiam fidem conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Et postea adducto latronis exemplo, sic pergit : *Quantùm itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus, corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; in illo latrone declaratum est : sed tunc impletur invisibiliter, cùm mysterium Baptismi non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Adducit quoque exemplum Cornelii, qui antequàm baptizaretur, justificatus erat.

Denique S. Bernardus ex professo epist. 77, conclusionem nostram demonstrat variis momentis, præsertim SS. Ambrosii et Augustini auctoritate. *Ab his*, inquit, *columnis, Augustinum loquor et Ambrosium, crede mihi, difficilè avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor, credens et ipse solâ fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi Sacramenti : si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviârit.*

Inde est quòd sacra Facultas Parisiensis, an. 1560, consulta circa propositionem istam : *Per contritionem perfectam, non adhibito realiter Sacramento Baptismi vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen, extra casum martyrii et necessitatis*, declarat judicio suo doctrinali, propositionem esse hæreticam.

Quæres 1° quale requiratur Baptismi votum seu desiderium; an explicitum seu expressum; an implicitum et generale sufficiat. — Resp. cum distinctione. Vel enim cognoscitur præceptum Baptismi, vel ignoratur invincibiliter : si posterius, sufficit votum implicitum quod semper includitur in contritione perfectâ. Sic, v. g., qui auditâ Evangelii prædicatione, de Baptismo tamen nihil audivisset, et fidem in Christum ex charitate perfectâ formatam haberet, ac statim migraret ex hâc vitâ, haud dubiè non haberet expressum Baptismi desiderium, cujus necessitatem supponitur ignorare invincibiliter; haberet igitur implicitum duntaxat et generale, cum quo salvus ille foret. Si verò cognoscatur Baptismi præceptum ejusque necessitas, votum illius expressum seu explicitum requiritur. Tùm quia id innuere videntur citata concilii Tridentini et SS. Patrum testimonia, quibus asserunt contritionem perfectam justificare cum voto Baptismi : atqui si de voto solùm implicito et generali loquerentur, inutile fuisset addere, *cum voto Baptismi;* statim enim ac quis supponitur habere perfectam contritionem, habet quoque generale desiderium adimplendi quidquid est à Christo præscriptum; ejusmodi quippe desiderium semper includitur in contritione perfectâ. Tùm quia votum medii quod ex ordinatione divinâ necessarium est ad salutem, debet esse diversum à voto rei ex solo præcepto necessariæ : atqui votum rei ex solo præcepto necessariæ debet esse saltem implicitum. Sic morti proximus debet saltem implicitum habere desiderium Eucharistiæ et Unctionis Extremæ, quia utriusque Sacramenti usum infirmis in vitæ periculo constitutis Christus imperavit; ergo votum rei quæ necessaria est absolutè seu necessitate medii, debet esse explicitum.

Verùm, inquies, numquid etiam requiritur explicitum desiderium mandata Dei observandi, quando cognoscuntur, et reipsà possunt adimpleri? haud dubiè. At hoc posito, quid discriminis erit inter votum Baptismi aut Pœnitentiæ, et aliorum mandatorum Christi? —Resp. 1° cæterorum Christi mandatorum desiderium non debere necessariò esse explicitum, sed implicitum sufficere. Resp. 2° quòd etsi necesse aliquando foret votum illud aliorum Christi mandatorum esse explicitum, adhuc id discriminis esset inter votum Baptismi, Pœnitentiæ, et aliorum mandatorum, quòd ex ordinatione divinâ Baptismi aut Pœnitentiæ votum suppleat vices illorum Sacramentorum; unde meritò concilium Tridentinum dixit *contritionem non justificare sine voto Baptismi aut Pœnitentiæ.* At votum aliorum mandatorum vices eorum nec supplet, nec effectus producit.

Quæres 2° an per votum Baptismi extinguatur omne debitum pœnæ temporalis subeundæ. — Resp. ex citatis SS. Patrum testimoniis id non constare : 1° Quia Scripturæ testimonia quibus pœnitentibus, credentibus, et nomen Domini invocantibus salus promittitur, cohærent cum onere persolvendi pœnam temporalem. 2° Quia Deus id tantùm supplere præsumitur, quod simpliciter et absolutè necessarium est : at totius pœnæ relaxatio non est ejusmodi. 3° Quia

Ecclesia pro catechumenis non baptizatis et defunctis orabat, sacrificia offerebat, quod pro Valentiniano fecit Ambrosius, et Innocentius III pro presbytero non baptizato fieri jussit. Contingere tamen potest, ut tantus sit fervor charitatis, tanta vis et intensio, ut omnis pœnæ remissionem impetret.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° : Communis fuit per quinque priora secula Ecclesiæ Romanæ et Hispaniæ mos, ut nec cum catechumenis qui sine Baptismo, nec cum pœnitentibus qui sine reconciliatione mortui fuerant, communicaret, nec pro iis et preces funderet et offerret sacrificium : sed aliunde oriri non potuit hæc disciplina, quàm ex persuasione votum Baptismi aut Pœnitentiæ supplere non posse vices utriusque Sacramenti.

Major videtur certa.

De Ecclesiâ Romanâ testis est S. Leo, epist. 82, aliàs 91, ad Theodorum Forojuliensem episcopum, ubi sic loquitur : *Si autem aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit ; et priusquàm ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humanâ conditione finierit, quod manens in corpore non receverit, consequi exutus carne non poterit.*

Testis Gelasius I, S. Pontifex : in concilio enim Romano celebrato pro absolutione Cumani episcopi hæc habet : *Nec nos jam mortuis veniam præstare deposcant, quod nobis possibile non esse manifestum est. Alia est causa superstitum, alia defunctorum.*

Testis Vigilius I, qui obiit an. 559, et Leoni ac Gelasio subscribit, quorum decreta ad calcem latæ à se constitutionis de tribus Capitulis, laudat et approbat.

De Ecclesiâ Hispanicâ constat ex concilio II Bracarensi, an. 563, c. 17, ubi sic legimus : *Placuit ut catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis, simili modo neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium : nam et hoc per ignorantiam usurpatum est.* —Resp. 1° ad maj : Ecclesiarum disciplinam hâc in parte variam fuisse, illæsâ semper et integrâ remanente fide.

Ecclesia Mediolanensis quarto seculo, pro Valentiniano sine Baptismo defuncto, jubente et hortante sanctissimo episcopo Ambrosio, preces publicas ac solemne sacrificium obtulit.

Ecclesia Carthaginensis idem testatur in suo IV concilio Carthaginensi an. 398, can. 79, ubi de pœnitentibus ita statuit : *Pœnitentes qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.*

Ecclesia Arelatensis idem quoque significat in suo II conc. Arelatensi an. 452, can. 12. *De his,* inquiunt Patres, *qui in pœnitentiâ positi vitam excesserunt, placuit nullum vacuum communione debere dimitti ; sed pro eo quòd honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur.*

Ecclesia Hispanica idem observavit in concilio XI Toletano an. 675, can. 12, his verbis : *De his autem qui acceptâ pœnitentiâ, antequàm reconcilientur, ab hâc vitâ recesserint, quanquàm diversitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nos sententias placuit sequi, qui multiplices numero de hujusmodi humaniùs decreverunt, ut et memoria talium in Ecclesiis commendetur, et oblatio pro eorum spiritibus dedicata accipiatur.*

Ecclesia denique Romana sexto seculo mutavit disciplinam à Leone et Gelasio priùs inductam. Tunc enim communicare cœperunt SS. Pontifices cum pœnitentibus, qui ante acceptam absolutionem obierant : tunc personas in hæresi, aut saltem in suspicione hæreseos mortuas ex albo fidelium deleverunt, idque post concilium V generale an. 553, cujus vestigiis adhærens concilium sextum, multos episcopos, dùm viverent, nequaquàm damnatos, post mortem excommunicationis sententiâ punivit, prohibuitque ne pro iis publicæ preces funderentur, aut offerretur sacrificium. Hujus disciplinæ meminit Innocentius III, extra. *De sententiâ excommunicationis*, c. 28, ubi sic respondet : *Post tamen et debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri*, (loquitur de homine, qui dùm viveret excommunicatione percussus fuerat) *ut si de ipsius viventis pœnitentiâ per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Idem Innocentius argumentum solvit, quo Leonis et Gelasii disciplina nitebatur. *Nec obstat*, inquit, *quòd Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi atque solvendi homines super terram, tanquàm non possit solvere et ligare sub terrâ sepultos ; et quòd legitur : Non communicetur mortuo, cui non est communicatum et vivo : cùm etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus Religionis, sed necessitatis articulus impedivit ; et in cæteris casibus à canonibus denotatis, ligâsse legatur Ecclesia mortuos, et solvisse.*

Resp. 2° ad min. : Nego causam denegatæ communionis iis, qui vel sine reconciliatione, vel sine Baptismo ex hâc vitâ migrâssent, hanc fuisse, quòd existimaverint veteres in necessitate votum Pœnitentiæ aut Baptismi non sufficere (neque enim ex desperatione indulgentiæ, ut ait S. Augustinus, sed ex rigore disciplinæ sic egerunt) : sed ut fideles majori studio, ardore ac vigilantiâ pœnitentiæ et catechumenatûs laboribus incumbentes, ad gratiam reconciliationis aut regenerationis citò percipiendam timore illius pœnæ adducerentur. Unde S. Leo de illis non desperat, sed eorum causam uni judicio Dei vult committi. *Nec necesse est*, inquit, *nos eorum qui sic obierunt, merita actusque discutere, cùm Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit.*

Objicies 2° auctoritatem S. Ambrosii, lib. de Mysteriis, c. 4, ubi sic loquitur : *Credit catechumenus in crucem Domini Jesu, quia et ipse signatur : sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs*

sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritalis gratiæ munus haurire.

Et lib. 2 de Abrahamo, c. 11, adducto loco S. Joan. : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. ; *Utique*, inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.*

Resp. ad primum, loquî S. doctorem de illis adultis, qui cùm possint et debeant baptizari, negligunt tamen vel etiam contemnunt Baptismum ; quos meritò ait sine Baptismo salvos esse non posse.

Ad secundum : loquitur tantùm de infantibus qui non possunt salvi fieri sine Baptismo actu percepto, (excepto casu martyrii), non verò de adultis, quod patet ex verbis istis immediatè sequentibus : *Habeant tamen*, inquit, *illam opertam pœnarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem.*

Quanquàm postrema verba, quibus dubitare videtur an infantes sine Baptismo defuncti habeant regni honorem, cùm sapiant errorem pelagianum, suspicari meritò possumus ab aliquo hæretico intrusa esse, ut scitè observant doctissimi Benedictini, quorum curâ et studio recognita sunt et prole mandata S. Ambrosii opera ; præsertim cùm ipse S. doctor eodem citato cap. 11, lib. 2, de Abraham, n. 76, affirmatè dixerit, *neminem ascendere in regnum cœlorum, nisi per sacramentum Baptismatis.*

Objicies 3° auctoritatem S. Augustini multis in locis.

Tractatu 18 in Joan. : *Quantumcumque*, inquit, *Catechumenus proficiat, adhuc tamen sarcinam suæ iniquitatis portat : non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum.*

Et Tract. 4 de iisdem catechumenis loquens : *Omnia peccata*, inquit, *super illos sunt ; et nisi venerint ad salutarem Baptismum ubi peccata solvuntur, cum omni suâ excellentiâ non possunt intrare in regnum cœlorum.*

Libro 1 de Origine animæ, c. 9 : *Nemo fit*, inquit, *membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo.*

Lib. 2 de peccatorum Mer. et Remissione, c. 26 : *Sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in regnum cœlorum.*

Lib. de Unitate Ecclesiæ, c. 22 : *Utrumque*, inquit, *necessarium est ad regnum Dei adipiscendum, et Baptismus, et justitia.*

Denique lib. 4 de Baptismo contra Donatistas, c. 21 : *Sicut*, inquit, *bono catechumeno Baptismus deest ad capescendum regnum cœlorum ; sic malo baptizato vera conversio... Alterum sine altero parum est ; utrumque perficit illius possessionis hæredem.*

Ex quibus ut testimoniis istud concluditur, aut neminem justificari antequàm baptizetur ; aut catechumenum justitiam assequi posse, etiam ante Baptismum, sicut de Cornelio fatetur S. Augustinus, lib. 4 de Baptismo, cap. 21, 22 et 24 ; non tamen consequi remissionem peccatorum, sicut contendit Michael Baius. — Resp. ad primum et secundum testimonium, S. doctorem loqui de illis superbis et elatis catechumenis, qui de suis præsumentes bonis operibus, quasi inutilem sibi Baptismum negligebant vel etiam contemnebant, seque aliis Christianis baptizatis longè meliores præsumebant ; quos meritò S. Augustinus ait *sarcinam iniquitatis suæ portare*, donec depositâ superbiâ, ad Baptismum humiles accesserint. Hunc esse S. doctoris sensum constat ex verbis quæ præcedunt ea quæ laudata sunt ex tract. 13 in Joan. : *Quare*, inquit, *oportebat ut Dominus baptizaretur ? quia multi contempturi erant Baptismum, eò quòd jam majore gratiâ præditi viderentur quàm viderunt alios fideles, v. g., jam continenter vivens catechumenus, contemneret conjugatum, et diceret se meliorem quàm ille sit fidelis ; ille catechumenus posset dicere in corde suo : Quid mihi opus est Baptismum accipere, ut hoc habeam quod et iste, quo jam melior sum ?*

Ad tertium : cùm ait S. doctor, neminem fieri membrum Christi, nisi per Baptismum, non tantùm intelligit Baptismum re, sed etiam voto perceptum, ex perfectâ nimirùm charitate : ita colligere est ex testimoniis quæ inter probationes conclusionis adducta sunt.

Ad quartum : loquitur S. Augustinus de variis sanctificationibus, quibus catechumeni ad Baptismum præparabantur et præformabantur, ut signo crucis, impositione manuum, etc., quæ omnia profectò, nisi accesserit Baptismus, ad regnum cœlorum perducere non possunt, nisi jungantur cum charitate perfectâ quæ Baptismi vices supplet, quando *non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis illum excludit*, ut loquitur S. Augustinus antea citatus, l. 4 de Baptismo, c. 22.

Ad quintum ex libro de Unitate Ecclesiæ : loquitur S. doctor ex hypothesi ordinariâ, quâ, omni seclusâ necessitate prohibente, potest Baptismus percipi ab iis qui eum non contemnunt ; quo certè casu verum est quod ait S. doctor, utrumque necessarium esse, et Baptismum, et justitiam : *In contemptore autem Baptismi* (pergit statim) *non potest esse justitia.* Ergo supponit eam adesse posse in eo qui Baptismum non perciperet, non quidem ex contemptu, sed ex necessitate.

Ad ultimum ex libro 4 contra Donat., c. 21, eadem est responsio, nempe loqui S. doctorem de bono quidem catechumeno, sed qui ex negligentiâ ad Baptismum non accederet. *Si enim*, inquit, *Cornelius etiam Spiritu sancto jam accepto baptizari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus fieret.* Et c. 25 ejusdem libri : *Conversio cordis*, inquit, *potest quidem inesse non percepto Baptismo, sed contempto non potest.* Unde idem S. doctor, citato cap. 21 ejusdem libri, ait : *Non dubito catechumenum catholicum divinâ charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere.*

Objicies 4°. Vel contritio justificat dependenter à voto Baptismi, vel independenter : neutrum dici potest.

Non primum, quia minorem vim non habet contritio post Baptismum institutum, quàm antea : atqui

ante institutionem Baptismi justificabat sine illius voto.

Non secundum, aliàs Baptismus in voto necessarius non esset ad salutem. — Resp. contritionem justificare cum voto Baptismi, sicut docet concilium Tridentinum; neque inde sequitur imminutum esse ipsius vim, sed tantùm additum esse novum mandatum. Præterea in contritione semper includitur voluntas observandi omnia Dei mandata, aliàs imperfecta illa foret.

Objicies denique : S. Ambrosius in funebri Oratione Valentiniani, affirmat eum ad cœlestia gaudia pervenisse; censet igitur votum Baptismi tollere omne debitum pœnæ temporalis luendæ. — Resp. à Valentiniani morte usque ad tempus quo S. Ambrosius Mediolani funebre ejus encomium recitavit, multos dies fluxisse, ut patet ex historiâ mortis illius quæ Viennæ in Galliis contigit : unde licèt Valentinianum jam tùm gloriâ cœlesti potitum fuisse concedatur, non posset tamen colligi, eum post mortem aliquas non sustinuisse ab igne purgatorio pœnas. Dici præterea potest, S. doctorem ex vehementiâ et ardore charitatis quâ flagrabat imperator, conjecisse, eum ab omni pœnâ immunem fuisse : dico, conjecisse, non certò definiisse; siquidem hortatus est plebem christianam, ut pro eo preces ad Deum funderet, et incruentum sacrificium offerret.

Instabis : Valet in præsenti quæstione vulgatum axioma : *Voluntas pro facto reputatur;* ergo sicut Baptismus re susceptus expungit omnis pœnæ debitum, ita et ejus votum seu desiderium. — Resp. prædictum axioma obtinere tantùm in iis operibus in quibus non opus operatum spectatur, sed meritum operantis : voluntas enim cùm satis magna et efficax est, *pro facto* idcircò reputatur, quòd tota meriti ratio in voluntate posita sit, quæ quidem tanta esse potest absque opere, quanta operi conjuncta, quin et interdùm major; in quibus proinde, quòd pro facto reputetur voluntas, non tantùm misericordiæ Dei est, sed aut naturæ et dignitatis rei, aut saltem primæ institutionis. Quod quidem perspicuum est in malis operibus, velut si quis omninò voluit hominem occidere, nec tamen potuit : cùm enim hic non minori malitiâ affectum gerat animum, quàm si homicidium reverà perpetrâsset, coram Deo reus est, et justo judicio damnatur. At in illis operibus, in quibus non meritum operantis, sed opus ipsum operatum attenditur, sicut fit in omnibus Sacramentis, non valet dictum axioma; aut saltem si voluntas pro facto reputatur, illa vim Sacramenti non habet : id est, eodem modo ex opere nimirùm operato non agit, sed ex solâ misericordiâ Dei, qui propter fidem et desiderium quærentis salutem, voluntatem pro facto acceptat, et complet in necessitate quod deest ex parte Sacramenti. Ita Estius, in 4, dist. 4, paragr. 17.

QUÆSTIO TERTIA.

DE CAUSIS, SEU DE AUCTORE, MINISTRO ET SUBJECTO BAPTISMI.

ARTICULUS PRIMUS.

DE AUCTORE BAPTISMI; AN, ET QUANDO FUERIT A CHRISTO INSTITUTUS, ET OBLIGARE CŒPERIT.

Baptismum à Christo institutum fuisse omnes sive orthodoxi sive hæretici agnoscunt, sed de tempore institutionis non una est sententia.

Sunt qui existimant Christum post suam duntaxat à mortuis resurrectionem, non ante, Baptismum instituisse : ex quâ opinione sequitur, apostolos ante Christi mortem baptizatos non fuisse Baptismo Christi, nec ipsos alio, quàm Joannis Baptismo baptizâsse. Ita inter veteres videntur sentire Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 11 et 12; S. Chrysostomus, hom. 28 in cap. 3 S. Joan., et qui eum exscribunt, Theophylactus et Euthymius; S. Leo, epist. ad universos Siciliæ episcopos, n. 16, aliàs 4, cap. 3, ubi probans Baptismum in solâ Paschæ et Pentecostes solemnitate administrandum esse, istâ inter alias ratione utitur : *Quia*, inquit, *ipsa operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in quo orta est et virtus muneris, et species actionis. Ad cujus rei confirmationem* (pergit ille) *plurimùm valet, quòd ipse Dominus Jesus Christus posteaquàm resurrexit à mortuis, discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum præsules docebuntur, et formam et potestatem tradidit baptizandi, dicens : Euntes, docete omnes gentes*, etc. *De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiam ex suâ resurrectione cœpisse.*

Inter recentiores, Rupertus, lib. 3 in Joan., circa finem, docet Baptismum quo baptizabant apostoli ante passionem, non fuisse Baptismum novæ legis; nec habuisse efficaciam gratiæ, quam accepturus erat Baptismus à passione Christi. *Antea enim*, inquit, *non dabatur Spiritus, quia nondùm erat Jesus glorificatus.*

Alexander Alensis parte 4 de Sacramentis, q. 8, art. 3, multiplicem esse docet Baptismi institutionem; unam materialem seu materiæ, quando Christus in Jordane baptizatus est; alteram formalem seu formæ, quando post resurrectionem dixit apostolis : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Tertiam finis, quando dixit, Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. Quartam effectûs, quando dictum est Marci ultimo : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Quintam efficaciæ, quando de latere Christi exivit sanguis et aqua. Ex quâ explicatione videtur ille auctor existimâsse, plenam et integram Baptismi institutionem factam fuisse post mortem Christi; nisi fortè hoc unum velit, quemadmodùm interpretatur Gabriel, Scripturam variis in locis explicare quæ ad institutionem Baptismi pertinent.

Melchior Canus, l. 8 de Locis, cap. 5, opinionem hanc non tantùm probabilem existimat, sed in eam

videtur inclinare, præsertim cùm ait, *improbabile sibi videri apostolos ante mortem Christi baptizâsse in nomine SS. Trinitatis.*

Sunt è contra qui censent Baptismum ante Christi mortem fuisse institutum; verùm non consentiunt de tempore institutionis.

Alii referunt hanc institutionem ad tempus quo Christus Nicodemum de nocte alloquens, Joan. 3, v. 5, dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ*, etc. Ita videtur sentire S. Bernardus, epist. 77 ad Hugonem; Estius, in 4, dist. 3, paragr. 2.

Alii referunt ad tempus quo Christus baptizavit, et apostolos misit ad Judæos ut baptizarent.

Alii tempus institutionis Baptismi figunt, quando Christus in Jordane baptizatus fuit. Ita Magister Sententiarum, lib. 4, dist. 3, litterâ G; S. Th., 3 part., q. 66; Vasquez, et alii quamplurimi.

Alii denique, inspectâ hâc opinionum varietate, aiunt institutionis Baptismi tempus incertum esse; quanquàm dicant institutum postquàm Christus à Joanne fuit baptizatus, et antequàm discipulos mitteret ad baptizandum. Ita videntur sentire Scotus in 4, dist. 3, q. 4; Gabriel in eamdem distinctionem, quæstione unicâ, art. 3.

Quanquàm autem omnes isti theologi doceant ante mortem Christi institutum fuisse Baptismum; ejus tamen præceptum non obligâsse contendunt, nisi post mortem Christi ejusque Resurrectionem, ubi sufficiens facta est legis evangelicæ promulgatio. His ita præmissis, sit

PRIMA CONCLUSIO. — Christus Baptismum ante mortem suam instituit; quo præcisè tempore certò non constat: probabilius tamen est tunc instituisse, cùm in Jordane fuit baptizatus.

Duæ sunt conclusionis partes.

Probatur prima pars ex Scripturâ, Joan. 3, v. 22: *Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam; et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.* Et initio cap. 4; *Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi, quòd Jesus plures discipulos facit, et baptizat, quàm Joannes (quanquàm Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus), reliquit Judæam, et abiit iterùm in Galilæam.* Ex quibus sic probari nostra conclusio potest. Usus Baptismi continet aut supponit saltem ejus institutionem: atqui ante mortem Christi discipuli ejus baptizabant; quæ enim in prædictis locis narrantur, contigêre ante incarcerationem Joannis, ut planum est: longè autem antequàm Christus pateretur, in carcerem conjectum fuisse Joannem historia evangelica fidem facit. Matth. 14, v. 3 et sequentibus.

Neque est quod reponat quis, discipulos Christi non alio, quàm Joannis Baptismo baptizâsse ante mortem Christi.

Namque 1°, citato capite 3 Joan., v. 25, excitata legitur inter discipulos Joannis et Judæos quæstio de purificatione, utra esset melior; inde suborta æmulatio inter ipsos, quòd plures ad Christum accederent quàm ad Joannem, Baptismum percepturi: atqui huic contentioni locus non fuisset, si discipuli Christi non alium quàm Joannis Baptismum administrâssent; eadem enim fuisset purificatio, utriusque par dignitas et efficacia; et ad Joannem potiùs confugissent, ut Baptismum, quem ipse dare solebat, acciperent, quàm ad Christum, qui propriis manibus non baptizabat, sed per discipulos suos.

2° Quia Baptismus discipulorum Christi dicitur Baptismus ipsius Christi. Quanquàm enim dicat S. Joannes, cap. 4, Christum *non per se, sed per discipulos baptizâsse;* capite tamen 3, v. 22, jam citato, non obscurè asserit eum baptizâsse; quod certè absque ullâ contradictione dicere potuit evangelista: Christus scilicet passim promiscuam plebem non baptizabat, sed id opus discipulis commiserat, quos tamen ipse propriis manibus priùs baptizaverat; quod etsi scriptum non sit, meritò tamen ita factum conjicit et probat S. Augustinus mox citandus. Porrò absurdum videtur, Christi Baptismum, etiam ante ipsius Passionem, fuisse in aquâ tantùm; siquidem Joannes inter suum et Christi Baptismum ita distinguit, ut dicat Marci 1, v. 8: *Ego baptizavi vos aquâ, ille verò baptizabit vos in Spiritu sancto.* Et Joan. 1, v. 33: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.*

3° Quia Baptismus à discipulis Christi collatus, mundos reddebat suscipientes, et semel ritè collatus iterari non potest: at isti characteres soli et vero Christi Baptismo conveniunt, de quo hæc verba Christi ad S. Petrum: *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet*, interpretatur S. Augustinus, epist. 265, aliàs 108, ad Seleucianum, et lib. 3 de Animâ et ejus Origine, cap. 9, et tractatu 5 in Joannem, ubi probat baptizatos à Joanne iterùm fuisse ab Apostolis Baptismo Christi tinctos; baptizatos verò à Judâ non fuisse iterùm baptizatos, quia Baptismus Judæ erat Baptismus Christi, qui semel collatus iterari non potest.

4° Denique Baptismus quem Apostoli à Christo acceperunt, idem erat cum illo quem ipsi cæteris administrabant, id est, verus Christi Baptismus: atqui Apostoli receperunt Christi Baptismum, ipso ministrante Christo, non verò Baptismum Joannis.

Minorem probat ex professo S. Augustinus, tùm l. 3, de Animâ et ejus Origine, cap. 9, tùm epist. 265, aliàs 108, ad Seleucianum, ubi ait, quòd etsi scriptum non sit Christum propriis manibus baptizâsse Apostolos, tamen id valdè credibile sit: *Neque enim*, inquit, *baptizandi ministerium defugeret, ut haberet baptizatos servos per quos cæteros baptizaret, qui non defugit memorabilis illius humilitatis ministerium, quando eis lavit pedes.* Tùm denique, epist. 44, aliàs 163 ad Eleusium, cap. 5, ubi Apostolos Christi Baptismo tinctos fuisse his probat momentis. 1° Quòd alios baptizabant vero Christi Baptismo: *Quomodo autem dabant, quod non acceperant?* Utitur S. doctor hoc argumento ad hominem contra Donatistas. 2° Quia Christus non dabat Baptismum Joannis: *Quippe non decebat sponsum dare Baptismum amici vel servi.* 3° Quia non potuissent Apostoli idonei esse ad percipiendam Eucharistiam sine prævio Baptismo. 4° Denique quia hoc innuere videtur Christus dùm Petro dixit: *Qui lotus est semel,*

non eum oportet iterùm lavari, sed est mundus totus. Perfecta quippe mundatio non in Joannis, sed in Domini Baptismo est. Eodem testimonio utitur Optatus, lib. 5, ut probet adversùs Donatistas, non esse iterandum Baptisma ; quod argumentum vim non haberet, nisi supponeret Apostolos Baptismo Christi fuisse tinctos. Nicephorus, l. 2 Hist., c. 3, refert ab Evodio Apostoli Petri successore scripto fuisse traditum, inter Apostolos solum Petrum fuisse manibus Christi baptizatum. Ante Nicephorum, idem dixit Euthymius in cap. 3 Joannis.

Secunda pars conclusionis, quæ ad mentem SS. Patrum accedere propiùs videtur,

Probatur 1° quia SS. Patres asserunt aquas in Christi Baptismo vim sanctificandi accepisse ; id est, tunc destinatas fuisse pro materiâ Sacramenti. Ita S. Ambrosius, l. 2 in Lucam, n. 83 : *Baptizatus est Dominus*, inquit, *non mundari volens, sed mundare aquas.* Et S. Hieronymus adversùs Luciferianos : *Dominus noster Jesus Christus non tam mundatus est in lavacro*, inquit, *quàm lavacro suo universas aquas mundavit.* Idem et S. Augustinus, serm. 36, de Tempore, et Optatus, l. 1 ; S. Maximus, homeliâ 1 Epiphaniæ.

2° SS. Patres asserunt, cùm baptizatus est Christus, designatam fuisse formam Baptismi. Ita S. Augustinus, tract. 6 in Joan., ubi ait *apparuisse Patrem in voce, Filium in homine, Spiritum sanctum in columbâ.*

3° Tunc designatum fuisse præcipuum Baptismi effectum, ut observat S. Hieronymus, dial. adversùs Luciferianos. *Christus*, inquit, *in Baptismo Spiritum sanctum accepit, non quòd sine eo aliquando fuerit, sed ut monstraretur verum esse Baptisma quo Spiritus sanctus adveniat.* Ita SS. Chrysostomus, hom. 12 in Matth.; Ambrosius, l. 2 in Lucam, cap. 13; Augustinus, sermone 36, de Tempore, nunc 135 in Append. *Ex quo*, inquit, *in aquâ se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas mysterio Baptismatis consecravit, ut ubi quisque in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluat, quàm Christi unda purificet.* Porrò, ut ratiocinatur S. Thomas, hic, q. 66, art. 2, *tunc videtur Sacramentum aliquod institui, quando accipit virtutem producendi effectum suum. Hanc autem virtutem accepit, quando Christus est baptizatus.*

4° Denique, quia aiunt Christum, cùm baptizatus est, *exempli sui auctoritate salutis humanæ Sacramenta consummâsse, hominem et assumptione sanctificans et lavacro* (1). Ita S. Hilarius in Matth., can. 2.

(1) Sententia opposita sic à Collet propugnatur :

« Conclusio I : Christus nec antequàm baptizaretur à Joanne, neque dùm ab eo baptizatus est, neque dùm colloqueretur cum Nicodemo Baptismum instituit. Ita Scotus contra S. Thomam.

« Prob. prima pars, 1° quia nihil est in Evangelio undè colligi possit institutionem Baptismi ante factam esse, quàm Christus à Joanne tingeretur ; 2° quia Christus necdùm hucusque prædicaverat Evangelium, aut assumpserat Apostolos quos de Baptismo instrueret.

« Prob. secunda pars, 1° quia institutio Sacramentorum est actus legislatoris, cùm nova Sacramenta nonnisi pro lege novâ institui possint : atqui Christus cùm submisit se Baptismo Joannis, non gessit legislatoris personam, sed pœnitentis potiùs, qui aliena jam peccata abluere incipit, sicut propria abluere conabantur Judæi alii à Joanne baptizati ; ergo.

« 2° Quia veri admodùm simile est Christum ex ordine instituisse Baptismum suum, quo ipsum ab Apostolis ministrari voluit ; atqui voluit Christus Evangelii prædicationem Baptismo suo præmitti ab Apostolis ; ergo pari ratione non ante censendus est ipse Baptismum instituisse, quàm cùm annuntiari cœpit Evangelium ejus : porrò necdùm Christus Evangelium per se, suosve cœperat, cùm tinctus est à Joanne ; ergo.

« 3° Ideò censent Tourneiyus etalii, Christum instituisse Baptisma suum, cùm in Jordane ablutus est, quia ipse tunc aquas sanctificavit, eisque indidit vim gratiæ conferendæ, prout docent Patres non pauci : atqui hæc ratio nulla est : 1° quia sanctificatio hæc de sanctitate formaliter aquis tunc inditâ intelligi nequit ; cùm sanctitas hæc, seu potiùs vis illa sanctificandi non sit in aquâ nisi ex Trinitatis invocatione ; 2° quia consequenter sanctificatio illa mera erat aquæ deputatio ad id quod deinceps futurum erat : porrò aliud est aquam deputare ad hoc ut aliquando sit Sacramenti instituendi materia, aliud instituere Sacramentum ; 3° quia Patres adeò parùm volunt hanc aquæ Jordanis sanctificationem ex contactu Christi, fuisse ipsam Baptismi institutionem, ut Tertullianus qui Baptisma nonnisi post Christi resurrectionem institutum contendit, Jordanis aquas à Christo dùm tingeretur, sanctificatas esse dicat, lib. adversùs Judæos, cap. 8.

« At, inquies, tunc concurrerunt omnia ad Baptismi institutionem pertinentia : 1° enim per contactum Christi consecrata est materia remota ; 2° per ablutionem illius corporis indicata est materia proxima ; 3° tradita est implicitè forma per vocem Patris, per Filii carne induti personam, ac demùm per præsentiam S. Spiritûs sub columbæ figurâ in Christum illapsi ; 4° aperti sunt cœli, ut Baptismi cœlos aperientis effectus panderetur. — R. Hinc sequi factam tunc instituendi paulò post Baptismi delineationem ; nullatenùs autem Baptismum actu et de facto institutum fuisse. Et verò quæ invocatio Trinitatis in solâ trium personarum manifestatione ?

« Prob. tertia pars, quia institutio Sacramenti pro publicâ necessitate conditi, non in angulo fieri debuit, sed ad minus coram iis qui præcones ejus et ministri futuri erant : atqui si Christus in eo colloquio quod cum Nicodemo habuit, instituisset Baptismum, jam ipsum in angulo et conclavi instituisset ; ergo.

« Confirm. : Ideò adversariis placet Baptisma tunc temporis à Domino fuisse institutum, quia ejus necessitatem his Nicodemum verbis edocuit : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., atqui hæc verba non magis probant factam tunc institutionem Baptismi, quàm parallela hæc Joan. 6 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, probent institutam fuisse Eucharistiam, quo tempore eadem protulit Christus ; ergo.

« Conclusio II : Ergo Christus Baptismum instituit sub illud tempus quo misit Apostolos suos prædicare et baptizare.

« Prob. 1° quia vel hoc tempore institutum est Baptisma, vel aliis quæ proximè assignata sunt : atqui non aliis istis, ut modo probatum est ; ergo.

« Prob. 2° quia Baptismum sub illud tempus instituit decuit, quo jacienda erant novæ Ecclesiæ fundamenta, et laborandum ut acquireretur Domino plebs perfecta ; ad utrumque enim egregiè conferre Baptismum in aquâ et Spiritu, nemo est qui primo intuitu non animadvertat : atqui quo tempore Christus misit

Quæres quare Christus baptizari voluerit. — Resp. plures à SS. Patribus causas et rationes adduci ; 1° ut

contactu carnis suæ aquis vim mundandi conferret. Ita SS. Patres mox citati; 2° ut auctoritate suâ et exemplo Baptismum Joannis comprobaret. Ita S. Hieronymus in Matth. c. 3; 3° ut exemplo suo ostenderet non esse negligendum Baptismum. Ita S. Augustinus; 4° ut exemplo nos invitaret, ne quis fortè ab inferiori baptizari erubesceret. Ita S. Anselmus in c. 3 S. Matth.; 5° ut qui legem venerat non solvere, sed adimplere, omnem in seipso adimpleret justitiam. Ita Christus ipse, Matth. 3, v. 15. Nec obstare istud potuit, quòd Christus esset ab omni peccato immunis, Joannes autem baptizaret Baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum : nam cùm Christus venisset, non quidem in carne peccati, sed tamen in similitudinem carnis peccati, meritò non alienum à se judicavit si simile cum peccatoribus signum susciperet; atque ita nobis in omnibus similis fieret, excepto peccato, ut dicitur Hebr. 2, v. 15.

Secunda conclusio. — Lex Baptismi priùs obligare generaliter non cœpit, quàm fuerit sufficienter promulgata.

Probatur. Quia ea est legis positivæ conditio, ut priùs non obliget, quàm sufficienter promulgata potuerit in cognitionem venire : atqui lex Baptismi percipiendi positiva est, non naturalis. Etsi enim renasci ex Spiritu sancto semper et omninò fuerit necessarium ad salutem, modus tamen renascendi qui fit per aquam, non semper necessarius fuit; sed post factam ipsius institutionem vim necessitatis accepit, partim ex abolitione modi alterius, nempe circumcisionis, partim ex declaratione præcepti. Unde Patres Tridentini, sess. 6, cap. 4, affirmant, justificationem post Evangelium promulgatum, sine Baptismo vel ejus voto fieri non posse.

Conclusionem probat ex professo S. Bernardus, epist. 77 ad Hugonem, ubi disputans adversùs quemdam qui contendebat ex quo primùm à Domino dictum est : *Nisi quis renatus fuerit*, etc., neminem absque Baptismo re percepto, vel ejus vice martyrio, ullatenùs potuisse salvari, ait : *De temporis præfixione nimis durum austerumque videtur, ut videlicet verbum absconditum paùm jam noceat, et ante judex feriat, quàm minetur*. Et paulò post, urgens legis positivæ rationem, pergit : *Valdè injustè exigitur obeditio, ubi non præcesserit auditio. Neque enim tale est hoc, quod et absque promulgatione naturalis lex ignorare non sineret, quale, v. g., illud est : Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Factitium enim magis quodammodò est, et non naturale mandatum*. Et infrà : *Quod ergo omninò sciri non poterat, si non audiretur; quo pacto, quæso, exigi debeat, et antequàm audiretur?* Et post multa concludit, quòd ex eo tempore tantùm cœpit non baptizatus quisque novi præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam.

Dixi Baptismi legem generaliter obligâsse tantùm post sufficientem et publicam ejus promulgationem : potuit quippe ante hanc promulgationem, eos obstringere quibus cognitum fuit Christi mandatum, qualis fuit, v. g., Nicodemus, cui dixit Christus : *Nisi quis renatus fuerit*, etc.

Tempus autem hujusce publicæ ac solemnis Evangelii promulgationis, vulgò computatur à die Pentecostes, quo omnia legalia extincta sunt, nec tantùm mortua sed et mortifera extitêre; de quâ re gravis olim fuit inter SS. Hieronymum et Augustinum disputatio, quam expendere non est præsentis nostri instituti. Si qui tamen invincibiliter etiam ab eo tempore legem Baptismi ignoraverint, ut sunt sanè non pauci, quibus nunquàm annuntiatus est Christus, ii certè violati præcepti rei non sunt, nec propterea damnandi, sicut nec propter infidelitatem purè negativam, sed propter originale et actuale peccatum.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1°: Baptismi formam nonnisi post resurrectionem Christus præscripsit, cùm dixit, Matth. ultimo : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*. Igitur ante resurrectionem Baptismum non instituit. — Resp. : Nego conseq. Citato enim capite S. Matth. baptizandi mandatum et formam apostolis suis Christus præscripsit, sed antea jam Baptismum instituerat, et formam ejus haud dubiè designaverat, quanquàm id scriptum non sit.

Objicies 2° : Baptismus non fuit à Christo institutus, antequàm Spiritus sanctus daretur : atqui Spiritus sanctus fuit tantùm datus post resurrectionem Christi, juxta istud S. Joan., cap. 7, v. 39 : *Nondùm Spiritus erat datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus*. Quo testimonio ducti sunt multi ex veteribus, ut putarent Baptismum post resurrectionem duntaxat fuisse institutum. — Resp. locum istum S. Joannis intelligendum esse de solâ visibili et conspicuâ Spiritûs sancti missione, quæ futura erat in die Pentecostes, non verò de missione invisibili, seu occultâ interioris gratiæ largitione; certum enim est multis sanctis ante diem Pentecostes datam esse Spiritûs sancti gratiam. Sic de Simeone dicitur Lucæ 2, v. 25 : *Spiritus sanctus erat in eo*, et de Magdalenâ : *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm*. Solutionem suppeditat S. Augustinus, lib. 83 Quæstionum, q. 62 : *Quæritur*, inquit, *utrùm qui baptizati sunt illo tempore, quo scriptum est Dominum per discipulos suos baptizâsse plures quàm Joannes, acceperint Spiritum sanctum. Alio enim loco Evangelii sic dicitur : Spiritus enim nondùm erat datus, quia Jesus nondùm erat clarificatus. Et fa-*

Apostolos prædicare, jacienda fuerunt novæ Ecclesiæ fundamenta, illudque agendum ut pararetur Domino plebs perfecta, idque non per prædicationem solùm, sed et ope Baptismi, quem Christus per discipulos suos conferebat, ut vidimus suprà, licèt necdùm tunc necessaria foret ejus susceptio, ut statim videbimus; ergo.

« Prob. 3° quia, ut jam quoque diximus, dicebat ut Baptismus coram iis institueretur, qui præcipui ejus præcones ac ministri futuri erant; ergo decebat ut institueretur postquàm Christus Apostolos elegit, et aliquanto tempore ad novi quod obituri erant ministerii munia efformavit; ergo iterùm cùm non diù post electionem suam missi sint prædicatum, et statim baptizaverint, necessum videtur ut nec ante statuatur, nec remittatur ultrà Baptismi institutio. »

cillimè quidem ita respondetur, quòd Spiritus sanctus latenter dabatur, ante Domini clarificationem; post manifestationem autem divinitatis ejus, manifestiùs datus est. Veterum autem nonnullos in oppositam nostræ sententiam abiisse hoc S. Joannis testimonio ductos, non diffitemur; sed salvâ, quæ ipsis debetur, reverentiâ, ab iis in quæstione liberâ discedimus.

Objicies 3° auctoritatem Optati, qui, lib. 5, contra Parmenianum, ait Christum neminem per se baptizâsse, sed per Apostolos *millia hominum in pœnitentiâ et remissione tincta esse peccatorum. Sed*, inquit, *nemo tinctus fuerat in Trinitate, nemo adhuc noverat Christum; nemo audierat esse Spiritum sanctum. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges Baptismatis Filius Dei; et dedit viam quâ iretur ad regnum cœlorum, etiam tunc præcepit dicens: Ite, docete*, etc. — Resp. mentem Optati hanc esse, neminem scilicet ante datum Baptismi mandatum, tinctum fuisse in Trinitate, quod verum est: cùm autem addit, præceptum illud tunc datum, cùm Christus dixit, Matth. ultimo: *Euntes, docete*, etc., intelligi debet de mandato quod omnes gentes pariter ac Judæos obstringeret, non verò de mandato simpliciter. Agnoscit enim Optatus præceptum Baptismi jam tum datum fuisse, cùm Apostoli ante mortem Christi baptizârunt; imò supponit et ipsos fuisse Christi Baptismo tinctos, ductus istis Christi ad S. Petrum verbis: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.*

Objicies 4° Sacramenta novæ legis vim omnem trahunt ex passione Christi; ergo ante illam efficacia non fuère. — Resp.: Nego conseq. Ut enim causa moralis agat, necesse non est ut actu existat, sicut manifestum est in causâ finali; sed satis est quòd prævisa moveat: at Sacramenta novæ legis agunt tantùm moraliter, ut ostendimus agendo de Sacramentis in genere.

Instabis 1°: Baptismus est repræsentatio mortis et sepulturæ Christi, Rom. 6; ergo debet illam supponere. — Resp.: Dist. ant. Est repræsentatio mortis Christi, vel factæ vel futuræ, concedo: factæ semper ac necessariò, nego.

Instabis 2°: Ex S. Augustino, tract. 15 in Joan: *De latere Christi Sacramenta Ecclesiæ fluxêre.*—Resp.: Dist.: Quantùm ad meritum et pretium persolutum, concedo: quantùm ad institutionem et pretii applicationem nego. Quo sensu Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi.

Objicies 5° contra secundam partem primæ conclusionis: Probabilius est Christum instituisse Baptismum, cùm Joan. 3, v. 5, dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit*, etc.; præsertim cùm immediatè post illud colloquium, Christus ejusque discipuli baptizaverint.— Resp.: Nego ant. His enim verbis non magis exprimitur Baptismi institutio, quàm istis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc., exprimatur institutio Eucharistiæ. In futurum igitur respiciebat Christus, cùm dixit, *nisi quis renatus fuerit.* Tunc enim, ut docet S. Bernardus, epistolâ 77, privata erat Baptismatis et legis novæ explicatio, cujus postea præceptum et generalis obligatio imponi debuit: neque verisimile videtur Sacramentum, quod ad omnes omninò pertinet, fuisse institutum in privato et occulto, quod cum Nicodemo habuit, colloquio.

Objicies denique contra secundam conclusionem: Lex Baptismi tunc omninò obligavit, quando vetus circumcisionis et aliarum cæremoniarum lex exstincta fuit et abrogata: atqui hæc extincta fuit in ipsâ Christi morte, quando Christus exclamavit: *Consummatum est.*—Resp. in morte quidem Christi mortuam fuisse et exstinctam legem veterem; *translato enim sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*, Hebr. 7; sed non fuisse mortiferam. Potuit enim per dispensationem et œconomiam, ut nempe synagoga cum honore sepeliretur, et Judæi ad Christum faciliùs adducerentur, interdùm observari: sic ipse Paulus Timotheum circumcidit, Act. 16. Unde lex Baptismi non tantùm in morte Christi, sed etiam ante mortem eos omnes obstrinxit, qui lati à Christo mandati conscii erant; sed non priùs generaliter ac publicè omnes ligare cœpit, quàm fuerit solemniter promulgata, quod factum est in die Pentecostes, atque cùm sonus Apostolorum in omnem terram exivit, Psal. 18, v. 5.

ARTICULUS II.

DE MINISTRO BAPTISMI.

(PRÆNOTANDA.)

Observandum 1° triplicem posse distingui ministrum: unum ordinarium et ex officio; alterum extraordinarium et ex delegatione; tertium ex necessitate.

Minister ordinarius et ex officio ille est, qui jure ordinationis suæ et acceptæ à Christo auctoritatis, docendi et baptizandi potestatem habet. Hanc verò duobus modis habere potest, nempe vel sine ullâ à superiori dependentiâ, quales sunt episcopi quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, Act. 20, v. 28, quique idcircò principes Ecclesiæ vocantur et sunt; vel cum dependentiâ et subordinatione ad superiorem, quales sunt simplices sacerdotes, quibus olim baptizare non licebat nisi ex licentiâ episcoporum: non quidem propter defectum auctoritatis acceptæ in ordinatione suâ, sed ad majorem episcopatûs honorem et commendationem.

Minister extraordinarius seu ex delegatione ille est, cui, utpote vi ordinationis suæ ad functiones aliquas sacras destinato, jus baptizandi episcopi concedere possunt, quales sunt diaconi.

Minister denique ex necessitate ille est, qui in necessitate seu urgente periculo mortis, cùm alii deficiunt ministri idonei et ordinarii, potest sacramentum Baptismi administrare, qualis est omnis et quilibet homo.

Observandum 2° duplicem distinguendam esse Baptismi administrationem, unam publicam et solemnem, quæ certis diebus solemnioribus addicta erat, v. g., Paschæ et Pentecostes; alteram privatam, quæ pro necessitate quolibet tempore fieri poterat.

Observandum 3° administrationem Baptismi, vel licitam esse vel invalidam. Licita est, quando minister baptizando non peccat; valida, quando, etsi aliunde peccet, ratum tamen ac firmum perficit sacramentum, omnibus ad substantiam sacramenti prærequisitis ritè observatis.

Observandum denique, celebrem olim excitatam fuisse controversiam inter S. Cyprianum, ejusque collegas ex unâ parte, et S. Stephanum S. pontificem ex alterâ, circa valorem seu veritatem Baptismi ab hæreticis collati. Hunc nullum planè existimabat Cyprianus cum suis; è contra Stephanus et cum eo Ecclesia universa ratum ac verum habuit. De quâ controversiâ fusè disputatum à nobis fuit in tractatu de Sacramentis in genere, quem consulet qui voluerit. Tria duntaxat hìc expendemus. Primum, quis sit ordinarius et ex officio minister Baptismi. Secundum, quis sit minister extraordinarius et ex delegatione. Tertium denique, an homo quilibet, cujuscumque sexûs sit aut conditionis, possit et validè et licitè Baptismum in necessitate administrare. Circa quam controversiam errârunt ex veteribus et recentioribus hæreticis nonnulli, tum per excessum, tum per defectum.

Errores et opiniones.

Ex veteribus hæreticis per excessum peccârunt ii qui ipsis mulieribus potestatem fecerunt Baptismum solemniter administrandi, etiam extra necessitatem.

De Marcione id testatur S. Epiphanius, hæresi 42, n. 4: *Mulierculis*, inquit, *baptizandi potestatem facit.*

De Pepuzianis ibidem narrat S. Epiph., hæresi 49, et ex eo S. Aug., lib. de Hæresibus, c. 27, ubi ait, *ejusmodi hæreticos tantùm dare mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur.*

De Collyridianis refert idem S. Epiph., hæresi 79, n. 1, mulieres quasdam solemni tempore *per aliquot dies panem proponere, et in Mariæ nomen offerre;* unde sibi sacerdotalia ministeria arrogâsse mulierculas illas, non obscurè colligitur. Et verò in decursu et refutatione hujus hæreseos probat sanctus doctor, ne baptizandi quidem facultatem concessam esse beatæ Virgini: ecclesiasticus quippe ordo *nec presbyteridas, nec sacerdotissas* ordinavit.

Hanc in mulieribus sacra ministeria usurpandi licentiam ætate suâ notabat et carpebat Tertullianus, lib. de Præscript., c. 41: *Ipsæ mulieres hæreticæ*, inquit, *quàm procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere.*

Et lib. de Baptismo, c. 17: *Petulantia*, inquit, *mulieris quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariet; nisi si quæ nova bestia evenerit similis pristinæ* (intelligit Quintillam); *ut quemadmodùm illa Baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat.* Postea refellit fundamentum quo mulieres illæ nitebantur, nimirùm exemplum Teclæ, cui baptizandi licentiam fecisse S. Paulum perperàm existimabant ex supposititiâ S. Pauli ad Teclam epistolâ: *Quàm enim*, inquit, *fidei proximum videretur, ut is docendi et tingendi daret feminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit?* Addit ibidem, in Asiâ presbyterum, *qui eam scripturam* (Pauli) *construxerat, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse.* Hanc mulierum arrogantiam repressit conc. IV Carthaginense, can. 100.

Repressit et auctor Constitutionum Apostolicarum, l. 2, c. 9: *De mulieribus verò*, ait, *scitote, quæ hoc tentant, non mediocre periculum eas incurrere. Quamobrem hoc consilium damus; periculosum enim est, imò verò præter legem, et impium.*

Ex recentioribus novatoribus per defectum peccant Calvinistæ. Calvinus, lib. 4 Institutionis, c. 15, paragrapho 20 et sequentibus fatetur *multis quidem abhinc seculis, adeòque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio usu receptum, ut in periculo mortis laici baptizent;* sed negat id ullâ posse ratione defendi. Fluit error iste ex alio superiùs confutato contra necessitatem Baptismi absolutam: unde satiùs esse ducunt Calvini sequaces, in extremo vitæ periculo ad Deum et preces confugere, quàm à laico nullam habente auctoritatem, Baptismum percipere. Non satis exposuit Calvinus, an nullum omninò et irritum haberet Baptismum, an illicitum duntaxat à laico in necessitate collatum: unde discipuli ipsius non consentiunt inter se. Wittacherus, controversiâ de Baptismo, q. 3, c. 1, Ecclesia Anglicana, teste Isaaco Casaubono in responsione ad epistolam cardinalis Perronii, et Georgio abbate Anglo, prælectione de Circumcisione apud Vossium, ejusmodi Baptismum illicitum quidem judicant, sed tamen ratum et validum, adeòque non iterandum: è contra Vossius, disputatione 10 de Baptismo, thesi 12, nullum omninò judicat Baptismum à gentili collatum. Idem affirmat Chamierius, tom. 4 Panstratiæ, l. 5, c. 14.

Ex Græcis recentioribus, si Arcudio credamus, l. 1 de Baptismo, c. 11, multi ex imperitiâ in eo versantur errore, ut absente presbytero malint potiùs permittere infantes mori sine Baptismo, quàm eos laicorum manu ablui.

Ex veteribus SS. Patribus ii qui nullum judicârunt Baptismum ab hæreticis collatum, videntur eâdem ratione ducti ut reprobarent Baptismum datum à laico non baptizato. Fundamentum quippe erroris istud erat, nempe: *Non posse hæreticum dare quod non habet:* Non habet autem Spiritum sanctum nec verum Baptismum; ergo non potest dare nec Spiritum sanctum nec Baptismum: quod certè ratiocinium evincit nullum quoque dari posse à laico non baptizato verum et legitimum Baptisma quod ipse non habet. Et verò S. Basilius, epistolâ canonicâ ad Amphilochium, can. 1, testatur illos veteres eodem planè loco habuisse Baptismum hæreticorum et laicorum: *Idcircò*, inquit, *eos velut à laicis baptizatos jusserunt ad Ecclesiam venientes, vero Ecclesiæ Baptismo expuqnari.* Hanc fuisse S. doctoris sententiam fatetur doctissimus Petavius, in animadversionibus ad expositionem fidei S. Epiphanii, pag. 341. Porrò certum est ex veteribus SS. Patribus nonnullos rejecisse tanquàm nullum, Baptisma collatum ab hæreticis.

Inter recentiores contendunt nonnulli, ex veteribus, qui ratum habuêre hæreticorum Baptisma, nonnullos fuisse qui dubitârunt an valeret Baptismus datus ab infideli non baptizato; eòque adducunt istud Tertulliani, lib. de Baptismo, c. 17 : *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.* Et istud S. Hieronymi, dial. adversùs Luciferianos : *Ut accipit quis, ita et dare potest.* Quasi vellent illi, idcircò laicum baptizare posse, quia baptizatus est; aliàs baptizandi futurus incapax. Adducunt etiam canonem 38 Illiberitanum, in quo, urgente necessitate, permittitur laico, *qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare ;* quod certè miratur Petavius, loco antea citato. *Ergo ne,* inquit, *à bigamis baptizari in tantâ necessitate non licuit?*

Verùm dissimulandum non est, adductis testimoniis propositum dubium neque contineri clarè, neque solvi : unum certum videtur, nempe sanctum Augustinum dubium illud expressis verbis proposuisse, lib. 2 contra Epistolam Parmeniani, c. 13, et l. 7 de Baptismo, c. 53. Ante illum quæstio de Baptismo à non baptizato collato clarè et expressè agitata non legitur : de eâ consultus fuit nono seculo à Bulgaris Nicolaus I. Quæ autem fuerit S. Augustini sententia, inferiùs declarabitur. Dubitatum etiam aliquando fuisse an valeret Baptismus à muliere energumenâ, patet ex epistolâ Firmiliani ad S. Cyprianum. edit. Angl. , p. 223. His historicè narratis, sit

PRIMA CONCLUSIO. — Minister Baptismi ordinarius et ex officio est episcopus , et presbyter : episcopus quidem primarius ; presbyter secundarius et ex licentiâ episcopi, qui solus primis Ecclesiæ seculis Baptismum solemniter administrabat.

Duæ sunt conclusionis partes.

Prima pars probatur. Quia illi sunt ministri Baptismi ordinarii et ex officio, qui singulariter ab Ecclesiâ deputantur ad hoc ministerium, et sunt successores Apostolorum et discipulorum, quibus dictum est : *Ite , docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,* etc. Atqui episcopus et sacerdos singulariter ab Ecclesiâ deputantur ad ministerium Baptismi, et sunt successores Apostolorum et discipulorum, sic tamen ut sacerdos ministerium non obeat, nisi cum dependentiâ et subordinatione ad episcopum.

Minor constat 1° ex canone 50 eorum qui Apostolici dicuntur, quos certum est ex veteribus conciliis excerptos esse : *Si quis episcopus,* inquit, *vel presbyter non trinam mersionem mysterii celebret.... deponatur.*

2° Ex Clemente Romano, l. 3 Constitutionum, c. 11, ubi sic loquitur : *Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus, ut lectoribus, cantoribus, janitoribus , aut ministris, nisi tantùm episcopis et presbyteris, ministrantibus diaconis.*

3° Ex S. Augustino, lib. 3 de Baptismo, c. 18 : *Nonnisi,* inquit, *in Ecclesiâ præpositis et in evangelicâ lege ac Dominicâ oratione fundatis licet baptizare.* Tales autem sunt episcopi et sacerdotes, quibus ex officio ac jure divino incumbit animarum cura, ac proinde Sacramentorum dispensatio.

4° Ex decreto Eugenii, ubi de ministro Baptismi sic ait : *Minister hujus Sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Quòd verò episcopus sit minister primarius, sacerdos verò quasi secundarius cum dependentiâ et subordinatione ad episcopum,

Probatur ex Ignatio, epistolâ ad Smyrnæos, ubi ait *non esse licitum sine episcopo nec baptizare, nec agapen celebrare ;*

Ex Tertulliano, l. de Baptismo, c. 17 : *Dandi* (Baptismi) *jus habet,* inquit , *summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem ; quo salvo, salva pax est.* Ibidem baptizandi munus appellat *dicatum episcopis officium episcopatûs ;*

Ex S. Ambrosio, lib. 3 de Sacramentis, c. 1 : *Audistis,* inquit, *lectionem. Succinctus est sacerdos ; licèt enim presbyteri fecerint , tamen exordium ministerii à summo est sacerdote ;*

Ex S. Hieronymo, dial. adversùs Luciferianos: *Inde venit,* inquit, *ut sine episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus, jus habeat baptizandi.*

Idem probant nonnulli ex Epistolâ 88 S. Leonis ad universos Germaniæ et Galliæ episcopos ; verùm hanc supposititiam esse ostendit Quenellius in tomo 2 Operum S. Leonis.

Secunda conclusionis pars, primis scilicet Ecclesiæ seculis, cùm Baptismi administratio certis diebus solemnioribus addicta erat, solos episcopos Baptismum administrâsse, probatur,

1° Ex Theodoreto, l. 2 Hist., c. 27, ubi mentionem facit cujusdam vestis ex aureis filiis contextæ, quam *Constantinus imperator ad ecclesiam Hierosolymitanam cohonestandam Macario illius urbis episcopo donaverat, ut eâ indutus Baptismum solemniter administraret ;*

2° Ex libello seu epistolâ cleri Edesseni ad episcopos Photium et Eustatium directâ, ubi postquàm purgavit Ibam episcopum à suspicione hæreseos Nestorianæ et Pelagianæ , sic legitur : *Rogamus autem et deprecamur vestram sapientiam , ut eidem gloriosissimo episcopo suadeatis , quatenùs velociter ad suum gregem redire festinet, qui periclitatur ab omnibus lacerari, cùm nullus sit qui ei adesse prævaleat, et maximè festivitate salutiferâ sancti diei pascalis imminente, in quâ et propter catechismos et propter eos qui digni sunt sancto Baptismate, opus est ejus præsentiâ ;*

3° Ex clero Italiæ qui Francorum legatos Constantinopolim ad Justinianum imperatorem proficiscentes rogat, ut sancto episcopo (Mediolanensi) Dario adesse festinarent , ac postularent ut dictus imperator eum post quindecim vel sexdecim annos ad suam ecclesiam redire concedat: *Quia cùm penè omnes episcopi quos ordinare solet, sint mortui, immensa populi multitudo sine Baptismo moritur.* Et de ejus antecessore S. Ambrosio sic scribit in ejus vitâ Paulinus : *Erat,* inquit, *in rebus divinis implendis fortissimus, in tantum ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea episcopi vix implerent;*

4° Ex S. Gregorio sic scribente, epistolâ 32 , nunc

33, lib. 1, ad Romanum Italiæ exarchum, à quo Blandus Hortensis episcopus Ravennæ detinebatur : *Ecclesia sine rectore, et populus quasi sine pastore grex deperit.* Et ibid. : *Infantes sine Baptismate moriuntur.*

Et adversùs Odoacrum Ecclesiæ Belvacensis laicum invasorem ac detentorem scribit Hincmarus Remensis, epistolâ 52, c. 2 : *Quanti sine canonico Baptismo relicti fuerunt ?*

5° Denique hunc antiquum morem confirmare videtur quod exstat apud Gregorium Turonensem, lib. 10 Hist. Franc., scilicet episcopum doctum ac pium, cùm monialium Antistitam ex injusto carcere eruere vehementer optaret, Chrodieldi nuntiàsse, nisi innocens virgo monasterio ac suis redderetur, se proximo Paschate neminem mysteriis initiari permissurum : *Alioquin*, inquit ille apud Gregorium Turonensem, *non celebrabo pascha Domini, neque Baptismum in hâc urbe ullus catechumenus obtinebit, nisi abbatissa à vinculo, quo tenetur, jubeatur absolvi.*

His historicis monumentis perspicuum est episcopos olim sibi reservâsse administrationem Baptismi, tum ad majorem ordinis episcopalis commendationem, tum propter celebritatem festivitatis Paschæ et Pentecostes, quibus præcipuè diebus solemniter administrari solebat Baptismus : cujus quidem consuetudinis vestigium adhuc aliquod in ecclesiâ Mediolanensi superesse testatur Vicecomes Ambrosiani collegii doctor, lib. 1 de Baptismo, c. 28 ; in hâc enim infantes, hebdomadâ, quæ festivitatem Paschæ vel Pentecostes præcedit, in lucem editi, ad præcipuam Urbis ecclesiam deferri jubentur, ut iis solemni ritu ab episcopo Baptismus ministretur ; tum denique quia primis illis temporibus baptisteria in cathedralibus tantùm ac præcipuis ecclesiis constituta erant, ad quas diebus solemnibus venire oportebat, qui Baptismo initiari cupiebant.

His tamen ipsis temporibus presbyteri episcopis baptizantibus assistebant, et simul cum ipsis, de eorum tamen licentiâ, aliquando baptizabant, sicut colligitur ex Palladio in vitâ S. Chrysostomi. *Joannis*, inquit, *presbyteri, quibus Dei aderat timor, in publico lavacro, quod Constantinum appellatur, coactis populis, vigilias inchoârunt, partim divina eloquia legentes, partim eos, qui instructi erant in fide, baptizantes, ut moris est in Pascha.*

Postquàm verò vel baptisteria variis in locis, non in urbibus tantùm, sed in vicis ; non in cathedralibus, sed in parochialibus ecclesiis erecta fuêre, vel solemnis ac publica Baptismi administratio certis diebus adstricta esse desiit, tunc indiscriminatim potestas baptizandi facta est presbyteris, non postulatâ etiam illâ singulari ab episcopis licentiâ. Ita videre est seculo sexto factitatum, ex sacramentario S. Gregorii, et Ordine Romano, ubi minister Baptismi simpliciter appellatur episcopus vel sacerdos. Imò lapsu temporis episcopi, aliis negotiis pro Ecclesiæ bono detenti, depositum baptizandi onus presbyteris inferioribus reliquerunt, quod hodierna praxis Ecclesiæ satis demonstrat. Hinc S. Carolus in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, parte 4, de sacerdote ait : *Ipse nôrit sibi licere baptizare, etiam præsente suo episcopo.*

Secunda conclusio. — Diaconi sunt ministri extraordinarii Baptismi, seu ex delegatione tantùm, non ex officio.

Probatur 1° exemplo et auctoritate S. Philippi, qui diaconus erat et baptizavit Simonem Magum, Act. 8, v. 13, et eunuchum Candacis reginæ, ibid., v. 38. Probabile autem non videtur, id sine jussu Apostolorum à quibus missus fuerat, tentâsse S. Philippum ;

Probatur 2° testimoniis veterum :

Tertulliani, lib. de Baptismo, cap. 17.

S. Hieronymi, dial. adversùs Luciferianos : verba retulimus conclusione 1 ;

S. Epiphanii, hæresi 79, n. 4 : *Neque diaconis*, inquit, *ullum in ecclesiastico ordine Sacramentum perficere conceditur ;* intellige ex vi ordinationis suæ, seu ex potestate ordinariâ ; sed istud duntaxat, ut eorum quæ perficiuntur, ministri sint ;

Probatur 3° ex can. *Diaconos*, dist. 93, quod caput depromptum est ex Epistolâ 9 Gelasii S. Pontificis ad episcopos Lucaniæ. *Diaconos*, inquit, *propriam constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem à paternis canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus..... Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortassè longiùs constitutis necessitas extrema compellat ;*

Ex cap. *Constat*, distinct. 4, *de Consecratione*, quod caput desumptum est ex Isidoro, lib. 2 de Officiis, c. 24. *Constat*, inquit, *Baptisma solis sacerdotibus esse tractandum ; ejusque ministerium, nec ipsis diaconis explere est licitum absque episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat.*

His accedit Catechismus Romanus, parte 2, § 22 : *Secundum ministrorum locum*, inquit, *obtinent diaconi, quibus sine episcopi aut sacerdotis concessu non licere hoc Sacramentum administrare, plurima SS. Patrum decreta testantur.*

Neque alio sensu intelligi debet quod in Pontificali Romano diaconis, dùm ordinantur, dicit episcopus : *Cogitate*, inquit, *magnoperè ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis ; diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, et prædicare.* Baptizare quippe possunt, si ab episcopo vel presbytero ad hoc ministerium assumantur, non aliter, nisi urgente necessitate. Ut enim ait S. Th., 3 parte, q. 67, art. 1 : *Ad diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio præbere, sed adhibere ministerium aliis majoribus in Sacramentorum exhibitione.*

Hinc communis est theologorum sententia, diaconum fieri irregularem, si absque licentiâ baptizet solemniter, quia est regula juris canonici, *qui aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesiâ, et nunquàm ordinetur.* Extra *de Clerico non ordinato.* Porrò diaconus vi ordinis sui jus non habet solemniter et ordinariè administrandi Baptismum (1).

(1) Petes 1°, utrùm etiam subdiaconi vel inferiores

Tertia conclusio.—In casu extremæ necessitatis validè et licitè administrare potest Baptismum homo quilibet laicus, sive vir, sive mulier, sive fidelis, sive infidelis.

Vim non faciemus in exemplis Sephoræ et Ananiæ, quæ ex Scripturis colligit Bellarminus ut probet cuicumque laico fas esse in necessitatis casu administrare Baptismum; tum quia Sephora præsente Moyse filium suum circumcidit, Exodi 4; at non probaret haud dubiè Bellarminus laicum præsente sacerdote baptizantem; tum quia satis exploratum non est an aliquis fuerit specialis minister circumcisionis, tum denique quia incertum planè est utrùm Ananias, qui Paulum baptizavit, Act. 9, fuerit simplex laicus.

Itaque conclusio probanda est veterum testimoniis.

De laicis:

Testis Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 17, ubi post verba citata conclusione 1, sic pergit: *Alioquin etiam laicis jus est; quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest... Proinde et Baptismus æquè Dei census, ab omnibus exerceri potest; sed quantò magis laicis disciplina verecundiæ et modestiæ incumbit; cùm ea majoribus competat, nec sibi assumant dicatum episcopis officium episcopatûs... sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sic ubi aut loci, aut temporis aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cùm viget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod liberè potuit.*

clerici possint delegari saltem à Papâ ad baptizandum solemniter? — R. Id nunquàm factum legitur. Sed esto summum Pontificem posse dispensare cum subdiacono ut adhiberet solemnitates solitas: id enim implicare non videtur, cum sint ex institutione Ecclesiæ, non posset tamen dici simpliciter baptizare solemniter, quia τὸ *solemniter* significat etiam baptizare ex officio; et in hoc differret subdiaconus à diacono delegato, quia suppositâ delegatione baptizat ex officio, quatenùs habet vi sui ordinis ut possit ad hoc delegari, sicut dictum est.

Petes 2°, utrùm diaconus sine commissione episcopi aut sacerdotis baptizans in extremâ necessitate, possit baptizare solemniter? — R. probabiliùs affirmativè: Quia plus videtur illi à jure concedi quàm laicis, qui possunt in necessitate baptizare sine solemnitate; aliundè commissio facta à jure potest censeri tacita commissio episcopi. Et ita significat Glossa in can. cit. *Diaconos*, dicens quòd *ubi necessitas exigit, et presbyter est absens, potest diaconus jure suo baptizare:* hæ enim particulæ *jure suo* respiciunt solemnitatem Baptismi, ad quam diaconus vi ordinis sui potest delegari.

Petes 3°, utrùm diaconus possit sine necessitate delegari ad baptizandum solemniter? — R. negativè: Quia vi sui ordinis non habet jus ordinarium sic baptizandi, sed tantùm extraordinarium, ideòque in necessitate tantùm usurpandum ex commissione. Secùs dicendum de sacerdote non habente jurisdictionem; cùm enim ille vi sui ordinis habeat jus ordinarium baptizandi solemniter, et tantùm usus juris prohibeatur, quando deest consensus parochi, eo consensu accedente, potest in quocumque casu sine causâ baptizare. Porrò necessitas committendi diaconum non videtur debere esse extrema, sed sufficit rationabilis puta notabilis utilitas Ecclesiæ vel proximi. (Billuart.)

Quatuor in hoc Tertulliani testimonio possunt et debent observari: 1° ministerium Baptismi ad episcopos et presbyteros ac diaconos pertinere, sed diversâ ratione. Ad episcopos tanquàm ad primarios ministros, propter honorem episcopatûs; ad presbyteros tanquàm ad secundarios, de licentiâ episcopi; ad diaconos ex eâdem episcopi licentiâ, tanquàm ad ministros delegatos; 2° laicos non debere officium episcoporum proprium sibi arrogare; 3° hoc eos posse in necessitate; 4° hoc eos posse non tantùm liberè seu validè, sed et licitè; aliàs rationem reddituri sunt illius qui defectu Baptismi perierit.

Idem probatur ex concilio Illiberitano, can. 38, quod approbat Baptismum ab homine fideli, sed laico, in extremâ necessitate datum.

Concilium quoque Arelatense I, quo definitum fuit adversùs Africanos, valere Baptismum ab hæreticis collatum, et Nicænum I generale, quod omnes hæreticos suscepit, exceptis Paulianistis, videntur consequenter approbâsse Baptismum datum à laicis. Certum quippe est Ecclesiam in his conciliis damnâsse sententiam Africanorum et aliorum qui baptizatos ab hæreticis iterùm baptizabant. At illi, ex dictis antea, eodem planè loco habebant Baptismum hæreticorum et laicorum, sicut expressè observat S. Basilius; ergo Ecclesia, quæ illorum damnavit sententiam, ratum habuit Baptismum ab hæreticis et laicis in formâ à Christo præscriptâ collatum.

Idem probat S. Hieronymus, dial. adversùs Luciferianos: *Si necessitas cogit*, inquit, *scimus etiam licere laicis baptizare; ut enim accipit quis, et dare potest.*

S. Augustinus, lib. 2 contra Epistolam Parmeniani, c. 13, idem testatur his verbis: *Et si laicus Baptismum pereunti dederit necessitate compulsus, quòd cùm ipse acciperet, quomodò dandum esset addidicit, nescio an piè quisquam dixerit repetendum esse. Nullâ etenim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed et si nullâ necessitate usurpetur, et à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum.* Ex quibus verbis concludunt aliqui, sanctum doctorem aliquando dubitâsse an laici licitè Baptismum administrent in casu necessitatis. Verùm citata verba non videntur esse dubitantis, sed certò definientis nullum esse delictum, nisi fortè veniale; si nempe laicus omnem quam potuit diligentiam non adhibuit in perquirendo sacerdote. Cùm igitur ait: *Nescio an piè quisquam dixerit*, idem est ac, nonnisi impiè affirmari potest: ibi enim asserit Baptisma à quolibet cuilibet datum non posse dici non datum, id est, non posse dici nullum et irritum; seu, ut loquitur, lib. 7 de Baptismo, c. 53: *Non dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicumque et à quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum, sine suâ simulatione, et cum aliquâ fide suscepissent.* Censet igitur sanctus doctor, eaptismum à laicis collatum ratum et validum esse: imò innuit quemlibet hominem baptizatum, eo ipso quo Baptismum percepit, didicisse cum aliis in necessitate dan-

dum esse; adeò nempe communis et pervulgata fuit in Ecclesiâ doctrina quam hìc propugnamus.

In concilio Lateranensi IV, sub Innoc. III, c. *Firmiter*, definitur, *Sacramentum Baptismi à quocumque ritè collatum proficere ad salutem.*

Denique, idem evincunt testimonia Gelasii in epistolâ ad episcopos Lucaniæ, et Isidori, lib. 2 de Officiis ecclesiasticis, c. 24, superiùs conclusione 2 adducta : post citata enim verba, addunt, *quod et laicis Christianis facere plerùmque concedimus, ne quisquam sine remedio salutari de seculo evocetur.*

De mulieribus :

Constat 1° ex conc. Carthaginensi IV, cui interfuit S. Augustinus, can. 100, quem Magister Sententiarum, l. 4, dist. 6, et Gratianus, can. *Mulier, de Consecratione*, dist. 4, sic legunt : *Mulier baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente.* Dixi sic legere Magistrum et Gratianum : in ipso quippe textu concilii non exstat dicta exceptio, *nisi necessitate cogente;* neque eam quoque legit Walafridus Strabo, lib. de divinis Officiis, c. 26, licèt rectè præsupponatur ; cùm et ipse mox citatus Walafridus dicat : *Ubi inevitabilis necessitas poscit, meliùs est baptizari ubicumque et à quocumque in nomine Trinitatis, quàm periclitantem sine remedio deperire.*

Constat 2° ex Urbano 2, in epistolâ ad Vitalem, cap. *Super quibus*, causâ 30, q. 4 : *Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententiâ respondendum, ut et Baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.*

Constat 3° ex decreto Eugenii : *In causâ necessitatis* inquit, *non solùm sacerdos et diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia.*

De non baptizatis, an validè baptizent dubitavit aliquando S. Augustinus, lib. 2 contra Epistolam Parmen., c. 13 : *Hæc quidem*, inquit, *alia quæstio est, utrùm et ab his qui nunquàm fuerunt Christiani possit Baptismus dari : nec aliquid temerè inde affirmandum est sine auctoritate tanti concilii, quantùm tantæ rei sufficit.* Nihilominùs tamen, lib. 7 de Baptismo, c. 53, generatim affirmat valere Baptismum cuicumque et à quocumque verbis evangelicis collatum.

Idem docet Isidorus relatus, cap. *Romanus de Consecratione*, dist. 4 : *Romanus*, inquit Pontifex, *non hominem judicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licèt paganus sit qui baptizat.*

Idem et concilium Compendiense, an. 757, can. 9 : *Si quis*, inquit, *baptizatus est à presbytero non baptizato, et sancta Trinitas in ipso Baptismo invocata fuerit, baptizatus est.*

Idem et Nicolaus I, respondens ad consulta Bulgarorum, cap. 104, et refertur eâdem distinctione cap. *A quodam Judæo. A quodam Judæo*, inquit, *nescitis utrùm Christiano: an pagano, multos in patriâ vestrâ baptizatos asseritis, et quid de istis sit agendum consulitis. Hi profectò si in nomine S. Trinitatis baptizati fuerint, constat eos non esse denuò baptizandos.*

Idem quoque docet Eugenius IV, paulò ante citatus, in suo Decreto seu Instructione ad Armenos.

Iis auctoritatibus addi potest et ratio quam adducit S. Thomas, ex summâ nempe Baptismi necessitate, cujus idcircò materiam voluit esse elementum aquæ vulgare, facile et omnibus obvium; et consequenter illius ministrum idoneum fecit, in casu necessitatis, hominem quemlibet.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° contra Baptismum à laicis datum : Nullum exstat in Scripturis exemplum talis Baptismatis; ergo, etc. — Resp., nego consequens. Ipsa quippe traditio Ecclesiæ, quæ altera est fidei nostræ regula, approbat Baptismum à laico in necessitate datum. Ac perinde est ac si quis Anabaptista sic argueret : Nullum exstat in Scripturis exemplum Baptismi infantibus administrati; ergo iis administrari non debet. An ita arguentem Anabaptistam ferrent Calvinistæ? non certè. Argumentum ergo illud negativum ex silentio Scripturæ ductum, satis ponderis ac momenti non habet.

Instabis 1° : Christus Baptismi institutor solis Apostolis, qui episcopos, et discipulis, qui presbyteros repræsentabant, mandatum dedit baptizandi; igitur eos solos instituit hujus sacramenti ministros. — Resp., dist. conseq. : Eos solos instituit hujus Sacramenti ministros ordinarios ex officio, ac solemnitatis, ut aiunt, concedo; extraordinarios et necessitatis, nego. Ipse quippe Philippus, qui diaconus tantùm erat, baptizâsse legitur, Act. 8.

Instabis 2° : Absurdum videtur posse laicos verè ac validè conferre Baptismum, non verò posse solemniter, cùm solemnitas illa sit tantùm aliquid Sacramento extrinsecum et juris ecclesiatici. — Resp. cum S. Thomâ, nego ant. : Illa etenim solemnitas, seu cæremoniæ et adjuncta sacramentalia non sunt de necessitate Sacramenti : at ipsum Sacramentum absolutè necessarium est. Quòd si laicis solemnis permitteretur administratio Baptismi, nullum ampliùs discrimen assignari posset inter ministrum ordinarium seu ex officio, et extraordinarium seu ex solâ necessitate.

Instabis 3° : SS. Cyprianus, Firmilianus, et alii veteres, qui Baptismum hæreticorum rejiciebant tanquàm nullum, rejecerunt quoque Baptismum à laicis datum; eodem quippe loco utrumque Baptismum habuerunt, teste S. Basilio, Epistolâ canonicâ ad Amphilochium, can. 1, unde pervulgata hæc illorum argumentatio : *Quos baptizavit laicus, ii sunt denuò baptizandi; sed quos baptizavit sacerdos hæreticus, eos baptizavit laicus; ergo*, etc.

Cujus quidem argumenti major propositio nusquàm fuit à Catholicis adversùs Cyprianum disputantibus negata, nusquàm S. ille doctor reprehensus quòd eam tueretur; sed solam minorem negârunt orthodoxi : quod quidem adeò verum est, ut post Nicænum concilium, qui Luciferianos oppugnârunt, majorem illam propositionem tanquàm firmum fundamentum adver-

sùs eos contorquebant hoc ferè modo : *Quos baptizavit laicus, ii sunt denuò baptizandi : sed quos baptizavit sacerdos Arianus, ii non sunt denuò baptizandi ; ergo quos baptizavit sacerdos Arianus, eos non baptizavit laicus ; ergo Arianus sacerdos cum suis honoribus recipiendus est*, quod negabant Luciferiani. Ita ferè disputator orthodoxus apud S. Hieronymum, dial. adversùs Luciferianos. — Resp. : Fatemur SS. Cyprianum, Firmilianum et alios nonnullos in oppositam abiisse sententiam, ac Baptismum laicorum rejecisse perinde ac hæreticorum ; verùm sententiam hanc damnavit Ecclesia in concilio totius orbis plenario, ut sæpiùs inculcat S. Augustinus disputans adversùs Donatistas; falsum igitur est orthodoxos nunquàm negâsse majorem istam propositionem argumenti propositi, nempe : *Quos baptizat laicus, ii sunt denuò baptizandi.* Etsi enim de illâ propositione non legamus ex professo disputatum tunc temporis, quia scilicet summa controversiæ erat de Baptismo hæreticorum, cùm tamen Ecclesia damnavit Cypriani sententiam, damnavit quoque fundamenta quibus illa nitebatur.

Ad argumentum sancti Hieronymi, dico eum ad hominem, ut dicitur, arguere, et premere Luciferianos ex concessis ab illis, non verò ex propriâ suâ sententiâ. Scilicet, volebant illi Baptismum à laicis collatum nullum esse, quod ex Cypriano et Donatistis hauserant; in eo tamen discrepabant ab illis quòd Baptismum ab Arianis episcopis collatum, non verò ordinationes ab iis factas, admitterent ; unde eos, et ab iis ordinatos, cùm ad suam redibant ecclesiam, tanquàm meros laicos recipiebant ; quam opinionem minùs secum cohærere ostendit S. Hieronymus, et probat aut rejiciendum esse Baptismum illorum episcoporum Arianorum, aut si recipitur, admittendas quoque ordinationes ab illis factas; isto ferè argumento : Baptismus à laicis collatus, ex vobis, nullus est : Baptismus collatus ab episcopis Arianis est collatus à laicis, siquidem eos pro meris laicis habetis ; ergo non debetis admittere Baptismum ab iis datum ; illum tamen admittitis ; ergo consequenter admittere debetis ordinationes ab illis factas, par enim est utriusque ratio. In quâ certè argumentatione, major propositio non est ex propriâ S. Hieronymi sententiâ, sed ex concessis à Luciferianis quos propriis armis premit et impugnat.

Objicies 2° contra Baptismum à mulieribus datum : Scriptura et veteres omnes excludunt mulieres ab omni sacro et divino ministerio, 1 Corinth. 14, v. 34; Tertullianus lib. de velandis Virginibus, c. 9 ; lib. de Baptismo, c. 17 ; lib. de Præscriptionibus, c. 41 ; S. Epiphanius hæresi 42 et 79 ; conc. Carthaginense IV. Ergo, etc.

Resp. his et pluribus aliis testimoniis excludi duntaxat mulieres ab ordinariâ et solemni administratione Baptismi, quod ultrò concedimus ; ac manifestè patet ex lectione testimoniorum, quæ laudata sunt.

Objicies 3° contra Baptismum datum à non baptizatis, nonnulla veterum testimonia.

1° Tertulliani qui, lib. de Baptismo, c. 17, probans laicos in necessitate posse baptizare, hâc utitur ratione : *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.* Idem ex Tertulliano exscribit S. Hieronymus dial. adversùs Lucifer. Supponunt igitur ideò dari posse à laico Baptismum, quia laicus illum accepit ; ergo supponunt laicum non baptizatum non posse validè baptizare.

Confirmatur ex S. Hieronymo citato dialogo, ubi Luciferianum contendentem Arianos, imò et omnes hæreticos non esse christianos, nihilominùs tamen Baptismum ab episcopis arianis collatum admittentem, sic ex concessis impugnat Hieronymus : *Novam rem*, inquit, *asseris, ut christianus quisquam factus sit ab eo qui non fuit christianus.* Nova igitur et inaudita res videtur sancto doctori, quòd homo non christianus, id est, non baptizatus, alium christianum faciat, seu baptizet.

2° Videtur hæc fuisse mens concilii Eliberitani, can. 38, ubi dicitur : *Peregrè navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum.* ergo qui lavacrum non habet integrum, seu qui non est baptizatus, imò nec bigamus, potest in necessitate baptizare.

3° SS. Patres qui contra SS. Cyprianum et Firmilianum, ac Donatistas disputârunt, eo usi sunt principio ex quo rectè infertur nullum esse Baptisma datum à non baptizatis. Scilicet, contendebant illi, auctores hæresum idcireò posse baptizare quos decipiunt, quòd recedentes ab Ecclesiâ, receptam in sinu ipsius ordinationem, quâ jus baptizandi acquiritur, non amiserint. *Sicut autem*, inquit S. Augustinus, l. 1 de Baptismo, c. 1, *baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit ; sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi Baptismi non amittit.* Igitur ii tantùm possunt etiam in casu necessitatis Baptismum conferre, qui baptizati sunt.

4° S. Augustinus nihil ausus est definire de Baptismo quem non baptizatus contulisset. lib. 2 adversùs Epistolam Parmeniani, c. 13.

5° Denique, Gregorius III, epistolâ ultimâ ad Bonifacium, jubet iterùm baptizari eos qui fuerant à Paganis baptizati. Refertur de Consecr., dist. 4, cap. *Quos à paganis.*

Resp. ad singula : Ad primum, nego istorum verborum : *Quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest*, sensum esse, ab eo duntaxat Baptismum dari posse, qui illum accepit : imò contrarium planè sensum præ se ferre videntur, istum scilicet : sicut Baptismus ex æquo, id est, indiscriminatim ab omnibus accipitur, ita ab omnibus in periculo necessitatis indiscriminatim dari potest. Sensum hunc confirmat idem Tertull. cùm ait *Baptismum æquè Dei censum ab omnibus exerceri.*

Ad confirmationem, dico S. Hieronymum ibi per Christianum non intelligere eum qui Baptismum suscepit, sed eum qui veram et catholicam habet fidem

christianam, ut patet ex verbis immediatè subjectis : *Accedens*, inquit, *ad Arianos, in quâ fide baptizatus est?* nempe in eâ quam profitentur Ariani. Scilicet eò loci premit sanctus doctor Luciferianum, qui laicos ab episcopis Arianis baptizatos et pœnitentes recipiebat sine novo Baptismo, ipsos verò episcopos, nonnisi in ordine laico recipiendos contendebat; cujus quidem discriminis hanc adducebat rationem, quòd nempe laicus ab Ariano episcopo baptizatus fidem haberet verusque esset Christianus, adeòque per pœnitentiam emendari duntaxat deberet; cùm verò episcopus Arianus propter dignitatem statûs non posset inter pœnitentes admitti, necesse erat eum à suo excidere ordine, adeòque inter meros recenseri laicos. Hanc verò rationem planè ineptam esse ostendit sanctus doctor; deinde probat, primum hujus comparationis membrum, nempe laicum ab episcopo Ariano baptizatum fidem habere seu esse Christianum, omninò falsum esse, quia fides in quâ baptizatus fuit, et quam professus est, fides est Ariana; fides autem ista non est christiana; quomodò ergo à non Christiano factus est Christianus? Quòd si per pœnitentiam emendari potest ille laicus, quidni et episcopus? *Aut si*, inquit S. Hieronymus, *jam ipse benè credebat, et sciens ab hæreticis baptizatus est, erroris veniam non meretur*. Itaque cùm ait sanctus doctor *rem esse novam ut Christianus quisquam factus sit ab eo qui non fuit Christianus*, per Christianum intelligit eum, qui sanam et rectam habet fidem christianam, qualem profectò non habet qui sciens ab Arianis, quibus adhæret, fuit baptizatus; non verò eum qui simpliciter baptizatus est.

Ad secundum respondeo cum Mendosâ in notis ad hunc canonem : *Qui docet fidelem, qui lavacrum suum integrum habeat, posse baptizare necessitatis tempore, non negat infidelem id facere posse, sed cupit esse fidelem*. Seu, ut loquitur illustrissimus ac doctissimus Albaspinæus suis itidem in citatum canonem observationibus : *Canon iste non ait, si in morte catechumeni unus laicus tantùm adesse videatur; imò contra subintelligi vult, si plures laici tali tempore non defuerint, tum statui omninò vult, ut unus è laicis, qui nondùm pœnitentiam exsolverit, neque bigamus fuerit, baptizet; idque ob eam rem, quòd neque sacerdotes pœnitentiam peragere, neque eâ perfectâ absolutâque ad id eligi, neque bigami esse poterant; quas quidem conditiones in uno laico qui baptizet, requirit ille canon, quòd eo modo sit sacerdotis partes acturus. Si tamen tunc temporis intervenisset bigamus, unus tantùm idemque pœnitens, canon ille decrevisset, vel si omnia illa impedimenta sese obtulissent, ab eo potuisse sacrum Baptisma conferri*. Hactenùs illustrissimus Albaspinæus. Uno verbo, sensus canonis est ubi premit necessitas, et plures adsunt laici qui morienti catechumeno per Baptismum possunt subvenire, eum inter cæteros esse seligendum, qui fidelis sit, nec inter pœnitentes accenseatur, nec sit bigamus; si tamen non alius occurreret, posse eum et debere Baptismum conferre.

Ad tertium : argumentantur illi SS. doctores ex concessis in sententiâ Rebaptizantium, quorum scilicet istud erat palmare fundamentum : Nemo dat quod non habet : Heretici non habent Baptismum; ergo, etc. Quo quidem principio gratis eis concesso, reponunt SS. Patres, et quidem appositè ad subjectam controversiam, quòd sicut ii Baptismum non amittunt, qui ab Ecclesiâ, in quâ sunt baptizati, recedunt, ita nec jus illum conferendi amittit, qui se ab unitate Ecclesiæ separat; atque ita hæretici episcopi et sacerdotes validè baptizant. Malè igitur ex hâc eorum argumentandi ratione infertur, censuisse illos Baptismum ab eo duntaxat posse conferri, qui baptizatus esset; de illo etenim Baptismo nulla tunc erat controversia, sed tantùm de veritate Baptismi ab hæreticis collati.

Ad quartum : Satis constat ex dictis, dubium reverà fuisse aliquando S. Augustinum circa Baptismum datum ab infideli; verùm l. 7 de Baptismo c. 53, absolutè pronuntiat, ratum esse cuicumque et à quibuscumque verbis evangelicis conferatur.

Ad quintum : Gregorius III loquitur de iis paganis qui inter baptizandum formam à Christo præscriptam non observaverant, quos idcircò jubet denuò baptizari.

Solvuntur nonnullæ quæstiones circa ministrum Baptismi.

Quæres 1° an sit aliquis ordo servandus inter ministros Baptismi in necessitate — Resp. affirmativè. *Neque enim laicus*, inquit S. Carolus, in Actis Ecclesiæ Mediol., parte 4, de Ministro Baptismi, *præsente clerico neque rursùs clericus præsente subdiacono; hicque itidem coram diacono; nemo præterea eorum coram sacerdote baptizare audeat : ipse autem nôrit, sibi licere baptizare etiam præsente suo episcopo* (1).

(1) Attamen... prædictus ordo graves ob causas inverti debet : sic obstetrix ritum Baptismi benè edocta, anteponenda est imperito mari vel infideli, quin et parocho, propter indecentiam, si infans necdùm omninò editus sit. Idem est de diacono respectu sacerdotis, si is vel simoniacè pretium exigat pro Baptismo, vel justè præsumatur eum administraturus in statu peccati, aut censuræ, à quâ absolvi non satagat.

Porrò ordo mox assignatus obligat sub gravi et subdiaconum præsente diacono, et diaconum præsente sacerdote; quia ut diaconus sacerdoti, sic et subdiaconus diacono gravem infert injuriam, cùm jus Ordini ipsius, ab ipso Christo magis aut minùs principaliter annexum usurpat. Haud tamen, positis, ut nunc sunt, rebus, graviter peccaret sacerdos, qui præsente episcopo baptizaret aliquem, cujus neuter pastor foret; quia ut episcopus sic et presbyter habet ex officio quòd baptizare possit : imò ait S. Carolus ubi supra *nôrit* sacerdos *sibi licere baptizare etiam præsente suo episcopo*.

An verò graviter quoque peccet laicus homo vel obstetrix, si præsentibus subdiaconis baptizet, controvertitur; negant alii, quia subdiaconus nullum etiam inchoatum in ordinatione suâ recepit jus baptizandi; unde ei nonnisi levis infertur injuria ab iis qui coram et præ ipso baptizant. Asserunt alii, quia hæc agendi ratio graviter subvertit ordinem à naturâ ipsâ constitutum, qui exigit ut longè dignior, cæteris præferatur. Hic ego dubium mortale admisero, nisi excuset bona fides, instantia casûs, etc.

Sed quid si sacerdos ex futili quâdam urbanitate jus suum cedat laico præsenti, poteritne is baptizare?

Quæres 2° an plures ministri possint simul eumdem hominem baptizare.— Resp. 1° id nunquàm licitum

Non poterit, quia facultatis hujus acceptatio duo invehit mala, alterum quòd Sacerdotali ordini injuriam faciat; alterum quòd ad minus negativam erga Sacramentum irreverentiam complectatur.

Quæres 1° quo in loco conferri debeat Baptismus, extra necessitatem? — R. Baptisma olim quocumque in loco collatum esse, ut constat exemplo tum eunuchi, qui à Philippo baptizatus est in viâ; tum Sauli qui ab Ananiâ baptizatus est in privatâ domo. Unde hìc dici potest quod statim de tempore aiebat Tertullianus, locum omnem Domini esse, et habilem Baptismo. Atque id servatum primitùs, cùm deessent Christianis publica templa in quibus synaxes suas celebrarent. Nunc et jam pridem extra ecclesias baptizare illicitum. *In ecclesiis*, ait can. 19, concilii Trullani, *non in domibus, aut privatis oratoriis Baptisma celebretur: contra faciens clericus deponatur, laicus excommunicetur;* et concilium Meldense, can. 48: *Nemo Presbyterorum baptizare præsumat nisi in ecclesiis baptismalibus, nisi causâ ægritudinis, vel certæ necessitatis. Si* quandoque, ait citatum Rituale, p. 31, *ex licentiâ DD. episcopi infans baptizetur sine cæremoniis, id fiet vel in parochiali ecclesiâ, aut domi in capellâ seu oratorio, cum aquâ baptismali, præsente semper parocho, si non ipse baptizet. Verùm si neque capella, neque oratorium sit in illâ domo, ponatur super mensam cubiculi imago crucifixi, cum duobus cereis ardentibus.*

Ab hâc lege excipiuntur infantes regum et principum, ex Clement. unicâ *De Baptismo*, etc., qui proinde in capellis domesticis baptizari possunt cum aquâ de more benedictâ.

Ex his, ait Sylvius, *benè advertant parochi, nequaquàm sibi licere ad instantiam eorum nobilium, qui neque sunt reges, neque principes, ipsorum pueros vel in domo vel in Capellâ domesticâ, aut in aliâ quâcumque, si non sit ecclesia habens fontem baptismalem, baptizare vel solemniter vel non solemniter. Sed nec eis licet illos pueros in ecclesiâ fontes habente, ad assecurationem, ut vocant, interea dùm patrinus expectatur, baptizare sine cæremoniis: partim quia obstat allegata Clementina, partim quia recepta est Navarri, Ledesmæ et aliorum sententia, peccatum esse mortale sacerdoti cuique baptizare sine solemnitate extra casum necessitatis.*

Quæres 2° an parochus aliquando propriâ auctoritate Baptismum infantis differre possit. — R. Affirmat. modò 1° nihil subsit periculi; 2° subsit legitima differendi ratio, puta ut juxta pristinum Ecclesiæ morem infantes in Paschæ vel Pentecostes pervigilio baptizentur; 3° et nihil in contrarium diœcesanâ lege constitutum fuerit: hæc enim si, v. g., vetet, ne ultra triduum differatur Baptismus infantis, graviter deliquet parochus, si eumdem etiam intuitu pietatis ad quatriduum retardet. Vide Gibert, ibid., consult. 12.

Quæres 3° an parochus cui offertur baptizanda proles ex illegitimo concubitu nata, possit Baptismum negare, nisi mater genitorem revelet. — R. negat., imò peccabit graviter obligando ad revelationem hanc; tum quia est id ad infamationem occulti stupratoris adigere; tum quia grave orietur scandalum, si idem, ut quandoque evenit, intelligatur esse prolis parens, qui matris frater, ne quid pejus dicam.

Quòd *si*, addit Henricus à S. Ignat., n. 112, parochus *ad id coegerit jubente episcopo, non est arguendus: quia præsumere potest et debet episcopo non deesse justam causam ad id jubendum, v. g., ad providendum de alimentis proli illegitimæ*, etc., *quam ob causam ipse etiam secularis magistratus nonnunquàm cogit matrem ad ejusmodi manifestationem etiam sub juramento. Quod tamen postremum non consulerem, nisi aliunde adsit semiplena probatio; tum propter grande periculum perjurii; tum quia sive in judicio seculari, sive in ecclesiastico integrè stari non potest tali nominationi etiam* esse, quod est contra morem Ecclesiæ et contra institutionem Christi, qui sicut unus est, ita voluit unum esse in unoquoque baptizando ministrum. — Resp. 2° triplicem fingi posse propositæ quæstionis hypothesim. Vel enim plures simul unum hominem baptizant, tanquàm causæ partiales et à se invicem mutuò dependentes, sub hâc verborum formâ: *Nos te baptizamus in nomine Patris*, etc.; quo casu nullum est sacramentum: *Quia*, inquit S. Th., hìc, q. 67, art. 6, *videretur esse contra rationem ministerii: homo enim non baptizat, nisi ut minister Christi et vices ejus gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet: propter quod signanter Apostolus dicit, Ephes. 4: Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Et ideò contraria intentio videtur excludere Baptismi Sacramentum.* Eadem quoque videtur esse ratio, si nempe loco istorum verborum, *nos te baptizamus*, diceretur Græcorum more, *Baptizatur servus Christi*, etc., quia unusquisque ex illis ministris significaret se partialem tantùm esse et inadæquatam causam ministerialem Baptismi; quod pugnat cum institutione hujus Sacramenti à Christo factâ.

Vel singuli illi ministri tanquàm causæ totales ejusdem Sacramenti simul aquam effundentes dicunt: *Ego te baptizo*, etc., et hoc casu ratum esset Sacramentum: *Quia*, inquit S. Th., ibid., *uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter Baptismum conferret.*

Vel denique eorum ministrorum unus aquam funderet, alter verò proferret verba, et ita eorum quilibet non integrum Sacramentum, sed partem Sacramenti ministraret; quo etiam casu nullum esset Baptisma: quia nullus eorum posset verè dicere se baptizare; non qui aquam funderet, aqua enim sola Sacramentum non perficit; non qui proferret verba, quia verba sine aquâ Baptismum non perficiunt, ipse autem aquam non effunderet. Ita S. Th., loco citato.

Quæres 3° an possit aliquis seipsum baptizare. — Resp. negativè, quia est contra institutionem Christi, qui ministrum et subjectum Baptismi apertè distinguit cùm ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc. Ita respondit ad propositam quæstionem Innoc. III. Interrogatus enim à Metense episcopo, de Judæo qui morti proximus seipsum baptizaverat, respondet, illum esse denuò baptizandum.

juratæ, uti adversùs nonnullos judices demonstrat Gobat, etc.

Quæres 4° an teneatur obstetrix formam et modum Baptismi callere. — R. affirmat. idque tum titulo charitatis, ne, quod crebrò timeri potest, animæ quas Christus pretioso sanguine redemit, æternùm pereant; tum et aliquo justitiæ titulo, quia ad id munus in necessitate obeundum semetipsas videntur devovisse; nec aliâ conditione seu à parochis, seu à patribus et matribus admittuntur. An autem passim repeti debeat Baptisma ab obstetrice collatum infra expendemus.

Quæres 5° an pater propriam prolem baptizare queat. — R. posse in casu necessitatis; tuncque non excidit à jure conjugali, prout docuimus ubi de quarto Decalogi præcepto. (Collet.)

Refertur hoc decretum lib. 3 Decret., titulo 42, c. 4.

Quæres 4° an unus minister possit simul plures baptizare. — Resp. in casu urgentis necessitatis id fieri posse; tali enim Baptismo nec institutio Christi, nec forma consueta repugnat. *Christus enim*, inquit S. Th., hìc, *qui principaliter baptizat, est unus; sed multi per Baptismum efficiuntur unum in Christo... Neque per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum, præsertim cùm pluraliter dicatur, Matth. ultimo : Baptizantes eos*, etc.

Quæres ultimò qui fuerint olim ritus præcipui circa ministrum Baptismi observati. — Resp. 1° ministros ordinarios et solemnitatis Baptismi nonnisi jejunos ad hoc ministerium olim accessisse. Colligit Vicecomes, lib. 1, c. 29, ex duplici concilio, Parisiensi nempe et Meldensi. Idem quoque statuit conc. Rotomagense an. 1072, can. 5 : *Nullus sacerdos*, inquit, *baptizet infantem nisi jejunus et indutus albâ et stolâ, nisi necessitate.* 2° Destinatas ad hoc ministerium vestes induebant ministri, de quibus Beroldus sic loquitur : *Tunc*, inquit (nempe sabbato sancto), *magister scholarum præcedit cum pueris suis, cantando antiphonam usque ad regias baptismalis ecclesiæ, et ibi extra ecclesiam archiepiscopus exuit stolam, et planetam, et induit se paludamento baptismali, et præcingit se manutergio cum singulo nexu veniente in sinistro latere in similitudinem ensis, et similiter nexum sandaliorum facit juxta calcaneum in similitudinem calcarium, habens mitram in capite, et sic incedit ad fontes.* Ubi observa primùm, ea quæ de stolâ extra ecclesiam depositâ dicta sunt, ad illam consuetudinem pertinere, quâ nostri sacerdotes stolam violaceam exuentes, aliam induunt albi coloris. Observa 2° vestes quibus inter baptizandum utebantur ministri, fuisse albi coloris, ut colligitur ex Ordine Romano, cap. de Sabbato sancto. Theodoretus, lib. 2 Hist., c. 27, meminit cujusdam vestis auro contextæ, quam Constantinus imperator in honorem ecclesiæ Hierosolymitanæ dedit Macario episcopo, ut eâ indutus baptizaret.

3° Ministri intrò in aquam seu fontem baptismalem descendebant, sicut colligimus ex Ordine Romano et S. Ambrosio, lib. 2 de Sacramentis, c. 6, atque baptizandos de pondere sublatos aquis totos immergebant oleo inunctos. *Ponit sacerdos*, inquit Severus Alexandrinus, lib. de Baptismo, *oleum olivæ in volâ manûs suæ, totumque corpus ejus qui baptizatur, ungit, et dimittit illum in baptisterium, respiciens ad orientem; dextramque suam*, pergit ille, *capiti ejus qui baptizatur imponit, et sinistrâ suâ ter attollit ex aquis à fronte, à tergo, et altero laterum ejus.* Idem ferè refert S. Bonaventura in 4, dist. 3, q. 1 : *Sacerdos*, inquit, *debet puerum tenere per latera, et versâ facie ad aquam debet mergere, ita quòd habeat caput primò versùs orientem, secundò versùs aquilonem, tertiò versùs meridiem.* In illo autem gravi onere aquis immergendi grandiora adultorum corpora, levabantur episcopi, partim per assistentes presbyteros et diaconos; partim per susceptores, qui in brachia sua baptizatos suscipiebant, inde susceptores dicti; partim per ipsos baptizandos qui cùm recti in aquis starent, atque pedibus imam baptisterii partem tangerent, sui corporis molem sustinebant, cujus proinde pondere non ita gravabantur ministri baptizantes.

4° In aliquibus ecclesiis, ut in Mediolanensi, episcopus baptizatorum pedes lavabat; de quo ritu loquitur S. Ambrosius l. 3 de Sacramentis, cap. 1 : *Ascendisti*, inquit, *de fonte, quid secutum est? Succinctus sacerdos summus, licèt enim et presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii à summo est sacerdote, succinctus, inquam, summus sacerdos pedes tibi lavit.*

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO BAPTISMI SEU DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM.

Subjectum Baptismi capax est solus homo viator, is autem vel est adultus, vel infans. De utroque, tum infantium, tum adultorum, Baptismo hìc agendum.

De Baptismo infantium.

Circa infantium Baptismum hæc sunt expendenda : 1° Utrùm infantes sint Baptismi capaces, et expediat eos baptizare. 2° Utrùm infantes in utero materno adhuc inclusi, aut ex aliquâ tantùm suî parte egressi, possint baptizari. 3° An debeant baptizari infidelium filii, parentibus invitis. 4° Denique, quam fidem in infantibus Baptismus supponat et producat.

Utrùm infantes sint capaces Baptismi, et expediat eos baptizare.

Errores et opiniones.

Circa primum, nempe infantes Baptismi capaces esse, errârunt ex veteribus

Hieracitæ, quorum auctor Hieracha : *Hi dicunt infantes non pertinere ad regnum cœlorum, quia non sunt eis ulla merita certaminis quo vitia superantur.* Ita S. Augustinus, l. de Hæresibus, c. 47.

Vicecomes, l. 2 de Nitibus Baptismi, c. 1; Coccius, Thesauri l. 5, art. 6, eumdem errorem Pelagio et cuidam Vincentio Victori affingunt; sed immeritò : ipse enim Pelagius in suâ ad Innocentium I Epistolâ, profitetur hanc opinionem sibi per calumniam imponi. Ita testatur S. Augustinus, l. de Peccato originis, c. 17, 18 et 19. Negabant quidem Pelagiani, Baptismum necessarium esse parvulis ad habendam vitam æternam; sed fatebantur necessarium ad obtinendum regnum cœlorum; inde est quòd ipsimet parvulos ad Baptismum admitterent. Eadem esse videtur Vincentii Pelagiani opinio.

Valdenses, teste Ermengardo in Opusculo adversùs eos edito, docuêre parvulis Baptismum aquæ nihil prodesse.

Apostolici, teste S. Bernardo, Serm. 66 in Cantica, irridebant catholicos quòd Baptismum infantibus darent.

Petrobrussiani, sic dicti à Petro de Bruis, idem docebant; adversùs quos Petrus Cluniacensis abbas et Bernardo coætaneus, duas conscripsit epistolas in quibus errorem hunc refert et refellit.

Henriciani, ita dicti ab Henrico Petri de Bruis discipulo, ejusque nequitiæ ac impietatis hærede negârunt quoque parvulos capaces esse Baptismi. Ita refert S. Bernardus, epistolâ 241.

Petrus quoque Abailardus et Petrus de Brixiâ idem docuêre, sicut colligimus ex conc. Lateranensi sub Innocentio II, can. 23.

Cathari quoque, qui non longè ab his temporibus circa an 1160 deprehensi sunt Coloniæ, adversùs quos plures sermones edidit Eckbertus monachus, in eum dem errorem abiisse memorantur.

Ex Novatoribus superioris seculi, Anabaptistæ sic dicti quòd baptizatos in infantiâ, cùm ad indultam pervenissent ætatem, iterùm baptizarent, eò quòd Baptismum infantibus collatum nullum prorsùs existimârunt.

Orta est hæc secta, anno 1522, auctore Nicolao Storkio, qui cùm Luthero primùm adhæsisset, ab eo postea deficiens, et insolitas jactans sibi factas per Michaelem archangelum revelationes, Wittembergâ pulsus incertisque sedibus per Thuringiam vagatus, specie sanctitatis, quam egregiè mentiebatur, apud stolidum rusticorum vulgus fidem invenit. Horum historiam scripsêre Arnoldus Meshovius, et Joannes Ottius Tigurinus.

Michael Servetus in fine libri de Regeneratione, scribit puerorum Baptisma esse horrendam abominationem, Spiritûs sancti exstinctionem, regni Christi conculcationem, Christi abnegationem, etc. Illius varia argumenta refert et refellit Calvinus, lib. 4 Institutionis, c. 16, n. 31.

Ministri Transylvani, an. 1568, referente Socino, epistolâ de Baptismo ad virum nobilem, tanquàm fratres agnovêre et recepêre eos qui in infantiâ baptizatos, postquàm adoleverint, baptizandos esse dicunt.

Sociniani rati Baptismum rem esse indifferentem et liberam, neque eum infantibus conferunt, neque etiam denegant, quando sine scandalo denegari non potest. Sic ipsi interrogant in majori catechesi Racoviensi, c. 4, de Baptismo aquæ : *Num ergo ad eum ritum infantes pertinent?* Respondent : *Nullo pacto.* Et postea quærunt *quid de iis sentiendum sit, qui infantes baptizant.* Respondent : *Quantumvis hâc in re errent, non licet tamen ideò eos condamnare, modò alioquin idololatræ non sint: sed scitè secundùm præcepta Christi vivant, et alios sententiam ipsorum repudiantes non persequantur.*

Theodorus Beza et omnes ferè recentiores novatores Lutherani et Calvinistæ hoc nixi principio, Baptismum esse sigillum et obsignationem fœderis initi Deum inter et Christianos, contendunt solos fidelium, non verò infidelium filios baptizandos esse : quòd si contingat infantes mori sine Baptismo, eos à regno cœlorum non excludunt.

Circa secundum, an nempe expediat infantes baptizare.

Opinio fuit Fidi in Africâ episcopi, eos non debere baptizari ante octavum à nativitate diem. De quâ consultus S. Cyprianus, respondit per epistolam quæ est n. 59, eos posse et debere baptizari.

Tertullianus itidem Afer, lib. de Baptismo, c. 18, putat expedire magis si infantium Baptisma differatur, donec per ætatem sint rationis compotes : cujus duplicem profert causam et rationem; unam ex parte sponsorum qui exponunt se periculo, ne infantes factas eorum nomine promissiones, irritas faciant; alteram ex parte obligationum quæ per Baptismum contrahuntur : *Quid enim*, inquit, *necesse est sponsores etiam periculo ingeri? Quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones possunt, et proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus : Nolite illos prohibere venire ad me. Veniant ergo, dùm adolescunt.... quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum* (innocentes vocat infantes, per exclusionem peccatorum actualium, non verò originalis)? *Si pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem quàm dilationem.* Quin eodem nixus fundamento unicuique pro variâ conditione, dispositione ac ætate, nominatim verò innuptis propter tentationes quibus obnoxii sunt, Baptismi cunctationem meliorem esse contendit.

S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 40, quæ est in sanctum Baptisma, censet quoque ante triennium parvulos non esse baptizandos, nisi imminente periculo; quanquàm vehementer invehitur adversùs adultos qui Baptismum ad extremam usque senectutem differunt.

Ab eâdem sententiâ non multùm abhorruisse videtur Erasmus fragmento epistolæ inter eas quas cum vitâ ejus Leidæ edidit Paulus Merula anno 1607, non tamen Ecclesiæ consuetudinem rejicit; disertè quippe scribit : *De Baptismo servetur quod tot seculis servavit Ecclesia;* sed vult infantes baptizatos, *postquàm adoleverint, interrogandos esse an ratas habeant promissiones per eorum sponsores factas; quòd si recusaverint eas confirmare, proprio arbitrio illos esse relinquendos, nec ad christianam vitam cogendos.*

Allucinantur hìc Ludovicus Vives, Annotationibus in librum primum S. Augustini de Civitate Dei, c. 27, et Walafridus Strabo, lib. de Rebus ecclesiasticis, c. 26, dùm aiunt, *olim neminem ad Baptismum fuisse admissum nisi adultâ jam ætate, cùm quisque scire poterat quid peteret et acciperet, quibusve obligationibus sese adstringeret;* oppositum enim constabit ex testimoniis veterum quæ statim adducturi sumus. Itaque sit

Conclusio. — Infantes sunt Baptismi capaces, et expedit eos baptizare.

Duæ sunt conclusionis partes.

Probatur prima pars ex Scripturis.

Quadruplex ex Scripturis argumentum colligemus: nempe à præcepto Baptismi universali; à necessitate illius; ab effectu; denique ab exemplo et paritate.

1° A præcepto Baptismi universali quod dedit Christus, Matth. 28, v. 19, his verbis : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Hoc autem præcepto voluisse Christum, ut non tantùm adulti, sed etiam infantes baptizarentur, colligi potest, tum quia universale est et indefinitum; tum quia scopus Christi eò loci est, ut doceat

modum colligendi et conservandi Ecclesiam in terris usque ad consummationem seculorum ; cùm verò Ecclesia non adultos tantùm, sed et infantes complectatur, modus etiam ille ad utrosque pertinet accommodatè et appositè ad conditionem eorum ; ita ut scilicet adulti priùs doceantur, quàm baptizentur, infantes verò primò baptizentur, tum suo tempore doceantur. Tum quia antithesis id postulare videtur; nam *omnes gentes* videntur ibi opponi omnibus et solis Judæis, sicut postulat discrimen veteris et novi Testamenti : sicut igitur inter Judæos non adulti modò, sed infantes circumcidebantur ; ita quoque in novo fœdere non tantùm adulti baptizandi sunt, sed et infantes. Tum denique quia Apostoli, qui haud dubiè sensum mandati Christi rectè intellexerunt, infantes procul dubio baptizârunt, cùm integras familias hoc Sacramento initiâsse leguntur, sicut in quarto nostro argumento ostendemus.

2° A necessitate Baptismi pro obtinendo regno cœlorum. Joan. 3, v. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Generalis est Christi comminatio, quæ ipsos quoque involvit infantes. Mirum sanè est novatores adversùs Anabaptistas disputantes eo S. Joannis testimonio uti posse, quod ipsi negant de vero aquæ Baptismo intelligendum esse, sicut diximus antea ; ex illo tamen sic arguimus : Qui sunt capaces regni cœlorum, ii quoque capaces sunt Baptismi, sine quo ad regnum cœlorum pervenire non possunt ; atqui infantes capaces sunt regni cœlorum ; ergo, etc.

Minor probatur ex verbis Christi, Matth. 19, v. 14 : *Sinite*, inquit, *parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire ; talium est enim regnum cœlorum.* Idem legitur Marci 10, v. 14, et Lucæ 18, v. 16, ubi Christûs ejusmodi infantes jubet ad se adduci, eos in ulnas accipit, manus iis imponit ac benedicit ; ergo non sunt illi à Sacramento Baptismatis arcendi.

Nec audiendi sunt qui reponunt, eò loci parvulos dici humilitate et innocentiâ, non verò ætate ; vel saltem eos esse intelligendos qui rationis usum jam adepti sunt, siquidem (inquiunt) ad Christum venire dicuntur, non afferri vel adduci.

Namque etiamsi Christus in personâ puerorum humilem et innocentem vitam commendare voluerit, an non etiam voluit significare infantilem ætatem non esse alienam à regno cœlorum, adeòque à mediis institutis pro illius assecutione? Sensu quippe litterali et historico veri à parentibus Christo pueri offerebantur, ut ipsis benediceret ; at certè complexus ille ac benedictio significant infantes esse gratiæ capaces, sicut et regni cœlorum.

Quòd verò citatis locis intelligantur infantes ætate, non humilitate solùm, patet ex nomine græco quo usus est S. Lucas, v. 15; vocantur enim βρέφη, βρέφος autem est infans adhuc in cunis, et tenellus plerùmque lactens, Lucæ 1, v. 41 et 44 ; 1 Petri 2, v. 2. Idem S. Lucas ait quòd parentes suos ad Christum infantes afferebant, προσέφερον. Non est itaque quòd imperitè Anabaptistæ vim faciant in verbo, *venire*, quo utitur Vulgatus interpres ; nihil enim aliud significat, quàm accedere, seu appropinquare.

3° Ab effectu Baptismi qui positus est in remissione peccatorum, et interiori animæ per gratiam regeneratione, Act. 2, v. 38 ; Joan. 3, v. 5 ; ad Titum 3, v. 5, unde sic arguimus : Qui capaces sunt effectûs Baptismi, ii capaces quoque censeri debent ipsius Baptismi ; quibus enim res significata potest convenire, iis et signum hujus rei potest communicari ; atqui infantes sunt capaces effectûs Baptismi, remissionis scilicet peccati originalis quod nascendo contraxerunt, et interioris regenerationis et innovationis.

Minor probatur 1° ex citato c. 2 Actorum.

Postquàm enim, v. 38, S. Petrus dixit : *Baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*, v. 39, sic pergit : *Vobis enim est repromissio et filiis vestris.* Ergo eadem gratiæ et remissionis peccatorum repromissio facta est filiis Judæorum, quæ Judæis ipsis ? ergo æquè capaces sunt gratiæ, et consequenter medii seu signi practici quod Christus instituit ad illam gratiam communicandam. 2° Infantes capaces sunt peccati quod nascendo contrahunt ; ergo et gratiæ regenerantis : nisi velis plùs posse culpam primi parentis ad homines perdendos, quàm gratiam Christi ad eosdem servandos, quod certè impium videtur, et directè pugnat cum Apostolo dicente, Rom. 5, v. 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia : ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.* 3° Expressè declarat Christus, c. 19 S. Matth. jam citato, infantes pertinere ad regnum cœlorum : ad illud autem pertinere non possunt sine Baptismo, dicente ipso Christo, Joan. 3, v. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei ;* ergo necesse est ut capaces sint Baptismi.

4° Denique, probatur ab exemplo et paritate.

Ab exemplo quidem Apostolorum : ii enim leguntur integras familias baptizâsse. Act. 16, Lydia purpuraria cum omni domo suâ baptizata est. Idem narratur de custode carceris Macedoniæ ; et c. 16, 1 Cor., S. Paulus narrat se baptizâsse *Stephanæ domum :* at verisimile non est in iis domibus seu integris familiis aliquos non extitisse infantes ; ii ergo simul cum aliis baptizati sunt.

A paritate circumcisionis : tam quippe possunt et debent baptizari infantes in novo Testamento, quàm potuerint circumcidi in veteri. Paritas ostenditur, 1° quia utriusque par videtur necessitas ; 2° quia Baptismus subrogatus est circumcisioni, et ipsi successit in novo fœdere, juxta Apostolum, Coloss. 2, v. 11 et 12, qui in Baptismo Christi circumcisionem non manu factam agnoscit ; 3° quia unus est utriusque finis ; circumcisio enim erat Sacramentum initiationis, quo Ecclesiæ veteri adunabantur et sociabantur infantes circumcisi ; per Baptismum quoque corpori Christi, id est, Ecclesiæ, copulantur et sociantur quicumque eo initiantur ; 4° quia idem per utrumque Sacramentum significatur, nempe circumcisio interna cordis, et

gratia regenerationis, cum hoc solùm discrimine, quòd Baptismus verè et ex opere operato gratiam illam conferat, quam non conferebat circumcisio carnalis vetus, sicut ostendimus ubi de Sacramentis in genere; 5° denique, quia gratia Dei imminuta non est, nec parcior, imò abundantior in novo Testamento: si quid ergo obstat ætas puerilis in Baptismo, ne gratiam recipiat propter defectum rationis, idem debuisset obstare impedimentum in circumcisione veteri. Quòd si tamen non frustra Dei beneficia jam tum per circumcisionem oblata fuêre et concessa Judæorum infantibus (quanquàm non ex vi propriâ circumcisionis) quidni eadem, imò et majora seu ampliora Dei beneficia per Baptismum infantibus in novâ lege conferri affirmabimus? Tantò enim præstant Sacramenta nova veteribus, quantò lex Christi legi Mosis superior ac perfectior est.

Secunda probatio ex constanti traditione Ecclesiæ.

Traditionem hanc ex conciliorum decretis, ac SS. Patrum testimoniis demonstramus.

Ex conciliis quidem:

Ex Carthaginensi, cui 66 interfuêre episcopi sub sancto Cypriano an. 253. In eo quippe proposita fuit, agitata et definita quæstio à Fido episcopo excitata, an scilicet, infantes baptizari tantùm possent post octavum à nativitate diem. *In hoc*, (concilio) ait S. Cyprianus, epistolâ 59, ad Fidum, *quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potiùs judicavimus, nullî hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam.* Et postea: *Porrò si etiam gravissimis delictoribus, et in Deum multùm ante peccantibus, cùm posteà crediderint, remissio peccatorum datur, et à Baptismo atque à gratiâ nemo prohibetur; quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit?*

Hoc Decreto vetus et Ecclesiæ ipsi coæva Christianorum fides ac traditio confirmata fuit non nova invecta doctrina. Sanctus enim Augustinus, epistolâ 166, aliàs 28, ad Hieronymum, de hâc definitione loquens, sic scribit: *Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam servans, ad corrigendum eos qui patabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum... mox natum rectè baptizari posse cum suis quibusdam coepiscopis censuit.*

Ex Milevitano cui interfuit sanctus Augustinus an. 416, can. 2: *Quicumque*, inquit, *parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, anathema sit.*

Tam altas apud fidelium animos radices egerat hæc fides quinto seculo, ut ipsimet Pelagiani, originalis noxæ aliunde hostes et impugnatores acerrimi, praxim tamen baptizandi infantes retinuerint, nedùm damnaverint.

Ex Gerundensi an. 517, can. 5: *De parvulis*, inquit, *qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint, et lac maternum non appetunt, etiam eâdem die, quâ nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur.*

Ex Bracarensi III, an. 578, can. 7: *Placeat*, inquit, *ut unusquisque episcopus per ecclesias suas hoc præcipiat, ut hi qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntariè pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis.*

Denique, ut alia multa prætereamus, conc. Trid., sess. 7, can. 13, de Baptismo, quam à majoribus acceperat fidem et traditionem, eamdem declarat et confirmat his verbis: *Si quis dixerit parvulos, eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter Fideles computandos non esse, ac propterea cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omittere eorum Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in solâ fide Ecclesiæ, anathema sit.*

Probatur eadem traditio ex testimoniis SS. Patrum.

Ex S. Irenæo, lib. 2 adversùs Hæreses, cap. 22, aliàs 39: *Dominus*, inquit, *omnes venit per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos, et pueros, et juvenes et seniores. Ideò per omnem venit ætatem; et infantibus infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem.*

Ex Origene, in cap. 6 Epistolæ ad Rom.: *Ecclesia*, inquit, *traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Baptismum. Sciebant enim illi quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam et Spiritum ablui deberent.*

Ex Tertulliano, lib. scilicet de Baptismo, c. 18, ubi etsi privatâ suâ sententiâ velit Baptismi perceptionem ad ætatem adultam differendam esse, eo tamen ipso non obscurè innuit, suo tempore receptum fuisse in Ecclesiâ usum baptizandi infantes.

Eò tendunt quæ ipsemet Tertullianus generatim docet; cap. enim 17, lib. de Baptismo, indistinctè asserit eum esse reum perditi hominis, qui Baptismum, quem potuit, non administravit. Et l. de Animâ, cap. 39 et 40, exponens quâ ratione, juxta Apostolum, filii fidelium sancti sint, ait *eos sanctos appellari, tam ex seminis prærogativâ, quàm ex institutionis disciplinâ, quasi designatos sanctitatis, ac per hoc etiam salutis, juxta Domini definitionem: Nisi quis renatus fuerit*, etc., *Ita*, inquit, *omnis anima eò usque in Adam censetur donec in Christo recenseatur; tamdiù immunda, quamdiù recenseatur.* Censet igitur Tertullianus, infantes capaces esse salutis, ac proinde Baptismi.

Ex S. Cypriano, epist. 59 ad Fidum, ubi ex professo nostram probat et confirmat conclusionem, ex definitione seu decreto concilii Carthaginensis, cujus verba mox relata sunt.

Ex S. Gregorio Nazianzeno, Oratione 40, in sanctum Baptisma. *Quid autem*, inquit, *de iis dices, qui adhuc tenerâ ætate sunt.... An eos quoque baptizabimus? Ita prorsùs; si quod periculum urgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quàm sine sigillo et obsignatione*

abscedere. Quod ibidem confirmat S. doctor, exemplo et paritate circumcisionis.

Ex S. Chrysostomo, homiliâ ad neophytos. *Hâc de causâ*, inquit, *etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritûs habitatio fiat.*

Ex S. Ambrosio, l. 2 de Abraham, c. 11, n. 81 : *Nec senex*, inquit, *proselytus, nec infans vernaculus excipitur; quia omnis ætas peccato obnoxia, et ideò omnis ætas Sacramento idonea.*

Ex S. Hieronymo, epist. ad Lætam, ubi eos sceleris arguit, qui Christianorum infantibus Baptisma recusaverint. Et in fine lib. 3 contra Pelagianos, adducto Cypriani testimonio ex Epistolâ ad Fidum, concludit *baptizandos esse infantes, non solùm in regnum cœlorum*, ut asserebant Pelagiani, *sed etiam in remissionem peccatorum*, videlicet peccati originalis.

Denique ex S. Augustino, qui antiquæ hujus fidei ac traditionis testis fuit ac strenuus defensor, lib. 10 de Gen. ad litteram cap. 23 : *Consuetudo*, inquit, *matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquàm spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi apostolica esset traditio*. Et lib. 1 de peccatorum Meritis ac Remissione, cap., 26. *Parvulos;* inquit, *baptizandos esse* (Pelagiani) *concedunt, qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ, procul dubio per Dominum et Apostolos traditam, venire non possunt.* Denique sermone 10, de verbis Apostoli, nunc 177 : *Nemo*, inquit, *vobis susurret doctrinas alienas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit; hoc à majorum fide accepit; hoc usque in finem perseveranter custodit.* Alia ejusdem S. doctoris testimonia superiùs adducta sunt, cùm de necessitate Baptismi actum est.

Nonnullas hìc ad confirmationem nostræ conclusionis proponit rationes Bellarminus, quas ex adductis modò tum Scripturæ, tum SS. Patrum testimoniis facile erit unicuique inferre.

Secunda pars conclusionis, nempe expedire ut infantes babtizentur,

Probatur 1° quia homo à pueritiâ alicui vivendi rationi assuetus, firmiùs in eâ deinde perseverat : atqui optandum est, ut in iis quæ sunt christianæ vitæ homo firmiter perseveret; bonum igitur ipsi si jugum ab adolescentiâ portaverit, Threnorum cap. 3, v. 27.

2° Quia periculum æternæ damnationis in quam incidere posset infans, si fortè sine Baptismo repentè moriatur, minimè compensatur per fructum qui expectatur ex dilatione Baptismi; præsertim cùm eo fructu non defraudentur infantes : quandoquidem grandiores facti informantur Ecclesiæ fide ac doctrinâ, ut nôrint quid in Baptismo promiserint per sponsores suos, cui fidem suam obstrinxerint, ac sponsionis suæ per totam vitæ seriem semper memores sint ac custodes.

3° Si adulta ætas ad Baptismum expectaretur, multi malè educati ac voluptatibus dediti, aut recusarent omninò baptizari, aut in ultimam usque ætatem Baptismum differrent, ne citò carni et mundo renuntiare cogerentur : atqui utrumque semper improbavit Ecclesia, ut constat tum ex adductis modò testimoniis, tum ex iis quæ circa Baptismum clinicorum antea observavimus, qui in pœnam dilati Baptismatis irregulares habebantur ad sacros ordines percipiendos.

Denique conc. Trid., sess. 7, can. 14, sic Erasmi opinionem perstringit : *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dùm baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliâ interim pœnâ ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.*

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° : Nullum extat in sacris Libris exemplum infantis baptizati; ergo infantes non sunt baptizandi. — Resp. 1° falsum esse antecedens : constat enim ex probationibus, Apostolos integras baptizâsse familias, in quibus haud dubiè aliqui fuêre infantes. Resp. 2° : Nego conseq. : Tum quia traditio, quæ altera est fidei nostræ regula, constanter docet infantes esse capaces Baptismi, eosque debere baptizari; silentium igitur Scripturæ efficax hìc argumentum non suppeditat Anabaptistis, nisi cùm adversùs Lutheranos et Calvinistas pugnant : isti etenim rejectâ traditionis auctoritate, ab eo argumento vix sese expedire unquàm possunt. Tum quia etsi nullum sit in Scripturis exemplum mulieris ad participationem Eucharistiæ admissæ, non inde tamen rectè concludi potest, eas vel incapaces esse illius percipiendæ, vel ad eam non esse admittendas : paritas manifesta est.

Instabis 1° : Juxta mandatum Christi, Matth. 28, ii duntaxat sunt baptizandi, qui capaces sunt doctrinæ; ait enim Christus : *Docete, baptizate omnes gentes :* sed infantes incapaces sunt doctrinæ; ergo et Baptismi : neque enim ibi, aiunt Sociniani, Christus agit de Baptismo aquæ, sed doctrinæ.

Resp. dist. ant. : Qui capaces sunt doctrinæ, vel cùm baptizantur, vel postquàm baptizati sunt, concedo : cùm baptizantur duntaxat, nego. Christus igitur eò loci vult doctrinam Baptismo esse præmittendam, quando adulti baptizantur, de quibus potissimùm hìc agit : *Docentes eos servare omnia quæcumque præcepi vobis.* Quantùm verò ad infantes, tametsi præ tenellâ ætate tunc doctrinæ capaces non sint, satis est si postea doceantur cùm ad usum rationis pervenerint. Adde quòd verbum Græcum, quo utitur S. Matthæus, ματηθεύσατε, propriè non tam significat docere, quàm discipulos facere, quod fit etiam administrando Baptismum infantibus, qui per illum Christo, ejusque Religioni nomen dant ac spondent obsequium, et consequenter ejus fiunt discipuli. Sic Joan. 4, v. 1, μαθητὰς ποιεῖν, non est simpliciter docere sed discipulos facere, seu in disciplinæ professionem admittere. Hinc patet falsò prorsùs Socinianos asserere, citato S. Matthæi loco, Christum non agere

de Baptismo aquæ, sed doctrinæ : quippe de illo Baptismo agit, de quo dixit Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* quem ipse Christus cum Apostolis suis usurpavit : baptizavit autem Christus cum Apostolis suis in verâ et naturali aquâ. Recole quæ superiùs dicta sunt, cùm adversùs Socinianos Baptismi necessitatem demonstrabamus.

Instabis 2° : Marci ultimo, Christus ait : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* ubi fides Baptismo præmittitur. Pariter Rom. 10, v. 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem :* atqui parvuli talis fidei incapaces sunt. Pariter S. Petrus, Act. 2, v. 38, ait : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm :* infantes autem sunt incapaces pœnitentiæ; ergo et Baptismi. — Resp. 1° : Ut molestum illud Anabaptistarum telum declinaret Lutherus, eò absurditatis devenit aliquando, ut etiam in infantibus, dùm baptizantur, fidei actualis motum agnoverit; exemplo fretus Joannis Baptistæ, qui in utero materno adhuc inclusus ad præsentiam Virginis Mariæ *exultavit*, et Christum nondùm natum agnovit. Luc. 1, v. 41. Verùm tam putidum figmentum irrisêre vel ipsimet Lutheri discipuli : neque eò trahi debet exemplum Joannis Baptistæ, quod unicum planè ac singulare fuit, nisi fortè voluerit Lutherus etiam in exemplum trahere asinam Balaam, quæ locuta est, Num. 22, v. 28, atque *asinina expectare consilia*, ut loquitur S. Augustinus, epist. 187, aliàs 57, ad Dardan., cap. 7, n. 24. — Resp. 2° his in locis sermonem esse duntaxat de adultis. De illis enim agitur, ad quos prædicationem suam, ut converterentur, Apostoli dirigebant, in quibus, ut Baptismi fructum percipiant, prærequiritur fides, pœnitentia, etc. Infantes autem cùm proprii actûs sint incapaces, actualem etiam fidem cæterasque prævias dispositiones habere non possunt : fideles tamen rectè dicuntur, à Sacramento fidei quod percipiunt; sicut rectè dicuntur rationales, ab animâ rationali quâ informantur, licèt rationis actum exercere non valeant.

Instabis 3°: Infidelis non est Baptismi capax ; atqui infantes sunt infideles, utpote qui fidem non habeant. — Resp. : Dist. maj. Infidelis positivè, id est, qui contrario infidelitatis habitu vel actu laborat, concedo; infidelis negativè, id est, qui fidem non habet actualem cujus est incapax, quales sunt infantes, nego. Fidem enim hanc actualem in iis supplet fides Ecclesiæ in quâ baptizantur; et quemadmodùm eis nocere potest peccatum personale Adami, cur ipsis non proderit fides aliena Ecclesiæ, accedente Baptismi Sacramento?

Instabis 4° : Quare potiùs exigitur dispositio prævia ex parte adulti, et nulla ex parte infantis? et quare ad Baptismum potiùs quàm ad Eucharistiam admittuntur? — Resp. ad primum : idcircò proprium voluntatis motum propriasque dispositiones in adultis præexigi Baptismo, tum quia earum capaces sunt, tum quia qui proprio voluntatis motu se à Deo avertit per peccatum actuale, ille debet quoque ad Deum beneficio gratiæ excitantis et proprio motu liberi arbitrii converti : *Qui enim creavit te sine te*, ait S. Augustinus, *non salvabit te sine te*. Et : *Gratia Dei mecum*, ait Apostolus, ut insinuet necessariam esse liberi arbitrii nostri cooperationem gratiæ Dei moventi et excitanti, at infantes nec capaces sunt illarum dispositionum, nec proprio motu voluntatis peccaverunt, sed alienâ tantùm voluntate, nempe primi parentis, *in quo omnes peccaverunt.*

Ad secundum : Resp. 1° longo seculorum tractu Ecclesiam olim infantibus baptizatis dispensâsse Eucharistiam ; et quidem, ut ait conc. Trid., sess. 21, cap. 4 : *Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt.* Verùm cùm istud ad disciplinam pertineat, quæ pro temporum ac circumstantiarum mutatione, mutatur, non ampliùs Ecclesia infantes admittit ad sacram mensam. — Resp. 2° disparitatem apertam esse : *Siquidem*, ait concilium, loco mox citato, *infantes per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illâ ætate amittere non possunt;* Eucharistia verò destinatur tanquàm alimentum spirituale ad reparandas vires animæ quæ quotidianis lapsibus imminuuntur et infringuntur.

Instabis denique : Non satis intelligitur quâ ratione infans possit interiùs renasci et renovari per gratiam baptismalem. — Resp. mirum non esse si istud apertè non intelligatur, cùm sit mysterium fidei, cujus natura est, ut sit obscurum ac maximè reconditum; alioqui non ampliùs mysterium foret. Et verò quis concipit et exponere satis potest, quâ ratione traducatur peccatum Adami in omnes ejus posteros? nemo certè. An ideò negandum? absit. Satis ergo est quòd sciamus Deo, cujus inexhausta virtus est, non deesse modum quo possit infantes per gratiam suam interiùs renovare : qui enim de nihilo creavit hominem, haud dubiè potest et illum ab inhærente labe peccati purgare.

Objicies 2° contra secundam conclusionis partem : 1° Christus anno ætatis trigesimo baptizatus est; quidni igitur ad hanc usque ætatem quisque suum differat Baptismum? — 2° Tertullianus et S. Gregorius Nazianzenus existimârunt satius esse si Baptismus differatur ad pleniorem ætatem, in quâ cognoscere quisque potest quibus se votis obstringat ; durum quippe videtur infantes, cùm adoleverint, obligare ad id quod inscii et ignari voverunt. — 3° Multi ex veteribus dignitate et sanctitate conspicui viri Baptismum ad provectiorem ætatem distulêre, ut Constantinus et Valentinianus imperatores ; sanctus ipse Ambrosius paucis ante ordinationem diebus, Baptismate initiatus est, ut observat Paulinus in ejus Vitâ. — Resp. ad primum : non omnia quæ fecit Christus in exemplum et imitationem à nobis necessariò esse ducenda. Eucharistiam, v. g., serò post cœnam celebravit, nec tamen ita celebramus ; Christus itaque anno ætatis trigesimo baptizatus est, quia Baptismo non indiguit; sed Baptismum duntaxat instituere tunc voluit, cùm prædicationem suam auspicaretur.

Ad secundum : Fatemur Tertullianum et S. Gregorium Nazianzenum in eâ fuisse sententiâ, sed ab aliis SS. Patribus et à totâ Ecclesiâ hâc in parte deserti sunt, utpote qui infirmis admodùm niterentur momentis. Unde hìc observanda Vincentii Lyrinensis regula Commonitorii, cap. 39 : *Quidquid* (unus vel alter Patrum) *quamvis ille sanctus et doctus, quamvis episcopus, quamvis confessor et martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit; id inter proprias et occultas et privatas opiniunculas, à communis, publicæ ac generalis sententiæ auctoritate secretum sit; nec cum summo æternæ salutis periculo, juxta sacrilegam schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiquâ veritate dimissâ, unius hominis sectemur errorem.* Neque porrò durum videri debet, si infantes, cùm adoleverint, compellantur ad observationem vitæ christianæ; jugum enim Christi suave est, et onus ejus leve.

Ad tertium : Particularia nonnullorum facta in exemplum et auctoritatem trahi non debent. Qui olim Baptismum differebant, variis ducebantur motivis : alii, ut voluptatibus securiùs et diutiùs indulgerent, pœnarum canonicarum severitatem timentes ; alii, ut ad gratiam baptismalem præviis ac diuturnis bonis operibus sese præpararent. Priores semper improbavit Ecclesia, et adversùs eos SS. Patres summo zelo ac studio invehebantur ; posteriorum verò, et si laudarent pietatem, non semper probârunt consilium; unde si in lecto propter infirmitatem baptizari compellerentur, eos irregulares et ad sacros Ordines percipiendos inhabiles habuêre ; quo certè significabant illi veteres, sibi minimè probari illam dilationem Baptismi quocumque tandem fieret prætextu.

Utrùm infantes in utero materno inclusi aut aliquâ tantùm suî parte in lucem editi, utrùm monstrosi, etc., *baptizari possint et debeant.*

Quæres 1° utrùm infantes in utero materno adhuc inclusi baptizari possint. — Resp. vel infantes illos sic penitùs inclusos esse ac membranis involutos, ut, omninò lateant, nec possint ullo pacto aquâ perfundi, quo casu certum est illos non posse baptizari : vel ita esse in utero materno inclusos, ut tamen cujusdam instrumenti ope possit aqua ad illos deferri, quo casu nonnulli existimant, urgente mortis periculo, posse eos sic baptizari ; si tamen posteà foras prodeant, ac perfectè nascantur, debere eos sub conditione rebaptizari, quia non constat de veritate et validitate prioris Baptismatis : negant alii posse eos ullatenùs baptizari, quia, inquiunt, debet priùs aliquis nasci, quàm possit per Baptismum renasci. Rationem hanc adducit S. Augustinus, l. de peccat. Meritis et Remissione, c. 27 : *Sacramentum Baptismi*, inquit, *profectò Sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest; et qui mortuus non fuerit, resurgere non potest; ita qui natus non fuerit, renasci non potest.* Idem repetit, epist. 187, aliàs 57, ad Dardanum. Idem quoque docet Isidorus, l. 1 Sententiarum, cap. 22 : *Qui in maternis,* inquit, *uteris sunt, ideò cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundùm Adam non est, secundùm Christum non potest renasci. Neque enim dici regeneratio in eo poterit quem generatio non præcessit.* Eâdem ratione utuntur magister, l. 4 Sent., dist. 6, litterâ B; S. Thomas, hìc, q. 68, art. 11, et alii.

Dices : Infans in utero materno inclusus verè jam natus censetur in Adam , cùm ejus contraxerit peccatum ; quidni igitur poterit in hoc statu per aquam renasci ?

Confirmatur : Infans capax est sanctificationis in utero , ut constat de Beatâ Virgine , Joanne Baptistâ et Jeremiâ ; quidni ergo poterit renasci per gratiam Baptismatis ?

Respondet S. Augustinus , mox citatâ epistolâ ad Dardanum , infantem in utero matris inclusum propriò natum non debere dici ; aliàs triplex nativitas foret admittenda , una in utero , altera ex utero, tertia ex aquâ et Spiritu sancto ; quæ tamen ultima solet simpliciter secunda nativitas appellari. Contrahit quidem infans in utero inclusus peccatum Adæ, sed gratiam regenerantem non potest in eo statu adipisci , quia medium à Christo institutum pro communicandâ illâ gratiâ , nempe aqua baptismalis , ad eum pervenire non potest. Neque hìc objicienda sunt exempla eorum qui in utero materno sanctificantem gratiam perceperunt : quæ enim ex singulari et planè extraordinariâ Dei gratiâ ac potentiâ facta sunt , in exemplum trahi non debent , cùm habeamus in Scripturis expressam Christi voluntatem his verbis : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto , non potest introire in regnum cœlorum.*

Quæres 2° an infantes aliquâ tantùm suî parte in lucem editi , baptizari possint et debeant.

Respondet S. Thomas, hìc, q. 68, art. 11, in responsione ad quartum : *Dicendum*, inquit, *quòd expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat ; si tamen primò caput egrediatur , in quo fundantur omnes sensus , debet baptizari periculo imminente ; et non postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum , quæcumque alia pars egrediatur , periculo imminente. Quia tamen in nullâ exteriorum partium integritas vitæ ita consistit , sicut in capite , videtur quibusdam quòd propter dubium , quâcumque aliâ parte corporis ablutâ, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hâc formâ : Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc. De illâ formâ conditionali baptizandi in dubio , diximus in tractatu de Sacramentis in genere , q. 1 , art. 6 , in fine.

Quæres 3° an baptizandi sint partus monstrosi. — Resp. diligenter esse attendendum , utrùm naturam retineant hominis necne : de hoc verò potissimùm ferri debet judicium ex capite , utpote supremâ imò et dignissimâ corporis parte , rationis domicilio, et in quâ omnes vigent sensus. Si formam hominis retineant, debent baptizari , licèt membrum aliquod non principale vel deficiat, vel redundet : si longiùs verò ab hominis formâ abeant, vel superioris corporis parte bestiam potiùs repræsentent, planè à Baptismo

est abstinendum. Quòd si gemelli sibi invicem sint adnati, seorsùm uterque est baptizandus, idque absolutè.

Quæres ultimò, an spurii, exposititi, filii parentum excommunicatorum sint baptizandi. — Resp. ad primum et tertium, eos esse baptizandos, quia nullus à gratiâ salutari Baptismi debet excludi propter vitium parentum, ut docet S. Augustinus, epist. 250, aliàs 75, ad Auxilium Episcopum. Et ut loquitur S. Cyprianus, epist. 59 ad Fidum: *Hæc fuit in concilio nostra sententia, à Baptismo atque à gratiâ Dei qui omnibus misericors et benignus et pius est, neminem per nos debere prohiberi.*

De infantibus verò expositis, si nullâ viâ possit cognosci eos esse baptizatos, baptizandi sunt. Sequatur unusquisque in ejusmodi circumstantiis praxim suæ Ecclesiæ in ritualibus expressam (1).

(1) *De tempore quo parvuli baptizari debeant.*

Non sine aliquo pondere erit quæstio de tempore infantium baptizandorum. Anno 1698, prodiit edictum Ludovici Magni quo jubebatur baptizari infantem intra viginti et quatuor horas ab ortu. Tum temporis hoc mandatum, civili auctoritate impositum fultumque plurimùm valuit, ab episcopis benè acceptum, et adhuc ritualibus vice legis inscriptum; in foro autem civili paulò post obsoluit, vim tamen in foro ecclesiastico retinens, unde fit ut non absque culpâ parochus baptizandorum infantium, ipso quo nati sunt die, curam omitteret, vel parochianos frequenti monitione edoctos talis jussi facere negligeret. Diœcesana ergo præscriptio legis virtutem habet, ita ut quibusdam pro peccato mortali habeatur baptizandi per longùm tempus dilatio: quid autem intervalli complectantur voces illæ, *per magnum tempus* seu *diutiùs*, pauci concordant; intra mensem unum sexque dies controversia fluctuat, plerisque constituentibus graviter peccari, si ultrà decem dies prolataretur Baptismum etiam non periclitantis. Diœcesanæ legis ubi speciale statutum horas et dies expendit, præscriptis qui se subduceret parochus aut vicarius, remisso ultra tempus baptismo, absque rationabili excusatione, in peccatum mortale incidisse videretur. Secùs autem fieret, si patrini matrinæve expectandorum causâ, dùm non infans periclitaretur, necesse esset ut procrastinare parentes cogerentur; imò et abesset culpa etiam levis, eâ tamen conditione, ut si possent, ab episcopo dispensationem poscerent, sique diutiùs esset expectandum, postulanda esset licentia privatim baptizandi, et per tempus aliquod cæremoniis abstinendi.

De Baptismo fœtuum abortivorum.

Quibusdam visum est animam nonnisi in corpore organis rectè instructo versari posse; Aristotelis sententiâ innixi, vitæ et animæ veluti diem dicunt et assignant, sicque quadringenta dies maribus, octoginta feminis indicant, ut fœtus animâ donetur; infelici autem inter utrumque sexum discrimine, siquidem constat eodem partu gemellos unum marem, alterum femmam editos sæpiùs fuisse, vitaque pariter et organorum usu benè instructorum functos fuisse. Illis autem etiam auctoribus, qui tempus quo animatus est fœtus indagantur, acceptum est, ut cæteris, ante partum fœtui humano animam infundi; appositam sententiam Innocentius XI, anno 1679, explodendam censuit: cui concordant omnes artis medicæ magistri. Imò et Cangiamila, ante quadragesimum diem fœtus humanos, indistincto sexu animâ frui asserit, consentiuntque nunc fermè omnes qui materiam tractaverunt. Superest autem ut præcisè dies assignetur quo anima fœtui datur, placetque magis sententia quæ controversias inextricabiles dirimens, ex initâ conceptione præsentem in fœtu esse contendit. Unde sequitur fœtui humano, formam humanam habenti vitæque indicia vel minima tradenti, Baptismum esse absolutè conferendum; sub conditione autem: *Si tu es homo et vivis*, baptizandum esse fœtum qui humanitatis et vitæ indiciis caret. Si aperto involucro fœtus humanæ formæ vestigia prodat, illum esse baptizandum sub conditione: *Si tu non es baptizatus*. Nec inmeritò jubentur confessarii gravidam vel conjugatam monere feminam, ut in casu abortûs, fœtui suo Baptismi gratiam infundi curet.

Utrùm infidelium filii invitis parentibus baptizari possint et debeant.

Ratum esse ac validum Baptisma filiis infidelium

De Baptismo fœtûs nondùm nati.

Exorta est controversia theologos inter veteres, quibus accedunt non pauci recentiores, interque plerosque recentiores de Baptismo fœtûs nondùm nati: per natum hìc intelligitur qui in lucem prodiit; concordant enim omnes in periculo mortis quamque corporis partem emissam, baptizandam esse, et in vanum tentari Baptismum si infans in utero matris ita claudatur, ut ad ipsum aqua pervenire nequeat; si verò introduci possit aqua, juvante manu, vel instrumento ad infantem utero materno conclusum, secundinasve quibus involvitur, an valeat Baptismus, disceptatur. Duplex est sententia: 1° veterum, quibus concordant multi recentiores, contendentium invalidum esse Baptismum ex verbis Christi, *Nisi quis renatus fuerit*, etc, per quæ significatur infantem nondùm natum renasci non posse; cui sententiæ S. Thomas argumentis ex S. Augustino depromptis auxiliatur, suique pondere nominis; pro quâ etiam militant voces Ritualis Romani, et aliorum ritualium ferè omnium: nemo in utero matris clausus baptizari debet. 2° Recentiorum plerorumque asserentium, jam in utero matris vivere et animari infantem, et ex hoc tempore quo vitâ fruitur, natum dici posse, si quidem de Christo adhuc in utero B. Virginis Mariæ incluso angelus dixit, Matth. 1, 20: *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Injustè infans in utero sufficienter natus videretur, ut originale peccatum contraheret, insufficienter autem natus, ut hujus labis notam exueret. Qui mali capax esse judicatur et medicinæ sit capax, æquum ducunt. De ritualium auctoritate nulla hìc occurrit disceptatio, siquidem, cùm præsupponant aquam in utero materno ad infantem pervenire non posse, quæ directè hypothesis hìc ut possibilis datur, extra quæstionem vagatur horum responsum. Aliundè cùm in dubio tutior et in gratiam hujus de quo agitur melior sententia sit eligenda, frustrà illustria nomina jactarent alterius opinionis asseclæ. Prudentissimè ergo Benedictus XIV, de Synodo diœcesanâ, l. 7, cap. 5, statuit chirurgos vel obstetrices debere conditionaliter infanti conferre Baptismum, iterùmque foras prodeunti sub conditione Sacramentum largiri. Quâ de obligatione eos monitos habere debent parochi.

De Baptismo monstrorum.

Aliquandò accidit ut partus à naturæ legibus et consuetudinibus abhorreat, monstrique nomine aliquid portentosum in lumen prodeat; quibus exemplis scatent et veterum et recentiorum historiæ. Quo in casu investigandum est an feminea productio sit capite et pectore instructa, an verò indigesta materia nihil humani præ se ferat. In utroque casu baptizanda erit: in primo, absolutè, si forma humana, id est caput et pectus apparent; conditionaliter et sub formulâ *Si tu es capax, ego te baptizo*, si dubiis tantùm signis se prodat humanitas. In secundo, conditionaliter tantùm administretur Baptismus, hâc formulâ, *Si tu es homo*, etc.

Si mulierem ex bestiâ concepisse, quod incredibile est, constaret, partus baptizandus non esset, siquidem ex semine Adami non descendit; si verò ex homine bestiam, productioni Baptismus conferri deberet.

Quotuplex haberi debeat monstrum, quod humanæ

invitis parentibus collatum, omnes concedunt theologi, quia nempe voluntas parentum, intentio et fides non pertinent ad essentiam Sacramenti, sed tantùm ad æquitatem juris naturalis; multa autem non licet facere, quæ tamen si fiant, rata sunt et valida.

Tota igitur præsens controversia est, an debeant et licitè possint infidelium filii, parentibus eorum invitis, baptizari. Ubi

Observandum 1° infideles subjici posse principibus christianis, vel civiliter tantùm, quales sunt omnes eorum subditi; vel serviliter, tanquàm servi et mancipia. Quæstio hìc tantùm movetur de filiis eorum infidelium qui civiliter subditi sunt principibus christianis.

Observandum 2° scholæ doctores in varias abire sententias. Sunt qui cum Scoto existimant, filios infidelium, qui civiliter tantùm subditi sunt principibus christianis, posse licitè invitis eorum parentibus baptizari. Sunt qui cum S. Thomà negant id esse licitum: imò nonnulli contendunt, nequidem filios infidelium, qui serviliter subditi sunt principibus christianis, posse invitis parentibus baptizari, ut Capreolus in 4, dist. 5, q. 1, art. 3; Marsilius in 4, q. 4, art. 4, dubio 2, et alii. Launoius doctor Parisiensis, dissertatione de veteri more baptizandi Judæos et infideles, plura congerit facta et exempla quibus videtur efficere posse Ecclesiam licitè infideles ad Baptismum cogere.

Observandum 3° quæstionem hìc institui de illis infidelium filiis, qui nondùm rationis usum adepti sunt; certum quippe est adultos, ut volentes baptizari possunt, ita nolentes non posse nec debere baptizari (1).

formæ certissimè indicium gestat, paucis absolvemur. Pectus et caput, ut supra indicatum est, tantùm numerantur et humanitatis probationem secum ferunt. Exquirendum ergo est, 1° an sit unicum caput, duplex autem pectus, quo casu primò baptizatur caput quod apparentiori homini tribuitur, posteà verò utrumque pectus, cum intentione baptizandi non baptizatum, hàc formulâ: *Si tu alius es homo capax*, etc.; 2° an sit unicum pectus, duplex autem caput, utrumque caput Baptismum accipiat, unum quidem absolutè, alterum autem his verbis adjectis: *Si tu es alius homo;* 3° an duo sint capita duplexque pectus, duobus tantùm pedibus communibus instructa, quo casu utrumque seorsùm baptizetur caput, secluso mortis imminentis periculo, quo simul baptizari possent; 4° an brachiis pedibusque multiplicibus instruatur pectus et caput unicum, quo casu superflua pro nihilo reputantur, et unicus conferendus est Baptismus.

(1) Circa hanc difficultatem, supponendum 1° contra Durandum parvulos quorumlibet infidelium, invitis parentibus validè baptizari; quia ad Baptismi validitatem sufficit hinc quidem capacitas subjecti, inde autem materia et forma cum debitâ ministri intentione: quæ omnia occurrerent in præsenti. Deesset quidem parentum voluntas; sed hanc nec Scriptura nec traditio requirit ad valorem Baptismi. *Non enim*, ait August., ep. 98, aliàs 23, *scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate; sed: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu.*

Supponend. 2° filios infidelium, qui fidem susceperunt aliquando, sed ab eâ defecerunt, posse invitis etiam parentibus baptizari; tum quia potest Ecclesia parentes ipsos ad servandam fidem cogere, atque si

Conclusio. Filii infidelium non debent invitis parentibus baptizari, nisi sint serviliter subjecti, aut in manifesto vitæ discrimine constituti.

Duæ sunt conclusionis partes.

Probatur prima pars: Quia id licitè fieri non po-

pertinaces sint tradere brachio seculari, proinde et ipsis auferre potestatem quam in filios habent; tum quia filii eo ipso quo nascuntur ex parentibus Christianis, ideòque et Ecclesiæ subjectis, ipsi quoque Ecclesiæ subjecti sunt, ut alii infantes. An autem hujusmodi pueros baptizari expediat, cùm parentes in regionem infidelem transmigrârunt, colligetur ex infra dicendis.

Supponend. 3° infidelium filios, si rationis usum habent, et Baptismum sponte petant, posse etiam, non obstante parentum renixu ablui; quia in iis quæ juris sunt divini, et ad æternam salutem pertinent, sui sunt arbitrii, suæ et electionis. In dubio an puer qui Baptismum expetit, rationis usum habeat, judicandum in favorem Baptismi, si septennium compleverit; imò etiamsi non compleverit, si periculum sit ne deinceps, deficientibus ministris, baptizari non possit.

Supponend. 4° puerum, si parentum alteruter consentiat, reluctante alio baptizandum esse: 1° quia talis consensus ab eo datur, qui jus habet, et quidem potiùs, utpote divino juri congruum magis; 2° quia idem consensus vergit in utilitatem pueri et favorem Religionis: porrò *summam esse rationem quæ pro Religione facit*, ubique receptum est, ut patet ex Leg. 43, ff. de Religiosis et sumptib. funer.; 3° quia sic sanxerunt Concilia et summi Pontifices: *Filii*, ait synodus Toletana IV, can. 62, *qui ex talibus*, Judæis scilicet, qui Christianas mulieres duxêre, *nati existunt, fidem et conditionem matris sequantur. Similiter et hi qui procreati sunt ex mulieribus infidelibus, et fidelibus viris, Christianam religionem sequantur.* Idem constituit Gregorius IX, cap. 2, de Convers. infidel. Quin et, teste Sylvio, ad q. 68, art. 10, concl. 6, dicitur Gregorium XIII statuisse, ut puer, quem baptizari volebat avus paternus, baptizaretur invitâ matre Judæâ, quæ marito superstes erat; quia scilicet in avum tanquàm patrem recidit nepotum cura. Id tamen limitandum, si puero jam utenique grandi certum imminet periculum seductionis à parente infideli à quo separari non possit: hoc autem periculum semper gravius est in regionibus quæ reguntur à principe infideli.

Supponend. 5° infantes, qui jure vel injuriâ à parentibus infidelibus avulsi sunt, et tam procul ab iis distant, ut jam iis providere non possint, nec ipsos moraliter recipere, posse etiam baptizari. Ratio est, quia paterna jura, quæ jam à parentibus exerceri non valent, ad eos transiere, qui puerorum curam gerunt; ergo et iis uti possunt in bonum pueri et executionem divinæ legis. Quòd *si*, ait Sylvius, ibid. concl. 5, filii *essent injustè separati, et vel parentes possent consuli, vel pueri illis remitti, alterutrum esset faciendum: quia cùm separatio fuerit injuriosa, nullum jus ablatum est à parentibus.* Verùm hujus decisionis veritas à sequenti pendet.

Supponend. 6° infantes de quorum vitâ graviter timetur, baptizari posse, sine consensu, modò tamen sine contumeliâ parentum; tum quia hæc agendi ratio sic consulit infantium saluti, ut parentes verè non offendat; tum quia cùm Sacramenta in gratiam hominum instituta sint, non è contra, longè satius est Sacramentum tenui irreverentiæ periculo exponi, quàm hominem certo damnationis periculo.

Supponend. 7° cum plerisque contra paucos, infantes infidelium, qui Christianis principibus serviliter subjecti sunt, posse atque etiam debere invitis parentibus baptizari. Quòd *possint* liquet; quia cùm partus

test, quod secum importat vel irreverentiam Sacramenti, vel contemptum patriæ potestatis, adeòque et juris naturalis transgressionem : atqui baptizare infantes Infidelium parentibus invitis, importat secum vel irreverentiam Sacramenti, vel patriæ potestatis contemptum, adeòque et juris naturalis transgressionem.

Namque, vel parvuli sic baptizati relinquuntur sub patriâ potestate, et tunc manifestum imminet periculum, et contemptûs Sacramenti ex parte parentum Infidelium, et subversionis ex parte parvulorum, qui pravis imbuti documentis percepto Sacramento ac fidei christianæ renuntiabunt. Vel subducentur à potestate parentum; et tunc jus naturale quod parentes habent in filios, violabitur; quod certè non magis licitè fieri potest, quàm si ab iisdem bona quæ justè possident per vim eriperentur (1).

Probatur secunda pars : Quia tunc baptizari possunt parvuli, cùm id fieri potest sine injuriâ patriæ potestatis, et irreverentiâ Sacramenti : atqui cùm parentes

sequatur ventrem, parvuli nascuntur mancipia sicut parentes; sicque cùm possit dominus illos vendere, à parentibus separare, ac aliis tradere educandos in fide catholicâ, potest consequenter eos ad Baptismum offerre, sine injurâ parentum et periculo ne profanetur Baptismus. Quòd autem *debeant*, non minùs certum est; quia qui succedit in locum patris ejusdem officio fungi debet, si citra grave incommodum possit; ac proinde parvulis ministrare necessaria, non ad vitam corporalem solùm, sed et præcipuè ad vitam spiritualem, cujus janua est Baptismus : atqui princeps in hypothesi nostrâ succedit in locum patris; ergo.

Hæ rationes probant pro Baptismo eorum etiam infantium qui in bello justo capti fuerint : nisi tamen obstent receptæ inter eos qui bellum gerunt, conventiones. Si enim pactum sit utrinque, prout moris est in his partibus, ut bello capti seu pecuniâ, seu commutatione redimantur, servanda erit fides legum. Quanquàm nec tunc baptizare dubitarent, qui cum Farvacio sentiunt, ob rationes paulò antè allatas.

Obj. : Jus naturale prævalet juri gentium : atqui jus quod habent parentes ad instituendam prolem est à naturâ; quod verò in filios mancipiorum habent principes, à solâ gentium conventione; ergo. — R. dist. maj. : Jus naturale integrum prævalet juri Gentium, concedo; jus naturale justo titulo deperditum, nego. Porrò in mancipiis, sicut et in eis qui justo in bello capti sunt, non manet integrum jus naturale : unde sicut utrique à libertate sibi per naturam concessâ excidunt quoad se, sic et utrique à jure suos pro nutu filios instituendi excidunt. Ita et benè Henno, quicum inferes filios qui etiam ante servilem patris conditionem nati fuerint, eodem invito posse baptizari : quia cùm mancipium jam sui juris non sit, necessum est ut potestas ejus devolvatur ad principem, cui nihil factu melius incumbit, quàm ut æternæ ejus saluti per Baptismum provideat. (Collet.)

(1) Pro cujus intelligentiâ diligenter observandum est cum Cajet. et Soto, quòd cùm Deus sit auctor utriusque juris, scilicet naturalis paterni, et divini de Baptismo, non sit instituenda comparatio inter ipsum Deum et parentes, tanquàm inter duas potestates, sed inter Deum ut auctorem naturæ et ipsum ut auctorem fidei et legis Baptismi. Potuit ergo Deus duplici modo instituere legem baptizandi omnes; 1° ut impleretur non obstante jure naturali; 2° ut impleretur servato jure naturali; si primo modo illam instituisset, nulla foret difficultas, et pueri infidelium possent invitis parentibus baptizari; at non hoc primo modo, sed secundo legem hanc instituisse existimamus; idque colligimus ex pluribus. 1° Quia ipsemet jus naturale condidit, lex autem fidei et gratiæ naturam non destruit, sed perficit; disponit enim Deus omnia suaviter. 2° Non legimus in S. Scripturis omnes esse baptizandos, derogando juri naturali parentum, sed simpliciter, omnes esse baptizandos, quod debet intelligi salvo jure naturali : sicut enim si princeps mandaret ut omnes concurrerent ad constructionem arcis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, equidem tunc etiam nobiles tenerentur concurrere : sed si mandaret simpliciter ut omnes concurrerent, tunc non censeretur derogare juri et privilegiis nobilium, ita similiter. 3° Lex Baptismi non tollit alia jura naturalia, v. g., non licet furari aut occidere matrem ut baptizetur infans, quem habet in utero : ergo nec tollit jus paternum. 4° Noluit Deus per legem Baptismi derogare juri naturali, quod habent adulti ut liberè de se et suis actibus disponant, et ideò non possunt vi cogi ad Baptismum : ergo nec juri parentum in filios. 5° Denique hanc esse Dei et Christi voluntatem colligimus ex constanti Ecclesiæ usu, ut jam sum dicturus. Unde

Prob. 2° : Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est æmulanda, quia et ipsa doctrina Catholicorum doctorum ab Ecclesiâ autoritatem habet; undè magis standum est auctoritati Ecclesiæ quàm auctoritati vel S. Augustini, vel S. Hieronymi, vel cujuscumque doctoris. Atqui nunquàm fuit usus seu consuetudo Ecclesiæ quòd Judæorum filii et aliorum infidelium, civiliter tantùm et politicè principibus christianis subditorum, invitis parentibus baptizarentur; ergo. Prob. minor. Quamvis retroactis temporibus fuerint multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus et Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino, S. Ambrosius Theodosio, nunquàm tamen id attentaverunt : et certè isti præsules zelosissimi non prætermisissent à piis illis imperatoribus impetrare ut baptizarent istos parvulos, si hoc esset consonum rationi. Et ideò periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut præter consuetudinem in Ecclesiâ hactenùs observatam, Judæorum, invitis parentibus, filii baptizentur. Hæc in terminis S. Th. Exempla quæ adversarii proferunt in contrarium, non sunt ad rem, ut patebit ex sol. obj.

Conf. 1° : Non est assignabilis potestas, per quam possint baptizari pueri infidelium reluctantibus parentibus : Non civilis, quia hæc spectat duntaxat regimen populi secundùm præscripta juris naturalis vel humani : non ecclesiastica, nihil enim ad eam spectat de his qui foris sunt, judicare; ut dicit Apost., 1 Cor. 5. Non utraque simul, non enim plus possunt conjunctim quàm separatim. Ergo.

Conf. 2° : Non licuit Judæis circumcidere alienigenas aut eorum filios politicè tantùm ipsis subjectos, nisi consensissent, sed tantùm vernaculos et emptitios : Gen. 17; Exodi 12; Joseph. lib. 13 Antiquit., cap. 8 et 11. Ergo similiter de Baptismo.

Conf. 3° : Canone *ex litteris* extra de Convers. infidel. decernitur quòd patre ad fidem converso consentiente in Baptismum filii, licèt repugnet mater, baptizandus sit filius : ergo à contrario sensu, si ambo infideles repugnent, non est baptizandus.

Quod dixi de jure parentum, idem dic de avo, cui, amoto patre, incumbit cura nepotum, et jus paternum in eos competit. Quidam idem censent de tutoribus, qui sunt loco parentum; sed verius videtur non esse tantum eorum jus, sicut parentum, nec tantam eis injuriam irrogari ac parentibus, præsertim in terris principum catholicorum, quorum auctoritate constituuntur tutores. (Billuart.)

Hæc propositio non mediocriter confirmatur decreto Congreg. sancti Officii, 3 martii 1703, id prohibentis, et instructione Bened. XIV, datâ 28 februarii 1747, archiep. Tarsan. vices gerenti, n. 23. Hæc instructio digna prorsùs est quæ legatur (Edit.)

sunt serviliter subjecti, aut filii in periculo mortis constituti; tunc si baptizantur eorum filii, nec fit injuria patriæ potestati: nec irreverentia Sacramento.

Non injuria patriæ potestati; nam qui serviliter domino subjicitur, est in potestate domini, tam ratione sui quàm aliarum personarum sibi conjunctarum, puta uxoris aut filiorum, nec ullum ampliùs in res suas dominium retinet; quin et potest à domino divendi; loquimur enim hìc de servitute propriè dictâ, vi cujus dominus potestatem habet vendendi servum, ut fit apud Turcas. Ut autem possit dominus citra injuriam patriæ auctoritatis parvulum baptizare, satis est quòd possit illum à patre separare ad alios usus quos elegerit: atqui potest dominus filios servorum à patribus separare, et illis, prout libuerit, uti; ergo, etc.

Non fit etiam irreverentia Sacramento, cùm supponantur illi infantes à parentibus infidelibus avulsi, atque bonis et christianis imbui documentis.

Eâdem ratione concluditur infantem in periculo mortis constitutum baptizari posse, licèt suis relinquatur parentibus infidelibus, quia scilicet vel tollitur periculum irreverentiæ Sacramenti, per mortem mox secuturam infantis; vel si supponatur à periculo liberari, tollitur irreverentia per præceptum proprium in materiâ Sacramentorum, ut nempe periculo exponi possit Sacramentum, quando homo in extremâ necessitate positus est: quia nempe Sacramenta in gratiam hominum instituta sunt, non verò homines in gratiam Sacramentorum. Ad hoc mortis periculum respexit haud dubiè S. Augustinus, cùm, lib. de Gratiâ et libero Arbitrio, c. 22, scribit: *Aliquando filiis infidelium præstatur hæc gratia* (ut baptizentur), *cùm occultâ Dei providentiâ in manus piorum quomodocumque perveniunt.*

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° cum Launoio: Constat ex multis factis et exemplis piissimorum principum, jure ac licitè infideles ad Baptismum compulsos fuisse.

Ex Chilperico qui, referente Gregorio Turonensi, l. 6 Historiæ Francorum, cap. 17, multos Judæos baptizari mandavit, ex quibus plures ille ex sacro lavacro suscepit.

Ex Dagoberto qui, teste auctore Vitæ S. Amandi Trajectensis apud Surium die sextâ februarii, litteras concessit S. Amando Trajectensi episcopo, ut infideles Gandavenses cogeret ad Baptismum.

Ex Carolo Magno qui, ut testantur Francorum annales, qui incipiunt ab anno 707 et desinunt in annum 800, apud Duchesne, tom. 2, Saxones ad Baptismum percipiendum coegit; quod factum probavit Adrianus I, S. Pontifex, epist. 8 ad Carolum Magnum, quæ exstat tomo 2 Conciliorum Galliæ.

Ex Sisebuto, Hispaniarum rege, qui, referente Baronio ad an. Christi 614, n. 59, Judæos ad Baptismum quoque coegit; quod certè à nullo Hispaniæ episcopo, nullo concilio fuit improbatum.

Resp. 1° exempla ista apposita non esse ad mentem nostræ conclusionis, quæ non de adultis, sed de infantibus sub patriâ auctoritate constitutis loquitur. Etsi verò constaret exemplis quæ profert Launoius, licitum aliquando esse infideles ad Baptismum motivis quisbusdam timoris ac pœnæ adducere, sicut docet S. Augustinus, epist. 93, aliàs 48, ad Vincentium, non sequitur licitum esse infantes aut à parentibus abstrahere, aut iis invitis, et in eorum potestate relictos, baptizare.

Resp. 2° morem cogendi Judæos ad Baptismum percipiendum, non approbâsse Ecclesiam.

Non approbavit Ecclesia Hispanica in IV concilio Toletano an. 633, can. 57, ubi sic statuit: *De Judæis præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre; cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat. Non enim tales invitì salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma justitiæ: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit; sic, vocante Dei gratiâ, propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur.* Improbat igitur concilium Toletanum, quod fecerat rex Sisebutus, cujus factum refert.

Non approbavit Romana Ecclesia: S. enim Gregorius Magnus, l. 11 Epistolarum, epist. 15, nunc lib. 13, epist. 12, ad Paschasium episcopum Neapolitanum, sic loquitur: *Qui sincerâ intentione extraneos à christianâ Religione ad fidem rectam cupiunt adducere, blandimentis non asperitatibus debent studere.* Et postea: *Agendum ergo est ut ratione potiùs et mansuetudine provocati, sequi nos velint, non fugere.* Et Epist. 45 libri 1, nunc 47, ad Virgilium Arelatensem, et Theodorum Massiliensem episcopos, ait quidem se laudare intentionem eorum qui Judæos ad fidem Christi adducere volunt, sed timere ne si coacti ad Baptismum veniant, non prædicationis suavitate, sed necessitate, ad pristinam superstitionem remeantes, inde deteriùs moriantur, unde renati esse videbantur.

Unde his episcopis auctor fuit S. Gregorius, ut prædicatione, suasione, instructione, Judæos ad Christum adducere conentur.

Et Nicolaus I, respondens ad consulta Bulgarorum, cap. 41: *Porrò*, inquit, *illis violentia, ut credant, nullatenùs inferenda est. Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest. Scriptum est enim: Voluntariè sacrificabo tibi.*

Resp. 3° nequidem ex adductis factis et exemplis quidquam posse adversùs consuetudinem Ecclesiæ inferri.

Non ex facto Chilperici, quia ipse Gregorius Turonensis qui factum refert, illud improbat: ait enim cap. 17: *Hoc modo baptizatos, corpore tantùm, et non mente fuisse.*

Non ex facto Dagoberti: namque licèt reipsà auctor vitæ S. Amandi obtentas à Dagoberto litteras memoret, non ait tamen potestate per eas factâ usum fuisse S. Amandum; imò multa pro Christi nomine apud Gandavos sustinuisse, *semperque verbum Dei prædicâsse, et quos ex captivitate redimebat, baptizâsse.*

Non ex facto Caroli Magni. Namque 1° non legimus Saxones ad fidem coactos fuisse, sed eos spontè Religionem christianam, procurante imperatore, ample-

xos fuisse. 2° Alcuinus, epist. 7, quæ est prima apud Duchesne, dicit *Carolum Magnum suâ sollicitudine, devotione et benignitate, per veræ salutis consilium, per optimam voluntatem Saxones convertisse*. Quæ sanè loquendi ratio non arguit coactionem et violentiam; imò addit *esse instruendos ut præparati recipiant Baptismum*.

Porrò duo ista sunt apprimè distinguenda, aliquem invitum et reluctantem baptizare, et aliquem sive minis sive blandimentis adducere, ut velit baptizari: prius nusquàm licet, sed posterius. Utrumque rectè distinguit Innocentius III, cap. *Majores* de Baptismo. *Inter invitum et invitum*, inquit, *coactum et coactum, alii non absurdè distinguunt, quòd is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur; et ne detrimentum capiat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut et is qui fictè ad Baptismum accedit) et characterem suscipit Christianitatis impressum, et ipse tanquàm conditionaliter volens, licèt absolutè non velit, cogendus est ad observationem fidei christianæ*. Antea dixerat, *Religioni christianæ esse contrarium, ut aliquis semper invitus et penitùs contradicens, compellatur ad recipiendam et conservandam fidem christianam*. 3° Denique, Adrianus S. Pontifex, in epistolâ octavâ gratulatoriâ ad Carolum Magnum utitur tantùm his verbis: *Perduxistis, deduxistis annisu vestro* (nempe Saxones ad fidem), quæ sanè verba coactionem non sonant.

Non denique ex facto Sisebuti, quod improbatum fuit à concilio IV Toletano, can. 55.

Objicies 2°: Possunt baptizari filii hæreticorum; ergo et infidelium.— Resp. Nego consequens et paritatem. Disparitas est, quia Ecclesia jus habet in hæreticos, tanquàm in filios perduelles; at jus non habet in infideles qui omninò foris sunt. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicare?* inquit Apostolus, primæ Corinth. 5, v. 12.

Instabis 1°: Parentes jus non habent in Baptismum; ergo non possunt ab illo suos arcere infantes. — Resp. Dist. ant.: Jus non habent directum, concedo; indirectum, nego: quia jus habent servandi suos infantes, adeòque impediendi ne à suâ subducantur potestate ut baptizentur.

Instabis 2°: Possent baptizari infantes dùm rationis usum non habent; et postquàm ad illum pervenerint, possunt à suis parentibus consentientes avelli.—Resp. Nego ant. Manifestum enim foret subversionis periculum, ne scilicet infantes suî ac rationis compotes facti, nec à suis parentibus discedere, nec fidem Christianam in Baptismo perceptam vellent retinere.

Objicies 3°: Obedire magis præstat Deo quàm hominibus: atqui Deus præcipit omnes baptizari; ergo reclamantibus et invitis parentibus, licet eorum filios baptizare. — Resp. Dist. min.: Atqui præcipit omnes baptizari, servato jure naturali et reverentiâ Sacramento debitâ, concedo; secùs, nego. Porrò constat ex probationibus, non posse filios infidelium invitis eorum parentibus baptizari, quin violetur jus naturale, et Sacramento inferatur injuria.

Instabis 1°: Potior habenda est ratio juris divini quàm juris gentium; atqui propter titulum servitutis, quæ jure duntaxat gentium introducta est, possunt infidelium pueri invitis parentibus baptizari; ergo, etc. — Resp. Dist. maj.: Si jus divinum permittat baptizari infantes eorum infidelium qui civiliter tantùm subjecti sunt principibus christianis, concedo; si non permittat, sicut reipsà non permittit, nego. Possunt quidem infantes illi baptizari titulo servitutis per jus gentium introductæ, quia nempe tunc licitè à parentibus abstrahuntur, qui naturali, quod in illos habent, jure, si non radicali, saltem actuali per servitutem privantur; adeòque cùm ejusmodi infantes sint in potestate dominorum quibus eorum parentes serviliter mancipantur, possunt iis invitis baptizari.

Instabis 2°: Possunt licitè infantes à suis avelli parentibus, si pravis moribus ab illis instituantur, aut si periculum sit ne ab illis occidantur; ergo à fortiori possunt ab ipsis abstrahi ut baptizentur: mors quippe animæ majoris longè momenti est, quàm mors corporis. — Resp. Nego consequens et paritatem. Disparitas est quia prava morum institutio et vitæ corporalis conservatio juris sunt publici, atque respublica, cujus pax et tranquillitas ex bonâ civium institutione pendet, auctoritatem suam in res hujusmodi exercere potest; Sacramenta verò juris sunt simpliciter divini positivi; et ad ea illos duntaxat cogere Ecclesia potest, in quos auctoritatem habet ac dominium; sed Ecclesia nullum jus ac dominium habet in infideles; ergo, etc. Fatemur quidem mortem animæ longè majoris esse momenti, quàm sit mors corporis, et istam alteri esse postponendam, modò id fiat rectâ et ordinatâ viâ, non verò inordinatâ; neque enim facienda sunt mala, ut eveniant bona.

Instabis 3°: Capite *Ex litteris*, de Conversione infidelium, dicitur *quòd infans in tali ætate non debeat manere apud illas personas de quibus possit esse suspicio, quòd vitæ vel saluti insidiantur illius*; ergo propter necessitatem spiritualem sicut et corporalem possunt infantes à parentibus abstrahi. — Resp. Nego conseq. Magna quippe disparitas est casûs qui hìc proponitur et solvitur, et conclusionis nostræ. Namque agebatur de infante, quem mater Judæa repetebat, quia minor erat triennio, ac proinde maternâ curâ et solatio egebat; pater è contra ad fidem christianam conversus filium reposcebat. His in circumstantiis respondet S. Pontifex: *Cùm filius in potestate patris consistat, cujus sequitur familiam, et non matris; et in tali ætate quis non debet apud eas remanere personas de quibus possit esse suspicio, quòd saluti vel vitæ insidientur, patri eumdem filium esse assignandum*.

Unde concilium Toletanum IV, an. 633, cap. 63, statuit sufficere alterutrius parentis, sive patris sive matris, consensum, ut possit infans, altero renitente, baptizari.

Instabis denique: Possunt reges et principes christiani idololatras à suis nefandis sacrificiis celebrandis terrore legum ac supplicio capitis prohibere. *Quis enim*, ait S. Augustinus alloquens Donatistas in epi-

stolâ 93, aliàs 48, ad Vincentium, *non laudat leges ab imperatoribus latas adversùs sacrificia paganorum? Et certè longè ibi pœna severior constituta est; illius quippe impietatis capitale supplicium est.* Ergo possunt etiam, omni falsâ Religione à suis ditionibus expulsâ, subditos suos ad veram etiam invitos cogere.

Resp. Nego consequens. Ista enim duo sunt planè diversa, alicui interdicere cultum impiæ Religionis, et ipsum cogere ad cultum veræ Religionis; priùs possunt, et aliquando tenentur exsequi principes, præsertim cùm dispar cultus subditos non rarò ad discordias ac jurgia incitet, quos in pace ac unione continere officium est ac jus principum; at non tenentur, nec debent invitos ac reluctantes infideles sibi civiliter tantùm subditos, ad Baptismum suscipiendum, et profitendam christianam Religionem tormentorum acerbitate compellere. Laudat citato loco S. Augustinus legem ab imperatoribus latam, et quidem æquissimam, adversùs sacrificia paganorum, quia penes illos erat usum illorum sacrificiorum, et cultum idolorum intra limites imperii sui prohibere: at non laudat, quòd paganos istos ad cultum veri Dei invitos compulerit, quæ duo valdè diversa sunt.

Quam fidem in infantibus aut supponat aut producat Baptismus.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1° duplicem in Baptismo fidem distingui posse, unam actualem quæ præcedit Baptismum, tanquàm dispositio quædam necessaria; alteram quæ sequitur Baptismum, et est pars essentialis justificationis, quæ solet appellari habitualis fides.

Observandum 2°, cùm SS. Patres aiunt parvulos baptizari in fide parentum vel Ecclesiæ, eos non loqui de fide habituali, sed de actuali; et cùm dicimus parvulos baptizari in fide parentum, sensus non est, parvulos justificari formaliter, aut esse fideles alienâ fide, sicut nobis imponit Kemnitius; neque etiam sensus est, ut exponit Lutherus, parvulis impetrari fidem, quâ justificentur, à fide et precibus offerentium et Ecclesiæ; fidem enim justificantem habent parvuli infusam ex opere operato, seu vi et efficaciâ Sacramenti, non ex opere operantis ministri. Sensus igitur est fidem actualem, quæ in adultis, cùm baptizantur, requiritur tanquàm dispositio ad Baptismum necessaria, in parvulis non esse, sed eam suppleri per fidem Ecclesiæ et offerentium. Unde

Observandum 3° triplicem hìc excitari controversiam: prima est de fide actuali; an infantes qui baptizantur, talem habeant actualem fidem. Secunda est de fide habituali, an scilicet illa per Baptismum infundatur parvulis, et an fide catholicâ certum sit eam infundi. Tertia est de naturâ illius fidei quæ infunditur; an sit qualitas seu habitus infusus ac permanens, an quidlibet aliud ab actu fluente et transeunte distinctum, et quid eâ de re fide catholicâ sit definitum. Circa quas quæstiones errârunt novatores, et scholastici orthodoxi in varias abiêre sententias.

Errores et opiniones.

Circa primum, Lutherus, l. de Captivitate Babylonicâ, cap. de Baptismo, docere videtur, infantes, cùm baptizantur, habere fidem actualem. Cùm enim dixisset omnia Sacramenta ad fidem alendam fuisse instituta, atque totam justificationem esse à fide; sibi objicit parvulorum Baptismum, qui fidem habere non possunt: cui objectioni respondet 1° infantes credere; 2° eos fidem acquirere, non vi Sacramenti, sed per orationem Ecclesiæ et fidem offerentium; et ita exponit quod vulgò dicitur, parvulis scilicet alienâ fide succurri. Quòd verò loquatur de fide actuali, suadet exemplum impii quo utitur, cujus nempe cor, verbum Dei dùm sonat, potens est immutare, licèt non minùs surdum sit et incapax quàm parvulus. Et in libro contra Cochlæum ait, *intolerabile esse mendacium, quando baptizans à parvulo quærit an credat, et respondetur pro ipso: Credo. Utquid enim*, inquit, *interrogat an credat, si certum est eos non credere?*

In conciliabulo Wittembergensi, an. 1538, Lutherani magistri sui sententiam paulò mitigârunt. Tria circa fidem infantium docent: 1° *Rejiciendum esse errorem illorum qui imaginantur salvari infantes sine aliquâ ipsorum actione;* 2° *etsi non satis assequi valeamus*, inquiunt, *qualis illa sit parvulorum actio, tamen certum esse in eis fieri sanctos et novos motus, sicut in Joanne Baptistâ, quando exsultavit in utero;* 3° *licèt non sit imaginandum quòd infantes intelligant, tamen motus eorum et inclinationes ad credendum et diligendum Deum, similes esse motibus fidei et dilectionis, et hoc intelligendum esse, cùm dicuntur infantes credere.* Hanc sententiæ Lutheri mitigationem communiter sequuntur Lutherani.

Calvinus, l. 4 Institutionis, cap. 16, ad hanc Lutheri sententiam primùm inclinavit; eam tamen defendere ausus non est. *Non satis*, inquit, paragrapho 18, *tutum fuerit hoc adimere Domino, ne sese illis quoquo modo exhibere cognoscendum queat.* Et paragr. 19: *Non quòd eâdem esse fide præditos temerè affirmare velim, quàm in nobis experimur, aut omninò habere notitiam fidei similem.* Postea addit: *Deum virtute suâ incomprehensâ renovare interiùs infantes.* Omnes Calvini discipuli negant quoque ullam in infantibus baptizatis esse fidem actualem.

Circa secundum, novatores Calvinistæ rati hominem justificari per imputationem justitiæ Christi, quâ nostra teguntur delicta, consequenter inficiantur formalem, propriam, internam et inhærentem justitiam infundi parvulis dùm baptizantur.

Tempore Magistri Sententiarum, id est duodecimo seculo, excitata est quæstio, sicut ipse observat, l. 4 Sententiarum, dist. 4, litterâ H, utrùm parvulis in Baptismo detur gratia, nempe interior et informans. Fuêre enim qui id negarent, ut colligimus ex Clemente V, in concilio Viennensi, et Innoc. III: *Contendentes*, ait Vega, l. 7, in concilium Trident., c. 24, *nullam esse justitiam creatam, à quâ formaliter homo sit justus, sicut ab albedine est homo albus; sed perinde esse hominem justum, et amicum, et gratum Deo, ab amore*

quo Deus illum amat, et ad gratiam suam et beatitudinem acceptat, ac Petrus est Joanni amicus et gratus, ab amore quo Joannes Petrum prosequitur. In hanc sententiam inclinare videtur ipse Magister, tùm loco mox citato, tùm præsertim lib. 1, dist. 17, ubi docet *charitatem quâ diligimus Deum et proximum esse Spiritum sanctum, nec illam consequenter esse aliquid creatum;* quæ Magistri opinio tanquàm nova et erronea notatur, ac reponitur ad calcem operis ipsius, inter eos articulos quos cæteri doctores in ipso improbârunt et rejecerunt, sicut constat ex Altissiodorensi, l. 3 Summæ, tractatu 6, cap. 1; ex Guillelmo Parisiensi, l. de Moribus, cap. 4; ex divo Thomâ, Alensi, Alberto et aliis, quanquàm Magistrum benignè interpretari conatur Scotus, l. 1 Sententiarum, dist. 1, art. 3. Et reverà ipse Magister, l. 4, dist. 4, litterâ H, ait, *de adultis non dubitari quin gratiam operantem et cooperantem recipiant.* Et lib. 2, dist. 27, disertè docet *virtutem esse qualitatem quæ in animâ est tanquàm forma, et gratiam esse virtutem nobis à Deo infusam.* Sed quidquid sit de Magistri sententiâ, S. Thomas, 3 part., q. 69, art. 6, testatur etiam ætate suâ nonnullos dubitâsse an infantibus gratia informans et inhærens infunderetur. Fundamentum dubitandi erat, quia inutilis planè ipsis videbatur talis informans et inhærens gratia, quam ad actum redigere, seu quâ uti actu non possunt infantes.

Cæteri verò doctores tanquàm rem certam docuêre, infantibus, dùm baptizantur, concedi fidem et gratiam interiorem informantem, quæ non sit actualis fidei motus, sed aliquid fixum ac permanens ab actibus distinctum.

Circa tertium, nempe naturam illius gratiæ et fidei interioris, an sit vera qualitas seu habitus infusus, fixus et permanens, olim quidem disputatum et dubitatum fuit; at nullus jam orthodoxus absque temeritate posset istud in controversiam adducere. Verùm tota lis in eo est, an sit de fide certum ac definitum, gratiam illam infantibus per Baptismum infusam, esse qualitatem seu habitum supernaturalem animæ inhærentem.

Andreas Vega Franciscanus, qui concilio Tridentino interfuit, l. 7, in illud concilium, c. 2, existimat rem esse à concilio Tridentino definitam, *tametsi,* inquit, *non sub nomine habituum;* adeòque rem esse fidei, sub pœnâ anathematis tenendam et credendam. Addit ibidem, summâ concordiâ post Magistri tempora scholasticos doctores sententiam hanc propugnâsse, *non solùm ut probabilem, sed ut quidam eorum disertè tradiderunt, ut certam et indubitatam, et ab omnibus propter auctoritatem Scripturæ et sanctorum amplectendam ut veritatem fidei.*

Dominicus Soto è familiâ Prædicatorum, qui eidem quoque concilio interfuit, et opus suum de Gratiâ eo stante publici juris fecit, non obscurè videtur affirmare, certum quidem esse de fide infundi per Baptismum gratiam interiorem, quæ sit ab actibus aliquid distinctum; sed de fide non esse eam esse qualitatem seu habitum infusum animæ inhærentem. L. 21, de Gratiâ, c. 18, ait *ingentem quidem temeritatem esse negare gratiam hanc inhærentem, non tamen esse contra fidem.* Et c. 8, ait: *Concilium consultò abstinuisse à vocabulo habitûs, ut rem expressè non definiret.*

Idem tamen theologus scribens in 4 librum Sententiarum, insinuat, jam ab Ecclesiâ definitum esse gratiam hanc qualitatem esse, seu habitum permanentem, quanquàm nec ex propriâ suâ naturâ necessaria sit ad justificationem, nec olim ad fidem pertinuerit. Sic loquitur in 4, dist. 1, q. 3, art. 1: *Qui sanè intelligere cupit, quomodò Sacramenta gratiam conferant, id primùm constituat oportet, fingendo nullam ejusmodi qualitatem esse necessariam: nam profectò Patres nunquàm de illâ disputare cogitârunt, imò res est non adeò antiqua. Enimverò in concilio Viennensi, propter parvulos ante usum rationis sacro fonte intinctos, sanxerunt ut probabilius, et nuper in Tridentino ut certius, qualitates illas quæ sunt gratia et virtutes baptizatis infundi; sed hoc tantùm à tempore apostolorum docti, docereque postmodùm posteros contendebant, quòd Sacramenta novæ legis in hoc sensu gratiam conferrent, quòd homines facerent Dei amicos, sive per qualitatem id fiat, sive sine illâ, ut inter homines accidit.* Paulò tamen inferiùs sibi objicit, *jam constitutum esse ab Ecclesiâ, hominem non fieri gratum nisi per qualitatem ei inhærentem.* Quam quidem objectionem non refellit, sed hâc datâ et non concessâ, solvit argumentum sibi propositum, inde scilicet malè inferri, per Sacramenta seu per creaturam illam gratiam seu qualitatem infusam creari.

Et in eumdem librum 4, dist. 6, q. 1, art. 3, conclusione 2, sic scribit: *Quòd gratia Baptismate ablutis infundatur, duplicem habere potest sensum: unum quòd fiant Deo grati, et hic semper fuit habitus tanquàm fides catholica; alter verò sensus est, quòd illa gratia sit qualitas ab homine distincta, divinitùs concreata, quâ fiat homo gratus, sicuti est habitus scientiæ et virtutis acquisitæ; atque hic sensus non est tanquàm de fide usque adeò antiquus, quoniam neque tam planè ex sacrâ paginâ colligitur. Nam ut distinctione 1, q. 3, explicuimus, nihil repugnat hominem esse Deo gratum absque aliquâ sibi inhærente qualitate, sicuti ego sum gratus amico, eò solùm quòd diligor ab illo. Et pariter distinguendum est de virtutum infusione; quòd enim fides, spes et charitas sint auxilia quædam specialia Dei, quibus nos supra naturam ad credendum movet, et sperandum et amandum, confessio evangelica est... quòd autem sint habitus distincti potentiarum, sicut acquisiti, nec tam planè colligitur ex sacris litteris, nec est tam antiqua Ecclesiæ confessio; imò gradatim veritas hæc est ab Ecclesiâ suscepta. Primùm enim Innocentius in capite* Majores, *de Baptismo, tanquàm rem inter theologos dubiam reliquit, utrùm hoc secundo modo gratia et virtutes per Baptismum infundantur; postmodùm verò in concilio Viennensi pars hæc affirmativa tanquàm probabilior, dictisque sanctorum et doctorum magis concors recepta est, quòd scilicet tam parvulis quàm adultis infundantur, ut patet in Clementinâ fidei catholicæ, de summâ Trinitate et fide catholicâ; et hoc potissimùm propter parvulos, de*

quibus majus erat dubium. Nunc autem novissimè in concilio Tridentino tanquàm certa veritas est sub hoc verborum tenore decreta sess. 6, *can.* 11 : *Si quis dixerit hominem vivificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam quâ justificamur, esse tantùm favorem Dei, anathema sit.* Hactenùs Soto, qui non obscurè docet doctrinam habituum infusorum ad fidem (nempe explicitam) olim non pertinuisse, nunc verò post definitionem Ecclesiæ pertinere, quanquàm non sub nomine seu appellatione habitûs; id est, rem nomine expressam definitam quidem esse, non ipsum nomen.

Melchior Canus ex eâdem familiâ Prædicatorum, qui concilio Tridentino etiam interfuit et postea creatus episcopus Canariensis, l. 7 de Locis, c. 2, reponit inter quæstiones in scholis salvâ fide agitatas, istam, *an gratia quâ justificamur sit quædam qualitas animo impressa.*

Idem pariter docent Bannes, 2-2, q. 23, art. 2; Medina in primam 2, q. 100, art. 2, conclusione 2; Ruardus Tapperus, art. 7, qui est de libero Arbitrio; Thomas Stapleton, l. 7, de Justificatione, c. 8; Albertus Pighius, l. 5, de libero Arbitrio. His historicè præmissis, sit

Prima conclusio. — Nulla est in infantibus, cùm baptizantur, fides propria actualis, sed hæc per fidem Ecclesiæ et offerentium puerum ad Baptismum, suppletur.

Duæ sunt conclusionis partes.

Prima pars probatur, quia fides propria consistit in illustratione mentis rebus revelatis assentientis, et motione voluntatis : *Credere*, inquit S. Augustinus, l. de Prædest. SS., c. 2, *nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare.* At infantes utriusque sunt incapaces : *Nescire divina parvulos*, inquit sanctus doctor, epistolâ 187, aliàs 57, ad Dardanum, *qui nec humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam, quando id loquendo suademus, ubi omnes vires officiumque sermonis facillimè superat evidentia veritatis.* Ibid. addit infantes suis vagitibus ac fletibus Baptismo potiùs videri reluctari, quod certè vitio ipsis verti deberet, si uterentur rationis et voluntatis arbitrio. *Dicimus ergo*, pergit sanctus doctor, *in parvulis baptizatis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum.* Inde perspicuum est, quàm stolidum sit Lutheri figmentum circa fidem actualem infantium, vixque ille potest è manibus Anabaptistarum effugere. Undique illum isto dilemmate conclusum tenuerunt : Vidistis aliquando infantes dùm baptizantur, quàm refugiant, ejulent, obluctentur. Quæro igitur : vel intelligunt quid agant, vel non intelligunt; si non intelligunt, nec credunt; si non credunt, perperam baptizantur; et vicerunt Anabaptistæ; si intelligunt, sacrilegi sunt, qui sic pervicaciter Sacramenta recusant, nec tam purgantur quàm maculantur; non igitur baptizentur, et vicerunt Anabaptistæ.

Secunda pars probatur ex eodem S. Augustino, lib. 3, de libero Arbitrio, c. 23, n. 67 : *Satis piè rectèque credimus*, inquit, *prodesse parvulo eorum fidem à quibus consecrandus offertur. Et hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisque sentiat quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondùm habent, potest aliena commodari.* Et l. 1, de Peccat. mer. et remiss., c. 19, probat infantes dici posse et debere fideles, etsi sensum credendi non habeant : *Quoniam*, inquit, *fidem per verba gestantium quodammodò profitentur.* Et, ut loquitur c. 27, *in infantibus credere, est baptizari, non credere autem, non baptizari.* Nempe fideles appellantur infantes à Sacramento fidei quod percipiunt.

Secunda conclusio. — Fide catholicâ certum est infantibus per Baptismum infundi sanctificantem gratiam et fidem, quæ sit aliquid fixum et permanens ab actibus distinctum, et quæ desinente seculo duodecimo habitûs nomine explicari cœpit; utrùm autem sit vera qualitas animæ inhærens, et verus habitus, fide non constat.

Tres sunt partes conclusionis.

Prima pars probatur ex Scripturâ, quæ hominis justificationem iis exprimit terminis, quibus fixum aliquid et permanens in animâ designatur.

1° Id evincunt ea testimonia quibus affirmat Deus se permanere et habitare in justis, Joan. 14, v. 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* 1 Corinth. 3, v. 16 : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis.*

2° Probatur ex iis locis in quibus homo dicitur regenerari, novus creari, 1 Petri 1, v. 3 : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos.* Ad Titum 3, v. 5 : *Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti.* Ephes. 4, v. 24 : *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis.* Porrò quemadmodùm terminus generationis et creationis est aliquid fixum et permanens, ita et regenerationis.

3° Ostenditur iis locis in quibus gratia *diffusa dicitur in cordibus per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, Rom. 5, v. 5.

4° Idem probant ea testimonia quibus gratia dicitur esse *semen Dei*, 1 Joan. 3, v. 9. *Pignus hæreditatis*, Ephes. 1, v. 14. *Signaculum Spiritûs sancti*, ibid. c. 4, v. 30.

5° Denique probatur ex iis locis quibus dicitur, *impossibile esse sine fide placere Deo*, Hebr. 11, v. 6; Rom. 3, v. 28 : *Arbitramur justificari hominem per fidem;* ex quibus sic arguimus : Nullus Deo placere potest ac de injusto fieri justus, absque fide; atqui infantes Deo placere possunt et fieri justi per Baptismum; ergo necesse est infantes habeant aliquam fidem; non habent porrò actualem, ut per se clarum est; ergo habent fidem ab actibus distinctam, quæ

habitualis, infusa, et inhærens solet appellari.

Probatur 2° ex conciliis.

1° Ex Viennensi sub Clemente V, Clementinâ *de summâ Trinitate et Fide catholicâ*, ubi postquàm asseruit unicum esse Baptisma omnibus necessarium, loquens de effectu Baptismi varias recenset Theologorum opiniones. *Quibusdam*, inquit, *ex istis dicentibus, per virtutem Baptismi parvulis quidem remitti culpam, sed gratiam non conferri. Aliis è contra asserentibus, quòd et culpa eisdem in Baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis quàm adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, et virtutes, tanquàm probabiliorem, et dictis sanctorum ac doctorum modernorum theologiæ magistrorum magis consonam et concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendam.*

Circa quod Clementis V testimonium duo sunt observanda :

Primum, theologos illos, quos ait negâsse gratiam infundi per Baptismum, egisse tantùm de infantibus, non verò de adultis ; nullus enim ex antiquis theologis legitur hanc gratiæ permanentis infusionem negâsse respectu adultorum ; unde opinio Magistri, quamvis non quemlibet habitum, sed charitatis tantùm, negaret, nova semper visa est et ab aliis theologis rejecta.

Secundum, ejusmodi theologos non negâsse in parvulis, cùm baptizantur, aliquid internum, fixum et ab actibus distinctum per quod formaliter regenerentur ; sed tantùm negâsse illud fixum et ab actibus distinctum, esse habitualem et informantem gratiam, seu qualitatem permanentem et inhærentem per modum habitûs. Constat istud ex oppositione sententiæ utriusque, cujus meminit Clemens V : *Quibusdam*, inquit, *ex istis dicentibus, per virtutem Baptismi remitti culpam, sed gratiam non conferri.* Quam ? nempe illam quam admittebant alii theologi de quibus statim loquitur, scilicet, *informantem et habitualem gratiam.* Idem significat Innocentius III, extrav. *de Baptismo et ejus Effectu. Aliis*, inquit, *asserentibus per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri ; nonnullis dicentibus dimitti peccatum, et virtutes infundi quoad habitum, non quoad usum.* Ergo gratia quam primi theologi negabant, et quam alii contendebant infundi, est gratia habitualis, quatenùs habitualis ; id est, qualitas fixa et permanens animæ inhærens. Cùm igitur Clemens V, sacro approbante concilio, secundam hanc opinionem tanquàm probabiliorem adoptat et suam facit, probabiliorem non appellat eam opinionem quæ justificationem per aliquid internum ac fixum ab actibus distinctum fieri contendit ; hæc quippe non modò intra limites probabilitatis continetur, sed certa est certitudine fidei catholicæ ; sed probabiliorem eam appellat, quatenùs contendit illud fixum et ab actibus distinctum esse veram qualitatem animæ inhærentem, seu habitum.

2° Probatur ex concilio Tridentino, sess. 6, c. 7, ubi sic loquitur : *In hâc impii justificatione per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret ; unde in ipsâ justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem et charitatem.* Charitas verò seu gratia quæ diffundi dicitur et inhærere, haud dubiè est aliquid fixum, permanens, ab actibus distinctum, quod habitûs nomine solemus appellare, licèt eo uti noluerit concilium, inquit Soto, ne rem expressè definiret. Sed quidquid istud sit, fatendum est esse aliquid internum, inhærens animæ, ab actibus distinctum, quod unum hic contendimus. Et sess. 7, can. 13, de infantibus baptizatis sic statuit : *Si quis dixerit parvulos, eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse ; ac propterea cùm ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos, anathema sit.* Igitur infantes baptizati, juxta concilium, habent fidem : non habent porrò actualem ; ergo habitualem, seu eam quæ ab actibus distincta est, et quæ vulgò solet habitualis appellari.

Denique, can. 11, sess. 6, sic ait : *Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et charitate quæ in cordibus eorum diffunditur, atque illis inhæret, anathema sit.* Quid est autem gratia interior, diffusa et inhærens, nisi gratia fixa, permanens, ab actibus distincta, quam dicimus habitualem ? Igitur fide catholicâ certum est, justificationem hominis formalem fieri per aliquid internum, fixum et ab actibus distinctum.

Probatur 3° ex constanti SS. Patrum traditione. Semper quippe in Ecclesiâ Christi creditum est, hominem de injusto fieri justum, de inimico fieri Dei amicum, per aliquid quo interiùs renovatur et immutatur ; sola quippe peccatorum remissio externa est, et hominem interiùs non mutat ; sed illud internum est aliquid fixum ab actibus distinctum, quod in infantibus, qui sunt fidei actualis incapaces, et in adultis cùm dormiunt, perseverat.

Hoc evincunt rationes et modi loquendi quibus utuntur SS. Patres, dùm aiunt 1° eos esse perfectos qui spiritum perseverantem habent ; ita S. Irenæus, l. 5, adversùs hæreses, c. 6 ; 2° operationem Spiritûs sancti ita esse in homine justo, sicut videndi facultas est in oculo, sicut ars est in artifice ; ita sanctus Basilius, l. de Spiritu sancto, cap. 26 ; 3° impressionem gratiæ similem esse picturæ ; 4° denique, gratiam esse animæ sanitatem, vigorem, veram libertatem, Dei filiationem, novam nativitatem ac regenerationem ; quæ certè omnia vix explicare possis per aliquid purè externum ; igitur important aliquid internum, formale, permanens ac fixum, ab actibus distinctum.

Quin S. Augustinus gratiam illam infantibus per Baptismum infusam disertè agnoscit. l. 1 de Peccat.

mer. et remiss., c. 9, ubi ait : *Christum dare fidelibus occultissimam sui Spiritûs gratiam, quam latenter infundit et parvulis.* Et c. 19, dicit infantes esse fideles per Sacramentum fidei. Et l. de Gratiâ et libero Arbitrio, c. 22, de infantibus qui, quando baptizantur, obluctari solent, inquit : *Hæret in illis etiam reluctantibus gratia.*

Hinc non immeritò Vega, l. 7, in concilium Tridentinum, c. 24, loquens de decretis ejusdem concilii mox citatis, asserit *Patres intellexisse hanc fuisse communem Ecclesiæ fidem, tametsi non sub nomine habituum; neque potuisse à catholicis doctoribus diversissimorum temporum summâ concordiâ sententiam hanc tradi, nisi esset à Spiritu sancto, et digna, quæ ab omnibus reciperetur.*

Tertia pars conclusionis, nempe fide catholicâ non esse definitum, illud internum ab actibus distinctum, per quod homo formaliter justificatur, esse veram qualitatem et habitum inhærentem ad sensum scholæ, probatur, quia fatentibus Vegâ et Dominico Soto, concilium Tridentinum consultò abstinuit à nomine *habitûs*, ne rem expressè definiret; 2° quia Clemens V laudatus appellat illam habituum doctrinam *probabiliorem* duntaxat, non verò certam certitudine fidei; 3° quia doctores orthodoxi salvâ fide ita sentiunt, ut Medina, Canus, Bannes, etc. Igitur ad fidem quidem pertinet, formalem hominis justificationem fieri per aliquid internum fixum, ab actibus distinctum; verùm definitum non esse quid illud sit, an qualitas et habitus inhærens, an auxilium seu motio Dei actûs et habitûs vices supplens; quanquàm usus Ecclesiæ jam invaluit, ut illud internum et fixum, habitum appellemus. Etverò nullus fingi potest terminus ad id significandum aptior, et modis loquendi, quibus utitur concilium Tridentinum, magis accommodatus.

Dices 1° : Fides illa habitualis quæ supponitur infundi per Baptismum infantibus, omninò videtur inutilis, cùm in actum exire non possit. — Resp. : Nego ant. Inservit enim maximè, tum ut infantes verè et formaliter justi sint ac fideles; tum ut suo tempore, beneficio gratiæ actualis, eos ad actus fidei eliciendos inclinet; atque in eo discrepant habitus infusi ab acquisitis, quòd isti per frequentes actus comparati sint; illi verò à Deo in nobis sine nobis cooperantibus infundantur.

Dices 2° : S. Augustinus frequenter inculcat parvulos dici fideles propter fidem, non quidem propriam, sed alienam; ergo nullam in illis agnoscit fidem habitualem; aliàs dixisset infantes fideles appellari à tali fide habituali. Ita epistolâ 23, l. 1, de Peccat. mer. et remiss., c. 19 et 27, Serm. 14, de Verbis apost., et l. 31, de libero Arbitrio, c. 23. — Resp. : Nego consequens; in his quippe locis excludit solùm à parvulis sanctus doctor fidem propriam actualem, non verò habitualem, quam disertè agnoscit lib. 1, de Peccat. mer. et rem., c. 9 et 19, l. de Gratiâ et libero Arbitrio, c. 22, et præsertim lib. 3, de Peccat. mer. et remiss., c. 2, ubi sic loquitur : *Sicut ergo eorum per quos renascuntur, justitiæ spiritus trajicit in eos fidem, quam voluntate propriâ nondùm habere potuerunt; sic eorum per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondùm vitâ propriâ contraxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generaverat peccatores.* Quibus sanè verbis apertè significat sanctus doctor, parvulos, sicut internum ac propriè dictum contrahunt peccatum nascendo, ita internam ac veram fidem iis infundi quando per Baptismum renascuntur. Cur verò sanctus doctor talem fidem habitûs nomine non designaverit, hæc certè non improbabilis reddi potest ratio, quòd habitûs nomen aliquid ampliùs importet, ex usu philosophorum, quàm nudam et quiescentem qualitatem; nempe promptitudinem, facilitatem, et inclinationem seu expeditam motionem ad agendum, quam constat non esse in parvulis : unde consultò sanctus doctor à nomine habitûs abstinuit.

Dices 3° : Parvuli adepto rationis usu actum fidei exercere non possunt, nisi præviâ doctrinâ informentur; ad quid ergo habitualis illa fides, quam supponuntur percepisse in Baptismo? — Jam diximus necessariam illam esse ut infantes fideles sint et Dei filii, non tantùm per extrinsecam quamdam imputationem justitiæ Christi, neque per solam peccatorum remissionem, sed per aliquid internum, formale et proprium; seu per habitum infusum animæ inhærentem, qui ut in actum erumpat opportuno tempore, necessariò requirit et præviam doctrinam, et spiritum interiùs insonantem et moventem per gratiam suam; in quo discrepant habitus infusi ab acquisitis, quòd isti cùm sint per frequentes actus comparati, ex sese ad similes actus disponant, moveant, et inclinent, neque tam facilè possint, à subjecto dimoveri; habitus verò infusi sunt qualitates veluti sopitæ ac quiescentes, quæ ut in actum erumpant, indigent tùm externis, tùm internis auxiliis, unde per unum actum contrarium expelluntur. Ita fides, per hæresim; spes, per desperationem; et charitas, per peccatum mortale extinguuntur.

De Baptismo adultorum.

Circa Baptismum adultorum duo sunt expendenda : primum, an aliquæ requirantur in adultis præviæ dispositiones ad percipiendum Baptismum, et quænam illæ sint, ubi antiqua catechumenatûs historia paucis retexenda erit. Secundum, an quilibet adultus, sive sanus, sive infirmus, furiosus, amens, mortuus, aut vivus pro mortuis, baptizari possit et debeat.

An in adultis præviæ ad Baptismum requirantur dispositiones, et quæ.

Dispositiones in adulto requisitæ, necessariæ sunt vel ad veritatem seu valorem sacramenti, vel ad fructum ejus percipiendum. Consensus seu intentio recipientis Baptismum omninò requiritur, ut verè seu validè percipiat Baptismum, sicut ostendimus in tractatu de Sacramentis in genere, q. 4, art. 2. Hic igitur quæstio duntaxat est de dispositionibus requisitis ad licitè et cum fructu percipiendum Baptismum.

Graviter invehitur sanctus Basilius, orat. 13, de

Baptismo, adversùs eos qui Baptismum ad extremam usque senectutem protrahebant, cùm infirmitas premit, nec satis rationis ac libertatis animo permittit ut sese debitè disponat ac præparet. *Quid expectas*, inquiebat, *beneficio febris baptizari, quando nec salutaria verba loqui, nec item audire commodè poteris, morbo caput occupante; non manus in cœlum tollere, non in pedes erigi, non genua adorando flectere, non commodè doceri, non securè ac liberè confiteri, non cum Deo pacisci, non abrenuntiare inimico, fortè nec scitè inter initiandum subsequi; dubitantibus etiam præsentibus, num gratiam sentias, an sine fructu quæ agantur, accipias.*

Conclusio. Requiruntur in adultis ad percipiendum cum fructu Baptismum, præviæ dispositiones, nempe fides in Christum, dolor de peccatis, inchoatus Dei amor, etc.

Probatur 1° de fide, tum quia in Scripturis dicitur neminem posse justificari sine fide. Rom. 3, v. 28 : *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Hebr. 11, v. 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.* Tum quia Act. 8, v. 37, S. Philippus postulanti Eunucho Baptismum his verbis : *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* respondet : *Si credis ex toto corde, licet.* Tum denique, quia idcircò Christus, Matth. 28, v. 19, jubet ut priùs apostoli doceant, quàm baptizent : *Docete, baptizantes.* Unde Marci 16, v. 15, ait : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

De pœnitentiâ patet ex c. 2 Act., v. 38, ubi S. Petrus plures baptizaturus, postulat ut agant pœnitentiam : *Pœnitentiam*, inquit, *agite, et baptizetur unusquisque vestrûm.* Unde et ii qui ad Joannem accedebant ut baptizarentur, *confitebantur peccata sua*, in signum doloris et pœnitentiæ ad quam Joannis Baptismus excitabat. Hinc est quòd S. Justinus Dialogo cum Tryphone asserat, *Baptisma solùm purificare potest pœnitentiam agentes.*

De amore Dei patet, tùm quia Scriptura declarat neminem justitiam consequi, nisi Deum amet. 1 Joan. 3, v. 14 : *Qui non diligit, manet in morte.* 1 Corinth. ultimo, v. 22 : *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit.* Joelis 2, v. 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Tùm quia SS. Patres asserunt pœnitentiam nullam esse sine amore Dei saltem initiali et inchoato. *Pœnitentiam certam facit amor Dei et odium peccati*, ait S. Augustinus; sed de hoc argumento fusiùs et ex professo, ubi de Sacramento Pœnitentiæ, Deo aspirante disseremus.

Sufficiat hìc unum concilii Tridentini testimonium ex c. 6, sess. 6, ubi requirit ad Baptismum, ut qui baptizandus est, fidem habeat, peccatorem se intelligat; Deum timeat, sibique propitium fore speret, cum tanquàm omnis justitiæ fontem diligere incipiat; odio ac detestatione peccatorum moveatur ad pœnitentiam, quam ante Baptismum agere debet; denique dùm proponit suscipere Baptismum, inchoet novam vitam et servet Dei mandata. Harum omnium dispositionum necessitatem adductis Scripturæ testimoniis ibidem confirmat concilium.

Ratio denique suffragatur, quia qui proprio voluntatis motu à Deo aversus est per actualia peccata, debet propriâ quoque voluntate ad Deum sese convertere.

Necessitatem illarum omnium dispositionum ad Baptismum semper agnovit Ecclesia, quæ tot præviis Catechesibus ac probationibus informabat eos qui ad Baptismum aspirabant, sicuti constat ex Historiâ veteris Catechumenatûs (1).

HISTORIA VETERIS CATECHUMENATUS.

Ut clarior sit et brevior narratio, nonnullis interrogationibus ac responsis eam absolvemus.

Quæres itaque 1° quid sit catechumenus. — Resp. juxta vim nominis Græci, catechumenum eum esse cui mysteria fidei vivæ vocis ministerio creduntur, ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν, quod est vivâ voce instruere. Aliis nominibus etiam appellabantur, nempe alumni, audientes, novitioli, catuli adhuc infantiæ recentis, discipuli, tyrones, candidati fidei, genus electum, etc.

Quæres 2° an antiqua sit catechumenatûs institutio. — Resp. affirmativè : jussit enim Christus apostolis, ut docerent priùs gentes quàm baptizarent, Matth. 28, v. 19, qui ordo respectu adultorum semper fuit observatus.

Quæres 3° quot fuerint antiquitùs gradus seu ordi-

(1) Petes 1° utrùm peccatores accedentes ad Baptismum debeant præmittere confessionem sacramentalem? — R. negativè : 1° Quia confessio sacramentalis ordinatur ad absolutionem, quâ non indigent, qui baptizantur, cùm per Baptismum omnia peccata illis remittantur, ut dicemus diss. sèq. 2° Quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum, et Ecclesia non habet jurisdictionem in non baptizatum, ut possit in eum exercere judicium et ferre sententiam.

Neque obstat Tert., l. de Bapt., c. 20, S. Greg. Nazianz., orat. 40, meminisse aliquorum, qui præmitterent confessionem Baptismo; hæc enim confessio non erat sacramentalis, sed quædam humiliatio ad directionem in vitâ spirituali.

Petes 2° utrùm peccatoribus baptizatis sint imponenda opera pœnalia? — R. negativè : 1° Quia qui baptizantur incorporantur et commoriuntur Christo, non solùm quatenùs virtus passionis et mortis Christi operatur in Baptismo, nam et in aliis Sacramentis operatur, sed quatenùs perfectè configurantur Christo morienti, dùm abjecto veteri homine regenerantur ad novam vitam et accipiunt novum esse spirituale, juxta illud Rom. 6 : *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus : consepulti enim sumus cum illo per Baptismum :* ita ut ipsa pœna Christi fuerit satisfactoria pro peccatis baptizatorum, sicut pœna unius membri potest esse satisfactoria pro peccato alterius membri, vel ut dicit idem S. Th., q. seq., art. 2, sic, ut applicetur baptizatis passio Christi in remedium, ac si ipsi passi et mortui essent. In quo Art. 2, et præcedenti probat omnia peccata quoad culpam et totam pœnam remitti per Baptismum, quod est altera probatio hujus et præcedentis resp.

An autem ante Baptismum imponenda sint baptizandis opera pœnalia? — R. esse imponenda, non ad satisfactionem, sed ut per eradicationem vitiorum, et debitam morum correctionem, ac religiosa pietatis exercitia, se præparent ad Baptismum. Et in hunc finem ordinabantur laboriosa catechumenatûs opera. (Billuart.)

nes catechumenorum. — Resp. tres fuisse : primus erat audientium, eorum scilicet qui Baptismi desiderio tenebantur, et cœtibus publicis Christianorum, concionibus, instructionibus intererant, ut de mysteriis fidei disserentes pastores audirent, unde audientes dicti; nondùm tamen nomen suum catechumenorum albo inscribendum dederant. Hi ex conventibus tempore sacrificii cum ethnicis et pœnitentibus ejiciebantur. Secundus catechumenorum gradus eorum erat qui Ecclesiæ nomen dederant, qui genua in Ecclesiâ flectebant, et super quibus genuflexis preces et orationes pronuntiabantur. Hi propriè dicuntur catechumeni; et illi intelliguntur, cùm in Synaxi diaconus edicebat altâ voce, *Quicumque Catechumeni, discedite.* Nam priores cum ethnicis sine speciali edicto pellebantur. Tertius gradus est competentium seu electorum, qui scilicet quadragesimali tantùm tempore, aut paulò ante Pentecosten, erant in Ecclesiis conspicui; competentes dicti, *quia*, inquit Isidorus Hispalensis, l. 2 de ecclesiasticis Officiis, c. 21, *post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant; ideòque competentes appellantur, id est, gratiam Christi petentes.* Electi quoque dicebantur, quia post diligens examen exacti catechumenatûs segregabantur, et percipiendo Baptismo idonei judicabantur.

Simile quid à paganis observatum legimus erga eos quos suis mysteriis initiabant. *In sacris*, inquit Olympiodorus : *præcedebant publicæ purgationes, deinde has excipiebant aliæ reconditiores ; post has aggregationes : tùm sequebantur epoptiæ, id est, sacrorum omnium plena participatio.* Solebant etiam nondùm mysteriis initiatos ab eorum participatione arcere; hinc solemne istud, *Procul hinc, procul ite, profani.*

Quæres 4° quo ritu infideles inaugurabantur catechumeni audientes. — Resp. ritu singulari eos fuisse inauguratos : 1° illis catholica fides exponebatur; 2° exigebatur ab illis vitæ melioris propositum; 3° in illorum ora insufflabatur ; 4° frons eorum signo crucis muniebatur; 5° manus eis cum oratione imponebantur ; 6° sal eis degustandum præbebatur. Constant isthæc omnia ex S. Gregorio Magno in suo Sacramentario, titulo : *Ad catechumenum ex pagano faciendum.* Refert S. Augustinus, l. de catechizandis Rudibus, cap. 4, catechumenis datum olim fuisse panem quemdam benedictum, qui vocabatur panis catechumenorum, et quædam erat corporis Christi figura.

Quæres 5° quibusnam documentis informarentur catechumeni propriè dicti, et à quibus; an viri seorsim à mulieribus. — Resp. 1° catechumenos de fide et moribus fuisse informatos, juxta mandatum Christi Matth. 28 : *Docete baptizantes.... servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Profundiora tamen fidei mysteria catechumenis secundi ordinis non fuisse explicata, sed competentibus duntaxat, colligitur ex S. Cyrillo Hierosolymitano. *Pro Catechesi*, inquit, *fueras et tu aliquando catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur.* Et ex conc. Agathensi, c. 13 : *Symbolum etiam placuit omnibus ecclesiis unâ die, id est, ante octo dies dominicæ Resurrectionis, publicè in Ecclesiâ competentibus prædicari.* Resp. 2° ordinariè episcopos, presbyteros et diaconos instituendis catechumenis vacàsse ; aliquando parentes et susceptores, sicut colligimus ex concilio Arelatensi, can. 19, et Moguntino, c. 47. Fuêre etiam in civitatibus deputati magistri qui catechumenos edocerent ; qualis fuit Carthagine Optatus ; et apud Alexandriam, non modò Pantænus, sed etiam Clemens, Origenes, Heraclas, et Dionysius, sicut passim narrat Eusebius. Resp. 3° mares et feminas distinctè ac separatim ad catechesim admissos fuisse. Ita colligimus ex Ordine Romano.

Quæres 6° an catechumeni solerent nomen suum dare, ut inscriberentur eorum albo qui Baptismum exoptabant. — Resp. affirmativè : ita colligimus ex conc. IV Carthaginensi, can. 85 : *Baptizandi*, inquit, *nomen suum dent*, et diù abstinentiâ vini et carnium, *ac manûs impositione crebrà examinati, Baptismum percipiant.* Ex S. Augustino, l. de Fide et Operibus, ubi innuit bis nomen dari solitum fuisse : 1° cùm quis fiebat catechumenus; 2° cùm erat competens.

Quæres 7° quænam competentibus mysteria exponerentur, et quæ laboriosa ab ipsis exigerentur opera. — Resp. ad primum, altissima fidei mysteria quæ in Symbolo continentur competentibus exposita fuisse, eosque debuisse symbolum memoriter scire et recitare. Colligitur ex concilio Laodiceno, can. 46 : *Oportet eos qui illuminantur, fidem discere, et quintâ hebdomadis feriâ episcopo renuntiare vel presbyteris.* Ex S. Augustino, serm. 115, de Tempore, nunc 241 in Append. : *Symbolum*, inquit, *quod vobis traditurî sumus, fratres charissimi, comprehensio est fidei nostræ atque perfectio.* Ex Isidoro, l. 1 de ecclesiasticis Officiis, cap. 27, de dominicâ Palmarum, ait : *Hoc autem die Symbolum competentibus traditur, propter confinem dominicæ Paschæ solemnitatem; ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem, quam confiteantur, agnoscant.* Resp. ad secundum, competentibus dura et laboriosa pœnitentiæ opera injuncta fuisse : publico scilicet fidelium cœtui nudis pedibus, tonso capite, cilicio coopertos sistere se præsentes tenebantur, à vino, carnibus, uxoribus abstinere. Constat ex conc. Carthaginensi IV, can. 85; ex Tertulliano, l. de Baptismo, c. 20. *Ingressuros Baptismum*, inquit, *orationibus crebris, jejuniis, et geniculationibus et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium retrò delictorum.* Confessio porrò illa sacramentalis non erat, cùm ante Baptismum nullum percipi possit Ecclesiæ Sacramentum. An vocalis et specialis fuerit, an verò generalis tantùm hæc confessio, et quidem ab ipsis operibus laboriosis indistincta, non immeritò dubitatur ; ipse siquidem Tertull. eodem loco ait *nobis esse gratulandum, si non publicè confiteamur iniquitates aut turpitudines nostras.* Post illa verò laboriosa opera, caput lavabatur competentibus, ne fortè, inquit S. Isidorus, l. 6 Originum, c. 18, *observatione Quadragesimæ sordidatum ad unctionem accederent.* Dies autem Pal-

marum quo solebat fieri ea capitis ablutio, à plebe vocari solebat *capitilavium*.

Quæres 8° an fierent scrutinia, et quot, ut vita et mores competentium probarentur. — Resp. scrutinia celebrari solita fuisse, et quidem numero septem. *Quartâ ergo feriâ*, inquit Rupertus abbas, l. 4, de divinis Officiis, cap. 18, *novæ Ecclesiæ celebrantur initia, quæ appellantur scrutinia : scrutinia verò à scrutando dicuntur, quia perscrutandum erat in his qui accedebant, ne qua radix amaritudinis subesset, veluti fuit in Simone Mago*. Illa scrutinia appellat S. Augustinus *examen quod fiebat coram totâ Ecclesiâ*, ut si quis de plebe haberet aliquid contra mores competentium opponendum, opponeret. Septem numero fuisse colligimus ex ordine Romano. *Ita tamen agendum est*, inquit, *ut à primo scrutinio, quod incipit tertiâ hebdomadâ in Quadragesimâ, usque in Sabbatum sanctum in vigiliâ Paschæ, septem scrutinia esse debeant, secundùm formam septem donorum Spiritûs sancti*. In illis scrutiniis appellabantur nomina competentium, et coram omnibus sistebant se, ut deprehendi posset, si quid esset contra eorum mores objiciendum.

Quæres 9° quæ fuerit vetus disciplina circa eos qui ad catechumenatum admissi in crimen aliquod labebantur. — Resp. non unam fuisse Ecclesiarum disciplinam. In Hispaniâ, quinquennium pœnitentiæ imponebatur catechumeno delatori. Ita, can. 73 conc. Eliberitani et can. 45, statuitur, ut *qui catechumenus aliquando fuit, et per infinita tempora nusquàm ad Ecclesiam accessit*, à Baptismo non excludatur in fine vitæ. Et can. 68, ut catechumena quæ per adulterium concepit, et conceptum necavit, in fine baptizetur. In Oriente competentes qui graviter deliquerant, in stationem catechumenorum secundi gradûs; catechumeni verò secundi ordinis, ad audientium classem remittebantur; audientes verò si se flagitiis obstrinxissent, ab ipso Ecclesiæ limine pellebantur, et tanquàm ethnici habebantur. Constat ex concilio Nicæno 1, can. 14 : *De catechumenis*, inquit, *et qui lapsi, visum est sanctæ et magnæ synodo, ut ii tribus tantùm annis audientes, postea orent cum catechumenis*. Constat etiam ex conc. Neocæsariensi, can. 5.

Quæres 10° an catechumeni præ infirmitate et mortis periculo ante expletum catechumenatûs tempus baptizati, postquàm convaluissent, fuerint ad catechumenatum remissi. — Resp. negativè, quia Ecclesiæ semper fuit persuasum, per Baptismum omnem pœnitûs culpam et pœnam deleri et expungi; adeòque baptizatos nullis pœnis remanere obnoxios pro peccatis ante Baptismum perpetratis. Unde concilium Laodicenum, can. 47, nihil ampliùs ab ejusmodi baptizatis postulat, quàm ut fidem discant : *Oportet*, inquit, *eos qui in morbo Baptismum accipiunt, et deinde resurgunt, fidem ediscere, et nôsse quòd divino munere digni habiti sunt*. At non ita judicatum fuit de peccatis Baptismum subsequentibus, utpote gravioribus; pœnitentes enim qui publicæ pœnitentiæ stadium decurrentes subito morbo correpti absolutionem obtinebant, redditâ sanitate ad eum pœnitentiæ gradum remittebantur, in quo morbus eos deprehenderat.

Quæres ultimò, quo temporis spatio definitus esset catechumenatus.

Resp. variam fuisse disciplinam. Initio Ecclesiæ cùm necessitas postulabat, et perspecta erat petentis Baptismum fides et voluntas, statim ei administrabatur Baptismus, ut constat exemplo Cornelii centurionis, et eunuchi. Quin aliquando necessitate urgente Baptismus statim conferebatur, et postmodùm instructio sequebatur. Constitutâ subinde Ecclesiâ et ipsi redditâ pace, concilium Nicænum 1 generale, c. n. 2, statuit ne ampliùs, ut factum fuerat, exiguo tempore catechumeni in statione remanerent; concilium Eliberitanum, can. 42, biennium probationis præscribit; Clemens Papa, epist. 3, (si tamen illius est) sex menses determinat; synodus Agathensis Judæos per octo menses vult probari, cap. 34. Vulgò in Oriente et Occidente tempus catechumenatûs quadraginta fuit dierum, ut constat ex S. Hieronymo, epistolâ ad Pammachium, sancto Cyrillo Hierosolymitano, Catechesi 1 mystagogicâ; S. Augustino, serm. 13, ad Neophytos; Siricio S. Pontifice, epist. ad Hymerium episcopum Tarraconensem, cap. 2. Postea tamen tempus illud ad decem et octo dies contractum fuit, cùm feriâ quartâ hebdomadæ quartæ Quadragesimæ catechismus soleret inchoari. Ita colligitur ex Amalario, l. de ecclesiasticis Officiis, cap. 8; Yvone Carnotensi, sermone de Sacramento neophytorum; Ruperto Abbate, l. 4 de divinis Officiis, c. 18; Hugone Victorino, lib. de Sacramentis, c. 17. Qui verò in Pentecoste baptizabantur, totidem diebus ante præparabantur ad Baptismum.

Hæc satis sint de historiâ catechumenatûs : qui plura scire voluerit, legat eruditum opus vicecomitis doctoris collegii Ambrosiani, l. 2, de antiquis Baptismi Ritibus (1).

(1) Quæres an usitata primis Ecclesiæ temporibus instruendorum catechumenorum forma hodiedùm sit aut esse debeat in usu. — R. negat., cùm jam à sexto seculo statio competentium ad intervallum solito brevius contracta fuerit. Quoniam verò quæ ritus et disciplinam mutat Ecclesia, non mutat spiritum, idcircò missionariis, qui in exteris, Tonkini, v. g., et Cocincinæ, regionibus laborant, impensè cavendum, ne, prout à nonnullis factitatum conquesti sunt Illust. episcopi Heliopolitanus et Berytensis, *obvios quosque vix exploratâ illorum voluntate, et unâ aut alterâ instructione contenti, sacro Baptismi fonte abluant. Quamobrem*, aiunt fidem præsules, *etsi hodiè sacerdotibus committatur judicium de catechumenorum eruditione, aliisque necessariis conditionibus, adeòque et de tempore catechismi ferendum, ut iis sanctum Baptisma conferatur; rectiùs tamen et securius nobis visum est cum Patribus et conciliis, catechismi tempus non breviori quàm quadraginta dierum spatio vulgò definire, nec alios ad Baptismum admittendos esse, nisi qui ante quadraginta dies nomen dederint. Cùm etiam experientiâ, quæ sacris canonibus consonat, satis notum sit, diuturniorem moram esse pernutilem ad obtinendam in christianâ fide perseverantiam: atque adeò hâc in re habenda erit ratio venientium ad fidem : Qui enim laudabilem antea vitam duxerint, ferentque præ se docilitatem et pietatem, prædicti temporis institutio eis sufficiet, ac interdùm brevior, si tamen antea sint benè instituti sint, et, quod rarissimè contingit, urgentissima necessitas postulabit. Sed diutiùs probari de-*

An quilibet adultus, sive sanus, sive infirmus, amens, furiosus, mortuus, vel vivus pro mortuo, possit et debeat baptizari.

Quæres 1° an quilibet adultus cujuscumque nationis sit, sexûs vel ætatis, sit baptizandus.

Resp. 1° affirmativè, modò adsint prærequisitæ conditiones. Ratio est quia in Christo Jesu omnes pares sunt. *Quicumque in Christo baptizati estis*, ait Apostolus, Galat. 3, v. 27 et 28, *Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Hinc est quòd Christus indistinctim jusserit omnes gentes baptizari.

Resp. 2° neminem unquàm etiam gentilem à Baptismo repulsum fuisse, si illùm in infirmitate peteret, aut aliquàndo petiisse constaret, etsi inter catechumenos antea non fuisset adscriptus. Dico si Baptismum peteret; non petenti enim nec desideranti dari non solebat Baptismus, sed petenti nusquàm negatus. Colligitur 1° ex concilio 1 Arelatensi, can. 6. *De his qui in infirmitate credere volunt*, inquit, *placuit his debere manum imponi*, id est, Confirmationis Sacramentum concedi; quantò magis Baptismi, sine quò nullum aliud conferri potest Sacramentum? Colligitur 2° ex concilio Eliberitano, can. 39 : *Gentiles*, inquit, *si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliquâ parte vita honesta, placuit eis manum imponi et fieri christianos*, supple perfectos per Confirmationem, de quâ hic agitur. Si autem Sacramentum hoc Patres illi non denegant gentilibus illud desiderantibus, quantò minùs Baptismum? Colligitur 3° ex Siricio, epist. 1, ad Hymerium Tarraconensem, c. 2, ubi sic loquitur : *Quicumque etiam in discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis desperationem inciderint, et sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem quo poscunt momento temporis expetitæ regenerationis præmia consequantur.*

Quæres 2° an catechumenis in periculo mortis constitutis et obmutescentibus, Baptismus aliquando negatus fuerit. — Resp. negatum nunquàm fuisse, etsi eum præ morbi violentiâ non possint postulare : ipsa siquidem catechumeni conditio quædam est continua Baptismi postulatio.

bent rudiores, et obtusioris tardiorisque ingenii, servi item, et qui temporalis pœnæ vitandæ gratiâ, fidem videntur amplecti velle, aut sperant se aliquid lucri aut commodi consecuturos ex eo quòd christiani fiant; ii denique qui levis et inconstantis animi signa aliqua dederint.

Addunt idem episcopi *incredibile dictu* esse *quantum in numerandis multis à se baptizatis cura, in excolendis incuria et segnities, in delectu nimia credulitas, præmaturâ Baptismatis administratione offecerint fidei, benè, ut par est, stabiliendæ, necnon etiam nomini christiano. Enim verò*, inquiunt, *comprobatum est experientiâ, christianos pejores non inveniri, quàm qui ante competentem instructionem ad Baptismum admissi sunt; quippe qui, quâ facilitate Christo nomen dederunt, eâdem ut plurimùm nuntium ei remittant*, etc. De his omnibus, quæ ad veterem novumque catechumenatum pertinent, plura videsis apud Jueninum, dissert. 2, q. 7, cap. 2, per totum. (Collet.)

Probatur 1° ex S. Cypriano, epist 12, ubi ait : *Si qui fuerint periculo præventi, et in exitu constituti, vigilantia vestra non desit.*

2° Ex conciliis Carthaginensi III, an. 397, can. 34, ubi ait : *Ut ægrotantes, si per se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium hi qui sui sunt periculo proprio dixerint, baptizentur.* Ex Carthaginensi IV, an. 398, can. 76, ubi idem statuitur. Ex Arausicano I, an. 442, can. 12 : *Subitò obmutescens*, inquit, *prout status ejus est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis, aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.*

3° Ex SS. Patribus : Cypriano epist 12 et 54; Basilio in Exhortatione ad Baptismum; Chrysostomo, catechesi ad illuminandos; Gregorio Nazianzeno, oratione 40; Augustino, lib. 1 de adulterinis Conjugiis, ubi praxim hanc Ecclesiæ disertè confirmat. Sic loquitur cap. 26 : *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis quòd eorum in fide christianâ jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quomodò baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Imò ibid. contendit S. doctor, catechumenis qui ad extremum usque spiritum in crimine vixerunt, *si tamen*, inquit, *desperati jacuerint*, Baptismum dandum esse : *Quis enim*, inquit, *scit utrùm fortassis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad Baptismum statuerant detineri?* Atque communem ibid. occupans objectionem, scilicet moribundos fortassè nolle baptizari, respondet *non solùm incredibile esse, nec in fine vitæ hujus baptizari catechumenum velle; verùm etiam si voluntas ejus incerta est, multò satius esse nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.* Observat ibid. S. doctor, nonnullos, quos damnare pro suâ modestiâ non audet, in oppositam abire sententiam et praxim.

Idem quoque docet Augustini discipulus Fulgentius, in Responsione ad Ferrandum diaconum, epist. 12, cap. 10 : *Proinde*, inquit, *firmissimè tenenda est illa canonum sententia paternorum, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizari.* Rationem addit : *Viderunt enim SS. Patres, eam non esse voluntatem quæ impedita cognoscitur, non mutata.*

Quæres 3° utrùm energumeni, amentes, furiosi, sint baptizandi. — Resp. ejusmodi homines, si sani sunt, baptizandos non esse, nisi lucida quædam habeant intervalla, quibus sui compotes facti agnoscant quid percipiant : si verò sunt infirmi, et antea Baptismum postulaverint, conferri illis debet. Ita colligimus ex concilio Arausicano 1, can. 15 : *Energumenis*, inquit, *catechumenis, quantùm vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de Baptismate consulendum.* Et can. 13 : *Amentibus quæcumque sunt pietatis conferenda sunt.* Ex concilio Eliberitano, can. 37 : *Eos qui*

ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet. Idem colligimus ex Innocentio III, cap. *Majores*, de Baptismo et ejus effectu. *Dormientes*, inquit, *et amentes, si priusquàm amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti : secùs autem si priùs catechumeni exstitissent, et habuissent propositum baptizandi; unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare.* Excipiendi tamen sunt ii qui ab infantiâ amentes fuêre, qui velut infantes haberi debent, et proinde baptizandi.

Quæres 4° an mortui sint baptizandi, vel vivi pro mortuis? -- Resp. negativè. Errorem hunc Cataphrygibus tribuit Philastrius; Marcionitis, Chrysostomus hom. 40, in caput 15 primæ ad Corinth.; Cerinthianis, Epiphanius, hæresi 28, n. 6, quamvis de hoc illorum errore veteres sileant, ut Irenæus, Justinus, Clemens Alexandrinus, et Tertullianus.

Ratio responsionis est, quia mortui sunt extra viæ statum, adeòque nullius Sacramenti percipiendi capaces : vivi autem, etsi pro mortuis orare possint, ac laboriosa pœnitentiæ opera pro illis sustinere, eorum tamen loco baptizari non possunt, quia Baptismus soli prodesse potest suscipienti : ei verò qui illum non recepit, cùm peccatum originale dimissum non fuerit, et omninò sit ab Ecclesiâ alienus, nec Baptismus, nec alia fidelium suffragia prosunt.

Quid ergo, inquies, sibi vult S. Paulus primæ Corinth. 15, v. 29, cùm ait : *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? utquid et baptizantur pro illis?* — Resp. in hujus loci expositione multùm desudare interpretes, quorum novem interpretationes adducit Estius in hunc locum. Sunt qui, *baptizantur*, eò loci interpretantur, *affliguntur*. Sunt qui verum Baptismum intelligunt, et volunt baptizari pro mortuis, idem esse ac baptizari metu mortis, seu propter mortem instantem, quod Clinicis solemne erat; ex quo S. Paulus argumentum colligit pro demonstrandâ veritate futuræ Resurrectionis : si enim propter mortem quis baptizatur, ut sibi mortuo benè sit; ergo post mortem homo meliori suî parte superstes est, et carnem quam moriendo exuit, resurgendo resumet, ergo futura est corporum resurrectio : quod unum demonstrandum susceperat Apostolus.

QUÆSTIO QUARTA.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

Multa hìc quærit S. Thomas, quæ ad duo generatim capita revocari possunt, in quibus omnis Baptismi effectus continetur : nempe ad gratiam sanctificantem, et ad characterem per Baptismum productum. Supra jam ostendimus Baptismum producere in infantibus fidem ac gratiam sanctificantem habitualem; hìc itaque generatim de utroque Baptismi effectu duobus sequentibus articulis disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

AN BAPTISMUS GRATIAM SANCTIFICANTEM, ET PLENAM, TUM QUOAD CULPAM, TUM QUOAD PŒNAM, PECCATORUM REMISSIONEM CONFERAT.

(ERRORES.)

Circa effectus Baptismi errârunt hæretici per defectum et per excessum : primi veros effectus Baptismo denegârunt, alii falsos affinxerunt.

Quantùm ad primum, nonnulli Origensitæ, teste Proclo Origenistâ, apud S. Epiphanium, hæresi 64, docuerunt peccata sopiri et tegi, non verò radicitùs tolli per Baptismum.

Massaliani dixêre Baptisma suscipientibus nihil prodesse. Ita refert Theodoretus, lib. 4, hæretic. Fabùl.

Nonnulli, ætate S. Gregorii Magni, idem censuêre, sicut colligitur ex l. 9, epist. 39, nunc lib. 11, epist. 45, ubi ait multos accusatos fuisse quòd dicerent Baptisma peccata penitùs non auferre.

Pelagiani negantes originale peccatum, consequenter negabant illud per Baptismum tolli : imò calumniabantur Catholicos, quasi docerent Baptismum non conferre indulgentiam omnium peccatorum, nec auferre crimina, sed radere. Calumniam refellit S. Augustinus, l. 1, contra duas epistolas Pelagianorum c. 13.

Novatores Lutherani aiunt quidem peccata per Baptismum non imputari, sed negant ea verè tolli et deleri. *In puero*, inquit Lutherus, articulo 2, ex iis quos Leo X damnavit, *post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.*

Calvinus in Antidoto conc. Trid., sess. 5 : *Neque per Baptismum*, inquit, *statim uno die extinguitur peccatum; sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.*

Quantùm ad secundum, Jovinianus existimavit ita radicitùs evelli peccatum per Baptismum, ut nunquàm possit repullulare; adeòque legitimè baptizatum peccare non posse.

Novatores superioris seculi istos quinque effectus Baptismo affingunt : 1° quòd baptizatus damnari non possit, etiamsi velit, nisi nolit credere; 2° quòd Baptismus liberet ab obedientiâ divinæ legis; 3° quòd liberet ab observandis legibus humanis; 4° quòd liberet ab omnibus votis; 5° quòd sola memoria Baptismi justificet à peccatis quæ fiunt post Baptisma. Huic quintuplici errori totidem canones opponit conc. Trid., sess. 7, de Baptismo, nempe canonem 6, 7, 8, 9 et 10. Non est hujus loci eos omnes errores et expendere et refellere; legatur Bellarminus, l. 1 de Baptismo, c. 12 et sequentibus.

PRIMA CONCLUSIO. Baptismus confert gratiam interiorem sanctificantem, per quam baptizatus renascitur, regeneratur, innovatur, fit Dei filius, Christi membrum, unius cum eo spiritûs, vitæ æternæ compos, etc.

Probantur hi Baptismi effectus ex Scripturâ.

Primæ ad Corinth. 6, v. 11 : *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.*

Ad Titum 3, v. 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti.*

Joan. 3, v. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Cujus novæ nativitatis rationem exponens Christus, ait : *Non mireris quia dixi : Oportet vos nasci denuo. Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Unde baptizati dicuntur infantibus modò genitis similes, ob vitæ scilicet novitatem et interiorem mutationem. *Sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite*, inquit S. Petrus primæ Epistolæ cap. 2, v. 2.

Galat. 3, v. 26 : *Omnes filii Dei estis.... Christum induistis.*

Rom. 8, v. 17 : *Si autem filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Rom. 6, v. 3 et 4 : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem; ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.*

Ephes. 4, v. 3 : *Solliciti*, inquit Apostolus, *servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma; unus Deus et Pater omnium.*

Clariora sunt hæc Scripturæ testimonia, quàm ullâ interpretatione nostrâ possit lux ipsis afferri.

Hos omnes Baptismi effectus eleganter enumerat S. Chrysostomus, hom. ad neophytos. *Ecce*, inquit, *libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi; et cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; et justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed et sancti; non tantùm sancti, sed et justi; nec solùm justi, sed et filii; nec solùm filii, sed et hæredes; nec solùm hæredes, sed et fratres Christi; nec tantùm fratres Christi, sed et cohæredes; non solùm cohæredes, sed et membra; non tantùm membra, sed et templum; non tantùm templum, sed et organa Spiritûs. Vides quot sint Baptismatis largitates? Sed multis quidem videtur cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere; nos autem honores computavimus decem.* Et homiliâ 1 ad illuminandos, ait Baptismum appellari lavacrum regenerationis, *quia non solùm nobis peccata remittit, neque solùm delicta purgat; sed ita id præstat ac si denuò generati essemus.*

Fœcundissimi sunt SS. Patres in enumerandis et extollendis Baptismi effectibus; eorum plurima testimonia supra retulimus, ubi de necessitate Baptismi agebamus.

Secunda conclusio. Baptismus perfectè tollit omnia peccata, tam ratione culpæ, quàm pœnæ.

Probatur 1° ex Scripturâ. Act. 2, v. 38 : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum.* Act. 22, v. 16, Paulo dicitur : *Exsurge, baptizare, et ablue peccata tua.*

Quòd verò illa peccatorum remissio plena sit atque perfecta, constat ex eâdem Scripturâ.

Joan. 13, v. 10 : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Rom. 8, v. 1 : *Nihil ergo damnationis est in iis qui sunt in Christo Jesu.* Quod testimonium intelligitur à concilio Tridentino de iis qui sunt baptizati : porrò *qui baptizati sunt, Christum induerunt*, Galat. 3, v. 27, *et in morte ipsius baptizati sunt, ac consepulti cum ipso, justificati à peccato*, Rom. 6, v. 3. Et primæ Corinth. 6, v. 11, post enumerata gravissimorum peccatorum genera, sic pergit Apostolus : *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Denique primæ Joan. 1, v. 8 : *Sanguis Jesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato.*

Plenam autem esse etiam quoad pœnam remissionem illam peccatorum, colligitur ex iis testimoniis primâ conclusione citatis, in quibus homo dicitur per Baptismum *renasci, regenerari, renovari, ac velut infans modò genitus.* Cùm verò nova illa nativitas et renascentia omnem penitùs culpam abradat et deleat, nihilque veteris hominis remanere permittat, omne quoque pœnæ persolvendæ debitum extinguit. Ita verò perfectam esse hanc peccatorum remissionem, ut non modò non tegantur propter non imputationem, sed etiam radicitùs tollantur et deleantur, constat ex modo loquendi ejusdem Scripturæ : tùm quia verbum, *renasci, regenerari, renovari*, quo utitur, hoc importat : tum quia ait, nos aquâ baptismali *mundari.* Sicut igitur aqua sordes corporis non tegit, sed diluit et mundat, ita aqua baptismalis sordes animæ non tegit, sed omninò abstergit penitùsque tollit. Ephes. c. 5, v. 26 : *Christus mundavit Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Hebr. 10, v. 22 : *Abluti corpus aquâ mundâ.* Hoc prænuntiaverat Ezechiel c. 36, v. 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Tùm denique, quia id manifestè important exempla quibus Deus utitur apud Isaiam, cap. 1, v. 18 : *Si fuerint*, inquit, *peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Probatur 2° ex SS. Patribus. Ex infinitis propemodùm quæ adduci possent testimoniis, expressiora nonnulla seligemus.

Ex Tertulliano, l. de Baptismo, c. 1 : *Felix*, inquit, *Sacramentum aquæ nostræ, quâ abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.* Et postea : *Quid ergo? Nonne mirandum, et lavacro dilui mortem?* Et cap. 4 : *Spiritus*, inquit, *supervenit de cœlis, et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Et cap. 5 : *Exempto reatu, eximitur et pœna. Ita restituitur homo Deo, ad similitudinem ejus qui retrò ad imaginem Dei fuerat.*

Ex S. Clemente Alexandrino, l. 1 Pædagogi, c. 6 : *Multis modis*, inquit, *vocatur hoc opus : gratia, illuminatio, perfectum, et lavacrum. Lavacrum quidem, per id quòd peccata abstergimus : gratia autem, quâ remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur : illuminatio au-*

tem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur; hoc est, per quam id quod est divinum perspicimus : perfectum autem dicimus, cui nihil deest.

Ex S. Gregorio Nazianzeno, orat. 40 : *Donum*, inquit, *vocamus gratiam, Baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quovis nomine appellamus.* Ac postquàm uniuscujusque nominis rationem reddidit, sic concludit : *Hæc Baptismi gratia et facultas est, non orbem terrarum, ut olim, aquis obruens, sed uniuscujusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones, vel maculas quæ vitio contrahuntur, prorsùs abstergens.*

Ex. S. Gregorio Nysseno, oratione in Baptismum Christi, ubi sic loquitur : *Compunctum notis peccatorum, et malis moribus inveteratum gratiâ regiâ eò redigimus, ut innocens sit sicut infans. Ut enim modò natus puellus à criminibus et pœnis liber est, ita etiam regenerationis puer non habet, cujus nomine causam dicat, ut qui regio dono causæ dictioni exemptus, et à rationibus vitæ reddendis liberatus sit.*

Ex. S. Hieronymo, epist. 82 ad Oceanum. *Omnia scorta*, inquit, *et publicæ colluvionis sordes, impietas in Deum, parricidium, et incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriusque sexûs mutatâ naturâ, Christi fonte purgantur*, etc. *Omnia nobis Baptismate condonata sunt crimina; nec post indulgentiam, Judicis metuenda est severitas, dicente Apostolo : Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis*, etc.

Ex S. Augustino in Enchiridio ad Laurentium, c. 64 : *Baptismatis munus*, inquit, *contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata quæcumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit. Hâc ergo exceptâ magnâ indulgentiâ, unde incipit hominis renovatio, in quâ solvitur omnis reatus*, etc. Et lib. 3, seu serm. de Symbolo ad catechumenos, c. 10 : *Omnia*, inquit, *prorsùs delicta delet sanctum Baptisma, et originalia et propria; dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quærit merita.* Denique, l. 2 de peccatorum Meritis et Remissione, c. 28 : *Si*, inquit, *continuò post Baptismum sequatur ex hâc vitâ emigratio, non erit omninò quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant.*

Denique ex Innocentio III, Elucidatione in quartum Psalmum pœnitentialem : *Sciendum est*, inquit, *quòd fides Christi quæ justificat impium, reverà mundat à culpâ, sed non semper ab omni pœnâ. Sacramentum verò Baptismi, si dignè sumatur, liberat omninò à culpâ pariter et à pœnâ.*

Tam certa et constans fuit hæc apud veteres fides, ut baptizatis nulla imponerent opera laboriosa et satisfactoria. Ita colligimus ex S. Clemente, l. 2 Constitutionum, c. 41; S. Basilio in Exhortatione ad Baptismum; S. Ambrosio capite ultimo, l. de Eliâ et jejunio; S. Chrysostomo, hom. 1, ad baptizandos, et ex S. Gregorio Nazianzeno in oratione 40, ubi sic loquitur : *Ecquando tantùm laboris susceperis, quantùm Æthiopum regina*, etc. *Et ecce plusquàm Salomon hìc*, etc. Hoc argumento, adversùs eos qui Baptismum differunt, amplificato, sic colligit : *Cùm autem tibi nec labore ullo, nec operâ ullâ susceptâ, rei expetitæ compotem fieri liceat, quæ tandem stultitia est, donum in aliud tempus rejicere? Sitientes venite ad aquas, hortatur Isaias*, etc. *O ingentem benignitatis celeritatem! O facilem contrahendi rationem! Hoc bonum solâ voluntate venale tibi proponitur; cupiditatem ipsam Deus ingentis pretii loco habet. Sitit sitiri; bibere cupientibus potum præbet; cùm ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur.*

Probatur denique ex conciliis Florentino et Tridentino.

Florentinum in Decreto Eugenii, ait morientes post Baptismum statim ad regnum cœlorum pervenire, atque idcircò nullam baptizatis pro peccatis præteritis imponendam esse satisfactionem.

Tridentinum, sess. 5, can. 5, sic decernit : *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi aut non imputari, anathema sit.*

Dices 1° : Remanet in baptizatis concupiscentia; sed illa, teste Apostolo, Rom. 7, v. 20, peccatum est. — Resp. cum S. Augustino, lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, c. 23, concupiscentiam (secluso voluntatis consensu) non esse formaliter peccatum; sed eam ab Apostolo appellari peccatum, quia est à peccato, et ad peccatum inclinat : *Sicut*, inquit S. doctor, *vocatur lingua locutio quam facit lingua; et manus vocatur scriptura quam facit manus.* Relinquitur autem in baptizatis concupiscentia ad agonem et exercitium virtutis. Audiantur Patres Tridentini, sess. 5, in decreto de Peccato originali : *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem..... ita ut nihil prorsùs eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta synodus fatetur et sentit; quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet; quinimò qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquàm intellexisse peccatum appellari, quod verè et propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Dices 2° : Si remittitur in Baptismo omnis peccati reatus, omnisque pœna, quomodò supersunt pœnalitates quibus baptizati obnoxii sunt; quales sunt, morbi, fames, sitis, mors ipsa quæ est stipendium peccati? sublatâ quippe causâ, deberet omnis effectus consequens tolli. — Resp. plures à SS. Patribus rationes et causas afferri, cur omnes illæ pœnalitates relictæ sint in baptizatis. Prima, ut Deus ostendere

quid hominis culpa mereatur, et quid suâ gratiâ donetur. Ita S. Augustinus, l. 14, de Civitate Dei, c. 26. Secunda, ut sicut homo in paradiso deliciarum habuit umbram æternæ felicitatis, ita hâc in valle miseriarum umbram haberet damnationis æternæ. S. Augustinus, in Enchiridio, c. 25. Tertia, ne si adderetur carni felicitas, imminueretur fidei fortitudo. Idem S. Augustinus, l. 13, de Civitate Dei, c. 4. Quarta, ut virtus in infirmitate perficeretur, et circumferret homo testimonium sui peccati. Idem S. Augustinus, lib. 6 Operis imperfecti contra Julianum, cap. 26 et 29. Quinta, ut intelligeremus totum sacramentorum fructum, non ad hanc præsertim vitam temporalem, sed ad æternam referri debere. Idem S. Augustinus, in Enchiridio, c. 6. Eamdem rationem adducit Magister, l. 4, dist. 4, litterâ F.

Ad rationem subjunctam, nempe sublatâ causâ debere tolli omnem effectum, dico id quidem aliquando verum esse posse de causâ physicâ et necessariâ, cujus influxus actualis necessarius est ad effectum conservandum; non verò de causâ duntaxat morali et meritoriâ, qualis est peccatum: secluso siquidem originis peccato, potuissent istæ pœnalitates esse in statu puræ naturæ, non quidem quatenùs pœnalitates, sed ut appendices naturæ, ut esse possent et *proficiendi admonitio, et profectionis exordium*, ait S. Augustinus, l. 3 de libero Arbitrio, c. 20.

Dices 3°: Peccata ante Baptismum commissa puniuntur à magistratibus christianis; non ergo per Baptismum omnis pœna remittitur. — Resp. Dist. consequens: non remittitur apud homines, quorum interest publica peccata quæ communitatem et pacem perturbant, castigare ac reprimere, concedo: apud Deum, nego.

Quæres 1° utrùm effectus Baptismi æqualis sit in omnibus baptizatis. — Resp. 1° erga infantes propriæ dispositionis incapaces æqualem omninò esse Baptismi effectum. Resp. 2° erga adultos æqualem esse effectum, quantùm ad characterem; quantùm verò ad gratiam, dico æqualiter affectis et dispositis æqualem conferri, inæqualem verò si inæqualiter sint affecti. Colligitur ex concilio Tridentino, sess. 6, cap. 7, ubi asserit in baptizatis justitiam recipi, secundùm mensuram quam Spiritus partitur singulis prout vult, et secundùm propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Ratio est quia quæ agunt juxta dispositionem subjecti, æqualem vel inæqualem producunt effectum, pro æquali vel inæquali dispositione subjecti; atqui sic agunt sacramenta. Etsi enim vi propriâ et ex opere, ut dicitur, operato gratiam producant, in adultis tamen prævias exigunt conditiones, ut suum in illis effectum sortiantur. Sicut enim agentia naturalia, quæ toto suo impetu agunt, ubi major occurrit in subjecto dispositio, fortiùs et intensiùs operantur, ita et nostra sacramenta.

Quæres 2° quid efficiat Baptismus in homine jam per charitatem perfectam justificato. — Resp. 1° ex concilio Tridentino, sess. 14, c. 4, contingere aliquando posse contritionem esse charitate perfectam, et hominem Deo reconciliare priusquàm percipiatur sacramentum; quo casu docet idem concilium, reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto quod in illâ includitur, non esse adscribendam. Resp. 2° hoc in casu sex bona enumerari posse quæ ex reali Baptismi perceptione consequuntur. Primum est character baptismalis, quem nemo sine Baptismo realiter percepto consequitur. Secundum, gratiæ augmentum. Tertium, remissio peccatorum quæ post justificationem interim committi potuerunt. Quartum, plena remissio pœnæ temporalis. Quintum, securitas remissionis peccatorum. Cùm enim nemini de suâ justificatione, nondùm percepto Baptismi sacramento, facilè sit præsumendum, securitatem quamdam, id est bonam confidentiam cum tranquillitate conscientiæ præstat sacramentum, etiam iis qui jam ex contritione perfectâ cum voto sacramenti justificati sunt. Sextum denique, externa seu visibilis incorporatio hominis in Ecclesiâ Christi.

ARTICULUS II.

DE CHARACTERE BAPTISMI, ET DE BAPTISMO FICTÈ SUSCEPTO; AN RECEDENTE FICTIONE REVIVISCAT.

Observandum 1° de charactere qui per tria sacramenta imprimitur, et quæ idcircò iterari non possunt, nos generatim jam egisse in tractatu de sacramentis in genere, ubi loquendo de celebri controversiâ Cypriani, Firmiliani et aliorum rebaptizantium, observavimus eos non idcircò rebaptizâsse ab hæreticis baptizatos, quòd existimarent Baptismum, cùm validus est, non imprimere characterem; sed quòd contenderent nullum planè esse Baptismum ab hæreticis datum; unde non tam iteratus ipsis videbatur Baptismus, quàm primò legitimè collatus.

Observandum 2° fictionis nomine hìc non intelligi simulationem, quâ quis dùm exteriùs baptizatur, intra se tamen reluctatur Baptismo, nec intendit baptizari; sed intelligi pravam animi dispositionem, quâ gratiæ baptismali obicem et impedimentum opponit.

Observandum 3° verbum istud *reviviscere*, denotare effectum Baptismi qui spectari potest sive respectu peccatorum, quæ Baptismum præcesserunt, sive respectu ipsius fictionis, id est, peccati, quod in ipsâ sacramenti perceptione committitur, sive denique respectu peccatorum subsequentium ipsum Baptisma; et quæritur an recedente fictione, et accedente pœnitentiâ, Baptismus suum plenum et integrum consequatur effectum. Quâ in controversiâ dissentiunt more suo scholæ theologi. Sunt qui omnia peccata, sive ante, sive post Baptismum commissa, velint, recedente fictione, virtute Baptismi deleri: sunt qui censent ea per pœnitentiam auferri; sunt qui distinguunt inter pœnam et culpam, ac volunt virtute Baptismi, recedente fictione, deleri quidem peccata quoad culpam, sed non deleri quoad pœnam, saltem ea quæ post Baptismum perpetrata sunt, nisi per pœnitentiam; sunt denique, qui, factâ distinctione peccatorum quæ ante et post Baptismum commissa sunt, aut simul cum

ejus perceptione, docent peccata Baptismum antecedentia, recedente fictione, deleri virtute Baptismi; peccata verò subsequentia deleri per pœnitentiam. His observatis, sit

PRIMA CONCLUSIO.—*Baptismus imprimit animæ indelebilem characterem, quo fit ut non possit iterari.*

Probatur 1° tribus potissimùm Scripturæ testimoniis, quæ SS. Patres de non iterando Baptismo interpretantur.

1° Ex capite 4 Epistolæ ad Ephesios, v. 5: *Unus Dominus*, ait Apostolus, *una fides, unum Baptisma*, quia scilicet semel tantùm conferri potest. Sic exponunt S. Cyrillus, Hierosolymitanus, Præfatione in Catecheses; S. Leo, ut colligitur ex Gratiano in decreto *de Consecratione*, dist. 4, can. *Non licet;* S. Thomas in 4, dit. 3; Hugo, l. 2 de Sacramentis, parte 6, cap. 13.

Neque dicas, non minùs fidem unam appellari, quæ tamen potest amitti et reparari; namque fides una dicitur ratione objecti et motivi, non ratione suî; Baptismus verò dicitur unus ratione suî, quia semel hominem consecrat, nec potest iterari.

2° Ex cap. 13 Joan., v. 10, ubi Christus ait: *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*, quem locum de Baptismo nusquàm iterando interpretantur Optatus, l. 4; S. Ambrosius, l. de Initiandis, c. 6; S. Augustinus, l. 2 de Baptismo contra Donatistas, c. 14, et tract. 57 in Joan., c. 13; S. Bernardus, sermone de Cœnâ Domini.

3° Ex cap. 6 Epist. ad Hebr., v. 4: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati..... et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam*, quem locum SS. Patres intelligunt de renovatione per alterum Baptismum planè impossibili. Ita S. Ambrosius, l. 2 de Pœnitentiâ, c. 2; S. Epiphanius, hæresi 59, quæ est contra Catharos; S. Hieronymus, l. 2, contra Jovinianum; S. Augustinus, in inchoatione Commentarii in Epistolam ad Romanos; S. Cyrillus, l. 5 in Joan., c. 17; S. Damascenus, l. 4 de Fide, c. 10; S. Chrysostomus, Theodoretus, Sedulius, Haimo, Theophilactus, Œcumenius in hunc locum.

Confirmatur ex eo quòd Novatianis citatum Apostoli testimonium opponentibus, ut probarent semel lapsis post Baptismum non posse Ecclesiam per Pœnitentiam veniam indulgere, respondent Ecclesiæ doctores, Apostolum eò loci loqui de Baptismo, qui non potest iterari, non verò de Pœnitentiâ, quæ toties potest et debet iterari quoties peccatum fuit.

His testimoniis positivis addi potest et negativum istud argumentum, scilicet: Multi leguntur in sacris litteris baptizati; at ne unus quidem legitur iterùm baptizatus, saltem eorum qui Baptismo Christi tincti fuerant; ergo evidens est argumentum expressè voluisse Christum, ut qui semel ritè et debitè baptizatus est, ite ùm non baptizetur.

Probatur 2° perpetuâ Ecclesiæ traditione, unanimi SS. Patrum consensu et conciliorum auctoritate firmatâ. Multa in tractu de Sacramentis in genere adduximus SS. Patrum, Ecclesiæ tùm Græcæ tùm Latinæ, testimonia, quæ hìc rursùs exscribere opus non est; unum tantùm addam, nempe Baptismi semel ritè collati iterationem instar sacrilegii semper in Ecclesiâ habitam fuisse, sicut videre est apud Gratianum, causâ 1, q. 1, et de Consecratione, dist. 4. Quin etiam legibus imperatorum ultimo supplicio, et canonibus ecclesiasticis pœnâ depositionis et irregularitatis puniebantur, qui Baptismum iterare ausi fuissent. Unde S. Augústinus, lib. 2 de Baptismo contra Donatistas, c. 14, ait: *Quid sit perniciosius, omninò non baptizari, an rebaptizari, judicare difficile est.*

Hâc inspectâ et probatâ perpetuâ traditione tùm scriptis, tùm vivâ voce ad nos usque propagatâ, Ecclesia quæ est columna et firmamentum veritatis, adversùs quam portæ inferi nusquàm prævalebunt, in concilio Tridentino, sess. 7, can. 11, sic definivit: *Si quis dixerit verum et ritè collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.* Et can. 9, de Sacramentis in genere, eâdem sessione: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in animâ, hoc est, signum quoddam spiritale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Idem edixerat concilium Florentinum in decreto.

Probatur denique rationibus quas adducunt SS. Patres.

Prima petitur ex duplici comparatione quâ utitur S. Augustinus. Sicut enim (inquit) regale signum monetæ impressum manet etiam inter hostes et peregrinos atque à rege remotissimos; ita signum Christi impressum per Baptismum remanet in iis qui Christi castris derelictis et abnegatâ fide, tenentur sub potestate dæmonis. Hâc comparatione utitur S. doctor, lib. 2 contra Epistolam Parmeniani, c. 13. Altera comparatio sumitur ex charactere militari, quam ibidem affert: *An fortè*, inquit, *minùs hærent Sacramenta christiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, et ideò amitti non posse judicatur.*

Secunda ratio est, quia Baptismus est regeneratio et nova quædam nativitas spiritualis, Joan. 3, v. 5. Sicut igitur una est generatio, ita et regeneratio. Ita S. Augustinus, tract. 12 in caput 3 Joannis.

Tertia: Quia Baptismus est similitudo et repræsentatio mortis Christi, quod probat S. Augustinus, c. 52 Enchiridii, ex Apostolo, Rom. 6, v. 3 et 4. At Christus, ut ibidem ait Apostolus, *semel mortuus est.* Ita S. Basilius, l. de Spiritu sancto, c. 15; Isidorus, l. 2 de Officiis ecclesiasticis, c. 24; Damascenus, l. 4 de Fide, c. 10.

Quòd si dicas Eucharistiam esse pariter repræsentationem mortis Christi, quæ tamen multoties potest percipi, respondet Estius, l. 4, dist. 4, parag. 14, *sacrificium Eucharistiæ repræsentare mortem Christi absolutè, et quidem eo pacto, ut illa repræsentatio ordinetur ad commemorationem mortis Dominicæ, et gratiarum actionem, quæ frequens et quotidiana debet esse, ideòque ip-*

sum rectissimè frequentari; Baptismo autem non absolutè repræsentari mortem Christi, sed quatenùs eam semel passus postea resurrexit ad vitam beatam, ampliùs non moriturus. Repræsentatur autem non in imagine aut in sacrificio, sed in nobis ipsis, qui proinde per Baptismum commori Christo dicimur. Unde et exhortationis materiam accepit Apostolus, ostendens eum qui semel baptizatus est, et per Baptismum peccato mortuus, non debere ampliùs in veterem relabi servitutem, sed deinceps in novitate vitæ ambulare.

Quarta : Quia peccatum originale semel contractum et deletum nunquàm revocatur; ergo nec remedium ad illud expungendum institutum repeti debet.

Quinta : Circumcisio quæ fuit Baptismi figura, repeti non poterat; ergo nec Baptismus.

Sexta : Per Baptismum homo Deo consecratur at quod semel est consecratum, iterùm non consecratur. Has rationes attingit S. Thomas, 3 parte, q. 66, art. 9, in corpore.

Quæres an sint baptizandi ii de quorum Baptismo dubitatur. — Resp. : Si legitimum sit dubium, posse eos baptizari sub conditione, de quâ formâ conditionali disseritur in tractatu de Sacramentis in genere (1).

(1) Sed quid in dubio?

Nota dubium aliud esse negativum, quando nempe nulla occurrunt indicia ex quibus colligi possit quempiam fuisse baptizatum : aliud positivum, cùm paria in utramque partem militant argumenta; et hoc vel est *juris*, puta si æquè dubitetur valeatne Baptismus tali modo collatus, v. g., *in nomine Genitoris;* aliud facti, ut si incertum sit an collatum fuerit Baptisma. Jam — R. 1° in dubio negativo, seu cùm planè nescitur an infans vel adultus baptizatus fuerit, Baptisma conferendum esse. Ita nempe docet S. Leo, epist. 92 ad Rusticum, cap. 15, his verbis : *Si nulla existant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur; ne manifestè pereant in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. Qui autem possunt meminisse, quòd ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari an quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab eorum memoriâ alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur.* Quod hìc de adultis S. Leo, idem de infantibus scribit Gregorius II, epist. 4; hæc iste : *Parvulis, qui à parentibus subtracti sunt, et an baptizati sint ignorant, hos ut baptizare debeas secundùm Patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio poscit.* Et certè dictat ratio providendum esse, cùm id sine Sacramenti injuriâ fieri potest, æternæ saluti eorum, qui in probabili damnationis periculo versantur. R. 2° adultos perinde ac infantes in positivo juris vel facti dubio baptizandos esse sub conditione. Ratio est 1° quia regula ista : *In dubio tutior pars est eligenda,* hìc vel nullibi locum habet propter maximam Baptismi necessitatem ; 2° quia ut quis à Baptismi receptione prohibeatur, non sufficit collati Baptismi suspicio, sed requiritur moralis certitudo, seu, ut loquitur concilium Carthaginense V, can. 6, *certissimi testes qui eos* de quibus agitur, *baptizatos esse sine dubitatione testentur :* porrò certitudo hæc tanta non occurrit in casibus dubiis, imò neque in iis ubi momenta quæ pro collato Baptismo pugnant, vincunt quidem opposita, sed excessu qui prudentem formidinem non excludat.

Hinc baptizandi sunt sub conditione, 1° infantes

SECUNDA CONCLUSIO. — Baptismus tùm in hæresi, tùm in Ecclesiâ ipsâ catholicâ fictè susceptus, recestatim è sinu parentum Christianorum et Algerii prædonibus, aliisve barbaris erepti.

2° Infantes expositi, etiam si ante aliquot menses nati sint, et testem Baptismi sui schedulam ferant. Ratio est quia neque ætas mensium aliquot dubium tollit; cùm Judæus aut Deista prolem suam post annum exponere possit; neque scheda, ab ignoto, adeòque incertæ fidei auctore, ne quid pejus dicam, hababeri potest pro *teste certissimo*, et moralem parere certitudinem. Ita contra Grandin. et Gonetum Sylvius, Henno et alii, qui etiam animadvertunt id sancitum esse à S. Carolo Borr. et à synodo Cameracensi II.

3° Baptizati ab obstetricibus aliquando convictis de administrando invalidè Baptismo, aut firmè ac constanter non respondentibus, quam in baptizando materiam aut formam adhibuerint.

An autem Baptismum quemcumque, eo quòd à patre, matre vel obstetrice collatus sit, iterare liceat, gravis est et praxis quotidianæ disceptatio, circa quam theologis theologi, ritualia ritualibus, ministri ministris practicè adversantur, utique quia diversa experti fuerint.

Sunt itaque qui infantem ab obstetrice piâ, benè instructâ et quæ in Baptismi actione suî compos fuit sine gravi piaculo rebaptizari posse negent. *Itaque,* ait Estius in 4, dist. 4, § 15, *vituperabilis est consuetudo quorumdam, qui passim ac sine discrimine infantes ab obstetricibus propter vitæ periculum baptizatos iterùm sub conditione baptizant, non aliam dubitandi causam habentes, quàm quòd muliercula fortè vel intentione deficere, vel in verbis proferendis allucinari potuerit, cùm tamen obstetrix interrogata testetur se ritè totum mysterium peregisse : contra quem abusum graviter scribunt Dom. Soto, Petrus de Palude et Sylvester.* Hæc ille.

His tamen non obstantibus alii plures, nulli quoad Baptismum credunt feminæ, 1° quia certâ experientiâ compertum habent, ex iis non paucas diù pro timoratis ac prudentibus habitas fuisse, quæ neutram laudem mererentur; imò quæ dæmoni servirent per sortilegia, etc. ; 2° quia quæ bonâ fide se crediderant Baptismi conferendi capaces, cùmque hìc et nunc à se ritè collatum fuisse jurejurando confirmâssent, omni excussæ sensu tandem confessæ sunt se verba pronuntiâsse, dùm mulier alia aquam effunderet, prout ego non ita pridem rescivi ; 3° quia quæ etiam haud satis sciunt benè an malè fecerint, eo quòd ob rugitus et periculum matris vix suî compotes forent, non verentur dictitare se animo fuisse præsenti, ne pro imperitis habeantur, et deinceps vel excludantur ab officio, vel illud exerceant erga pauciores. Ita ferè Sylvius hìc, q. 69, art. 9, ubi expressam refert decisionem pastoralis Mechliniensis, cui consentit Iprensis synodus sub Martino Rythorio.

Mihi utraque opinio temperanda videtur cum auctore Collat. Andeg., ubi de Baptismo. Dico itaque infantem à quàcumque obstetrice baptizatum, semper sub conditione rebaptizandum esse, quoties desunt testes ad minus duo fide digni, qui nihil necessarii ab ipsâ omissum esse confirment. Ratio est 1° quia si in aliâ quâvis longè inferioris momenti materiâ, *testis unus, testis* est *nullus;* non est quòd in re præsenti fidem faciat; 2° quia id præcipiunt varia Galliæ nostræ concilia. Ebroicense an 1576, nixum Pauli V decreto : *Quoniam*, inquit, *ista clausula : Si non es baptizatus, est introducta quando justè dubitatur de facto Baptismi, quod nec publicè fieret, nec sufficientes testes haberet; ut quando obstetrix, vel alius in necessitate etiam baptizat, et affirmat se baptizàsse, cui soli in facie Ecclesiæ credi non debet; idcircò quia tunc deficit facti probatio, meritò præcipitur illa cautio : Si non es baptizatus.* Rothomagense an. 1581, et Aquisextiense, an. 1585, vetant quoque ne *uni mulieri, seu alteri privatim baptizanti credi*

dente fictione, omnia peccata quæ ipsum præcesserant, penitùs tollit; peccata verò Baptismum subsecuta, delentur per Pœnitentiam.

possit. Consonat Remense, an. 1583, his verbis : *Parœcus antequàm baptizet infantem, diligenter inquirat, num sit perfusus aquâ, et quâ, quibusque verbis.... de quo sufficienti duorum saltem testimonio sacerdoti constare debet.* Idem præscribit rituale Argentin., p. 18 : *Si respondeatur*, inquit, infantem *domi absque solemnitate fuisse baptizatum, diligenter inquiret* sacerdos, *à quo, quo modo, quâ materiâ, quâ formâ, denùm quàm ritè baptizatus fuerit, accersitis et separatim auditis super hoc tum obstetrice, vel personâ quæ baptizavit, tum testibus qui Baptismo interfuerunt : atque si ex legitimis et convenientibus testimoniis constiterit infantem ritè baptizatum fuisse, suppleat tantùm cæremonias.* Sin autem, baptizet, etc.

At, inquies, ex hâc responsione duo sequuntur absurda, 1° licitum esse malè suspicari de proximo, nimirùm de obstetrice; 2° ei qui post viginti aut triginta annos rescire incipit se puerum domi baptizatum esse, curandum esse ut denuò baptizetur sub conditione.— R. neutrum sequi. Non primum, neque enim abjicitur testimonium unius propter improbitatem personæ, cujus examen Deo dimittitur, sed propter invaliditatem testimonii, quod quamdiù erit unicum, nullam coram Ecclesiâ fidem facere potest. Non secundum, quia adulti qui se ab obstetricibus baptizatos esse detegunt, debent supponere Baptisma suum à parocho examinatum fuisse, qui proinde eum vel validum repererit, vel si dubium, repetierit sub conditione.

Minùs adhuc circa Baptismum suum solliciti esse debent, qui de valore ejus aut realiter ideò tantùm dubitant quòd perierit registrum Baptismale ; aut parochus valdè senex formam materiæ fortassis non applicuerit, uti par erat. *Certè* enim, ait Innocentius III, *de illo qui natus de Christianis parentibus, et inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.*

Quæres an Baptisma ab hæreticis nostri temporis collatum iterari possit sub conditione. — R. 1° Nunquàm licet iterare Baptisma, quia præcisè collatum ab hæretico, qui nihil essentiale omiserit. R. 2° Plures esse qui summè dubium habeant Baptisma à Calvinianis et Lutheranis collatum ; tum quia detectum est eorum alios quibusdam in Provinciis aquæ naturali aquam rosaceam substituere honoris causâ ; alios ob solemnitatem materiam et formam partiri, ita ut alter verba proferat, aquam infundat alter; alios propter frigus non carnem ipsam aspergere, sed vestimenta ; alios ejus, qui prior occurrerit, etiam sutoris, imperitive alterius ministerio uti ; tum quia, ait post Molanum Sylvius, cùm incredibili in Ecclesiam odio ferantur, *sæpè deprehensum est necessarium eis in baptizando defuisse intentionem.* Unde synodus II Mechliniensis provinciæ, per Paulum V approbata, an 1608, itemque Pastoralia ejusdem diœcesis, præscribunt ab hujusmodi hæreticis baptizatos, denuò sub conditione baptizari.

Id autem, ait idem Sylvius, in omnibus adultis, qui conditionaliter baptizantur, observandum est, ut postquàm sub conditione baptizati fuerint, confiteantur peccata post primum Baptismum commissa ; ut si forsan valuerit Baptismus prior, peccata post ipsum commissa, quæ per posteriorem utpote invalidum ablui non possunt per pœnitentiam abluantur. (Collet.)

Petes : Quæ sint pœnæ rebaptizantium? — R. Jure civili Cod. : *Ne sanctum baptisma reiteretur*, l. 1, damnantur pœnâ mortis. Hæc lex lata fuit occasione Donatistarum. Jure Ecclesiastico incurrunt irregularitatem. Cap. *Ex Litterarum* 2. Extra. de Apostatis l. 5, ex Alexandro III. Equidem Pontifex exprimit tantùm acolitum qui adfuerat respondens rebaptizanti, et quia secundùm regulam communem irregularitas non incurritur, nisi sit in jure expressa, posset videri rebaptizantem eam non incurrere ; attamen consuetudo, quæ est optima legum interpres, hanc decretalem sic intelligit, ut etiam rebaptizans sit irregularis : et ita tenent communiter casuistæ et jurisperiti.

Tres sunt conclusionis partes.

Prima pars, de Baptismo in hæresi aut schismate percepto, probatur ex S. Augustino, lib. 3 de baptismo, c. 13, ubi sic loquitur : *Si autem quamvis apud hæreticos vel schismaticos idem sit Baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum, propter eamdem discordiæ fœditatem et dissensionis iniquitatem ; tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint : non ut jam verè dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, ut alter tradatur ; sed ut idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intùs operetur salutem.* Similia legi possunt, cap. 18 ejusdem libri, et l. 2 contra Cresconium, c. 12, et l. 1 de Baptismo contra Donatistas, cap. 12.

Secunda pars, quæ est de Baptismo fictè in Ecclesiâ catholicâ percepto, probatur ex eodem S. Augustino, l. 1 de Baptismo contra Donatistas, c. 12 : *Sicut autem*, inquit, *in illo qui fictus accesserat, fit ut non denuò baptizetur, sed ipsâ piâ correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.* Et l. 7, c. 53, inquirens in validitatem Baptismi in Ecclesiâ fictè dati vel accepti, contendit nihil interesse an hoc fiat in Ecclesiâ

Similiter ii qui se rebaptizari faciunt aut patiuntur, incurrunt irregularitatem, cap. *Confirmandum*, d. 5, cap. *Qui in quâlibet*, causâ 1, q. 7 et cap. *Eos*, de Consecrat., d. 4.

Est tamen discrimen inter irregularitatem rebaptizantis et rebaptizati, quòd irregularitas rebaptizati sit completa, impediens ipsum et promoveri ad ulteriores ordines, et in susceptis ministrare; irregularitas autem rebaptizantis impedit tantùm promoveri ad altiores ordines, non in susceptis ministrare. Imò hærendo litteræ decretalis *Ex litterarum*, videtur quòd nec ista irregularitas incompleta rebaptizantis incurratur, nisi crimen sit publicum ; subjungitur enim : *Si crimen sit occultum, poterit promoveri.* Sed, inquit Sylvius, ob receptam in Ecclesiâ consuetudinem verius videtur hanc diminutam irregularitatem etiam incurri, quando crimen est occultum.

Utrùm verò qui nihil vel leviter dubitans de valore Baptismi, baptizat sub conditione incurrat hanc irregularitatem? Videtur probabilius quòd non ; quia hæc irregularitas non est neque in jure neque in consuetudine : jura enim loquuntur de rebaptizantibus absolutè, iste autem non intendit rebaptizare, imò nec baptizare, nisi supposito quòd baptismus sit invalidus ; aliundè pœnæ sunt restringendæ. Idem videtur probabiliter dicendum de his qui metu coacti rebaptizant aut rebaptizantur, si sine intentione baptismum dandi vel recipiendi, sed tantùm ritum externum exhibendi, vel recipiendi id agant vel patiantur ; quia non intendunt iterationem Baptismi : sicut non excommunicatur, licèt graviter peccet, qui fidem corde retentam exteriùs abnegat. Neque obstat quòd Ecclesia punit actus externos, eos enim punit ut procedentes ab interiori. Ità Sylvius. (Billuart.)

an extra Ecclesiam : in Ecclesiâ autem si factum fuerit, cùm hoc proditur, neminem Baptismum repetere, sed culpam aut excommunicatione puniri, aut pœnitentiâ sanari. *An plùs valent*, inquit, *ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces à quibus agitur, et in quibus agitur? Et tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur.*

Quin et ipsi Donatistæ, etsi concederent Baptismum apud se cum perversâ dispositione perceptum expertem esse gratiæ, eum tamen non repetebant, cùm sublatâ fictione vires suas exereret. Inde S. Augustinus argumento ad hominem eos premit, et ostendit non esse quoque repetendum Baptisma datum ab hæreticis, etsi gratiâ sit destitutum.

Ratio etiam suffragatur : namque peccatum originale cæteraque ante Baptismum et simul cum perceptione Baptismi commissa, non subjacent Ecclesiæ clavibus : neque enim Sacramentum Pœnitentiæ est per se institutum in remedium peccati originalis, aut actualium quæ antecedunt Baptismum, sed eorum tantùm quæ subsequuntur ; igitur si remittuntur ejusmodi peccata, ut de facto ea remitti docet S. Augustinus, per virtutem Baptismi remitti necesse est, qui velut flumen, repagulis remotis, exundat, ac omni obice sublato, sopitam antea, et quasi suspensam efficaciam suam sortitur.

Unde immeritò Vasquez, disputatione 159, cap. 3, n. 35, ait S. Augustinum nullum ex Scripturis, aut traditione, aut Ecclesiæ definitione, aut ratione argumentum habere, ut Baptismo tribuat privilegium quo possit, recedente fictione, reviviscere. S. quippe doctor non ex se tale excogitavit et finxit privilegium, sed quod à suis prædecessoribus certâ traditione acceperat, hoc ipse propugnavit et asseruit. Inde est quòd S. Gregorius Magnus, l. 9 Epistolarum, epistolâ 61, nunc lib. 9, epist. 67, ait, *ab antiquâ Patrum institutione manâsse, ut qui in hæresi baptizati fuerint, aut unctione chrismatis, aut impositione manuum, aut solâ professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur.* Et mox subjungit : *Quia sanctum Baptisma, quod apud hæreticos sunt consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm illi vel per impositionem manûs Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter confessionem veræ fidei sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus sunt uniti.*

Tertia pars conclusionis, nempe peccata post Baptismum commissa remitti per Pœnitentiam,

Probatur : Quia Sacramentum Pœnitentiæ, non verò Baptismi, à Christo institutum est in remedium peccatorum quæ post Baptismum commissa sunt, ista enim subjacent clavibus Ecclesiæ ; aliàs Pœnitentia lapsis post Baptismum non esset absolutè necessaria, utpote qui possent, fictione recedente, virtute Baptismi redivivi peccatorum veniam consequi ; atqui tamen hoc falsum est ; ergo, etc.

Idem judicandum de peccato ipso fictionis in quo quis Baptismum percipit ; deleri quippe debet per Pœnitentiam ; tale siquidem peccatum naturâ posterius est ipso Baptismo ; adeòque verum sacrilegium ex indignâ Baptismi perceptione : quamobrem necesse est illud per Pœnitentiam expiari ac deleri.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° contra primam et secundam conclusionis partem. Sanctus Augustinus, citato c. 12, lib. 1 de Baptismo, tribuit remissionem peccatorum pœnitentiæ, seu *piæ correctioni et veraci confessioni ;* non ergo Baptismo redivivo tribuenda est.— Resp. : Dist. ant. Tribuit pœnitentiæ, tanquàm removenti prohibens, seu obicem, concedo ; tanquàm causæ effectrici, nego. Eodem quippe modo peccatorum remissionem in Baptismo fictè in Ecclesiâ percepto, recedente fictione, tribuit ipsi Pœnitentiæ, quo professioni fidei, in Baptismo extra Ecclesiam percepto, quando baptizatus sese ad Ecclesiam recipit ; atqui ita tribuit fidei professioni hanc peccatorum remissionem, ut velit illam se habere tantùm per modum removentis prohibens, non verò per modum causæ verè effectricis ; siquidem in utroque isto casu sanctus doctor asserit, eumdem esse Baptismum, qui incipit prodesse propter fidei professionem et conversionem, qui antea inefficax fuerat ; igitur virtutem illam adscribit sanctus doctor Baptismo tanquàm causæ verè effectrici, conversioni autem et pœnitentiæ, tanquàm conditioni obicem removenti.

Objicies 2° : Non ampliùs existit Baptismus quando fictio per conversionem tollitur ; quomodò igitur potest esse vera causa efficiens remissionis peccatorum ? Resp. 1° : Baptismum esse duntaxat causam moralem efficientem, quæ potest agere etsi actu non existat. Sic, v. g., mors et passio Christi semel peracta, causa est moralis meritoria sanctificationis nostræ. Resp. 2° : Baptismum non quidem existere in se, cùm sit actio fluens, sed in aliquo suo effectu, nempe charactere, qui, in multorum sententiâ, tunc Baptismi vices quasi supplens, causa est vera et efficiens renovationis et remissionis peccatorum, quæ recedente fictione homini conceditur.

Objicies 3° : Inde sequitur Deum bis contulisse homini eamdem facilitatem consequendi per Baptismum plenam et perfectam peccatorum remissionem : 1° quidem cùm actu ei confertur Baptismus ; 2° cùm recedit fictio, in quâ receptus fuerat. Atqui tamen SS. Patres affirmant semel in unico Baptismo facilitatem hanc nobis esse à Deo concessam. — Resp. : Nego sequelam majoris. Cùm enim unus et idem sit Baptismus, unus et idem ejus effectus respectu eorumdem peccatorum quæ ante Baptismum commissa sunt, sive nulla sit fictio, sive cùm eâ sublatâ vires suas exerit ; non benè infertur, semel et iterùm nobis concessam esse facilitatem illam quâ per Baptismum ab omni peccato perfectè mundamur. Huic quidem objectioni locus foret, si contenderemus omnia peccata post Baptismum commissa deleri virtute Baptismi, quod certè non contendimus, ut ex dictis constat.

Objicies 4° contra tertiam conclusionis partem. Eâdem gratiâ quæ virtute Baptismi, remotâ fictione, confertur ut deleantur peccata ante Baptismum com-

missa, deleri quoque debent ea quæ Baptismum subsecuta sunt : impossibile quippe est, ut unum peccatum sine alio remittatur; ergo peccata quæ post Baptismum commissa sunt, tolluntur per Baptismum, non per Pœnitentiam. — Resp. : Dist. antecedens. Eâdem gratiâ formaliter sumptâ, concedo; principiativè, seu sumptâ ratione causæ ac principii illius productivi, nego. Est igitur eadem formaliter gratia per quam delentur peccata quæ Baptismum sive præcesserunt, sive secuta sunt; non potest quippe peccatum sine alio dimitti; cùm igitur per Baptismum confertur gratia per quam formaliter delentur peccata quæ ipsum præcedunt, eodem prorsùs instanti confertur gratia, quâ formaliter remittuntur peccata subsequentia Baptismum; sed illa gratia ab eodem effectivo principio non procedit; prior est à Baptismo, altera verò à Pœnitentiâ; est igitur eadem gratia formaliter quoad suum formalem effectum, sed non eadem quoad principium, seu causam illius productivam.

Objicies 5° : Baptizati in hæresi aut schismate olim recepti sunt ab Ecclesiâ, vel per manûs impositionem, vel per confessionem fidei, non verò per Pœnitentiam; ergo censebat Ecclesia, omnia peccata sive quæ ante Baptismum, sive quæ post commissa sunt, deleri per Baptismum redivivum, non verò per Pœnitentiam. — Resp. : Nego ant. cujus falsitas patebit ex dicendis in tractatu de Sacramento Confirmationis; semper enim præcedebat Pœnitentia, saltem privata, ipsis hæreticis aut schismaticis redeuntibus imposita. Unde S. Augustinus ait *eos aut excommunicatione puniri, aut pœnitentiâ sanari.*

Objicies 6° : Cùm S. Augustinus agit de reviviscentiâ Baptismi, inter peccata non distinguit, sed omnia indiscriminatim, sive quæ præcesserunt, sive quæ subsecuta sunt Baptismum, deleri ait per Baptismum, fictione recedente. — Resp. reipsà S. doctorem distinctionem hanc non adducere, quia ad scopum disputationis quam habebat cum Donatistis, necessaria non erat, neque opportuna : necessaria tamen est illa distinctio ob rationes adductas.

Objicies ultimò : Peccatum fictionis in quo quis Baptismum percipit, non potest deleri per Pœnitentiam, siquidem tale fictionis peccatum naturâ prius est Baptismo, ac directè opponitur dispositioni necessariæ ad legitimam ejus perceptionem, quæ Baptismum antecedit. — Resp. Nego ant. ejusque probationem. Non enim opponitur tale fictionis peccatum dispositioni necessariæ ad validam Baptismi perceptionem, sed tantùm dispositioni necessariæ ad licitam ejusdem perceptionem, quæ naturâ posterior est validâ Baptismi susceptione.

Instabis : Voluntas indignè accedendi ad Baptismum (in quâ consistit fictionis peccatum) naturâ prior est ipsâ susceptione Baptismi, quam voluntas illa imperat. — Resp. Dist. ant. Voluntas spectata secundùm se, concedo; voluntas ut consummata exteriùs per indignam Sacramenti perceptionem, nego. Hoc verò posteriori sensu peccatum fictionis completum est; nam essentialiter includit actualem Baptismi profanationem.

QUÆSTIO QUARTA.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

Integro eoque prolixo tractatu hìc opus foret, si singulas Baptismi cæremonias, et numero plures, et antiquitate suâ venerandas, et significatione graves ac sanctas exponere vellemus. Legi potest eam in rem opus eruditum libris quinque distinctum Josephi vicecomitis doctoris collegii Ambrosiani, cui titulus est : *De antiquis Baptismi Ritibus ac Cæremoniis.* De iis agunt pariter Ordo Romanus, Alcuinus, in libro de divinis Officiis, cap. de Sabbato sancto; Amalarius, l. 1 de Officiis Ecclesiasticis; Rabanus, de Institutione clericorum, l. 1; Catechismus conc. Trid., parte 2, n. 6, et libri omnes rituales; et inter recentiores P. Martene, de antiquis Ecclesiæ Ritibus.

Inter veteres quoque de iisdem passim mentionem faciunt Tertullianus, qui, l. de Coronâ militis, c. 3, suâ ætate istas Baptismi cæremonias solitas observari recenset : *Aquam adituri*, inquit, *aliquantò priùs in Ecclesiâ sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompæ et angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quàm Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis et mellis concordiam prægustamus. Exque eâ die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.*

Similia passim narrant S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus; S Ambrosius, in libris de Sacramentis et de Mysteriis; S. Augustinus, in libris contra Pelagianos, ubi exorcismis aliisque Baptismi cæremoniis probat originalis peccati veritatem.

Sufficiat igitur nobis eas cæremonias strictim delibàsse; atque ut commodiùs id exequamur, eas distribuemus in tres classes, quarum aliæ antecedunt, aliæ comitantur, aliæ sequuntur Baptismum.

Cæremoniæ quæ præcedunt Baptismum.

Prima eos spectat qui ad Baptismum vel afferuntur, quales sunt infantes; vel accedunt eumque postulant, quales sunt adulti. Erga istos multa fieri antiquitùs solebant quæ supra exposuimus, cùm Historiam catechumenatùs percurrimus.

1° Nomen suum dabant.

2° Catechismo seu doctrinæ sacræ elementis imbuebantur.

3° Multis ac laboriosis operibus probabantur.

4° Scrutinia instituebantur numero septem, quibus vitæ eorum probitas cognoscebatur.

5° Satanæ, et pompis et angelis ejus renuntiabant.

6° Variis pulsabantur interrogationibus, an crederent in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum sanctum.

7° Signum crucis in fronte et pectore imprimebatur; quin in singulis scrutiniis, vel à presbyteris, vel à clericis imprimebatur illud signum crucis. Hujus cæremoniæ meminit S. Basilius, l. de Spiritu sancto,

c. 27; S. Augustinus, l. de catechizandis Rudibus, c. 20.

8° Exorcismis, id est, adjuratione quâdam certis precibus factâ, dæmon ab homine baptizando abigebatur. Hujus cæremoniæ mentionem faciunt S. Justinus, Dial. cum Tryphone; Tertull., de Præscriptionibus, c. 41; S. Cyprianus, epistolâ 2; S. Augustinus, l. 2 de Gratiâ et peccato originali, c. 40, et l. 2 de Nuptiis et Concupiscentiâ, c. 26.

9° Exsufflatio quædam exorcismis addebatur: namque et verbis exorcismorum pelluntur dæmones; et exsufflatione, eorum expulsio, simulque afflatio boni Spiritûs denotatur. Ita S. Augustinus, l. 6 contra Julianum, c. 2, et l. de Peccato originali, c. 40, et lib. 2 de Nuptiis et Concupiscentiâ, c. 17.

10° Sal degustandum datur; quo significatur vitæ incorruptio ac bonorum operum sapor. Ritum hunc referunt Origenes, hom. 6, super Ezechielem, et conc. Carthaginense III, can. 5. Alicubi dabatur panis benedictus, ut antea observavimus ex sancto Augustino, l. 2 de peccat. Mer. et Rem., c. 26.

11° Nares et aures salivâ tanguntur, et dicitur *Ephpheta*, id est, *adaperire*. Hujus ritûs meminit S. Ambrosius, l. 1 de Sacramentis, c. 1, et de Iis qui initiantur, c. 1.

12° Sacerdos manus imponit et benedicit. Ita conc. IV Carthaginense, c. 85; S. Aug., l. 2 de peccat. Mer. et Rem., c. 26.

13° Unguntur catechumeni oleo benedicto ante Baptismum in pectore et scapulis, ungendi postea chrismate post Baptismum in vertice. Ita S. Clemens, l. 3 Recognitionum; S. Chrysostomus, hom. 6 in c. 2 Epistolæ ad Colossenses; S. Ambrosius, l. 1 de Sacramentis, c. 2, et l. 2, c. 7.

Cæremoniæ quæ Baptismum comitantur.

Prima est aquæ baptismalis consecratio, de quâ S. Cyprianus, epistolâ 70 ad Januarium: *Oportet ergo*, inquit, *mundari et sanctificari aquam priùs à sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere.* Ejusdem consecrationis meminêre Tertullianus, l. de Baptismo, c. 4; S. Cyrillus Hierosolym., catechesi 3; S. Gregorius Nyssenus, oratione de Baptismo; S. Epiphanius, hæresi 30; S. Chrysostomus in Psal. 22; S. Ambrosius, l. 1 de Sacramentis, c. 5; S. Augustinus, lib. 6 de Baptismo, c. 25.

Secunda spectat locum et tempus Baptismi.

Quantùm ad locum, tempore apostolorum quolibet in loco Baptismus conferebatur, ut constat exemplo eunuchi, qui à Philippo, dùm iter facerent, baptizatus est; et exemplo S. Pauli, qui Stefanæ domum baptizavit. Idem observatum fuit sæviente persecutione, cùm nondùm licitum erat Christianis templa publica habere, in quibus synaxes suas celebrarent. Redditâ autem Ecclesiæ pace, non omnibus in locis, sed in iis tantùm quæ baptisteria dicuntur licitum fuit baptizare, secluso tamen casu necessitatis.

Quantùm ad tempus solemniter administrandi Baptismum, varia fuit disciplina.

1° Ecclesia Romana et Africana aliæque adjacentes, in solemnitate Paschatis et Pentecostes tantum Baptismum conferre solebant. Constat ex Tertulliano l. de Baptismo, c. 20; ex Siricio S. Pontifice, epistolâ ad Himerium Tarraconensem; ex S. Leone, epistolâ ad episcopos per Siciliam constitutos; ex S. Gregorio Magno in Sacramentorum libro. In ecclesiâ tamen Africanâ additus est dies Epiphaniæ, ut testatur Victor Vitensis, lib. 2 de Persecutione Vandalicâ.

2° In ecclesiâ Gallicanâ aliquando soli dies Paschæ et Pentecostes deputati sunt solemni administrationi Baptismatis, ut colligimus ex Gregorio Turonensi, l. 5 Hist. Francorum, c. 11, et lib. 6, c. 27, et l. 8, c. 4, et l. 10, c. 15; et ex Fortunato, l. 3, carmine 7.

In eâdem tamen Ecclesiâ, sexto seculo, addita est dies sacra natalis Domini et Joannis Baptistæ. Ita colligimus ex Avito Viennensi episcopo epistolâ 41, ex Gregorio Turonensi, lib. 8 Hist., c. 9. Eumdem morem ostendit miraculum quod Ebroduni in Natali Domini et in Cœnâ Dominicâ quotannis circa baptisterium à S. Marcellino in eâ urbe erectum, teste Gregorio Turonensi, l. de Glorià confessorum, c. 6, contingebat.

Baptizandi in natalitiis Christi, apostolorum ac martyrum festivitatibus praxis, sexto labente seculo, à Patribus alterius concilii Matisconensis, an. 581, abrogata est; quæ abrogatio extra Gallias vim non habuit.

Apud Hibernos et Anglos solemnior Baptismus olim traditus fuit in Paschate, Pentecoste, Natali Domini et Epiphaniâ. Constat ex synodo alterâ S. Patricii, c. 19; ex S. Gregorio Magno, l. 7 Epistolarum, epistolâ 30.

Apud Hispanos, præter Pascha et Pentecosten, Natalis dies Domini Baptismo consecratus fuit. Patet ex Valafrido, l. de divinis Officiis, c. 26.

Disciplinam quam hactenùs indicavimus, ante duodecimum seculum apud Occidentales desiisse fidem facit Rupertus Abbas, qui anno 1135 obiit, l. 4 de divinis Officiis, c. 18: *Postquàm*, inquit, *christianitas crevit....., quia periculosum erat tantam multitudinem differre, propter occasiones mortis..... visum est sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentiâ baptizandi concessâ, imò oblatâ, cuncta antevenire pericula.*

In ecclesiâ orientali, dies solemnis Baptismi erant Pascha, Pentecostes, et Epiphania Domini. Constat ex sancto Hieronymo, epist. 61; ex S. Chrysostomo, serm. 36 de Pentecoste; S. Gregorio Nazianzeno, oratione 39. Lege Goarium in suis ad Euchologium Græcorum notis, eo præsertim loco quo majoris aquæ benedictæ in sanctis Theophaniis ritum describit.

Omni porrò tempore validè posse Baptismum conferri observat Tertullianus, lib. de Baptismo, c. 19: *Cæterùm*, inquit, *omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo: si de solemnitate interest, de gratiâ nihil refert.*

Tertia cæremonia est nominis impositio.

Quarta, ut essent susceptores qui baptizatum de sacro fonte levarent, et postea diligentiùs eum de fide instituerent. Tertullianus, l. de Baptismo, eos appellat *sponsores*, quia fidem suam pro baptizato obligant. Vide sanctum Basilium, epist. 128, S. Chrysostomum,

hom. 12 in primam ad Corinthios, c. 4; S. Augustinum, serm. 116 de Tempore.

Quinta, est trina immersio, vel infusio aquæ, de quâ superiùs satis dictum fuit.

Cæremoniæ quæ sequuntur Baptismum.

Prima videtur fuisse osculum pacis, in signum unionis ac fraternitatis cum baptizato. S. Cyprianus, epistolâ ad Fidum.

Secunda, est unctio chrismatis in vertice. Damasus, in vitâ Sylvestri; Innocentius I, epistolâ 1, c. 3; S. Ambrosius, l. 3 de Sacramentis, c. 1; S. Hieronymus, dial. contra Luciferianos.

Tertia, est cereus accensus, qui datur baptizato in signum fidei et gratiæ acceptæ, et translationis ipsius à potestate tenebrarum ad lumen et sortem sanctorum. S. Gregorius Nazianzenus, oratione in S. Lavacrum; S. Augustinus, in Psalm. 65.

Quarta, est vestis candida, quam ferre solebant à sabbato sancto usque ad dominicam in albis. Illius mentionem faciunt S. Dionysius, aut quisquis auctor est libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, c. de Baptismo; S. Ambrosius, l. de Iis qui initiantur, c. 7; S. Augustinus, serm. 157 de Tempore.

Ultima, fuit delibatio lactis et mellis, quæ jam in usu non est. Illius cæremoniæ meminêre Tertull., l. de Coronâ militis, c. 3, et S. Hieronymus, dial. adversùs Luciferianos, ubi ait id fieri solitum in signum novæ infantiæ in Christo. Unde in missâ dominicæ in albis, legitur propter neophytos istud ex epistolâ S. Petri : *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite* (1).

Quæres an si cogente necessitate Baptismi cæremoniæ omissæ fuerunt, illâ recedente supplendæ sint. — Resp. mentem ac praxim Ecclesiæ semper fuisse, ut supplerentur; habent enim illæ omnes utilitatis plurimùm ac pietatis, nec frustra eas Ecclesia instituit ac jussit observari.

Dices : Nonnullæ ex illis, v. g., exorcismi, inutiles prorsùs videntur post Baptismum, omnique sensu et effectu carere. Ad quid enim illi instituti sunt, nisi ad expellendum ac fugandum dæmonem? *Exi ab eo, immunde spiritus, et da locum Spiritui sancto paracleto*, ait minister. Atqui per Baptismum jam expulsus fuit dæmon, jam in baptizato Spiritus sanctus inhabitat : quam ergo efficaciam, quam significationem habere possunt illi exorcismi? Nonne Spiritui sancto injuriam inferre potiùs videri possunt, quasi cum ipso dæmon in homine baptizato cohabitaret? *Quid iniquius quàm exorcizare Spiritum sanctum?* inquiebat Optatus, l. 2 de Schismate Donat., n. 21. — Resp 1° Ecclesiæ imperanti prompto animo obsequendum esse, tametsi causas et rationes rei imperatæ ignoremus. Velle autem Ecclesiam ut exorcismi omissi suppleantur, ex Rituali Romano cæterisque aliis ferè omnibus particularium Ecclesiarum libris ac provincialibus statutis ita compertum est, ut negari non possit. Resp. 2° S. Thomam propositæ objectioni sic respondere, 3 p., q. 71, art. 3, ad 3 : *Ea*, inquit, *quæ aguntur in exorcismo, ordinantur ad removendum impedimenta; et ideò sine eo potest aliquis consequi effectum Baptismi. Non tamen sunt hujusmodi prætermittenda, nisi in necessitatis articulo; et tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in Baptismo. Nec frustra supplentur post Baptismum : quia sicut impeditur effectus Baptismi antequàm percipiatur; ita potest impediri postquàm fuerit perceptus.* Et in 4 lib. Sentent., dist. 6, q. 2, art. 3, ad 4 : *Dicendum*, inquit, *quòd ad hoc quòd uniformitas Baptismi observetur, oportet quòd exorcismus, si prætermissus fuerit, post Baptismum suppleatur; et tunc tantùm signat, vel fortè additur etiam aliqua cohibitio ab impugnatione diaboli. Nec hoc est inconveniens, cùm etiam per aquam benedictam, quâ post Baptismum aspergimur, aliqua potestas dæmonis reprimitur.* Hæc S. Thomas. Sicut igitur gratia virtute Baptismi collata non obstat quin per cæremonias quæ Baptismum sequuntur, beneficii aliquid spiritualis percipiamus; ita etiam, tametsi jam per Baptismum expulsus sit ac conjuratus dæmon, nihilominùs cùm accedunt subinde exorcismi, qui omissi fuerant, inutiles omninò ac superflui non sunt : licèt enim dæmonem non expellant, qui jam expulsus est, vires tamen ipsius reprimunt, vim elidunt tentationis, et ardorem concupiscentiæ temperant. Adde quòd quemadmodùm iis, qui ex charitate perfectâ jam sanctificati accedunt ad Baptismum, inutilis non est Baptismus, imò, cùm percipi potest, necessarius, quia nonnisi per ordinem ad illum, et ex voto illius, gratia concessa fuit; ita et expulsio dæmonis jam facta, exorcismo subsequenti, quem respiciebat, suo modo tribuenda est.

Optatus, loco citato, ne verbum quidem habet de Baptismo, et exorcismis illi annexis. Unicè invehitur in audaciam et furorem Donatistarum, qui catholicos episcopos et sacerdotes de gradu suo, infando ac sacrilego ritu, contra jus omne dejecerant; sicque vel ipsimet Spiritui sancto, à quo illi ordinati fuerant, injuriam intulerunt, seu, ut loquitur Optatus, ipsum *Spiritum sanctum exorcizàrunt, quo nihil iniquius. Perfecti fuerant illi*, ait Optatus, *opere scilicet Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati; et vos contra opus Dei hostiliter militatis..... Quid iniquius, quàm exorcizare Spiritum sanctum, altaria frangere, Eucharistiam animabus projicere? Docete ubi vobis mandatum est radere*

(1) Quæritur utrùm in Baptismo verum emittatur votum vivendi secundùm leges christianas? — Resp.: Baptismi promissiones non emittuntur ut voti propriè dicti vicem accipiant, christianæque legi colendo omnes astringant; voto lato simpliciter æquivalent, firmoque consilio rectè et honestè vivendi : unde fit ut qui à novo eas promissiones obtestantur, à novo et iterùm servandæ christianæ legis voluntatem ostentant. Hanc verò obligationem parit ipsamet Baptismi susceptio, ac consequenter ille tum infantes tenerâ ætate solemnibus vel multis cæremoniis baptizatos, tum adultis annis Sacramento huic admissos, semel acceptus eodem vinculo retinet. Unde etiam fit, ut longè graviori modo peccet, cæteris paribus aliunde, baptizatus qui facinorosè vivit, quàm qui Sacramento non fruitur; ratione enim spreti Sacramenti augetur culpæ malitia et injuria, quanquàm hoc confiteri admonetum non teneatur reus.

capita sacerdotum, cùm è contrario sint tot exempla proposita fieri non debere (1).

(1) *De patrinis.*

Patrini porrò multis apud SS. Patres donantur nominibus : ab auctore lib. Eccles. Hierarchiæ, vocantur patres divini, et sanctæ salutis susceptores; à Tertulliano sponsores; ab Augustino, fideiductores, fidejussores; à Moguntinâ synodo, compatres, etc. : unde patet patrinorum usum primævæ esse antiquitatis. De his nonnulla inquiruntur scitu utilia. Itaque

Quæres 1° an patrini sint necessarii. — R. 1° non esse necessarios necessitate Sacramenti; tum quia Philippus eunuchum baptizavit absque patrino; tum quia Baptismus privatus sine patrinis administrari licitè potest, de quo statim. Unde quod Augustinus, lib. 3 de peccat. Merit., cap. 2, tribuit patrinis fidem quæ producitur in infantibus, hoc intelligendum est sensu, quòd positâ patrinorum responsione, Deus in parvulis fidem infundat, non eo autem quòd ad infusionem hanc necessariò concurrere debeant patrini, perinde ac ministri. R. 2° Baptismum solemnem licitè administrari non posse absque patrino, si idoneus haberi possit. Patet id 1° ex auctore lib. Hierarch. Eccles., qui, cap. 7, ait *sic visum* esse *divinis nostris ducibus*, id est, Apostolis; 2° ex constanti Ecclesiæ usu, quem repereris cap. 100, 101, 102, dist. 4, de Consecr., quemque supponit Tridentina synodus, sess. 24, cap. 2, de Reform. Matrim.; 3° quia spiritualis generatio nonnihil affinitatis habet cum generatione carnali, secundùm id 1 Petri 2 : *Sicut modò geniti infantes;* ergo sicut recens natus nutrice indiget, et pædagogo, sic et recens baptizatus indiget aliquo à quo doceretur, et nutriatur quadamtenùs, ut in vitâ spirituali proficiat. Ad id autem assumi oportuit personas à parentibus diversas, ut meliùs et tutiùs provideretur baptizato. Hæ rationes valent etiam in adultis : neque enim propter corporalem, sed propter spiritualem imbecillitatem constituti sunt baptizatorum susceptores, ut monet ibid. S. Thomas, art. 7, ad 3. R. 3° patrinos in privato Baptismo necessarios non esse, cùm id nullâ lege imperatum sit. Et licèt contrarium inferri possit ex S. Thomâ, hìc, q. 67, art. 8, ad 2, id tamen prohibent rituales libri complures, ut Parisiensis, Argentinensis, etc. Etverò vel morietur infans, qui vulgò propter imminens necis periculum baptizatur privatim; vel vivet. Si primum, ad quid patrinus? Si secundum, non deerit is, cùm in cæremoniarum suppletione possit et debeat adhiberi.

An autem et quando patrini spiritualem affinitatem contrahant, disputatur in tract. de Dispensationibus, 2, ubi et satis insinuatur quod hìc docet Sylvius, nimirùm ad hoc ut quis verè sit patrinus, et affinitatem contrahat, non requiri ut infantem corporaliter tangat, tenendo, offerendo, levando, etc. Certè quæ hìc objici possent Tridentini verba hæc : *Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, spiritualem cognationem nullo pacto contrahant;* docent quidem contactum non sufficere ad affinitatem, nisi is qui tangit, fuerit ad hoc designatus; at contactum hunc necessarium esse non dicunt. Nec nocet, cui tamen multùm innititur Henricus à S. Ignatio, cap. 18, declaratio sacræ Congregationis à Joanne Gallemart edita; quia editas ab ipso declarationes nullius esse momenti declaravit Sedes Apostolica.

Hìc non abs re fuerit animadvertere eum qui in patrinum admissus est ab eo qui filium ejus tenuerat, duplex contrahere spiritualis affinitatis impedimentum, quod, nisi declaret, invalidè dispensabitur. Sicut tamen qui vel pluries cum aliquâ copulam habuit, vel pluries celebravit excommunicatus, non teneri plures copulas, pluresve celebrationes aperire, ut ex stylo constat; sic qui plures alterius tenuit filios in Confirmatione vel Baptismo, non tenetur id declarare; prout contra Sanchem, lib. 8, disp. 24, n. 4, docet Pyr. Corradus, lib. 8, cap. 8, n. 16, ex receptâ jam ante tempus Clementis VIII Curiæ Romanæ praxi.

Quæres 2° quæ sint patrinorum officia. — R. plura esse, et tam gravia, ut si seriò ponderarentur, nec tam facilè occurrerent qui id ambirent muneris; nec obvius quisque prior èligeretur à parentibus. Scilicet debent patrini 1° eos quos suscipiunt diligere tanquàm filios spirituales; 2° pro iis supplices Deum precari; 3° inviligare sedulò ut christianè instituantur à parentibus, eorumque, si vel moriantur, vel huic officio desint, vices hoc in puncto supplere; 4° curare ut filioli debito tempore Sacramento Confirmationis initientur; 5° efficere omni viâ ut id quod in Baptismo spoponderunt plenè intelligant, pleniùsque exequantur. *Et verò*, ait Grandin, *id ratio pædagogi postulat, et materiæ gravitas obligat sub mortali;* unde colligere est *parentes accuratè* promonendos à parocho, *ut in delectu patrinorum, non tam nobilitatis, auctoritatis vel divitiarum, quàm vitæ integritatis et honestatis morum rationem habeant;* prout monet rituale Parisiense, pag. 27, quod ut magè et magis innotescat.

Quæres 3° an omnes promiscuè ad officium patrini à parentibus invitari, aut à parochis admitti possint. — R. negat.: Ii enim solùm assumi possunt, qui mox recensita, eaque gravissima munia implere valeant. Unde ab hoc munere arcendi sunt 1° muti, et qui rationis non sunt participes. *Proindeque*, ait concilium Coloniense, anno 1536, c. 4, *malumus* patrinos *deligi provectæ ætatis, quàm impuberis, ne videatur infans infantem offerre; ac sponsorem se Deo pro alio constituere, qui quod promittit non intelligat, ideòque multò minùs quod non intelligat, docere queat.* Concinit cum aliis pluribus rituale Romanum, cùm docet convenire *maximè*, ut patrini sint saltem *in ætate pubertatis* (et, si fieri potest, jam Confirmatione donati : quia, ut benè S. Augustinus, *debilis non est idoneus ad sustentandum debilem, ne ambo cadant*). Alicubi tamen, ut Parisiis, *patrinus septem annos natus admitti* potest, *modò et de catechismo parocho interroganti benè responderit; et matrina sit duodecim ad minus annos nata. Matrinam similiter septem annorum admittere non venuet parochus, dummodò catechismum probè calleat, patrinusque sit saltem quatuordecim annorum.* Ritual. Paris.

2° Qui baptizati non sunt, ex cap. 102, dist. 4, de Consecr.

3° Et à fortiori, infideles, hæretici, apostatæ, moribus aut professione infames, ut comœdi, aliique publici fabularum actores; usurarii item, concubinarii, ebriosi, blasphematores, et qui publica, queis insistunt, odia exercent; excommunicati quoque, ab Ecclesiæ ingressu interdicti, aut qui Paschali officio defuerint, vel annuæ confessioni.

4° Qui præcipua doctrinæ christianæ capita saltem quoad substantiam non tenent; aut qui orationem dominicam, salutationem angelicam, vel symbolum nesciunt; et Dei ac Ecclesiæ præcepta ignorant.

Ut autem hæreticus à Catholico in patrinum assumi nequit, sic nec Catholicus in hæreticorum Baptismo vices patrini gerere debet; tametsi utrumque in Germaniâ fieri posse contendat Layman, tract. de Bapt., c. 9 : *Utrùm benè? non disputo; at id in Galliâ nostrâ, ac præsertim his in partibus fieri non posset absque gravi scandalo.* Certè, ut appositè monet catechismus Montispessul., Ecclesia nullum suis in precibus habet commercium cum hæreticis : nec æquum videri potest ut Ecclesiæ filios offerant, qui ejusdem Ecclesiæ non filii, sed inimici fuerint. Restrictiones quæ hìc forsitan admitti possent colligere erit ex iis quæ dicuntur tum in Gallicis contra P. Andræam de Grazac epistolis, tum tract. de Fide, ubi de commercio cum hæreticis.

Excluduntur etiam positivo jure ab officio patrini 1° regulares, juxta id, cap. 103, dist. 4, de Consecr. : *Non licet abbati vel monacho de Baptismo suscipere filios, vel commatrem habere;* et is canon hodiedùm viget, ut patet ex Ritualibus Romano et Parisiensi : fallit tamen in iis qui è religiosis fiunt episcopi. Imò pluri-

bus in locis receptum est ut abbates in patrinos assumantur. Sed quàm cavendum, ut suis cavit S. Franciscus, *ne hâc occasione inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.*

2° Clerici etiam seculares qui vel sacris ordinibus initiati sint, vel beneficiarii : atque id patet non solùm ex synodo Mediolanensi II, sed et concilio Aquensi, anno 1585, ubi sic : *Compater ne adhibeatur regularis aliquis, nec clericus secularis sacris initiatus, aut beneficium ecclesiasticum obtinens.* Hæc lex servanda sicubi in Ritualibus hodiernis viget : at quoad clericos seculares, nec Parisiis, nec in multis aliis Galliæ diœcesibus observatur.

3° Pater et mater baptizandæ prolis : obstat enim tum inutilitas facti, quia pater patrinus non plus debet filio, quàm anteà ; tum vetus, etsi non ab omni ævo servata (*a*) consuetudo Ecclesiæ, ex quâ fit ut qui hodie propriam prolem levat è fonte sacro, excidat à jure petendi debiti conjugalis.

4° Maritus et uxor ex Urbano II, apud Gratian., c. 6, xxx, q. 4 : id tamen hodiè licitum esse docent Navarrus et alii complures. Videndum quid ferat consuetudo, quid diœceseon statuta permittant.

Quæres 4° quot admitti debeant à parocho patrini. — R. Statuit Tridentina synodus, sess. 24, de Reform. Matrim., c. 2, *ut unus tantùm sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant.* Huic legi ut sapienter constitutæ, et quæ affinitatum multiplicitatem removeat, sedulò inhærendum. *Quapropter*, ait hìc Sylvius : *Parochus sciscitari debet, qui sint ad suscipiendum electi, eosque solos admittere et eorum nomina scribere; et quicumque admittit duos, non potest admittere nisi sint diversi sexûs, unus et una. Quòd si plures uno et unâ se offerant, nec possit parochus cognoscere qui ad id muneris sint electi, liberum est ei è pluribus unum et unam eligere, eosque patrinos declarare.*

Hìc tria notat Barbosa in prædictum Tridentini caput : 1° episcopum dispensare non posse ut plures quàm duo infantem suscipiant ; cùm super conciliari dispositione dispensandi facultatem non habeat ; et id decisum referunt Zerola, Sanchez, et alii ibid ; 2° incertum ad minus esse an non allucinentur, qui parochum plures quàm unum et unam patrinos admittentem, venialis duntaxat culpæ reum faciunt cum Sanche, lib. 7, disp. 57, n. 6. Hìc enim mortale peccatum agnoscunt Vega, Bonacina, Hurtado, idem Barbosa, et alii qui hoc etiam decisum referunt. Et verò an non grave est antiqua *sacrorum canonum instituta*, et generalis concilii legem in materiâ minimè levi temerare ? 3° Si, non obstante lege Tridentinâ, permittat parochus ut tres aut quatuor, pluresve patrinorum munera exerceant, ab iis omnibus contrahi affinitatem. Idem docet Navarrus in Manual., cap. 22 ; Ledesma, Sylvius et alii passim contra Sayrum et Sanchez, quorum opinio ad minus dubia est.

Quæres 5° quæ sint parochorum in hâc materiâ obligationes. — R. septem præcipuè numerari. Prima est ut populum publicè doceant in patrinorum delectu pietatis potiùs quàm *alterius cujusque commodi emolumentive* habendam esse rationem ; ita ut ii præ cæteris seligantur, qui *filiorum animæ magis consulere, quàm qui inopiæ subvenire possunt*, prout in suis de Baptismo instructionibus tradit S. Carolus Borromæus, et nos jam supra docuimus.

Secunda, ut caveant sedulò ne baptizandis imponi sinant nomina seu ethnicorum, quod vetitum est can. 30 concilii Nicæni, seu dubiæ sanctitatis hominum : ea item quæ peregrina sunt, aut quæ genitivo nomini addita, turpem ridiculumve sensum efficiunt. Quin et cavendum ne nomina sanctorum veteris Testamenti affectentur, ubi præsertim vigent hæretici, qui quoniam novæ legis sanctos dedignantur, ad Abraham veteresque patriarchas recurrunt. Ita monent concilia Rhemense, Bituricense et Burdigalense.

Tertia, et id cautè viderint, ne usquàm mortuos natos baptizent aut baptizari permittant, eo prætextu quòd ante B. Viginis, alteriusve sancti imaginem à simplicibus, superstitiosisve mulierculis delati, et ardenti prunâ, accensisque cereis circumdati, fiant è frigidis calidi, è rigidis molles, ex pallidis rubei, aut etiam sanguinem ex naribus emittant. Aliud est de iis quos non constabit certò migrâsse è vitâ ; dummodò ad id experiendum nihil tentetur quod superstitionem redoleat.

Quarta, diligenter in Baptismali registro inscribant nomen baptizati, ejusque parentum ac susceptorum : item quo anno, annique mense ac die ablutus sit infans, seu in Ecclesiâ seu alibi ; rusùmque an in legitimo et de legitimo matrimonio prodierit. Si conjecturæ admodùm graves contra pueri *legitimitatem* pugnent, putà quòd pater duobus ante ortum ejusdem annis abfuerit è regione, absentiæ hujus habenda videtur mentio, consulto tamen præsule, ut si qua deinceps suboriatur lis circa hæreditatem, statuat magistratus id quod sibi æquum videbitur.

Quinta, docebit Sacramenti minister patrinos, seu ante, seu in ipso Baptismi actu, si doceri indigent, *quam cognationem contraxerint* cum prole, ejusve parentibus, *ne ignorantiâ ullâ excusari valeant.* Erit et operæ pretium monere aliquoties eos qui circa susceptam prolem aut ipsius parentes impudici quidpiam corde vel opere exercerent, gravis reos esse peccati, si hanc incestûs circumstantiam in confessione scienter reticuerint.

Sexta, et id quandoque admonebit, vitandas esse nimias eas compotationes, quæ seu domi, seu in tabernis Baptismata consequi solent ; scilicet ergo quia bonum se et misericordem exhibuit Deus in regeneratione infantis, licebit compatribus illicò esse malis ? Quantò plus curare debent parochi ne profanis hujusmodi festivitatibus intersint.

Septima, id etiam matribus, nutricibusque et aliis quibuscumque graviter inculcandum, ne cum infantulis in eodem lecto ante completum annum decumbant ob periculum suffocationis, quod, secluso etiam effectu, gravem habere noxam videtur, in iis præsertim qui inquietè dormientes quoquoversùm se movent. Unde Stephanus V, cap. 20, 11, q. 5 : *Monendi sunt*, inquit, *et protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentiâ quâlibet proveniente, suffocentur vel opprimantur : unde ipsi homicidii rei inveniantur... Hi autem qui probantur vel confitentur talis reatûs se noxios, tua eos castiget moderatio : quia si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quantò magis qui unius saltem dici puerulum peremerit homicidam se esse excusare nequibit ?* Idem severè prohibent in ritualibus suis episcopi complures, quorum alicui casum hunc inter reservatos collocârunt, alii addiderunt etiam censuræ minas. Neque id temerè sancitum, cùm Lucii III tempore, quidam crimini huic indicerent *pœnitentiam trium annorum, quorum unum* peragerent homicidæ parentes *in pane et aquâ*, ut constat ex cap. 3, de His qui filios occiderunt. Si tamen *talis cubatio omni culpâ caret, uti contingere potest, si, v. g., lectus est latus, et puer implacabilis, qui aliter à frigore defendi non possit, et mulier in somno suum retinere soleat situm ac locum, omnis pœna cessabit*, juxta Barbosam, Pirhing, Reiffenstuel et alios communiter in citatum caput.

De nominibus ipsis quæ baptizandis imponi debeant, nulla lex præcisè et directis verbis statuit ; mos tamen invaluit sanctorum sanctarumque ex martyrologio ritualeque Romano collecta nomina cognominaque, quatenùs fieri potest, eligendi ; quem usum confirmat

(*a*) Vid. S. Augustin., epist. 98, aliàs 23, ex quâ colliges patrem et matrem aliquando proprios infantes suscepisse in Baptismo : quæ praxis à Moguntinâ synodo, anno 813, reprobata est, can. 56, his verbis : *Nullus proprium filium aut filiam de fonte baptismatis suscipiat.* Qui canon fortè ignotus fuit S. Thomæ.

Rituale Pauli V, in quo sacerdotes monentur ut caveant ne indigna christiano milite, sub signis Filii Dei ordinem suum accipientis, nomina inscribantur, curareque rogantur ut absint mythologica, fabulosa, ridicula, ethnicaque nomina, dùm in cœlesti exercitu tot adsint sancti quorum fideles nomine decorentur, exemplis insistant, patrocinio honestentur et tutari possint. Nihil tamen in his piis consuetudinibus et Pauli V commendationibus jussum præceptumque sapit, ideòque parochi, nedùm ignota nomina acriter respuant, patrinis matrinisque tantummodò consilium dare tenentur ut inter sanctos illustre nomen eligant, et, si placet, unicum; cui proposito si non manus dent, non sacerdotis munus est alia, dummodò nihil obsceni habeant, respuere, ut Annibalis, Cæsaris, Alcibiadis, etc. Nec etiam spernenda sunt nomina veteris Testamenti, ut Davidis, Samsonis, Judith, Saræ, Rachelis, Danielis, aliaque benè nota. Securâ etiam conscientiâ, masculina sanctorum nomina mulieribus, feminina sanctarum viris applicari queunt.

Collato autem Baptismo, necesse est ut ejus mentio quocumque tempore constet, utque cognationis spiritualis quæ intervenit, scriptum perduret testimonium. Ideò Ritualia jubent ut præsentibus, quantùm potest fieri, assistentibus, nomina baptizati, parentum, susceptorumque in parochiali volumine inscribantur, rogatis qui scripturæ scientes sunt, ut chirographum supponant. Item sub gravi peccato tenentur, si statuta diœcesana præcipiant, non solùm actus exarare, sed exemplar integrum annuò episcopalibus archivis immittere deponendum. Quibus autem verbis seu formulis inscribenda sit in registro baptismali testium declaratio aliquandiù dignoscere arduum est, prout exhibentur filii 1° naturales, 2° adulterini, 3° ex civilibus tantùm nuptiis orti. In primo casu, scribitur infans *patre et matre incognitis, ceu ignotis parentibus natus*, si nullus sibi eum vindicet: patris nomine inscribitur, si vir aliquis se talem declaret coram testibus, subscribatque chirographo; materno nomine inscribitur, si publicè nominetur mulier quæ infantem peperit, adsintve duo saltem testes qui eam affirment agnoscendo filio consensisse. Adulterini nullo alio nomine inscribi debent quàm parientis mulieris mariti: *Pater enim est quem nuptiæ demonstrant*. Eos qui ex civilibus tantùm nuptiis exorti sunt, cùm nec civiliter illegitimi, nec canonico jure legitimi dici absolutè possint, factum non jus testificans sacerdos, inscribat natos ex N. et N. civili vinculo conjunctis. Sciant ergo parochi, non tantùm grave peccatum rectè exaratis evitari registris, sed etiam in proximi et concivium utilitatem magna rependi, queis, ut possunt, auxiliari debent. (Collet.)

TRACTATUS
DE CONFIRMATIONE.

AUCTORE VITASSE (1).

DE DIVERSIS NOMINIBUS.

In Confirmatione attendi possunt natura, causæ, effectus, proprietates, et cæremoniæ: de quibus singulis agemus, postquàm varia ejus nomina relata fuerint.

Præcipua repetuntur, vel à materiâ, vel ab effectu; quæ quidem materia, quique effectus, cùm sit multiplex, hinc oriuntur diversæ appellationes.

In materiâ tria possunt observari, manuum impositio, chrisma, et signum crucis. Primum igitur nomen à materiâ petitum, est MANUS IMPOSITIO, de quâ Lucas, Actor. 8: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. Ita vocatur ab Augustino, lib. 3 de Baptismo, cap. 16, ubi ait: *Per manûs impositionem dari Spiritum sanctum;* ab Isidoro, qui cap. 26, lib. 2 de Ecclesiasticis officiis, inscribit, *de manûs impositione vel Confirmatione:* et ab Hugone Victorino, qui, lib. 2 de Sacramentis, parte 7, c. 2, asserit, *quòd manûs impositio usitato nomine Confirmationis vocatur, quâ Christianus unctione chrismatis per impositionem manûs in fronte signatur*. Deinde, quia confirmatus ungitur, UNGUENTI MYSTERIUM appellatur à Dionysio, lib. de Ecclesiast. Hierarch., c. 4; SACRAMENTUM CHRISMATIS ab Augustino, lib. 2 contra litteras Petiliani, c. 104; CHRISMA SANCTUM à Patribus concilii Laodicei, can. 7; CHRISMA SUPERCŒLESTE, ab iisdem Patribus, can. 48; CHRISMA SALUTIS à Leone Magno, Serm. 4 de Nativit. Domini, c. 5; CHRISMA SPIRITALIS UNGUENTI à Theodoreto, in cap. 1 Cantici canticor.; denique, quia confirmatus, cùm inungitur, signatur signo crucis, nuncupatur SIGILLUM, QUO ACCIPITUR SPIRITUS SANCTUS, à Cornelio Papâ in epist. ad Fabium Antiochenum, relatâ apud Eusebium; SIGNACULUM DOMINICUM à Cypriano in epist. 63 ad Jubaianum; SIGNACULUM SPIRITUALE ab Ambrosio, lib. de Iis qui mysteriis initiantur, c. 7; SIGNACULUM VITÆ ÆTERNÆ à Leone Magno, *in citato sermone*.

Effectus hujus sacramenti multiplex est. Primus est baptizatum efficere perfectè et plenè christianum. *Illud enim*, inquit catechismus Tridentinus, parte 2 de Confirmat., c. 19, *popriè Confirmationi tribuitur, quod Baptismi gratiam perficit: qui enim per Baptismum christiani effecti sunt, quasi infantes modò geniti, teneritatem adhuc et mollitiem quamdam habent*. Secundus est conferre plenitudinem gratiæ. *Distinguitur enim*, inquit Guillelmus Altissiodorensis, lib. 4, tractatu 4, cap. 1 de sacramento Confirmationis, *duplex plenitudo, scilicet plenitudo sufficientiæ, et hæc datur in Baptismo: et plenitudo copiæ, et hæc datur in Confirmatione*. Et S. Thomas in 4, d. 7, q. 1, a. 1, q. 2, ad 1: *Est plenitudo gratiæ christianæ sufficiens ad salutem, et hæc datur in Baptismo; et plenitudo gratiæ ad fortiter resistendum, et hæc datur in Confirmatione*. Tertius est robur ac virtutem conferre ad superandas

(1) Vitasse vitam reperire est in vol. 8 *Cursûs Theol.*, ad tractatum de Trinitate.

passiones, ad fidem confitendam, et Christi nomen glorificandum. A primo effectu vocatur simpliciter PERFECTIO à Dionysio Areopagitâ, loco citato, à Patribus Eliberitanis, can. 38 et 77, et ab Ambrosio, lib. 3 de Sacramentis, c. 2 : *Post fontem superest ut perfectio fiat :* hoc est, post Baptismum superest, ut Confirmatio conferatur. Ab altero effectu vocatur SACRAMENTUM PLENITUDINIS GRATIÆ à S. Thomâ, 3 p., q. 72, a. 1, ad 2 et 4. Denique à tertio effectu dicitur CONFIRMATIO, quæ quidem nuncupatio et antiquissima, et modò trita est : eam enim usurpârunt Patres concilii primi Arausicani, anno 441, can. 1 vel 2; concilii tertii Arelatensis, ad annum 455; Leo Magnus in epist. 79, quam ille anno 458 scripsit ad Nicetam episcopum Aquileiensem; auctor 50 homiliarum, quæ sub Eusebii Emisseni nomine circumferuntur, quæque Eucherii Lugdunensis esse mihi videntur; et Gennadius, cap. 52, lib. 1 de Ecclesiasticis Dogmatibus. Ad quæstiones controversas modò veniamus.

Pars prima.

DE NATURA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Circa naturam Confirmationis controvertitur: 1° utrùm illa sit Sacramentum novæ legis; 2° quæ sit ejus materia; 3° quæ sit ejus forma.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM RITUS CONFIRMATIONIS SIT NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM.

Negant hæretici, affirmant Catholici : eorum sententias referemus ex disputatione celeberrimi viri D. de Sainte-Beuve, de Confirmatione, cui adjiciemus non pauca ad hujus argumenti elucidationem necessaria.

ARTICULUS PRIMUS.

DE HÆRETICIS, QUI NEGAVERUNT RITUM CONFIRMATIONIS ESSE NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM.

Inter hæreticos, qui negaverunt ritum Confirmationis esse novæ legis sacramentum, vulgò recensentur Novatiani, Waldenses, Albigenses, Wiclefus, Hussitæ, Lutherani, Calvinistæ, etc., de quibus singulis ordine agendum est.

SECTIO PRIMA.

De Novatianis.

Novatianus, à quo Novatiani, referente Cornelio Papâ in epist. ad Fabium Antiochenum, baptizatus est in lecto decumbens ex morbo : ubi verò convaluit, *neque reliqua percepit, quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab episcopo consignatus est.* Magistri exemplum secuti discipuli, baptizatos minimè confirmabant : quo fit ut concilia Novatianos ad Ecclesiæ gremium redeuntes confirmari jusserint; et Bellarminus, c. 1 de Confirmatione, aliique plures theologi, occasionem inde arripuerint hanc illis hæresim impingendi, quasi illud sacramentum negaverint; innixi potissimùm auctoritate Theodoreti, qui, lib. 3 Hæreticarum fabularum, c. de Novato, seu potiùs de Novatiano, hunc eis errorem attribuit. *Novatiani*, inquit, *pœnitentiam à suo conventu arcent penitùs, et iis qui ab ipsis tinguntur, sacrum chrisma non præbent : quocirca eos etiam, qui ex hâc hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, benedicti Patres ungi jusserunt.*

Pacianus tamen Barcinonensis, qui dogmata Novatianorum acerrimè impugnavit; Patres concilii primi Nicæni, qui can. 8, referunt dogmata, quæ Novatiani episcopi ad fidem catholicam revertentes profiteri debent; Philastrius etiam, Epiphanius, Augustinus, et Joannes Damascenus, qui in libris suis de Hæresibus, Novatianorum dogmata referunt, nullam ipsis hæresim attribuunt circa Confirmationem. Quamobrem nonnulli existimant Novatianos non negâsse Confirmationem, sed eos duntaxat non curâsse illud sacramentum suscipere; quemadmodùm plures è Catholicis hodiè non curant illud ipsum Confirmationis sacramentum suscipere, qui tamen non negant Confirmationem esse sacramentum. Patres igitur concilii Laodiceni, can. 7, et Constantinopolitani I, can. 7, aliique ritè instituerunt eos, qui ex Novatianorum hæresi ad Ecclesiam redirent, confirmandos esse, non quòd Novatiani de Confirmatione malè sentirent (quemadmodùm Theodoretus credidit); sed quòd non curarent Confirmationem, exemplo magistri sui, quem, licèt Confirmationem neglexerit, nihilominùs circa illam non errâsse agnoscit ibidem Theodoretus, qui *hunc errorem*, ait, *non quidem à Novtaiano, sed ab ejus discipulis adinventum, et Novatiani dogmatibus additum esse.* Cùm Theodoretus hæc scribebat, Novatiani quidam Confirmationem fortè negabant.

Quæres utrùm Novatiani statim ab initio sui schismatis, sacramentum illud negligere cœperint. — Respondeo id esse verisimile, quia Patres Nicæni, can. 8, Laodiceni, can. 7, Constantinopolitani, can. 7, et Pacianus in suis epistolis ad Sympronianum, apertè indicant Novatianos per duplicem manûs impositionem, confirmatoriam scilicet et reconciliatoriam, suscipiendos esse : de quibus suo loco.

SECTIO II.

De Albigensibus et Waldensibus.

Calvinistæ, sui erroris patrocinium quærentes, affirmant Albigenses et Waldenses, qui duodecimo seculo exorti sunt, rejecisse Confirmationis sacramentum. De Albigensibus id omninò certum est, quamvis hâc de re tacuerint Guido Carmelita in Summâ de Hæresibus; Bernardus Lutzemburgensis in Catalogo hæ-

reticorum; Antoninus, 4 p., tit. 11; Alphonsus à Castro, lib. 4 adversùs hæreses, et Sanderus in monarchiâ visibili: de Waldensibus ambigi potest.

Joannes Dallæus, celebris Calvinista, disp. de Sacr. Confirm., lib. 3, c. 17, asserit ex Reynero constare, *Waldenses sacramentum Confirmationis nominatim inter cætera, in quibus putabatur à Romanis peccari, reprobâsse, mirantes etiam, cur solis episcopis confirmare liceat. Philchdorphium pariter tradere, Waldenses explosisse chrismatis et olei unctiones, dicentes illas res taliter consecratas nihil omninò singularis sanctitatis ex illis verbis percipere: atque hæc clariùs ex quibusdam eorum libris, quos Paulus Perrinus excerpsit, et ex parte publicavit, intelligi posse ac comprobari.*

Id tamen non adeò certum est, quin in dubium revocari possit. Petrus enim de Valle-Cernaii, monachus Cisterciensis, cum quidem errorem Albigensibus adscribit, historiæ suæ Albigensium, c. 2, non autem Waldensibus de quibus sic habet: *Erant præterea alii hæretici, qui Waldenses dicebantur à quodam, Waldio nomine, Lugdunensi. Hi quidem mali erant, sed comparatione aliorum hæreticorum longè minus perversi; in multis enim nobiscum conveniebant, in aliquibus dissentiebant.* Alanus etiam scriptor coætaneus, lib. 1, meminit quorumdam suæ ætatis hæreticorum, scilicet Albigensium, qui dicebant *nullam esse virtutem sacramenti Confirmationis, cùm non legatur in libris novi Testamenti esse instituta vel à Christo, vel ab ejus discipulis.* At lib. 2, ubi loquitur ex professo de Waldensium erroribus, non observat illos negâsse Confirmationis sacramentum. Quinimò contrarium apparet tum ex oratione excusatoriâ Waldensium ad Uladislaum Hungariæ regem missâ, in quâ verbis conceptis profitentur se nihil illarum conscios esse criminationum, quibus culpantur etiam circa Sacramenta Ecclesiæ; tùm ex fidei confessione Waldensium, quam eidem Uladislao miserunt. In eâ enim confitentur Confirmationem esse sacramentum. *Sacramenta*, inquiunt, *septenario inclusa numero, Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus.* Postea de singulis agentes sacramentis, inprimis Baptismum confitentur, deinde Confirmationis sacramentum, de quo in hunc modum loquuntur. *Fide ex divinis Scripturis sumptâ, profitemur temporibus Apostolorum istud observatum fuisse*, etc. Waldenses igitur negâsse non videntur Confirmationem esse sacramentum.

Objicit 1° Dallæus, Reynerum asserere, quod Waldenses *Confirmationis sacramentum reprobârunt: mirantes etiam cur solis episcopis confirmare liceat.*

Respondeo 1° duplicem Reyneri editionem esse, Freheri alteram, alteram Gretseri: prior ad vetustum codicem facta est, neque videtur Gretserianæ postponenda. Atqui in priori desunt hæc verba: *Sacramentum Confirmationis reprobant*; et leguntur duntaxat ea quæ sequuntur: *mirantur etiam, quare episcopis solis liceat confirmare.* Ex quibus verbis postremis duntaxat eruitur Waldenses ægrè pati quòd confirmandi potestas solis episcopis reservaretur: quod certè non est rejicere, sed retinere potiùs Confirmationem. Nihil tamen nos cogit Gretseri editionem rejicere. Admissâ igitur editione Gretserianâ,

Respondeo 2° in eâ non haberi: Waldenses *sacramentum Confirmationis reprobant*, sed *Confirmationem non curant.* Aliud enim est non curare Confirmationem, aliud illam rejicere; plures siquidem ex ipsis Catholicis non curant suscipere Confirmationem qui tamen minimè negant illam esse sacramentum.

Respondeo 3° retorquendo verba Reyneri adversùs Calvinistas; scribit enim paulò ante: Waldenses *Sacramenta Ecclesiæ contemnunt*; et iterùm, *omnia Ecclesiæ Sacramenta damnant.* Igitur ex Reynero, Waldenses nec Baptismum, nec Eucharistiam esse sacramentum profitebantur, quod tamen Dallæus nobiscum agnoscit falsum esse. Quemadmodùm igitur ex Reynero dicente, Waldenses *omnia Ecclesiæ sacramenta damnare*, non sequitur illos negâsse Baptismum et Eucharistiam esse vera sacramenta; ita ex Reynero dicente, Waldenses *Sacramentum Confirmationis reprobare*, non rectè concluditur illos negâsse Confirmationem esse verum sacramentum.

Quid igitur sibi vult Reynerus, cùm ait: Waldenses *omnia Ecclesiæ Sacramenta damnant*; item, *Sacramentum Confirmationis reprobant?*

Respondeo genuinum Reyneri sensum ex ipso Reynero repetendum esse. Nempe refert ille Waldenses in singulis Ecclesiæ sacramentis damnâsse nonnulla ex his quæ Ecclesia in administratione Sacramentorum adhibet: videlicet in Baptismo rejecisse catechismum, improbâsse usum susceptorum, et docuisse ablutionem quæ datur infantibus, nihil prodesse. Aiebant etiam Eucharistiam non posse confici à ministris, qui rei essent peccati mortalis: et ut ad illud, de quo nunc agitur, sacramentum veniamus, in Confirmatione reprobabant chrismatis usum ejusque consecrationem ægrèque ferebant sacramentum illud à solis episcopis conferri. Quemadmodùm igitur, dum Reynerus ait: Waldenses *omnia Ecclesiæ Sacramenta damnant*, sensus non est, eos nullum admisisse sacramentum, siquidem ex omnium consensu sacramenta Baptismi et Eucharistiæ agnoscebant; sed sensus est eos damnâsse aliqua ex his, quæ in singulis sacramentis Ecclesia usurpat; ita cùm ait, Waldenses *sacramentum Confirmationis reprobant*, sensus non est, eos nullum Confirmationis Sacramentum admisisse, illud enim in suis fidei confessionibus agnoscunt; sed sensus est eos reprobâsse in Sacramento Confirmationis aliqua ex iis quæ Ecclesia Romana in eodem sacramento amplectitur.

Objicit 2° Dallæus Philchdorphium. — Respondeo ab hoc auctore id unum asseri, scilicet quòd Waldenses chrismatis, aliarumque id genus rerum consecrationem improbarent. *Explodunt etiam*, inquit, *consecrationes episcoporum, sacerdotum, Ecclesiarum, altarium, cœmeteriorum, aquæ baptismalis, chrismatis et olei Unctionis, palmarum, frondium, et herbarum: dicentes illas res taliter consecratas, nihil omninò singularis sanctitatis ex illis verbis percipere, licèt verba in se sancta sint et bona.* Ex iis igitur verbis nihil conclu-

ditur, aut ex his pariter sequitur Waldenses negâsse Baptismum esse sacramentum ; cùm verbis illis pariter asseratur Waldenses explosisse *aquæ baptismalis et chrismatis consecrationes*.

Objicit 3° Dallæus antiquos Waldensium libros, quos Paulus Perrinus partim edidit.

Respondeo me libros hujusmodi non legisse ; illos tamen dubiæ esse fidei, si quid referant fidei professionibus contrarium, in quibus Waldenses confitentur Confirmationem esse sacramentum.

Objici posset 4° loco Æneas Sylvius, apud quem cap. 35 Historiæ Bohem., hæc propositio inter errores Waldensium refertur : *Confirmationem, quam chrismate pontifices inducunt, et Extremam-Unctionem inter Ecclesiæ Sacramenta minimè contineri.*

Respondeo solutionem repetendam esse ex ipsis verbis : Waldenses enim Confirmationem esse sacramentum non negabant absolutè et simpliciter, sed negabant duntaxat illam, relativè ad chrisma et ratione chrismatis, unum esse ex sacramentis Ecclesiæ. Æneas enim in eâ forte opinione erat, sicut oleum Extremæ-Unctionis, ita et chrisma Confirmationis esse materiam : quo fit ut rejectâ à Waldensibus chrismatione, existimaverit ab ipsis rejici Confirmationem ; quemadmodùm ex eo quod Waldenses oleum rejicerent, existimavit ab ipsis Extremam-Unctionem rejici.

Objici 5° posset confessio fidei nonnullorum Waldensium relata apud Innocentium III, lib. 13, edit. Baluz., p. 459, tomo 2, quæ est archiepiscopi et suffraganeorum Ecclesiæ Tarraconensis. In illâ enim fidei confessione Waldenses de Confirmatione hæc habent : *Confirmationem ab episcopo factam, id est, impositionem manuum, sanctam et venerandè accipiendam esse censemus.* Quid enim causæ fuit, cur archiepiscopus et comprovinciales episcopi à Waldensibus requisierint, ut illi confiterentur Confirmationem, seu impositionem manuum, esse *sanctam et venerandè accipiendam*, nisi quia cum Albigensibus existimabant Confirmationem absolutè et simpliciter inanem et nullam esse, utpote quæ non legeretur instituta vel à Christo, vel ab ejus discipulis.

Plura responderi possunt, sed quæ vix satisfaciunt. Fortè priores Waldenses illum amplexi sunt errorem Albigensium, quem posteriores, in eo sensui Ecclesiæ adhærentes, rejecerunt. Fortè nomine Waldensium cognominabantur omnes isti decimi tertii seculi hæretici. Fortè aliqui ex posterioribus Waldensibus ita docuerunt. Fortè comprovinciales episcopi Tarraconenses, cùm viderint chrismatis usum et benedictionem à Waldensibus rejici, inde sibi persuaserunt ab illis quoque absolutè improbari Confirmationem. Fortè Waldenses cum Albigensibus societatem inierant, eaque nimia societas catholicis nonnullis præbuit occasionem suspicandi Waldenses idem omninò sentire quod Albigenses. Fortè hæc fidei professio exigebatur à Waldensibus, quia ægrè patiebantur Confirmationem reservari solis episcopis. Consule epistolam superiùs citatam, easque omnes mox allatas responsiones ad examen iterùm revocabis, ut quæ vera, quæque probabilior sit intelligas.

SECTIO III.

De Wiclefo.

Wiclefum ejusque discipulos, qui Lollardi vulgò dicebantur, quique circa annum 1370 exorti sunt, negâsse Confirmationem esse sacramentum, asserunt Calvinistæ, apud Dallæum loco supra laudato, et ex Catholicis, Estius in 4, d. 7, § 3, nixus auctoritate Thomæ Valdensis, Doctrinalis, parte 2, cap. 112 et 113.

Sed contra est : 1° Quia synodus Constantiensis, quæ sessione 8 Wiclefi errores damnavit, nihil in eo reprehendit circa veritatem, sed duntaxat circa ministrum hujus sacramenti; hunc unum, quod ad Confirmationem attinet, articulum damnans : *Confirmatio juvenum clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.* Patres igitur Constantienses non existimabant Wiclefum ejusque discipulos errare circa veritatem hujus sacramenti. Videsis articulum 28. 2° Guillelmus Widefordus, in eo opere quod adversùs errores Wiclefi conscripsit, id unum in eo culpat et refellit, quod negaret *collationem sacramenti Confirmationis episcopis reservatam esse. Quintus*, inquit, *articulus condemnatus ut erroneus, est, quòd collatio sacramenti Confirmationis non est episcopis reservata.* 3° Universa Wiclefi doctrina, quæ Constantiæ damnata est, Wiclefi trialogo continebatur. Sed in eo libro nihil legitur, quod veritatem hujus sacramenti condemnet. 4° Wiclefus, referente Æneâ Sylvio, loco superiùs citato, nihil omninò dissidebat à Waldensibus circa doctrinam Confirmationis. Atqui Waldenses agnoscebant Confirmationem unum esse ex Sacramentis novæ legis.

SECTIO IV.

De Hussitis.

Hussitas seu Thaboritas, qui, duce Joanne Huss, seculo XV exorti sunt, Wiclefi doctrinam secutos esse, id est, negâsse Confirmationem esse sacramentum, docent Calvinistæ, apud Dallæum loco supra citato.

Thaboritæ, seu Hussitæ, fateor, Wiclefi doctrinam secuti sunt : quod quidem apparet tum ex Æneâ Sylvio, loco laudato, ubi ait quòd Joannes Huss asserebat in libris Wiclefi omnem veritatem contineri, tum ex articulis in concilio Constantiensi, sess. 15, damnatis, quorum 25 erat iste : *Condamnatio 45 articulorum Joannis Wiclefi per doctores facta, est irrationabilis, et iniqua, et malefacta.* Sed Wiclefus ex dictis non negavit Confirmationem esse sacramentum. Ergo neque Hussitæ seu Thaboritæ.

Æneas quidem Sylvius, in epist. ad Cardinalem Carvaial, scribit Thaboritas de Confirmatione et Extremâ-Unctione nihil sentire. Sed quo sensu Æneas intelligi debeat exposuimus supra, sect. 2, de Waldensibus, pag. 13.

SECTIO V.

De Lutheranis.

Lutherus negavit Confirmationem esse sacramentum : putavitque satis esse illam pro quodam ritu ecclesiastico, seu cæremoniâ sacramentali habere. *Mirum est*, inquit lib. de Captivitate Babylonicâ, *quòd in mentem illis* (videlicet Catholicis) *venerit, ut sacramentum Confirmationis facerent ex impositione manuum, quâ legimus Christum parvulos tetigisse, Apostolos dedisse Spiritum sanctum. Cur non ex sacramento panis etiam Confirmationem fecerunt, quando scriptum est* Act. 9 : « *Et cum accepisset cibum, confortatus est;* » et Psal. 104 : « *Panis cor hominis confirmet :* » *ut sic Confirmatio tria complectatur sacramenta, panem, ordinem et ipsam Confirmationem. Si autem Sacramentum est quidquid Apostoli fecerunt, cur non magis prædicationem fecerunt sacramentum?* Et infra : *Nos autem pro hâc vice sacramenta divinitùs instituta quærimus, inter quæ ut Confirmationem numeremus, nullam invenimus causam. Ad sacramenti enim constitutionem, ante omnia requiritur verbum divinæ promissionis, quo fides exerceatur. At nihil legimus Christum uspiam de Confirmatione promisisse. Quare satis est pro quodam ritu ecclesiastico, seu cæremoniâ sacramentali Confirmationem habere, similem cæteris cæremoniis consecrandæ aquæ, aliarumque rerum.*

Philippus Melancthon opinatus est Confirmationem apud veteres nihil aliud fuisse quàm catechesim, seu fidei professionem, quâ fideles ab infidelibus, et catholici ab hæreticis discernebantur; ritum illum olim utilem, non verò cæremoniam prorsùs otiosam esse. *Confirmatio*, inquit in locis communibus, *olim fuit expioratio doctrinæ in quâ singuli recitabant summam doctrinæ, et ostendebant se dissentire ab ethnicis et hæreticis : et erat mos ad erudiendos homines, item ad discernendos profanos et pios admodùm utilis. Postea fiebat publica precatio, et Apostoli imponebant eis manus, et ita donabantur manifestis donis Spiritûs sancti; sed nunc ritus Confirmationis, quem retinent episcopi, est prorsùs otiosa cæremonia.* Eadem est opinio Kemnitii in examine concilii Tridentini, omniumque Lutheranorum post colloquium Ratisbonense, anno 1541.

Lutherani igitur, quia negare non possunt fuisse in veteri Ecclesiâ ritum aliquem, qui diceretur CONFIRMATIO, finxerunt ipsi ritum illum non fuisse verum sacramentum, sed meram cæremoniam ; utiliter tamen ab Ecclesiâ institutam, quam et ipsi hodiè retinent, et in sex capita Kemnitius in 2 parte Examinis concilii Tridentini, p. 320, distinguit. Is enim omnium accuratissimè describit ordinem Lutheranæ Confirmationis. Dicit 1°, parvulos in infantiâ baptizatos, cùm perveniunt ad annos discretionis, debere institui in doctrinâ catechismi, et ubi saltem principia didicerint, offerri debere episcopo, qui coram Ecclesiâ puerum admoneat, quid in baptismo acceperit, quid promiserit, etc. 2° Debere parvulos publicè recitare confessionem fidei, quam didicerint. 3° Deberi interrogari de præcipuis doctrinæ christianæ capitibus. 4° Debere moneri, ut hâc fidei professione ostendant se dissentire ab omnibus ethnicis, hæreticis fanaticis et profanis opinionibus. 5° Debere gravi exhortatione admoneri, ut in pacto Baptismi et professione fidei perseverent. 6° Fieri debere publicam precationem pro illis pueris, ut Deus illos gubernare et confirmare dignetur in hâc fidei professione : et simul addi posse manûs impositionem.

SECTIO VI.

De Calvino.

Mens Calvini colligi debet ex ejus Institutionibus et Antidoto. Libro igitur 4 Institutionum, c. 19, § 4, sic habet : *Hic mos olim fuit, ut christianorum liberi, postquàm adoleverant, coram episcopo sisterentur, ut officium illud implerent, quod ab iis exigebatur, qui se ad Baptismum adulti offerebant. Hi enim inter catechumenos sedebant, donec ritè fidei mysteriis instituti poterant fidei confessionem coram episcopo ac populo edere. Qui ergo Baptismo initiati erant infantes, quia fidei confessione apud Ecclesiam tunc defuncti non erant, sub finem pueritiæ aut ineunte adolescentiâ repræsentabantur iterùm à parentibus, ab episcopo examinabantur secundùm formulam catechismi, quam tunc habebant certam et communem. Quò autem hæc actio, quæ alioqui gravis, sanctaque meritò esse debebat, plus reverentiæ haberet ac dignitatis, cæremonia quoque adhibebatur manuum impositionis. Ita puer ille, fide suâ approbatâ, cum solemni benedictione dimittebatur.* Et § 5 : *Posterior autem ætas, re propè obliteratâ, fictitiam nescio quam Confirmationem pro Dei sacramento posuit.* Et § 6 : *Hoc ministerium, quo tunc Apostoli fungebantur, si adhuc in Ecclesiâ maneret, manuum quoque impositionem oporteret servari : sed ubi gratia illa* (visibilis) *conferri desiit, quorsùm pertinet manuum impositio?* Et § 7, nostram Confirmationem appellat *vacuum et frigidum signum*, sicut et § 13, eam nuncupat *abortivam sacramenti larvam.* Sensit igitur Calvinus 1° Confirmationem non esse sacramentum; 2° illam apud veteres nihil aliud fuisse quàm catechesim, seu fidei professionem, non adultorum quidem, ut putavit Melancthon, sed parvulorum duntaxat, cùm adolevissent; 3° manuum impositionem ab Apostolis adhiberi solitam, ut Spiritus sanctus cum suis charismatibus super baptizatos modo visibili descenderet, omninò inutilem esse, ubi gratia illa visibilis conferri desiit : quâ in re Melancthoni et ejus asseclis consensit.

Ulterius tamen progressus in Antid. concil. Trid. ad sess. 7, can. 1, de Confirmatione, non solùm Confirmationem attendit, ut otiosam cæremoniam, sed etiam ut ritum maximè exitialem, à dæmonibus adinventum. *Ex eorum*, inquit, *numero me nequaquàm esse profiteor, qui otiosam Confirmationis cæremoniam esse putant, qualis sub papatu Romano observatur, utpote qui eam inter maximè exitiales Satanæ præstigias numerem. Meminerimus nusquàm in Scripturis nobis commendari, quod fingunt sacramentum, neque hoc nomine, neque hoc ritu, neque hâc significatione.* Quin etiam nonnullis interjectis asserit, quòd Confirmatione dimidia pars efficaciæ à Baptismo truncatur.

Idem cum Calvino sentiunt Calvinistæ, qui *in suis catechesibus* duo sacramenta profitentur, videlicet Baptismum et cœnam.

SECTIO VII.

De Antonio de Dominis, et Dallæo Calvinistis.

Antonius de Dominis, lib. 5 de Republicâ Eccles. c. 5, contendit Confirmationem non esse sacramentum à Baptismo distinctum, nec à Christo institutum, sed cæremoniam purè ecclesiasticam ad ritus Baptismi pertinentem. *Nam nullus est*, inquit, *locus in Evangelio, qui vel à longè innuat hanc institutionem et mandatum de dandâ Confirmatione : neque Apostoli unquàm asseruerunt se talem institutionem vel tale mandatum à Christo accepisse. Confugere verò ad traditionem in asserendis divinis sacramentis, videri valdè temerarium; quia certum et evidens esse deberet, id perpetuò in Ecclesiâ ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse invariabiliter non modò servatum, sed servatum tanquàm rem à Christo institutam et mandatam cum suâ promissione. At nihil constans de Confirmatione, nihil firmum, nihil certum in ipsis habetur traditionibus; sed maxima et essentialis intercessit variatio : et nusquàm constat, id tanquàm Christi institutum fuisse traditione propagatum. Cæremonia quidem confirmandi, seu consignandi, fuit quidem in antiquâ Ecclesiâ per plura secula, sed tanquàm cæremonia purè ecclesiastica ad ritus baptismi pertinens.*

Spalatensis, id est, Antonii de Dominis, doctrinam secutus est Dallæus Calvinista in suo tractatu *de Confirmatione.*

ARTICULUS II.

QUID DOCEAT FIDES CATHOLICA.

Fides Ecclesiæ catholicæ, circa rationem sacramenti novæ legis, quæ Confirmationi convenit, exprimitur in concilio Tridentino, sess. 7, can. 1 de Sacramentis in genere : *Si quis dixerit*, inquit, *sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem*, etc., *aut etiam aliquod horum septem, non esse verè ac propriè sacramentum, anathema sit.* Et can. 1 de Confirmatione : *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potiùs verum ac proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesim quamdam, quâ adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant, anathema sit.*

Hæc est fides quam omnes catholici amplectuntur.

SECTIO PRIMA.

Utrùm probari possit ex Scripturis Confirmationem esse sacramentum novæ legis.

Negant hæretici, de quibus supra quin etiam et nonnulli Catholicorum. Alensis enim, Bonaventura et alii qui opinantur istud sacramentum non fuisse à Christo per se et immediatè institutum, consequenter existimant illud non posse efficaciter probari ex Scripturis sacris. Ex iis verò theologis, quibus placet illud à Christo immediatè institutum, Scotus in 4, d. 7, lib. 6, ad 1; Gabriel in 4, d. 7, q. unicâ; Major ibidem, et alii, putant hanc fidei veritatem ex Scripturis non posse stabiliri adversùs hæreticos, sed ex solâ traditione probari posse.

Assertio. — Probatur efficaciter ex Scripturis sacris, Confirmationem esse sacramentum novæ legis, videlicet ex Actis et ex Epistolâ ad Hebræos.

Prima probatio.— Prima probatio sumitur ex Actis, c. 8, v. 14, 15, etc. Baptizatis enim per Philippum diaconum Samaritanis : *Cùm audissent apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem : qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum : nondùm enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Et ex iisdem Actis, c. 19, v. 6. *Cùm Paulus imposuisset manus* duodecim discipulis recens baptizatis, *venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant.* Ex quibus locis cum Sanbovio jam laudato sic argumentor : Ubi signum est sensibile, constans ex rebus et verbis, perpetuum, et practicum gratiæ sanctificantis, ibi sacramentum est novæ legis. Atqui videre est in locis citatis signum sensibile, constans ex rebus et verbis, perpetuum, et practicum gratiæ sanctificantis; nempe manuum impositionem orationi conjunctam, quæ sequentibus Ecclesiæ seculis semper observata, et perpetuò adhibita fuit ad significandum et conferendum gratiæ sanctificantis augmentum in neophytis.

Major constat. Minor negatur ab hæreticis qui contendunt signum illud fuisse duntaxat institutum pro incunabulis Ecclesiæ ad gratias gratis datas, quæ sub visibili specie conferebantur, significandas : probatur autem à nobis ex Patribus, qui luculentissimè testificantur hanc ipsam manuum impositionem, de quâ in Actis Apostolorum, esse id quod sequentibus Ecclesiæ seculis usurpatum est ad gratiam sanctificantem in neophytis augendam, et confirmandam.

Cyprianus, Carthaginensis episcopus, in epistolâ ad Jubaianum, quæ est 73, sic habet : *Quod autem dicunt quidam de eis, qui in Samariâ baptizati fuerant, advenientibus apostolis Petro et Joanne, tantùm super eos manum impositam esse, ut acciperent Spiritum sanctum, rebaptizatos tamen non esse; locum istum, frater charissime, ad præsentem causam videmus omninò non pertinere. Illi enim, qui in Samariâ crediderant, fide verâ crediderant; et intùs in Ecclesiâ quæ est una, et cui soli gratiam Baptismi dare et peccata solvere permissum est à Philippo diacono, quem iidem apostoli miserant, baptizati erant. Et idcircò, quia legitimum et ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat; sed tantummodò quod deerat, id à Joanne et Petro factum est, ut oratione pro eis habitâ, et manu impositâ, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus; quod nunc quoque apud nos geritur ut qui in Ecclesiâ baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur.*

Ex his Cypriani verbis apparet, 1° quòd ætate hu-

jus episcopi Carthaginensis id gestum fuerit in Ecclesiâ per *impositionem manuum et orationem*, quod à Petro et Joanne legitur in Actis factum Samaritanis recens baptizatis. Hæc igitur manuum impositio non fuit instituta pro eo duntaxat tempore, quo gratiæ gratis datæ visibiliter conferebantur. 2° Ætate Cypriani gratiæ gratis datæ desierant sub visibili specie conferri. Hæc igitur impositio tunc non significabat gratias gratis datas sub visibili specie collatas. 3° Manuum impositio orationi conjuncta ætate Cypriani adhibebatur, ut neophyti per illam consequerentur eumdem Spiritum sanctum, quem Samaritani consecuti sunt. Ergo per hanc vocem, *Spiritus sanctus*, intelligi non debent gratia gratis datæ, sed gratia sanctificans. Denique hanc manuum impositionem orationi conjunctam esse Confirmationem ab episcopis tunc adhiberi solitam evincitur, tum ex postremis verbis, *ut per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur*: tum ex unanimi eruditorum consensu, qui conveniunt hìc agi de Confirmatione neophytis adhibitâ ab episcopis.

Joannes Chrysostomus, Homil. 18 in cap. 8 Actorum, verba citata interpretans, de Philippo ita loquitur: *Philippus*, inquit, *unus ex septem discipulis erat, secundus à Stephano: ideò et baptizans, Spiritum sanctum non dabat: neque enim facultatem habebat: hoc enim donum solorum apostolorum erat..... Nam virtutem quidem septem illi discipuli acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in apostolis singulare. Unde et præcipuos, et non alios videmus hoc facere.* Joannis igitur ætate, *præcipui*, id est, episcopi *et non alii hoc faciebant*, quod Petrus et Joannes, id est, manus imponebant, imponendo orabant, et per impositionem orationi conjunctam dabant Spiritum sanctum. Atqui gratiæ gratis datæ per signa visibilia collatæ longè ante Chrysostomum conferri desierant.

Innocentius, primus hujusce nominis pontifex, in epist. 1 ad Decentium Eugubinum, c. 3: *De consignandis verò infantibus*, inquit, *manifestum est non ab alio quàm ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licèt sint sacerdotes, pontificatûs tamen apicem non habent. Hæc autem pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiæ demonstrat, verùm et illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizaptis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris, seu extra episcopum, seu præsente episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cùm tradunt Spiritum sanctum.*

Quæ quidem verba declarant manuum impositionem, Actuum cap. 8 relatam, eamdem esse cum confirmatoriâ, quæ frequentabatur ætate Innocentii 1, qui sub finem seculi IV et sub initium seculi V floruit. Sed tempore Innocentii gratiæ gratis datæ non conferebantur sub specie visibili per manuum impositionem tunc ab episcopis adhiberi solitam.

Hieronymus, *in dialogo adversùs Luciferianos*, Luciferiano qui dixerat: *An nescis ecclesiarum esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret, quia et multa alia quæ per traditionem in ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deindè egressos lactis et mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem:* Luciferiano, inquam, hæc objicienti sic respondet Hieronymus sub nomine orthodoxi: *Non abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat.* Et postea: *Episcopus si imponit manum, iis imponit, qui in rectâ fidè baptizati sunt.* Et infra: *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui? disce hanc observationem ex eâ auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit: et multis in locis idem facilitatum reperimus, ad honorem potiùs sacerdotii, quàm ad legis necessitatem.*

Ex hoc loco colligitur, 1° orationem, manuumque impositionem, quæ Hieronymi tempore super baptizatos fieri solebat, eamdem esse cum illâ, de quâ Act. 8 et 19; 2° per illam collatum fuisse baptizatis Spiritum sanctum: 3° per Spiritum sanctum debere intelligi gratiam sanctificantem, cùm intelligi non possint gratiæ gratis datæ sub specie visibili concessæ, quæ Hieronymi ætate desierant.

Augustinus, lib. 15 de Trinitate, c. 26, disputans de processione Spiritûs sancti à Patre et Filio, docet ex Scripturis, Spiritum et à Patre et à Filio dari, neque Deum posse dari nisi à Deo. Quia verò poterat objici Spiritum sanctum datum fuisse à Christi discipulis per manuum impositionem: objectionem hisce verbis præoccupat: *Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos quibus manum imponebant; non ipsi eum dabant.* Statim subjicit: *Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Ætate igitur Augustini religiosè observabatur hæc ipsa manuum impositio, quâ Christi discipuli usi fuerant ad Spiritum sanctum baptizatis obtinendum. Atqui hoc tempore nullæ gratiæ gratis datæ sub specie visibili conferebantur.

Lib. 3 de Baptismo, c. 16: *Non autem habent Dei charitatem*, inquit, *qui Ecclesiæ non diligunt unitatem, ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi, nisi in Ecclesiâ catholicâ Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manûs impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiæ primordia dilatanda: (Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui)? Sed invisibiliter*

et latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere : « Quoniam « charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. » Ritus igitur *impositionis manuum*, qui ab Apostolis, idem ætate Augustini frequentabatur ab episcopis : cum eo duntaxat discrimine, quòd per illum ab Apostolis daretur Spiritus Sanctus modo visibili, propter gratias gratis datas visibiliter concessas; nunc verò detur Spiritus invisibiliter et latenter per charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris.

Rem adhuc explicat luculentiùs, tractatu 6 in 1 Epist. Joannis : *Primis temporibus*, inquit, *cadebat super credentes Spiritus sanctus, et loquebantur linguis quas non didicerant*, etc., *signa erant tempori opportuna; oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum, quia evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, et transiit : numquid modò, quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrùm utrùm linguis loquerentur? et cùm videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrùm fuit, ut diceret : Non acceperunt isti Spiritum sanctum, quia si accepissent, linguis loquerentur? Si ergo per hæc miracula modò testimonium præsentiæ Spiritûs sancti non fit, unde cognoscit quisque accepisse Spiritum sanctum? interroget cor suum : si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo.*

Auctor 50 Homiliarum, quæ sub Eusebii nomine circumferuntur : *Quod nunc in confirmandis neophytis*, inquit, *manûs impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritûs sancti descensio in credentium populos donavit universis.*

Isidorus, Hispalensis episcopus, lib. 2 de Officiis, c. 26 : *Post Baptismum*, inquit, *per episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione : hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus apostolos.* Mox refert verba Actuum, c. 19, v. 1, 2, 3, 4, 5 et 6; item verba Actuum, c. 8, v. 14, 15, 16 et 17 : subjicitque : *Spiritum sanctum accipere possumus, dare autem non possumus ; sed ut detur, Deum invocamus. Hoc autem à quo potissimùm fiat, quemadmodùm papa sanctus Innocentius scribit, subjiciam.* Locum deinde exscribit citatum Innocentii ad Decentium.

Beda, in caput 8 Actuum, ad verba superiùs relata *Notandum*, inquit, *quòd Philippus, qui Samariæ evangelizabat, unus de septem fuerit : si enim apostolus esset, utique manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum; hoc enim solis pontificibus debetur. Nam presbyteris, sive extra episcopum, sive præsente episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cùm tradunt Spiritum paracletum baptizatis.*

Jesse, Ambianensis episcopus, de Baptismo : *Post hæc*, inquit, *confirmet eum episcopus in fronte de chrismate. Ideòque manûs impositio fit, ut per impositionem advocatus et invitatus Spiritus sanctus super eos descendat, juxta exemplum Apostolorum.* Moxque subjicit verba capitis 8 Actuum.

Theodulphus, Aurelianensis episcopus, lib. de Ordine Baptismi, c. 27 : *Quòd ergo*, inquit, *presbyteris baptizatos chrismate ungere licet, Spiritum sanctum per manûs impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab apostolis Ecclesiæ est traditus.* Subjungitque verba Actuum 8 et 19.

Amalarius Fortunatus, Trevirensis episcopus, lib. 1 de Officiis, c. 27, ad eamdem stabiliendam veritatem, refert verba capitum 8 et 19 Actuum : et sub finem ejusdem capisti : *Ut ab episcopis solis*, inquit, *inungatur per manûs impositionem, ab apostolis assumptum est, ut Beda declarat in tractatu super Actus Apostolorum.* Et paucis interjectis. *Ut à solis pontificibus*, inquit, *per manûs impositionem et orationem detur Spiritus sanctus, similiter ab apostolicâ auctoritate sumptum est, ut in Actibus Apostolorum scriptum est.*

Walafridus Strabo, lib. de Rebus ecclesiasticis, cap. 26, ait primis temporibus impositione manuum Confirmationem conferri solere : quod in Samariâ fecisse *Petrum legitur et Joannem.* Quæ Confirmatio et tunc ad primos Ecclesiæ pastores, et nunc *pertinere non dubitatur.*

Concilium VI Parisiense, anno 829 congregatum, lib. 1, c. 27, loquens de chorepiscopis, ostendit locos Actuum, capitis 8 et capitis 19 intelligi de impositione manuum confirmatoriâ.

Jonas, Aurelianensis episcopus, lib. 1 de Institutione laicali, ritus Confirmationis explicans, ex iisdem Actorum locis probat solum episcopum esse ministrum hujus sacramenti.

Bertramus, seu Ratramnus, monachus Corbeiensis, qui ut Græcorum objectionibus responderet, anno 867 delectus est, lib. 4 contra Græcorum opposita, c. 7, ait : *Manus imponentibus super eos apostolis, acceperunt Spiritum sanctum : quæ forma servatur hodiè in Ecclesiâ, ut baptizentur quidem fideles per presbyteros, gratia verò Spiritûs sancti per impositionem manuum tribuatur ab episcopis; quod tunc fit, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur.* En manûs impositionem, quæ eadem est ac illa, quæ ab Apostolis observata fuit : quæ gratiam Spiritûs sancti tribuit : quæ diversum à baptismali effectum et ministrum habet. Et paulò post : *Donum Spiritûs sancti tribuitur per impositionem manuum, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur.* Et iterùm : *Constat Spiritûs sancti gratiam per unctionem frontis ex chrismate ab episcopo donari.* Ac inferiùs : *Ecclesiastici viri statuerunt ut frontes baptizatorum non à presbyteris, sed ab episcopis chrismate sancto linirentur, ut per eos Spiritûs sancti gratia conferretur.*

Auctor libri de Divinis Officiis, qui nomine Alcuini circumfertur, cap. 19 : *Quamvis presbyteri sint sacerdotes, pontificatûs tamen apicem non habent; et ideò solis pontificibus debetur ut consignent, vel Spiritum sanctum tradant, sicut lectio apostolicorum Actuum demonstrat, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, ut baptizatis traderent Spiritum sanctum.*

Honorius Augustodunensis, in Gemmâ animæ, cap. 114 : *Hanc confirmationem fecerunt olim Apostoli per manûs tantùm impositionem : illorum posteri, eis tamen tradentibus per chrismatis consecrationem.*

Ex iis omnibus auctoritatibus apparet manuum impositionem, quam Petrus et Joannes neophytis Samaritanis adhibuerunt, esse ritum perpetuum, per quem gratia sanctificans in animâ suscipientium producitur.

SECUNDA PROBATIO.

Secunda probatio desumitur ex Epistolâ ad Hebræos, c. 6, v. 1 et 2, ubi sic habet Apostolus : *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.* Quæ quidem manuum impositio de sacramento Confirmationis exponitur, ex Græcis à Chrysostomo, Theodoreto, Alexandro, Eulogio, Gennadio, concilio Constantinopolitano, Photio, Œcumenio, et Theophylacto; et ex Latinis ab Augustino, Ambrosiastro, Sedulio, Primasio, Lanfranco, et Anselmo, quorum testimonia infra referemus.

Solvuntur objectiones Calvini.

Objicit 1°, *quòd hic ritus confirmandi nullam in Scripturis sacris habeat promissionem gratiæ. Ubi Dei verbum*, inquit ille, lib. 4 Instit., cap. 19, § 5, quòd *Spiritûs sancti præsentiam hìc promittat, ne iota quidem ostendere possunt.*

Respondeo 1° hanc gratiæ promissionem haberi Joannis 14, 15 et 16; Lucæ ultimo; Act. 1, v. 5 et 8. Recole quæ dicta sunt, ubi de refutatione primæ Calvini responsionis, ratione 7.

Respondeo 2° illam promissionem Spiritûs sancti constare ipso facto Apostolorum, qui per manuum impositionem conferebant Spiritum sanctum omnibus baptizatis.

Respondeo 3° illam constare traditione et auctoritate Patrum, qui conceptis terminis, asserunt Spiritum sanctum ab omni ævo in Ecclesiâ traditum fuisse per ritum Confirmationis.

Objicit 2°, quòd in sacramento verbum requiratur. Sed nullum in Scripturis verbum apparet. *Accedat*, inquit Augustinus, *verbum ad elementum, et fiet sacramentum.* Hoc verbum proferant? Ita Calvinus, ibidem, § 5.

Respondeo verbum quidem in Scripturis non exprimi : certum tamen ex illis esse, quòd Apostoli, cùm manus imponerent et per hanc manuum impositionem advocarent Spiritum sanctum, verbo quodam et oratione seu formulâ uterentur, ut patet ex *Actuum* 8, v. 15; quâ de re infra, ubi de formâ.

Objicit 3°, quòd dona linguarum et miraculorum jam desierint; adeòque hæc manûs impositio jam otiosa sit. *Ubi gratia illa desiit, quorsùm pertinet manuum impositio? Cessârunt illa virtutum miracula, et manifestæ operationes, quæ per manuum impositionem distribuebantur; nec nisi ad tempus esse debuerunt.* Ita ille, ibid., § 6.

Respondeo. Cessârunt illa virtutum miracula, et manifestæ operationes, quæ per fidem primis Ecclesiæ temporibus fieri solebant, nec nisi ad tempus esse debuerunt. Ideòne fides hodiè inutilis est? Quemadmodùm igitur initio Ecclesiæ, qui credebant, operabantur miracula, juxta illud Marci ultimo : *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur; super ægros manus imponent, et benè habebunt*, etc., nunc verò cessavit iste effectus fidei, nec tamen fides otiosa est, quia suum effectum principalem habet, qui est vivificare; *Justus* enim *ex fide vivit*, ad Rom. 1; ita manuum impositio, licèt dona exteriora, quæ per eam distribui solebant, desierint, non ideò inutilis est, quia suum effectum primarium et præcipuum adhuc retinet, qui est *corroborare per divinam charitatem invisibiliter et latenter cordibus nostris inspiratam.* Recole textum secundum Augustini *infra* relatum, ubi de textibus primi generis.

Objicit 4° : Asserere manuum impositionem ab Apostolis adhibitam, esse sacramentum, ejusdem hoc rationis est, ac si quis diceret flatum illum, quo Dominus discipulos suos afflavit, sacramentum esse, quo daretur Spiritus sanctus. Ita ille, ibidem, § 7.

Respondeo latum esse discrimen : sacramentum enim esse debet ritus perpetuus : flatus verò ille nec ab apostolis, nec ab eorum successoribus observatus est : cùm è contra apostoli eorumque successores ab omni ævo Spiritum sanctum contulerint per manuum impositionem.

Objicit 5° : Effectus qui Confirmationi tribuuntur, pertinere ad Baptismum. Ita ille, ibidem, § 8.

Verùm hâc de re alibi, ubi scilicet de effectu hujus sacramenti Confirmationis. 2° Veteres Confirmationem à Baptismo plerùmque sejungebant in clinicis, ex Cornelio papâ; in navigaturis, ex concilio Illiberitano; in iis, qui absente episcopo baptizabantur à presbyteris vel à diaconis, ex Hieronymo et aliis. 3° Hæc conjunctio vel separatio ad disciplinam, nihil verò ad fidem attinet.

Solvuntur Objectiones Dallæi.

Objicit 1° : Dallæus in suo tractatu de Confirm., lib. 3, c. 9, *datum ab Apostolis per manuum impositionem Spiritum sanctum, fuisse propriè Spiritum charismatum gratis datorum, sive miraculorum, et extraordinariorum : quod patet ex illis verbis propheticis Joelis 2 : « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri. » Item ex illo Marci ultimo : « Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient. » Item ex Actis passim, ubi observatur, quod ii in quos descendebat Spiritus sanctus, loquebantur linguis.*

Respondeo illis quos Apostoli per manuum impositionem confirmabant, concessum fuisse utrumque charisma, et gratis datum et gratum faciens; manuum enim impositio id eis omne tunc temporis præstitit quod nobis hodiè præstat : quamvis nobis hodiè non præstet id omne, quod eis præstitit : duplex enim erat Confirmationis effectus, transitorius unus, qui ut Augustini verbis utar, temporalis *et sensibilis erat, et post promulgatam Evangelii legem desiit, videlicet, Spiritus sanctus temporalibus et sensibilibus*

miraculis datus, per manûs impositionem, hoc est, gratiæ gratis datæ et visibiliter concessæ, *quæ*, ut ait Augustinus ibidem, libro nempe 3 de Baptismo, c. 16, *dabantur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiæ primordia dilatanda : alter permanens et perpetuus, qui fidelibus ab incunabulis Ecclesiæ, et etiamnùm confertur : nimirùm*, inquit Augustinus, ibidem, *divina charitas invisibiliter et latenter cordibus nostris inspirata.*

Objicit 2° lib. 1, c. 10, Samaritani à Philippo baptizati, cum per Petri et Joannis manuum impositionem acceperunt Spiritum, quo ante caruerant. Atqui non caruerant Spiritu sancto relativè ad gratiam sanctificantem, quia Christi Baptismo fuerant regenerati, adeòque Christi erant. *Qui vero Christi sunt, illi spiritum Christi habent :* si quidem ex Paulo ad Rom. 8; *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Caruerant autem gratiâ gratis datâ. Igitur gratiam gratis datam acceperunt non autem gratiam sanctificantem.

Retorqueo circa Eucharistiam : pari siquidem argumento probaretur, fideles, qui ritè dispositi ad communionem accedunt, nullam recipere gratiam sanctificantem. Eam enim gratiam recipiunt quâ carent. Sed non carent gratiâ sanctificante, quandoquidem supponuntur ritè dispositi. Nullam igitur gratiam sanctificantem recipiunt in perceptione Eucharistiæ. Simili quoque ratione concluderetur, Apostolos, super quos Spiritus sanctus die Pentecostes descendit, non accepisse Spiritum sanctum, prout importat spiritum prædicationis Evangelii. Eum enim Spiritum acceperunt, quo priùs carebant. Atqui priùs non carebant Spiritu sancto, prout importat spiritum prædicationis Evangelii : quemadmodùm apparet ex Christi verbis, Matth. 10 : *Non enim vos estis qui loquimini : sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Apostoli igitur die Pentecostes non acceperunt Spiritum sanctum, etc. Denique eodem syllogismo concludi posset Apostolos die Pentecostes nullam suscepisse gratiam sanctificantem. Eam enim gratiam receperunt quâ carebant. Aqui non carebant gratiâ sanctificante. Ergo.

His igitur aliisque id genus argumentis respondendum, Samaritanos, qui à Petro et Joanne confirmati sunt; fideles, qui ritè dispositi, ad Eucharistiam accedunt, et apostolos, qui die Pentecostes susceperunt Spiritum sanctum, non caruisse quidem gratiâ sanctificante simpliciter, caruisse tamen eâ intensione ac perfectione gratiæ sanctificantis, quam deinde susceperunt. Gratia enim sanctificans in Samaritanis per manuum impositionem, et in apostolis per descensum Spiritûs sancti adaucta fuit, et in fidelibus per communionem quotidiè adaugetur.

Instat 1° Dallæus. Baptizati eam duntaxat gratiam consecuti sunt per manuum impositionem, quâ priùs carebant. Atqui non carebant gratiâ sanctificante, quæ datur ad robur, et fidelem confirmat. Gratiam igitur confirmantem minimè consecuti sunt per manuum impositionem, sed solam gratiam gratis datam. Minor probatur, quia in Baptismo datur venia peccatorum, adoptio, jus hæreditatis, Spiritus sanctus sanctificans et consolans, certa spes immortalitatis, Christus denique induitur : quæ quidem omnia christiani militis animum confirmant.

Nego minorem. Nec enim in Baptismo datur gratia confirmans, sed ad illam plura requiruntur, quàm quæ hìc describuntur. Verùm de his infra.

Instat 2°, et adducit auctoritatem Chrysostomi, homil. 18 in Acta, qui post verba ex Actis, c. 8, à nobis superiùs in probationem adducta, subjicit : *Quomodò*, inquit, *Spiritum sanctum illi Samaritani à Philippo baptizati non receperant?* statimque respondet : *Spiritum acceperant remissionis, spiritum autem signorum nondùm receperant.* Samaritani igitur spiritum remissionis acceperant per Baptismum, sed spiritum duntaxat signorum per manuum impositionem susceperunt.

Nego consequens : Si quidem spiritus signorum non excludit spiritum sanctificantem. Quod autem ex mente Chrysostomi hæc manuum impositio contulerit spiritum sanctificantem, apparet ex ipso Chrysostomo, qui post verba objecta subjicit textum à nobis superiùs laudatum, eoque textu quinque docet : primum quidem, quòd Spiritus sanctus conferatur per manuum impositionem; deinde quòd Philippus, quamvis baptizaret, non daret Spiritum sanctum; 3° quòd Philippus, qui unus erat è septem diaconis, virtutem quidem haberet faciendi signa; non autem imponendi manus et dandi aliis Spiritum sanctum : 4° quòd potestas imponendi manus et per illam impositionem dandi Spiritum sanctum, donum esset solis apostolis concessum : 5° quòd ætate suâ *præcipui*, hoc est, episcopi, *et non alii* darent Spiritum sanctum per impositionem manuum. Joannis igitur Chrysostomi ætate episcopi et non alii conferebant Spiritum sanctum per manuum impositionem. Atqui hâc ipsâ ætate non conferebant Spiritum signorum, quia signa tunc desierant. Alium igitur conferebant spiritum, nempe sanctificationis ad robur et fortitudinem animæ.

Quæres : Quorsùm igitur Chrysostomus in verbis objectis meminit duntaxat spiritûs signorum per manuum impositionem concessi, non autem spiritûs sanctificationis et roboris : maximè cùm spiritus sanctificans et corroborans sit præcipuus Confirmationis effectus.

Respondeo 1° Chrysostomum sub nomine spiritûs signorum fortè comprehendisse spiritum sanctificationis et roboris; aut saltem, cùm meminit spiritûs signorum, consequenter meminisse spiritûs sanctitatis et roboris : siquidem cuicumque conferebatur etiam spiritus sanctificationis ad robur. Spiritus enim signorum non conferebatur nisi neophytis, qui ad Confirmationem ritè dispositi accederent. Quis enim sibi persuadeat Spiritum sanctum modo visibili super Simonem magum, aut alios id genus neophytos descendisse? Sed qui ad Confirmationem accedebant ritè dispositi, præcipuum ejus effectum accipiebant; quia sacramenta præcipuum suum effectum in ritè dispositis semper producunt. Præcipuus verò effectus Confirmationis, est gratia sanctificans et corroborans.

Igitur confirmatis, quibus conferebatur spiritus signorum, iisdem conferebatur spiritus sanctitatis et roboris.

Si quis verò abnuat, Chrysostomum sub nomine spiritûs signorum comprehendisse spiritum sanctitatis ad robur; duæ rationes adhuc afferri possunt, cur Chrysostomus meminerit spiritûs signorum, non autem spiritûs sanctificationis et roboris. Prima quòd ex concessione prioris spiritûs rectè colligitur posteriorem quoque fuisse concessum, non contra. Quicumque enim confirmati accipiebant spiritum signorum, iidem recipiebant gratiam sanctificationis ad robur: at nec ipsâ quidem Apostolorum ætate Spiritus sanctus modo visibili descendebat super omnes fideles, qui ad Confirmationem ritè dispositi accedebant, sed super nonnullos, eos præsertim, qui charitate flagrabant. Itaque cùm ex concessione prioris effectûs rectè inferatur concessio posterioris; non contrà; eam ob rem Chrysostomus meminisse potiùs debuit prioris quàm posterioris effectûs; neque necesse fuit ut posterioris effectûs aliquam mentionem faceret. Altera ratio est, quòd spiritus signorum esset effectus visibilis, qui modo sensibili et prorsùs divino conferatur: quo fit ut effectus ille, quamvis temporaneus, nihilominùs præcipuo et perpetuo Confirmationis effectui quoad speciem et apparentiam præstaret.

Objicit 3° Dallæus. Adventus Spiritûs sancti exprimitur Actorum 8, v. 16, voce græcâ ἐπιπεπτωκὸς, quæ vox derivatur ab ἐπιπίπτω, quod significat *supercado*, *irruo;* atque ita descensus violentus exprimitur. Atqui donatio spiritûs sanctificantis hisce verbis nusquàm exprimitur in Scripturis, sed donatio spiritûs prophetici; quia prior spiritus descendit suaviter, et posterior vehementer.

Respondeo 1°, dato, non concesso, quòd hâc voce Græcâ in Scripturis sacris exprimatur donatio spiritûs prophetici, nusquàm verò donatio spiritûs sanctificantis, nihil inde concludi adversùs fidem catholicam. Cùm enim duplex esset descensus Spiritûs sancti, visibilis unus, et alter invisibilis, nihil vetat quominùs Lucas potiùs visibilis descensûs, ut quem omnes mirarentur, quàm invisibilis mentionem fecerit.

Respondeo 2° Spiritum sanctum die Pentecostes super Apostolos descendisse cum impetu: *Factus est*, inquit Lucas, Actorum 2, v. 2, *repentè de cœlo sonus, tanquàm advenientis spiritûs vehementis*, ubi pro *tanquàm advenientis spiritûs vehementis*, legit Calvinus, *quasi violento flatu irruente*. Attamen super ipsos descendit Spiritus sanctus ratione gratiarum, tum gratis datarum, quales sunt prophetia, donum linguarum; tum sanctificantium, quales sunt charitas, et septem dona Spiritûs sancti: non quòd gratia sanctificans et gratiæ gratis datæ, illis tunc fuerint simpliciter concessæ (utramque enim jam habebant), sed quia concessæ fuerunt cum augmento. *Erat quidem in eis, scilicet Apostolis, fides*, inquit Augustinus, serm. 85, de Tempore, *sed fiducia constantiæ deerat: jam quidem Christum per universa poterant prædicare, sed adhuc pro Christo usque ad mortem certare non poterant usque adeò ut nullum ex discipulis coronaverit palma martyrii ante adventum Spiritûs sancti. Et quidem tunc fuit completum, quod Christus dixerat Apostolis Lucæ ultimo: « Vos autem sedete in civitate, « quoadusque induamini virtute ex alto. »* Item tractatu 66 in Joann. Petrum pro Christo mori cupientem sic alloquitur: *Quid festinas, Petre? nondùm te suo Spiritu solidavit petra.* Et tract. 92, alludens ad trinam interrogationem Petro factam, tempore passionis ab ancillâ, et post resurrectionem à Christo: *Ante passionem Domini, servilis timor ejus interrogatus est à feminâ servitutis; post resurrectionem verò Domini, liberalis ejus amor ab ipso principe libertatis: et ideò ibi turbabatur, hìc tranquillabatur; ibi quem dilexerat, negabat, hìc quem negaverat, diligebat; sed adhuc etiam tunc amor ipsi infirmus fuerat, et angustus, donec eum roboraret et dilataret Spiritus sanctus.* Amor igitur, quo Petrus Christo interroganti, respondit, *etiam, Domine, tu scis quia amo te*, adhuc infirmus et angustus erat: sed die Pentecostes roboratus et dilatatus fuit à Spiritu sancto.

3° Verbum ἐπιπίπτω, ut in lexico videre est, græcè significat *supercado*, *irruo*, *illabor*. Atqui *supercado* et *irruo* designant descensum violentum: *illabor* autem frequenter designat suavem descensum, ut legere est apud Ciceronem, lib. 1 de Finibus, ubi voluptatis suavitas per illapsum exprimitur. *Nàm si ea voluptas esset*, inquit Cicero, *quæ quasi titillaret sensus, et ad eos cum suavitate affluereet et illaberetur*, etc., Lucas igitur convenienter usus est voce Græcâ, quæ utrumque descensum significaret, violentum scilicet, qui proprius est spiritui signorum; et suavem, qui proprius est spiritui sanctificanti.

4° Hâc ipsâ voce utitur Lucas in eorumdem Actuum, cap. 10, v. 44: *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus* (Græcè ἐπέπεσε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον) *super omnes qui audiebant verbum.* Atqui verbum ἐπέπεσε, ibi significat non modò violentum, sed etiam suavem descensum. Subjicit enim Lucas versu 45 proximè sequenti: *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia et in nationes gratia Spiritûs sancti effusa est.* Ubi quod Lucas dixerat: *Cecidit Spiritus sanctus*, circumcisi fideles dixerunt: *Gratia Spiritûs sancti effusa est:* quæ sanè verba suavem descensum designant. Præterea verbum ἐπέπεσε, ibi significat, non solùm gratias gratis datas, sed etiam gratiam sanctificantem; quia versu 45 proximè sequenti, illum Spiritûs sancti descensum, fideles, qui aderant, interpretati sunt *de gratiâ Spiritus sancti, quæ in nationes effusa est.* Quæ quidem verba eadem ferè sunt, et gratiam prorsùs eamdem significant, ac illa quæ habentur ad Rom. 5, v. 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Lucas enim et Paulus utuntur eodem verbo ἐκκέχυται. Atqui verbum illud ad Rom. 5, certissimè significat suavem Spiritûs sancti descensum, et gratiam sanctificantem.

5° Eâdem iterùm voce Lucas utitur in Actis, cap. 11, v. 15: *Cùm cœpissem loqui*, inquit Petrus, *cecidit*

Spiritus sanctus super eos : ἐπέπεσε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτοῦ. Atqui casus seu descensus per hæc verba expressus complectitur effusionem gratiæ sanctificantis, quemadmodùm apparet, primum quidem ex eodem versu 15, *cecidit Spiritus sanctus super eos*, inquit Petrus, *sicut et in nos in initio*. Ii igitur catechumeni, quos Petrus erudiebat, licèt nondùm baptizati, eumdem tamen acceperunt Spiritum, quem Apostoli die Pentecostes acceperant. Sed Apostoli die Pentecostes acceperunt Spiritum sanctitatis. Deinde versu 16 proximè sequenti, Petrus ait catechumenos illos post descensum Spiritûs sancti baptizatos fuisse Baptismo ignis et Baptismo Spiritûs sancti, de quo Christus : *Joannes, quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto*. Baptismo autem flaminis, ignis, et Spiritûs sancti confertur gratia sanctificans. 3° Quia versu 17 dicitur, quòd *eamdem gratiam dedit illis* catechumenis *Deus, sicut et Apostolis, qui crediderunt in Dominum Jesum Christum*. 4° Quia versu 18 refertur quòd fideles, qui mirabilem hujusmodi descensum spiritûs super gentiles à Petro audiverant, *glorificaverunt Deum dicentes : ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Gratia igitur per hunc Spiritûs sancti descensum concessa, non fuit tantùm gratis data, sed etiam sanctificans. Quid enim, quæso, gratia, quâ *gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*, nisi gratia corda convertens et vivificans?

Objicit 4° Dallæus : Spiritus iste, qui manuum impositioni proprius est, non fuit à Philippo datus, nec ab illo dari potuit, ut Chrysostomus, Œcumenius, aliique interpretes in cap. 8 Act., testantur. Atqui nulla ratio fingi potest, cur Spiritus sanctitatis et roboris conferri non potuerit à Philippo, qui per baptismum conferebat gratiam sanctificantem. Spiritus igitur sanctitatis et roboris non erat effectus huic manuum impositioni proprius.

Respondeo in sacramentis totam rationem esse voluntatem instituentis, quia sacramenta instituta sunt ex beneplacito Christi, cui placuit, ut ministri sacramentorum essent diversi. Alius est igitur minister Baptismi, alius Confirmationis : et quemadmodùm Christo Domino visum est, ut Eucharistia non nisi à sacerdote, ita eidem placuit ut Confirmatio non nisi ab episcopo conferretur : quâ de re alibi, ubi de ministro hujus Sacramenti :

Objicit quædam alia Dallæus, sed quæ facilè dilui possunt.

SECTIO II.

Utrùm possit ex traditione probari Confirmationem esse sacramentum novæ legis.

Postquàm Dallæus libro 1 tentavit probare Confirmationem in Ecclesiâ Romanâ conferri solitam, non esse eumdem ritum, ac manuum impositionem baptizatis adhibitam, de quâ Actorum 8 et 19, totus est libro 2 ut alio detorqueat verba Patrum, quibus hujus Sacramenti veritas ab orthodoxis demonstratur. Eam ob rem quinque docet :

Primum est, impositionem manuum et unctionem, quas vocamus confirmatorias, inventas atque usurpatas fuisse post annum 160, nullamque earum mentionem extare in Clemente Romano, Athenagorâ, Theophilo, Tatiano, Justino martyre, Irenæo.

Secundum est, impositionem manuum et unctionem meras esse cæremonias ab Ecclesiâ institutas, quæ ad Baptismi ritus pertinent; quo quidem placito inanes reddere conatur innumeras Patrum auctoritates, in quibus mentio fit Confirmationis. Hanc effugiendi viam ante Dallæum invenerat Antonius de Dominis, lib. 5, c. 5, n. 10, etc.

Tertium est, manuum impositionem esse non posse materiam sacramenti, quod ille priùs, lib. 1, c. 12, probaverat hisce futilibus argumentis : 1° quia non legitur in Scripturis hunc ritum in materiam alicujus sacramenti à Christo institutum fuisse : 2° quia in nullo sacramento membra ministri tenent locum materiæ; 3° quia in ordinatione adhibetur manuum impositio; materia verò cujuslibet sacramenti propria esse debet.

Quartum est, unctionem chrismatis ex oleo et balsamo permixti et ab episcopo consecrati non esse materiam Sacramenti : quâ in re vim maximam facit Dallæus; quasi verò apud orthodoxos illud esset de fide.

Quintum est, unctionem baptismalem et confirmatoriam apud veteres unam et eamdem esse : quo fit ut Dallæus de unctione confirmatoriâ exponat, quæcumque Patres de baptismali dixêre, et quæcumque Patres de confirmatoriâ asseruerunt, ipse de baptismali explicet.

ASSERTIO.

Probatur efficaciter ex traditione Confirmationem esse sacramentum novæ legis.

Verùm, ut omnis ambiguitas auferatur, antequàm ad Patrum auctoritates veniamus, præmitti debet :

1° Aliud esse, quærere de Confirmatione, an sit sacramentum; et aliud quærere, quæ sit ejus materia, quæ forma, quis effectus, quis minister.

2° Certum esse theologis impositionem manuum, aut unctionem, aut utramque simul, esse materiam Confirmationis; quamvis inter se dissideant, an sola manuum impositio, vel unctio sola, vel utraque simul, sit materia huic sacramento essentialis.

3° Scripturas sacras, cùm docent rei cuipiam sensibili convenire, ut sit signum perpetuum et practicum gratiæ sanctificantis, docere consequenter rem illam esse sacramentum novæ legis.

4° Theologos, qui sentiunt unctionem chrismatis esse materiam seu partialem seu totalem Confirmationis, ita docere, quia pro certo habent ex sanctis Patribus unctionem illam habere virtutem sanctificandi, unde à posteriori colligunt unctionem illam à Christo institutam esse.

5° In eâ etiam opinione, quæ docet unctionem esse materiam Confirmationi essentialem, non est de fide, quòd hæc unctio debeat necessariò fieri ex chrismate, quod ex oleo et balsamo permixtum sit, et ab episcopo consecratum fuerit; adeò ut ex fide constet ad Sacra-

menti valorem non sufficere simplex à sacerdote benedictum.

6° In antiquâ Ecclesiâ neophytis, statim atque baptizati fuerant, Confirmatio sæpè conferebatur : unde fit ut Patres de utroque Sacramento, quasi de uno eodemque ritu locuti aliquando videantur.

7° Non solùm Confirmatio, sed etiam Eucharistia cum Baptismo sæpè conferebatur : quorum Eucharistia frequentiùs cum Baptismo, quàm Confirmatio jungebatur; nempe quando presbyteri absente episcopo baptizabant. Neque tamen inde sequitur Eucharistiam esse merum ritum, qui ad baptismum pertineat.

8° Confirmatio non est simplex ritus Baptismi : primùm quidem, si sit eadem ad manuum impositio, de quâ in Actis cap. 8 et 19, et quam constat non fuisse Baptismi ritum : deinde si à Patribus appelletur *Sacramentum* simpliciter, quia res quæ Sacramentum est simpliciter, longè differt à ritu ecclesiastico Sacramenti : 3° si dicatur à Christo instituta; quia cæremoniæ sacramentorum sunt ex merâ Ecclesiæ institutione : 4° si minister ejus alius sit à ministro Baptismi solemnis; quia Baptismus solemnis ille est, qui cum omnibus suis ritibus celebratur : 5° si gratiam confert ex opere operato; quia modus ille operandi proprius est Sacramentis novæ legis, et nulli cæremoniæ convenit : denique si gratiam à baptismali distinctam producit; quia unumquodque Sacramentum habet proprium effectum.

9° Quo tempore solus episcopus erat ordinarius minister baptismi, eodem unctio baptismalis à solo conferebatur episcopo : postquàm verò Ecclesia presbyteris et diaconis indulsit, ut tanquàm ordinarii ministri baptizarent, illis etiam concessit potestatem ungendi unctione baptismali, imò et progressu temporum unctionem hujusmodi eis præcepit.

His præmissis, modò veniamus ad nostram assertionem, eamque testimoniis Patrum stabiliamus.

CAPUT I.

Patres primi et secundi seculi.

Christianos qui primo seculo et secundo ferè toto vixerunt, caruisse isto Unctionis sacramento hinc noscitur, inquit Dallæus, *quòd ejus planè nulla occurrat mentio in veris et indubitatis, quæ satis multa extant, illorum temporum monumentis : v. g., extat genuina Clementis ad Corinthios ante primi seculi finem data epistola; extant Justini, Athenagoræ, Theophili, Tatiani, Irenæi opuscula non pauca, omnia post annum 150 et ante 197 Domini annum edita. Profectò non est verisimile hos omnes Patres nullam ejus unctionis mentionem in tam multis facturos fuisse, si quidem ipsa jam tum in Ecclesiâ pro vero ac legitimo, et à Christo Domino instituto omnium baptizatorum sacramento habita esset. Nam isti sanè vel omnes vel plerique, et Baptismi et Eucharistiæ (quæ vera esse sacramenta nemo dubitat) luculentissimè meminerunt. Cur qui meminerunt, Confirmationem tacuerint, nulla ratio dici potest, nisi hæc una quòd scilicet nullus tunc hujusmodi ritus eodem cum istis sensu apud Ecclesiam haberetur.*

Dallæus hisce verbis quatuor docet : 1° *Non pauca*, sed *satis multa extare opuscula* Clementis, Justini, Athenagoræ, Theophili et Irenæi; 2° Patres illos, *vel omnes vel plerosque, Baptismi et Eucharistiæ meminisse;* 3° neminem tamen eorum mentionem fecisse unctionis; 4° ex hoc Patrum in iis, quæ nunc extant, monumentis silentio apertè colligi quòd Confirmatio primis duobus Ecclesiæ seculis nondùm esset in usu.

Quot verba, totidem ferè mendacia. Inprimis enim non multa, sed pauca, extant opuscula Clementis, Justini, Athenagoræ, Theophili, Tatiani et Irenæi, quemadmodùm apparebit ex sequentibus paragraphis. Deinde ex Patrum albo expungi debet Tatianus Encratitarum hæresis parens. 3° In illis veris et indubitatis, quæ satis multa extant, illorum temporum monumentis, Clementis, Athenagoræ, Theophili et Tatiani, nulla fit mentio Baptismi et Eucharistiæ. 4° Theophilus et Irenæus, et Clemens, meminerunt Confirmationis. Denique, cùm omnia ferè opera horum quinque auctorum perierint; et ea pauca, quæ supersunt, rem illam, de quâ nunc agitur, videlicet numerum sacramentorum, minimè tractent, argumentum negativum ex illis petitum nihil omninò concludit; præsertim cùm Tertullianus, qui seculo II et III floruit, meminerit manuum impositionis, et unctionis confirmatoriæ, quasi ritûs antiqui : et Patres, qui subsecuti sunt, manuum impositionem suâ ætate observari solitam asseruerint eamdem esse, quæ ab Apostolis adhibebatur. Quod si liber *de Ecclesiasticâ hierarchiâ*, genuinum sit opus Dionysii Areopagitæ, quemadmodùm plurimi veteres et recentiores contendunt, certò certiùs constat unctionem confirmatoriam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis in usu fuisse; hujus enim unctionis meminit hic auctor, cujus testimonia referemus, ubi de Patribus, qui seculo IV floruerunt. Clementem, Justinum, et alios, quos objicit Dallæus, modò expendamus.

§ 1. *Clemens Romanus.*

Clemens, inquit Hieronymus, in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, *quartus post Petrum Romanus episcopus, qui obiit tertio Trajani anno, qui fuit à Christo nato centesimus, scripsit ex personâ Romanæ Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthiorum valdè utilem epistolam, quæ et in nonnullis locis publicè legitur, et mihi videtur characteri epistolæ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, convenire. Sed et multis de eâdem epistolâ non solùm sensibus, sed juxta verborum quoque ordinem, abutitur : omninò grandis in utrâque similitudo est. Fertur et secunda ejus nomine epistola, quæ à veteribus reprobatur : et disputatio Petri et Appionis longo sermone conscripta, quam Eusebius in tertio Historiæ Ecclesiasticæ volumine coarguit.* Sex igitur aliæ epistolæ, quæ nomine Clementis in tomo 1 conciliorum referuntur, nothæ sunt : nullaque germana est præter Epistolam ad Corinthios, cujus Irenæus, lib. 3 adv. hæres. cap. 3; Clemens Alexandrinus, lib. 4 et 5 Strom. Origenes, lib. 2 de Princip. et tom. 2 contra; Celsum, Eusebius, lib. 3 Hist. eccles., cap. 12 et 32

Cyrillus Hierosolym., catecheses. 18, Hieronymus in catalogo script. lib. 1 adv. Jovin. in cap. 52 Isaiæ, et in cap. 4 Epist. ad Ephes. meminerunt.

Illam Clemens, *dissensione non modicâ inter eos, qui Corinthi essent fratres factâ, scripsit... ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab Apostolis receperant traditionem annuntiantem unum Deum omnipotentem, factorem cœli et terræ*, etc., ex Irenæo *loco citato* : in eâque omnem penè sermonem suum de virginitatis puritate contexuit, ex Hieronymo, lib. 1 adv. Jovin.

Diù latuit hæc epistola, donec Patricius Junius eam è membranis laceris vetustissimi codicis, qui extat in bibliothecâ regiâ Oxoniensi, eruit, latinè vertit, notis brevioribus illustravit, jurisque publici fecit Oxonii anno 1633.

Genuinum quidem opus illud videtur, integrum verò dici non potest, quòd lacerarum membranarum lacunas supra ducentas sexaginta expleverit, vocesque deperditas et litteras vetustate exesas de conjecturâ suâ suppleverit Junius : qui etiam ad notarum calcem fatetur *desiderari in exemplari antiquo*, quo ipse usus est, *folium integrum, quod quatuor impressi codicis* (eodem autem ille impressus est, ut aiunt, in quarto minori) *folia constituit*.

Ex his autem apparet nullum esse argumentum negativum, quo Dallæus contendit Confirmationis sacramentum christianis primi seculi ignotum fuisse, quia Clemens in suâ ad Corinthios Epistolâ, hujus sacramenti non meminit. Si quidem, quomodò sacramentum illud Clementem aliosque fideles primi seculi latere potuit, quod scriptum legitur, Act. 8 et 19, et cap. 6 ad Hebræos? Manuum enim impositionem, quæ in his locis refertur, sacramentum esse probavimus veterum Patrum auctoritate. Deinde, quis asserere audeat hoc sacramentum non fuisse alibi à Clemente commemoratum ? 3° genuina sit, per me licet, Clementis ad Corinthios epistola per Junium edita ; imperfecta tamen et mutila est. 4° In hâc mutilâ epistolâ, nihil de Baptismo legitur, nihil de Eucharistiâ, quæ tamen duo Sacramenta non latuêre christianos primi seculi. 5° Argumentum hujus epistolæ non exigebat, ut Clemens aliquam Confirmationis mentionem faceret. Quid enim necesse erat sacramentum illud commemorare, ut Corinthios ad pacem et concordiam revocaret? 6° Ad restituendam inter Corinthios pacem et concordiam non parùm certè conduxisset commemoratio Baptismi et Eucharistiæ, ut quæ sint unitatis et charitatis sacramenta : quia verò Clemens horum non meminit, ideòne concludere licet hæc duo sacramenta non fuisse in usu toto illo tempore, quo Clemens Ecclesiæ præfuit ? 7° Quid si contendam gratiæ confirmatoriæ, atque adeò Confirmationis, mentionem initio hujus epistolæ factam fuisse ? Si quidem inter speciales virtutes et gratias quibus Corinthii ante exortam illam dissensionem, donati et sanctificati erant, Clemens recenset plenam super ipsos omnes factam Spiritûs sancti effusionem : *Plena etiam*, inquit, *super omnes Spiritûs sancti effusio facta est* : quæ quidem effusio, proprius est Confirmationis effectus : neque enim plena effusio Spiritûs sancti super aliquem baptizatum primis Ecclesiæ seculis facta legitur, nisi per confirmatoriam manuum impositionem.

§ 2. *Justinus martyr.*

Justinum philosophum, qui Romæ martyr obiit anno 163, *nihil tacuisse eorum, quæ tum in administratione Baptismi, alicujus momenti esse putabantur, præter summi viri candorem, ipsiusque orationis satis diù in hoc argumento versantis rationem, fidem facit ipsa illa, quâ hunc sermonem ingrediens utitur, contestatio, quâ scilicet rem totam diligenter ideò explicaturum profitetur ; ne si eam prætereat, malignè quidquam et dissimulanter agere videatur. Cùm ergo hæc ita præfatus, nihil tamen de unctione ac manûs impositione, nihil de cæteris, quæ postea apud christianos occurrunt, baptismi cæremoniis adjecerit ; omninò pro certo atque indubitato statuendum videtur, nihil adhuc istorum rituum apud christianos Justini temporibus in baptismo factitatum fuisse. Quæ verò in baptismo non fuit unctio, illa nunquàm alibi in omni eorum cultu fuit ; neque enim alibi quàm in Baptismo, statim post mersionem, fiebat primis illis seculis, quibus in usu esse cœpit.* Ita Dallæus lib. 3, c. 2 : cujus ratiocinatio ita redigi potest : Justinus in Apologiâ 2, se rem totam rituum ad Baptismum pertinentium diligenter ideò explicaturum profitetur, ne si eam prætereat, malignè quidquam et dissimulanter agere videatur. Nihil ergo tacuit eorum, quæ tum in administratione Baptismi, alicujus momenti esse putabantur. Atqui nihil adjecit de unctione et manûs impositione : nulla igitur tunc erat in Baptismo. Quæ verò in Baptismo non fuit unctio et manuum impositio, illa nunquàm alibi fuit primis Ecclesiæ temporibus. Nondùm igitur in usu erat unctio, manuumque impositio.

In hâc ratiocinatione occurrunt plura, quæ falsa mihi videntur.

Mihi siquidem inprimis constat Justinum, qui apologiam ad Antoninum pium scripsit anno 150, ibi tacuisse multa eorum, quæ tum in administratione baptismi, non alicujus, sed gravis momenti esse putabantur. Non enim observat, utrùm immersione, vel effusione, vel aspersione Baptismus ætate suâ administraretur ; quod tamen tanti visum est in veteri Ecclesiâ, ut seculo sequenti dubitatum fuerit, an baptismus per effusionem valeret ; quemadmodùm apparet ex epistolâ Cypriani ad Magnum. Non etiam observat sub quâ verborum formulâ traderetur. Non exprimit ejus ministrum. Nihil dicit de infantibus, qui tum baptizabantur, suumque sermonem ad solos adultos convertit. Nihil quoque de consecratione aquæ baptismalis et olei quam Basilius, lib. de Spiritu sancto, c. 27, ait ex apostolicâ traditione proficisci. Nihil de olei consecratione, ejusque unctione, quam Basilius, *ibidem*, ad traditionem apostolicam revocat. Nihil de exorcismis et insufflationibus, quarum meminit Vincentius episcopus Thibarinus in synodo Carthaginensi à Cypriano contra baptismum hæreticorum celebratâ, anno 256, et quas Augustinus ait, lib. 2 ad

Valerium, cap. 29, ex antiquissimâ Ecclesiæ traditione descendere. Nihil de manuum impositione in exorcismis baptismum præcedentibus adhibitâ, de quâ Vincentius Thibarinus, *ibidem*. Nihil de sponsoribus, seu patrinis, quorum meminit Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 18. Nihil de pacto et conventu, de quo Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 6, et de Idololatriâ, cap. 23. Nihil de Sacramento et juramento, de quo Tertullianus, lib. de Idol., cap. 6 et 19, lib. de Coronâ militis, et lib. de Spectac., cap. 24. Nihil de renuntiationibus diaboli pompis, et angelis ejus, de quibus Tertullianus, lib. de Idol., cap. 6, lib. de Spectac., cap. 4 et 24, et lib. de Coronâ militis, cap. 3; quo postremo loco asserit illas *sine dubio de traditione manare, eâque non scriptâ*. Nihil de trinâ immersione, et responsis, cùm fieret trina immersio, reddi solitis: quæ *ibidem* ait ex eâdem traditione non scriptâ descendere. Nihil de *mellis et lactis societate, quâ Christus suos infantat*, ex Tertulliano, lib. 1 adv. Marcion, c. 14, quæque de traditione non scriptâ manat, ex eodem Tertulliano, lib. de Coronâ, cap. 3. Nihil de unctione de quâ Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 7, et quam Christo tribuit, lib. 1 adv. Marcion., cap. 14. Nihil denique de manûs impositione baptizatis adhibendâ, de quâ Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 8. Tertullianus autem, ut qui jam floreret, antequàm Victor (sub quo ejus lapsum contigisse constat, inquit Baronius) ad pontificatum anno 192 eveheretur, proximus fuit Justini temporibus. Atqui Tertullianus ritus illos refert, non quasi recens institutos, aut ecclesiis quibusdam speciales, sed velut antiquos, et ubique terrarum observari solitos.

2° Justinus non spondet imperatori se rem totam rituum ad Baptisma pertinentium diligenter explicaturum, *ne, si eam prætereat, malignè quidquam et dissimulanter agere videatur;* sed id tantùm profitetur, se modum, quo fideles per Christum renovati, Deo dicarentur, Antonino Pio expositurum, *ne, si hoc prætereat*, etc., quod ut præstet, paucis ille perstringit modum, quo pagani primùm fierent catechumeni, deinde baptizarentur, baptizatique aggregarentur numero fidelium, ac tandem mysteriis sacræque synaxi cum cæteris fidelibus participarent; adeò ut cæremoniarum Baptismi generatim tantùm, et confusè mentionem fecerit, his verbis, *eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur;* nullius verò ritûs etiam essentialis speciatim meminerit, præter aquæ lotionem factam in nomine rerum cunctarum parentis et Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritûs sancti; ut inde occasionem arripiat gentilibus exponendi quæ fides catholica sentit de regeneratione, de ementitâ dæmonis aquâ lustrali, de Patre rerum omnium parente, de Christo Filio Dei, de Christo Patris Apostolo, de Christo apparente sub variis speciebus in veteri Testamento, de Christo incarnato et passo, et de Spiritu sancto: quibus fusè tractatis, sermonem revocat ad neophytum jam baptizatum, eumque, missis quibuscumque cæremoniis Baptisma subsequentibus, statim adducit ad locum, ubi fratres congregati communes preces fundebant: *Nos autem*, inquit, *secundùm hujuscemodi lavationem, credentem jam et nobis adscitum, ad fratres, qui dicuntur, eò adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces et supplicationes, cùm pro se ipsis, tùm pro illuminato, et aliis ubique gentium omnibus, attento animo peragendas; ut digni, idoneique simus, qui, veritate agnitâ, per opera etiam ipsa boni atque officiosi rerum administratores, et datorum nobis mandatorum custodes inveniamur, atque ut salute salvemur sempiternâ*. Quas verò et quales funderent preces, non exponit, uti nec eas, quæ tum in oblatione Eucharistiæ adhibebantur; asserens duntaxat Eucharistiam *ab eo, qui fratribus præest, in laudem et gloriam offerri rerum universarum Patri, per nomen Filii, et Spiritûs sancti;* hanc oblationem prolixè perfici: prolixas preces in hâc oblatione fieri solitas: oblatione et precibus absolutis Eucharistiam *à diaconis distribui unicuique præsentium:* Eucharistiam *non esse communem panem, neque communem potum, sed incarnati Jesu carnem et sanguinem*. Justino igitur non erat in animo ibi exponere sigillatim et speciatim omnes et singulos ritus ad utrumque Baptismi et Eucharistiæ sacramentum pertinentes: alioqui non debuisset generatim dicere: *Quicumque crediderint vera esse quæ à nobis traduntur et dicuntur, eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur;* sed debuisset speciatim referre, quæ doctrina, quæve fidei formula catechumenis traderetur; sicut et modum exponere quo ipse regeneratus fuerat. Nec etiam fuisset satis, asserere generatim Eucharistiæ oblationem prolixè perfici; sed debuisset sigillatim commemorare hos ritus prolixos et has preces prolixas, quibus hæc oblatio perficiebatur.

3° Fortè Confirmatio neophytorum subobscurè commemoratur et comprehenditur his verbis: *Nos autem secundùm hujuscemodi lavationem*, etc., ut supra: quibus constat communes preces à fidelibus fieri, alias pro seipsis, alias pro neophyto, et alias pro christianis ubique gentium sparsis; quæ quidem conjectura, si vera sit, oratio facta pro neophyto, ut mandata custodiat, erit oratio confirmatoria, juxta illud Act. 8, v. 15; *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum*.

4° Dato, non concesso, quòd Justinus eò loci nullam Confirmationis mentionem fecerit, ratio silentii hæc afferri potest, quòd Justinus ibi aperiat modum, quo fideles per Baptismum Christo consecrarentur in cœtibus fidelium. Sed illis cœtibus non semper intererat episcopus, qui Confirmationem conferret. Potuit igitur Justinus justâ de causâ non commemorare Confirmationem. Inde patet falsum esse quod Dallæus scribit: « *Quæ in Baptismo non fuit unctio, illa nunquàm* « *alibi facta fuit primis illis seculis.* » Cùm enim fideles jam primis illis seculis ubique terrarum diffusi essent, adeòque plures essent cœtus, quibus episcopi non possent interesse, necesse erat ut catechumeni frequens baptizarentur à presbyteris, Confirmationem

deinde ab episcopis accepturi, exemplo Samaritanorum, qui primùm à Philippo baptizati, postea Confirmationem ab Apostolis receperunt.

5° Quamvis nulla Confirmationis mentio facta esset in apologiâ, inde tamen non sequitur nullam alibi mentionem factam fuisse à Justino, qui præter opera, quæ supersunt, alia longè multa composuit, quæ temporum injuriâ perierè : prolixiorem enim librum de Disputatione cum Tryphone habitâ se conscripturum pollicetur in dialogo cum eodem Tryphone, post medium : sed et volumen contra omnes, quæ antehàc fuerunt, hæreses, à se compositum testatur in apologia 2 ad Antoninum pium ante medium; seque id oblaturum promittit, si legere imperator velit. Meminit etiam epistolæ, à se ad papam scriptæ, initio epistolæ de Vitâ christianâ ad Zenum et Serenum : quæ quidem opera ad nos non pervenerunt : ut nec liber, cui titulus erat, *Psaltes* : nec liber *de Animâ*, *in quo*, inquit Eusebius, *variis positis quæstionibus, de argumento, quod instituit, græcorum philosophorum opiniones citat, quibus tum se responsurum, tum suam ipsius sententiam alio libro separatim in idem argumentum scripto explanaturum promittit.* Nec insignia volumina, quæ contra Marcionem edidit. Nec commentarii, quos scripsit in Apocalypsim. Nec volumen contra gentiles, *in quo*, inquit Eusebius, *ubi de multis rebus, quæ tum apud nos, tum apud gentiles philosophos quæri soleant, longum sermonem habuit, tandem de dæmonum naturâ disserit.* Perierunt hæc opera, quæ tamen Justino adscribuntur ab Eusebio et Hieronymo : potuit autem in illis, aut in eorum aliquo, ac præsertim in voluminibus contra Marcionem, Justinus meminisse Confirmationis, sicut ejus meminit Tertullianus in libris contra Marcionem.

Bellarminus quidem in tractatu de Confirmatione, lib 2, cap. 5, laudat Justinum in Respons. ad orthod., quæst. 137 : « Primùm oleo ungimur, ac deinde in sacro lavacro, quæ dicta sunt, symbolis peractis, post illa unguento consignamur. » Sed illud opus non esse Justini ipsemet Bellarminus agnoscit in libro de Scriptoribus. Auctor enim hujusmodi responsionum, quæst. 82 et 86, citat Origenem, quem constat post Justinum floruisse Alexandri Severi temporibus. Ibidem Hebraicorum nominum etymologias accersit ex Origene; cùm Justinus in Hebraicis ita se versatum fuisse declaret in dialogo cum Tryphone, ut etiam Hebræos docuerit. Meminit quæst. 115, Irenæi martyris, qui tamen Justino mortuo vivebat. Manichæos quoque taxat, quæst. 127, quorum tamen hæresiarcha post Justinum extitit, sub Probo imperatore, anno 281, ut in Chronico tradit Eusebius. Similiter quæst. 111 meminit anachoretarum et monachorum in desertis locis, cùm Paulus eremitarum auctor et magister fuerit, ex Hieronymo in vitâ Pauli. Postremo, quæst. 74 et 126, supponit et asserit paganismum aut omninò, aut ferè exstinctum, qui tamen seculo Justini vigebat.

§ 3. *Athenagoras.*

Athenagoras, Atheniensis philosophus, qui æqualis Justini fuit, scripsit librum de Resurrectione, et insignem apologiam pro Christianis, quam imperatoribus Marco-Aurelio, Antonino et Aurelio Commodo obtulit anno 179. Utrumque opus ad calcem operum Justini editum est. Nullam Athenagoras in utroque opere mentionem facit de Confirmatione, ejusque silentium Dallæus nobis objicit.

1° Mirum est cur Eusebius, diligentissimus scriptorum investigator hujus auctoris non meminerit, ut nec meminit Hieronymus in suo Catalogo (apologiam tamen sub ejus nomine citat Epiphanius in hæresi Origenis, ubi refert verba Procli ex Methodio Tyri episcopo, qui martyr occubuit anno 20 imperii Diocletiani, qui fuit epochæ nostræ 301). 2° Cùm ejus opera ignota fuerint Eusebio et Hieronymo, aliqua fortè nos fugiunt, in quibus meminit ille Confirmationis. 3° In duobus illis operibus, quæ nunc habemus, nulla fit mentio Baptismi et Eucharistiæ. 4° Institutum duorum operum, quæ nunc extant et illius esse dicuntur, non postulabat ut mentio fieret de Confirmatione. Prioris enim operis argumentum est *resurrectio mortuorum;* posterioris autem est *legatio pro Christianis ad imperatores*, in quâ totus est Athenagoras, ut religionem vindicet à variis calumniis quibus illa impetebatur.

§ 4. *Theophilus*

Theophilus, sextus ab apostolo Petro Antiochenus episcopus, qui, referente Eusebio in chronico, vixit tempore Marci Aurelii imperatoris, et sub Commodo ejus filio obiit, multa scripsit, de quibus Eusebius, lib. 4 Hist. Eccles., et Hieronymus in catalogo, videlicet tres libros ad Autolycum adversùs christianæ religionis calumniatores; librum contra Marcionem; librum contra hæresim Hermogenis, *et alios*, inquit Eusebius, *libros qui ad primam christiani in fide institutionem spectant;* seu, ut Hieronymus loquitur, *et alios breves, elegantesque tractatus ad Ecclesiæ ædificationem pertinentes;* quibus subjicit Hieronymus : *Legi sub ejus nomine, in Evangelium et in Proverbia Salomonis commentarios, qui mihi cum superiorem voluminum elegantiâ et phrasi non videntur congruere.* Commentarii igitur, qui sub nomine Theophili editi sunt, tomo 1 biblioth. Patrum, adulterini sunt. Ex cæteris verò tractatibus recensitis, nulli supersunt præter libros tres ad Autolycum, in quibus Dallæus nullam ait mentionem fieri unctionis, seu in ipso Baptismo, seu post Baptismum adhibitæ : indeque concludit illam Theophili ætate nondùm esse in usu.

Sed inprimis Theophilus, lib. ad Autolycum, non procul à fine, meminit unctionis quâ christiani ungebantur, dùm Autolyco ipsum derisoriè nuncupanti christianum seu unctum, ita respondet : *Quod tibi ludibrium debeo, dùm me christianum nuncupas, non magni facio, imò respondeo te nescire quid dicas. Nam unctionis hoc nomen inprimis bonum et suave est, nec risum meretur; quæ etenim navis bona et usui esse potest, nisi priùs ungatur? quæ turris aut domus elegans et utilis esse potest, nisi priùs ungatur? Quis mortalium, qui progreditur in hanc vitam, quæ certaminum arena*

est, et non oleo inungatur? Quodnam opus ornatum haberi potest, nisi perungatur, et quasi splendore illustretur? præterea aer, et omnis, quæ sub cœlo est, creatura quodammodò lumine et spiritu inungitur: et tu recusas macerari Dei oleo? Certè nullâ aliâ ex re christianorum nomen traximus, quàm quòd divino oleo perfundimur? Ungebantur igitur fideles ætate Theophili, qui Antiochenus pontifex electus est ad annum 170, ex Eusebio *in chronico*, olympiade 237.

Deinde dato, non concesso, quòd Theophilus nullam ibi mentionem fecerit unctionis seu in Baptismo seu post Baptismum adhibitæ, respondeo nullum fore argumentum negativum ex silentio Theophili in his tribus libris petitum: 1° quia Theophilus in his quoque non meminit Baptismi et Eucharistiæ, quæ tamen duo Sacramenta Dallæus fatetur in usu fuisse primis Ecclesiæ seculis: 2° quia institutum Theophili per se non postulabat, ut ille alicujus sacramenti mentionem faceret; horum siquidem trium librorum argumentum in eo totum est ut probetur veritas et unitas Dei invisibilis, ut refutetur paganorum idololatria, ut Judæorum antiquitas et religio statuatur: 3° quia his tribus libris exceptis, perierunt cætera Theophili opera, in quibus, præsertim in volumine contra Marcionem, et *in aliis libris qui ad primam christiani in fide institutionem spectabant*, potuit ille Sacramenti, quod controvertitur, meminisse; quemadmodùm ejus meminit Tertullianus in libro contra Marcionem, quamvis de illo tacuerit in Apologetico.

§ 5. *Tatianus.*

Tatianus, natione Syrus, ex philosopho Platonico, christianus, Justini auditor, vir eruditissimus, inquit Eusebius, infinita librorum volumina scripsit, ex quibus ille quem adversùs gentiles composuit florentissimus est. Exstat ille ad calcem operum Justini sub hoc titulo: *Tatiani oratio ad Græcos, quòd nihil eorum quibus Græci gloriantur studiorum apud ipsos natum, sed omnia à barbaris inventa sunt.* Cætera verò opera perierunt.

Catholicorum partibus adhæsit Tatianus, quamdiù Justinus vixit, sed post ejus obitum à fide catholicâ defecit, et in superbiam elatus, hæresiarcha et princeps Encratitarum factus est, ex Eusebio, lib. 4 Hist. veteris editionis, cap. 16, ubi de Justini morte, et cap. 28, ubi de sectâ secundùm Tatianum, et ex Hieronymi catalogo in Tatiano.

Ejus de unctione vel manuum impositione silentium in oratione contra Græcos Dallæus nobis objicit: sed perperam. 1° quia in hoc opere, uti nec Confirmationis, ita nec Baptismi nec Eucharistiæ meminit. 2° Id non postulabat orationis argumentum, quod vel ipso titulo significatur. 3° Tatianus fortè in hæresim jam lapsus erat, cùm hanc orationem scriberet. In eâ siquidem docet animam suâpte naturâ mortalem esse, piorum tamen animas ex speciali Dei gratiâ non perire cum corpore, animas verò impiorum simul cum corpore interire, in consummatione mundi æternum cruciandas. 4° Quòd Tatianus in hâc oratione tacuit, referre potuit in illis infinitis librorum voluminibus, quæ ad nos minimè pervenerunt. 5° Quòd fortè tacuit Tatianus, retulerunt Irenæus et Tertullianus, qui eodem cum Tatiano tempore vixerunt, ex epitome Baronii, ad annum 174, n. 1; Tatianus enim in hæresim lapsus est anno 175, ex Eusebio in Chronico.

§ 6. *Irenæus.*

Irenæus, Lugdunensis ecclesiæ presbyter, qui ad Eleutherium pontificem Romanum missus est, ad annum 179, eum consulturus de quibusdam dubiis, et ad sedem Lugdunensem evectus est ad annum 180, martyriumque subiit anno 202, plura scripsit volumina, de quibus Eusebius in Historiâ, lib. 5, et Hieronymus in catalogo. Neque enim ille composuit solùm quinque libros adversùs Valentini et similium Gnosticorum hæreses, quos sub Eleutherii episcopatu edidit; verùm et alios plurimos, qui vel injuriâ temporum, vel hæreticorum fraudibus perierunt, vel denique adhuc alicubi cum blattis et tineis certantes latent.

Cùm enim Blastus et Florinus, Ecclesiæ Romanæ presbyteri, ab Eleutherio papâ, gradu moti, pulsique fuissent propter Valentinianas impietates, et alias quasdam illis additas fanaticas opiniones, quibus et alios inficere, et schismate suo Ecclesiæ membra divellere conabantur, duos libros Irenæus composuit, quorum prior erat *de Schismate*, ad Blastum, qui prætextu ritûs paschatis, Judaismum in Ecclesiam inducere conabatur; posterior ad Florinum suum quondam Polycarpi condiscipulum, eique titulus erat *de Monarchiâ*, seu *quòd unicus sit Deus; et ille nequaquàm sit auctor malorum.* Valentiniani enim duos admittebant deos, quorum alter bonorum, et alter malorum auctor esset. Hujus etiam Florini causa, qui in errores Valentinianorum lapsus fuerat, librum *de Ogdoade*, seu *de octonario numero*, seu *de octonatione*, vel *de conjugatione octo æonum*, conscripsit, in quo satis apertè declarat se Apostolorum temporibus proximè successisse. Præterea opus singulare Irenæus edidit adversùs Marcionem, cujus scribendi provinciam in se receperat, lib. 1 adversùs hæreses, cap. 29. *Breve quoque volumen*, inquit Hieronymus, *contra gentes, composuit, et de disciplinâ aliud, et ad Marcionem de apostolicâ prædicatione, et librum variorum tractatuum.* Dialogos etiam de diversis, quorum meminit Eusebius, Epistolam unam ad Victorem pontificem, circa dissidium de die celebrandi paschatis, plures alias epistolas ad alios plerosque ecclesiarum episcopas circa eamdem controversiam; denique Commentarios in Apocalypsim.

Fragmenta quædam libri de Monarchiâ ad Florinum exstant apud Eusebium, lib. 5 Hist., cap. 20; fragmentum item libri de Ogdoade apud Eusebium ibidem; fragmentum etiam epistolæ ad Victorem apud eumdem, lib. 5 Hist., c. 24: de cæteris operibus nihil, quod sciam, exstat apud auctores.

Cùm igitur ex tot libris, supersint duntaxat illi quinque, quos adversùs hæreses Valentini ejusque discipulorum Irenæus edidit; quamvis nullus in iis sermo de unctione vel manuum impositione haberetur.

uti Dallæus contendit, consequens tamen non esset nullam in cæteris ejusdem operibus de eâ mentionem factam fuisse.

Sed age, opus illud, quod superest, expendamus : et cui parti magis faveat Irenæus, discutiamus. Illum etenim sibi favere non Dallæus modò, sed et Magdeburgenses contendunt.

Duo sunt loca quæ in controversiam vocantur.

Prior habetur lib. 1, c. 13, in medio : *Tum autem eum qui initiatus est*, inquit, *opobalsamo inungunt, hoc enim unguentum fragrantiæ illius, quæ omnia exuperat, typum esse aiunt. Sunt etiam ex ipsis, qui eos quidem ad aquam adducere supervacaneum esse dicant : oleo autem et aquâ unâ permixtis, cum vocibus quibusdam, iis, quæ ante à nobis commemoratæ sunt, haud dissimilibus, in eorum, quos initiant, caput injiciunt : idque redemptionem esse volunt ; atque ipsi quoque balsamum adhibent.* Quibus verbis Irenæus refert varios modos, quibus Valentiniani et Gnostici unctionem confirmatoriam depravabant.

Adversarii respondent hanc unctionem, eamque cæremoniam primùm ab illis hæreticis inventam, deinde ab Ecclesiâ Romanâ admissam fuisse : ego verò contendo hanc unctionem primùm quidem ab Ecclesiâ fuisse adhibitam ; deinde verò ab illis hæreticis corruptam fuisse ; eamque corruptelam hisce Irenæi verbis describi.

Idque mihi quidem apparet : 1° ex toto illo opere : Irenæus enim, postquàm varia Valentinianorum placita toto libro primo retulit, aliis deinceps quatuor libris ea acutissimè refellit. Sed Irenæus hæreticos illos nullibi reprehendit, quòd initiatos ungerent oleo simul et balsamo, sed quòd illos ungerent solo balsamo, vel oleo et aquâ unâ permixtis. Nostram igitur unctionem Irenæus non improbat.

2° Id mihi apparet ex iis quæ textum citatum præcedunt et sequuntur. Irenæus primùm refert varios modos quibus illi hæretici baptizarent ; postea refert varios modos quibus inungerent baptizatos ; denique varios refert modos quibus infirmos ungerent. Quemadmodùm igitur Iræneus, referendo varios modos quibus Valentiniani catechumenos baptizarent, et infirmos ungerent, describit eorum corruptelas circa Baptismum et Extremam Unctionem ; ita referendo varios modos quibus ii baptizatos inungerent, describit eorum corruptelas circa unctionem baptizatis adhibitam, quæ tum in usu erat apud fideles, ex Theophilo supra citato, et ex Tertulliano infra citando.

3° Id mihi apparet ex modo quo Irenæus refert illas hæreticorum corruptelas. Sicut tres ille distinguit Valentinianorum errores circa baptismalem aquam : putabant siquidem aliqui aquam cum verbis quibusdam portentosis adhibendam esse initiandis antequàm ungerentur ; alii verò dicebant satis esse, modò aqua cum oleo et balsamo permixta simul adhiberentur ; alii demùm aquam rejiciebant eo prætextu, quòd salus, ut quæ sit omninò spiritualis, per sensibiles res exprimi non possit : ita refert ille triplicem Valentinianorum errorem circa unctionem initiatis adhibitam. Nonnulli eos qui priùs initiati fuerant ungebant solo balsamo, et inter ungendum verbis aliquot portentosis utebantur ; alii verò balsamum quidem et oleum adhibebant, sed aquæ permixta ; alii denique hæc omnia improbabant eâ ratione quòd ineffabilis et invisibilis virtutis mysterium per res visibiles et corporeas non possit adumbrari. Sicut igitur ex tribus primis erroribus apparet Valentinianos depravâsse materiam et formam Baptismi ; ita ex tribus posterioribus manifestè sequitur illos adulterâsse materiam et formam Confirmationis : et quemadmodùm tres priores errores circa baptismalem aquam non inducunt lotionis baptismalis usum, sed supponunt illum jam tum in Ecclesiâ fuisse susceptum ; ita tres posteriores errores circa unctionem, non inducunt usum unctionis, sed supponunt illum jam in Ecclesiâ receptum.

4° Id mihi apparet ex genio hæreticorum, qui non solùm nova sacramenta inducere, sed ea quæ jam apud fideles recepta sunt, additionibus et detractionibus adulterant, vel etiam omninò evertunt.

5° Id mihi apparet ex eodem hæreticorum genio, quos Cyprianus, in epistolâ ad Jubaianum, comparat simiis, quæ cùm homines non sint, humana tamen imitantur ; sic cùm hi in Ecclesiâ non sint, imò contra Ecclesiam, Ecclesiæ tamen catholicæ veritatem et ritus æmulantur. Pari stratagemate *divinorum sacramentorum res in idolorum mysteriis diabolum quondam æmulatum fuisse, ut veritatem interverteret*, animadvertit Tertullianus, de Præscrip., cap. 40 : *Tingit et ipse quosdam* (subjungit ille) *utique credentes et fideles suos : expiationem delictorum de lavacro repromittit ; et si adhuc memini, mithrâ signat illic in frontibus milites suos ; celebrat vini et panis oblationem*, etc. Pari modo Valentiniani tingebant catechumenos, tinctos unctione signabant, celebrabant vini et panis oblationem, infirmos ungebant, ex Irenæo, lib. 1 advers. hæres., cap. 9 et 18 ; sed omnia, ut veritatem interverterent, adulterabant.

6° Id mihi apparet ex eo quòd Tertullianus (qui eodem cum Irenæo tempore vixit, ex epitome Baronii ad ann. 174, n. 1) meminerit unctionis, quasi ritûs sacri jampridem in Ecclesiâ recepti. Itaque Irenæi tempore, hic ritus jampridem in Ecclesiâ receptus erat ; atque adeò ritum illum Ecclesia non suscepit à Valentinianis ; verùm illi potiùs hunc ritum jampridem in Ecclesiâ observatum adulterârunt suis innovationibus. Quòd autem Tertullianus eodem cum Irenæo tempore floruerit, omninò certum est, siquidem Irenæus ad Victorem papam scripsit de paschate ; sed Tertullianus jam florebat ætate Victoris ; tum quia, ex Hieronymo in catalogo, floruit ille sub Severo principe, qui secundo Victoris anno acclamatus est imperator, ex Eusebio, in chronico, olympiade 243 ; tum quia lapsum ejus sub Victore accidisse Baronius probat ad annum 201.

7° Id mihi apparet ex eo quòd Tertullianus, qui adversùs Valentinum, ejusque discipulos acerrimè scripsit, eosque, ubi sese offert occasio, exagitat, nihilominùs hujus ritûs quasi sacri et catholici meminerit

eumque Christo tribuerit. Quis verò sibi facilè persuaserit Tertullianum, qui Valentinianos, ubicumque se offert occasio, perstringit, ritum, qui à Valentinianis inductus fuisset, approbâsse, eumque descripsisse, quasi sacrum et catholicum, quem Christo tribuerit.

8° Id mihi apparet ex iis temporibus quibus Valentinus vixit, scripsit Irenæus, et Tertullianus floruit. *Valentinus enim venit Romam sub Hygino, invaluit sub Pio, qui sedit ab anno* 158 *ad annum* 166, *et permansit usque ad Anicetum*, qui Pio successit anno 166 (ex Justino, lib. 3, c. 4; Eusebio, lib. 4 Hist., c. 11 veteris edit., et Baronio ad annum 155), vel etiam usque ad Eleutherium, qui in Soteris locum electus est anno 180: ex Tertulliano, de Præscript., c. 30: *Romæ, ob inquietam ejus curiositatem quâ fratres quoque vitiabat, semel et iterum ab Ecclesiâ ejectus*, palinodiam sæpè cecinit, ex Tertulliano, ibidem. Nec in perpetuum ab Ecclesiâ recessit, nisi sub Eleutherio, cùm Tertullianus ibidem asserat illum *in Ecclesiæ catholicæ doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub episcopatu Eleutherii, deinde verò, cùm in perpetuum dissidium relegatus esset, venena doctrinæ suæ disseminâsse*. Valentinus igitur doctrinæ suæ venena extra Romam non nisi sub Eleutherii pontificatu disseminavit.

Irenæus autem legatione suâ ad Eleutherium et Asianos functus, et post reditum suum in Photini Lugdunensis episcopi locum suffectus anno 185, ex Eusebio in chronico, postea libros quinque prolixos scripsit adversùs Valentinianos sub episcopatu ejusdem Eleutherii, uti constat ex eodem Irenæo, lib. 3, cap. 3, post medium.

Tertullianus verò floruit sub Severo imperatore, adeòque sub Victore pontifice, qui Eleutherio successit anno 194: quin etiam antequàm Victor eligeretur, floruerit Tertullianus necesse est, si tamen certa sit opinio Baronii, qui ad ann. 201, asserit *constare ejus lapsum sub Victore accidisse, fortassè quod ille indignè tulerit gentilem suum Victorem, Romanum pontificem, sibi honore prælatum*.

Quod cùm ita sit, quæro ab adversariis, utrùm probabile sit, quòd Valentinus, qui suæ doctrinæ venena extra Romam non disseminavit, nisi sub Eleutherii pontificatu, ea tamen successu adeò felici disseminaverit, ut tempore Tertulliani, qui sub eodem Eleutherio, aut certè sub ejus successore floruit, omnes Ecclesiæ catholicæ unctionem à Valentino hæresiarchâ recens excogitatam receperint, eamque quasi ritum sacrum et orthodoxum neophytis contulerint? nemo cordatus id unquàm sibi persuadebit.

Posterior locus habetur lib. 4, c. 74 et 75, ubi Irenæus exponens illud Pauli ad Corinth. 1, cap. 3, v. 2: *Lac vobis potum dedi, non escam; nondùm enim poteratis escam percipere:* (hæc postrema verba desunt apud Paulum, referuntur apud Irenæum) docet lac esse Verbum incarnatum, quod Corinthiis Paulus prædicaverat; escam verò esse Spiritum sanctum, quem Paulus ipsis nondùm contulerat per impositionem manuum; eamque utriusque analogiam pluribus ille explicat. Pane infans vesci nondùm potest; Verbum, quod angelorum est panis, in gloriâ et majestate mortalis homo suscipere non poterat: panis in lac à nutrice convertitur, ut infanti proportionetur: Verbum, *cùm esset perfectum caro factum est, et coinfantiatum est homini*, ut ejus infirmitati et infantiæ sese contemperaret. Panis in lac conversus, deinde per mammillam infanti distribuitur; Verbo Dei, *quasi à mammillâ carnis ejus enutrimur*. Lac in carnem conversus, infantem corroborat, eumque ad solidiorem cibum disponit; Verbum caro factum, *quasi infantibus lac nobis semetipsum præstitit, ut quasi à mammillâ carnis ejus enutriti et per talem lactationem assueti manducare et bibere Verbum Dei, Spiritum Patris in nobis ipsis continere possimus*. Denique infans propter infirmitatem, lactis quidem capax est, non autem panis: Corinthii quidem capaces erant *adventûs Domini secundùm carnem*, sed propter zelum, contentionem, aliasque id genus imperfectiones, non erant capaces adventûs Sriritûs sancti, qui neophytis per manuum impositionem ab Apostolis conferebatur, *quibuscumque enim imponebant Apostoli manum, accipiebant Spiritum sanctum, qui erat esca vitæ*. Manuum igitur impositio, quam Apostoli neophytis adhibebant, conferebat Spiritum sanctum ut escam vitæ: atque ita signum erat practicum gratiæ sanctificantis, non qualiscumque, sed perfectæ et solidæ, quæ Corinthiis propter eorum infirmitatem nondùm concedi poterat.

§ 7. *Tertullianus.*

Veniamus modò ad Tertullianum, qui floruit sub Severo principe et Antonino Caracallâ, et ad decrepitam usque senectutem vixit, ex Hieronymo in catalogo.

Scripsit ille libros quinque adversùs Marcionem anno 15 Severi imperatoris, ut ipsemet testatur lib. 1, c. 15.

Ejusdem autem libri 1, c. 14, de Christo ita loquitur, et adversùs Marcionem sic argumentatur: *Sed ille quidem usque nunc, nec aquam reprobavit. Creatoris, quâ suos abluit; nec oleum, quo suos unguit; nec mellis et lactis societatem, quâ suos infantat; nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat; etiam in sacramentis propriis egens mendicitatibus creatoris. At tu, super magistrum discipulus et servus super Dominum, sublimius illo sapis, destruens quæ ille desiderat.* Quæ quidem verba, ut capiantur, supponi debet Marcionis opinio. Ex Irenæo, lib. 1 adv. hæreses, c. 29, duos ille Deos distinguebat, quorum unum appellabat Creatorem qui mundum condidisset, legem dedisset Moysi, prophetias inspirâsset, bella concupisceret, omniumque malorum auctor esset; alterum verò Patrem vocabat, qui Deo creatore superior esset, totus esset bonus, et misisset Jesum, *ut dissolveret legem, prophetias, et omnia opera ejus Dei, qui mundum fecit*. Marcion autem se Christi discipulum et servum profitebatur: cùm ille igitur se Christi discipulum agnosceret, quem asserebat à Deo Patre missum, ut omnia opera Dei creatoris dissolveret, hinc fit ut ille cuncta Dei creatoris opera quasi mala reprobaret. Tertullianus autem Marcionem argumento, ut aiunt, ad hominem, perstringit, cujus

iste sensus est. Sed et Christus, quem tu sequeris, nec aquam Dei creatoris reprobavit, quandoquidem illâ suos abluit; nec oleum Dei creatoris, quandoquidem illâ suos ungit; nec mel et lac Dei creatoris, quandoquidem utriusque mixtione infantat; nec panem Dei creatoris, quandoquidem eo ipsum corpus suum repræsentat; etiam in propriis, quæ ipse Christus instituit, sacramentis indigens *mendicitatibus creatoris*, id est, rebus sensibilibus, quæ sunt opera Dei creatoris, et quas à Deo creatore tenetur emendicare. At tu, Marcion, super magistrum discipulus, et servus super Dominum, sublimius Christo sapis, destruens quæ ille desiderat. Hic sensus est textûs citati : ex quo apparet Tertullianum in eâ fuisse mente, lotionem aquæ, unctionem olei, mellis et lactis (1) mixturam, et panem eucharisticum, à Christo instituta fuisse : prætereaque Christum esse, qui abluit, ungit, infantat et consecrat, quoties ministri in Ecclesiâ catechumenos abluunt, ungunt et infantant, panemque consecrant.

In eodem opere, lib. 3, cap 22, in fine, sic alloquitur Marcionem : *Quæ omnia cùm in te quoque deprehendantur, et signaculum frontium, et Ecclesiarum sacramenta et munditiæ sacrificiorum, debes jam erumpere, uti dicas, spatium creatoris tuo Christo prophetâsse.* Confirmationis autem sacramentum vocari signaculum frontibus impressum, patet ex dictis, pag. 2, iterùmque patebit ex dicendis, præsertim ex Prudentii Psychomachiâ :

Post inscripta oleo fronti signacula, per quæ
Unguentum regale datum est et chrisma perenne.

Interim videsis Baronium ad ann. 35, n. 15, 16 et 17.

Scripsit etiam Tertullianus librum unum de Resurrectione adversùs Marcionem et alios id genus hæreticos, in cujus operis, cap. 8, sic habet : *Caro abluitur, ut anima emaculetur : caro ungitur, ut anima consecretur : caro signatur, ut et anima muniatur : caro manûs impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur : caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Quibus verbis Septimius strictim quidem, sed appositissimè complectitur, et explicat tria Sacramenta, Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam. Baptismus enim carnem abluit, ut animam à maculis emundet; Eucharistia carnem pascit corpore Christi, ejusque sanguine, ut animam de Deo saginet; Confirmatio, quæ carnis unctionem, signaculum crucis, et manuum impositionem includit, carnem ungit, ut animam consecret; carnem signat, ut animam muniat; carnem manuum impositione adumbrat, ut animam spiritu illuminet. Carnis igitur unctio, ut quæ interiorem animæ consecrationem significet et efficiat, signum est illius practicum; carnis etiam signaculum est signum practicum interioris roboris animæ; et manuum impositio capiti adhibita, signum est practicum descensûs Spiritûs sancti animam illuminantis; sicut carnis ablutio est signum practicum interioris ablutionis animæ, et manducatio corporis Christi, potusque ejus sanguinis, est signum practicum interioris animæ nutritionis.

Eadem tria Sacramenta paucis complexus est Tertullianus de Præscript. hæret., cap. 36, ubi de Ecclesiâ Romanâ sic loquitur : *Fideles aquâ signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistiâ pascit... et ita adversùs hanc institutionem neminem recipit.* Nimirùm aquâ signat in Baptismo, sancto Spiritu vestit in Confirmatione, et Eucharistiâ pascit in cœnæ Sacramento, neminem verò adversùs hanc institutionem recipit. Romana igitur Ecclesia Tertulliani ætate neminem recipiebat ad suam communionem, qui Sacramentum Confirmationis non admitteret.

Dices Spiritum sanctum in Baptismo infundi, eoque vestiri fideles, quia quicumque baptizantur, Christum induunt.

Respondeo, apud Tertullianum, aliud esse Christum induere, et aliud Spiritu sancto vestiri : qui baptizantur Christum induunt ex Tertulliano, lib. de Monog., c. 7, et de Baptismo, c. 13; non tamen in Baptismo recipiunt Spiritum sanctum, ex eodem libro de Baptismo, cap. 6. Accedit quòd Tertullianus his verbis, *Spiritu sancto vestit*, non modò sancti Spiritûs descensum super baptizatos indicet, sed et alludat ad verba Christi Apostolis Spiritum sanctum promittentis, Lucæ 24, v. 49 : *Sedete in civitate; quoadusque induamini virtute ex alto.* Uti enim Christum per Baptisma, inquit eruditus Lupus; ita per Confirmationem propriè induimus Spiritum sanctum.

Hæc etiam tria Sacramenta satis apertè indicat, lib. de Præscript., cap. 40, ubi ait quòd diabolus, *ut ipsas quoque res divinorum sacramentorum in idolorum mysteriis æmuletur, tingit et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos... signat illic in frontibus milites suos; celebrat et panis oblationem.* Ubi Tertullianus signaculum frontis cum Baptismo et Eucharistiæ sacrificio comparat, inter *divina* refert *Sacramenta*, quæ hæretici æmulabantur. Signaculum igitur frontibus impressum Ecclesia non accepit ab hæreticis, imò hæretici illud ab Ecclesiâ suffurati sunt. Atqui probavimus supra signaculum frontibus impressum dici Confirmationem.

Denique pro doctrinâ catholicâ laudabimus librum de Baptismo, quem Tertullianus, antequàm in hæresim laberetur, scripsit adversùs Quintillam, unam è Montanistarum pseudoprophetissis. Textus ille prolixus quidem est, sed insignis, eumque ferè integrum describemus, ut plura inde argumenta inferantur, variæque Dallæi objectiones diluantur : refertur capitibus 5, 6, 7 et 8, ubi postquàm Tertullianus, cap. 5, de aquis primordialibus creationis magnificentissimè locutus est : et cap. 4, dixit aquas illas primordiales, super quas Spiritus sanctus ferebatur, fuisse figuram Baptismi : indeque conclusit, aquas baptismales *de pristinâ originis prærogativâ Sacramentum sanctificationis consequi, invocato Deo; supervenit enim statim Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctific ns*

(1) Lac et mel, quæ baptizatis præbebantur, de traditione non scriptâ manare docet Tertullianus, lib. de Coronâ, cap. 3

eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt : quibusdam interjectis sic ille prosequitur : *Recipit* (regeneratus) *illum Dei spiritum* (intelligit Spiritum sanctum), *quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum. Non quòd aquis Spiritum sanctum consequamur*, sed in aquâ emundati, sub angelo (hoc est, episcopo, qui tunc ordinarius erat minister Baptismi, ex cap. 17 sequenti, et quem Tertullianus, Joannis exemplo in Apocalypsi, vocat Angelum), *Spiritui sancto præparamur.* (Rigaltius legit *sub angelo Spiritu sancto præparamur :* sed legendum esse, *sub angelo Spiritui sancto præparamur*, apparebit ex sequentibus, quibus asseritur angelum illum esse *baptismi arbitrum*, seu ministrum, qui Spiritui sancto vias præparat.) *Hic quoque figura præcessit : sic enim Joannes antepræcursor Domini fuit, præparans vias ejus ; ita et angelus Baptismi arbiter superventuro Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat obsignata in Patre et Filio et Spiritu sancto... Exinde egressi de lavacro perunguimur benedictâ unctione de pristinâ disciplinâ, quâ ungui oleo de cornu in sacerdotium solebant. Ex quo Aaron à Moyse unctus est, unde Christus dicitur à chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritualis, quia Spiritus unctus est à Deo Patre, sicut in Actis : « Collecti sunt enim verè in istâ civitate adversùs sanctum « Filium tuum, quem unxisti. » Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit : quomodò et ipsius Baptismi carnalis actus, quòd in aquâ mergimur : spiritualis effectus, quòd delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum... Sed ex hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Joseph Ephraim et Manassem Jacob capitibus impositis et intermutatis manibus benedixerit, et quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes* (id est, repræsentantes), *jam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram. Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens à Patre descendit... Ne hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodùm enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post Baptismum* (ut ita dixerim) *mundi, pacem cœlestis iræ præco columba terris adnuntiavit demissa ex arcâ, et cum oleâ reversa : quod signum etiam apud nationes paci prætenditur : eâdem dispositione spiritualis effectus, terræ, id est, carni nostræ, emergenti de lavacro post vetera delicta, columba sancti Spiritûs advolat, pacem Dei adferens, emissa de cœlis, ubi Ecclesia est arca figurata.*

In hoc textu Tertullianus tria distinguit, Baptismum, viaticum, et manuum impositionem.

Circa Baptismum docet, 1° quòd ille figuratus fuit per aquas primordiales creationis : quemadmodùm enim super illas ferebatur Spiritus sanctus ; ita nunc Spiritus sanctus supervenit de cœlis, et aquis baptismalibus insidet : 2° quòd Spiritus sanctus non conferebatur in Baptismo, sed post Baptismum ; sicut columba pacem post mundi diluvium attulit ; 3° quòd Baptismus, licèt non conferat Spiritum sanctum, vias tamen, delictorum ablutione dirigit superventuro Spiritui sancto ; sicut Joannes Christo venturo vias præparabat ; 4° quòd per manuum impositionem et orationem Spiritus sanctus super neophitos descendat.

Circa unctionem chrismatis docet, 1° quòd illa sit *benedicta*, id est, sacra : 2° quòd illa conferatur, non in Baptismo, sed post expletum porrectumque Baptismum ; scilicet, postquàm initiatus de lavacro egressus est : 3° quòd illa in veteri Testamento figurata fuit per unctionem sacerdotum : 4° quòd illa in nobis carnaliter quidem currit, sed spiritaliter proficit : 5° quòd illa sic in nobis spiritaliter proficit, quomodò exterior aquæ ablutio nos à delictis liberat : 6° quòd sicut in Baptismo, carnalis actus est carnis immersio, et spiritalis effectus est interior animæ emundatio ; ita in unctionis sacramento, carnalis actus est carnis unctio, et spiritalis effectus est interior animæ profectus.

Circa manûs impositionem docet, 1° quòd illa non conferatur nisi post unctionem : 2° quòd illa *per benedictionem*, id est, orationem, advocet Spiritum sanctum, qui de cœlo descendit super initiatum : 3° quòd illa in veteri Testamento figurata fuit per manuum impositionem, quâ Jacobus impositis decussatisque manibus Ephraimo et Manassi benedixit.

Plura hinc argumenta colligi possunt adversùs hæreticos.

Primum est. Quamvis Spiritus sanctus descendat super aquas baptismales, iisque immoretur, ut eas sanctificet et vim sanctificandi eis conferat ; Baptismus tamen non confert Spiritum sanctum, sed ablutione delictorum vias præparat ad superventurum Spiritum sanctum. Igitur admitti debet ritus sacer, à Baptismo diversus, qui conferat Spiritum sanctum iis, qui per Baptisma emundati, ad illum suscipiendum ritè dispositi sunt. Ille verò ritus sacer ab orthodoxis vocatur CONFIRMATIO.

Secundum. Baptismus non confert Spiritum sanctum, sed ablutione delictorum vias præparat superventuro Spiritui sancto ; sicut Joannes Christo venturo vias præparabat. Ritus igitur quo Spiritus sanctus super baptizatos venturus est, omninò diversus est à Baptismo, sicut Christus venturus à Joanne diversus erat.

Tertium. Baptismus non habet vim conferendi Spiritum sanctum, sed viam præparat ad recipiendum Spiritum sanctum, qui superventurus est per manuum impositionem. Baptismus igitur ad manuum impositionem, velut medium ad finem ordinatur. Atqui Baptismus non ordinatur ad cæremonias, velut medium ad finem ; quia cæremoniæ sunt propter sacramentum, non autem sacramentum est propter cæremonias. Ergo manuum impositio, quâ Spiritus sanctus supervenit, non est cæremonia Baptismi.

Quartum. Baptismus non habet vim conferendi Spiritum sanctum, sed viam præparat ad recipiendum Spiritum sanctum, qui superventurus est per manuum impositionem. Hæc igitur manuum impositio majo-

rem habet virtutem quàm Baptismus : sed Baptismi cæremonia, nec majorem, nec æqualem vim habet ac Baptismus. Hæc igitur manuum impositio non est cæremonia Baptismi.

Quintum. Baptismus viam præparat ad recipiendum Spiritum sanctum, qui per manuum impositionem superventurus est in baptizatos. Hæc igitur manuum impositio non est cæremonia merè ecclesiastica, sed ritus sacer à Christo institutus ad Spiritum sanctum baptizatis conferendum : alioqui vim illam non haberet.

Sextum. Baptismus non habet vim conferendi Spiritum sanctum, sed fideles ablutione scelerum disponit ad recipiendum Spiritum sanctum, qui superventurus est per manuum impositionem. Illa igitur virtus major et perfectior est, quæ confert Spiritum sanctum, quàm ea, quæ sordes delictorum abluit. Sed nullus ritus habere potest vim abluendi scelera, nisi à Deo institutus sit. Quantò minùs vim igitur habebit conferendi Spiritum sanctum.

Septimum. Baptizatis adhibebatur manuum impositio, quæ Spiritum sanctum conferebat. At Tertulliani tempore Spiritus non descendebat modo visibili, sed invisibili; neque conferebatur ratione gratiarum gratis datarum, sed ratione gratiarum sanctificantium.

Octavum. Post Baptismum et unctionem adhibetur manuum impositio, quæ *per benedictionem advocat et invitat Spiritum sanctum et tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens à Patre descendit.* En sacramentum perfectum. Materia est manuum impositio : forma est benedictio, seu oratio : effectus est descensus Spiritûs sancti.

Novum. *Egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione.* Hæc igitur unctio est sacra et benedicta, non autem ab hæreticis instituta.

Decimum. *Egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione.... dehinc manus imponitur.* Hos igitur ritus Tertullianus describit, non quasi recentes, sed quasi antiquos, et jampridem in ecclesiis observari solitos.

Undecimum. *Hæc unctio in nobis carnaliter currit, sed spiritaliter proficit.* Non est igitur otiosa cæremonia.

Duodecimum. *Hæc unctio sic in nobis spiritaliter proficit, quomodò Baptismus nos delictis liberat.* Atqui simplex Baptismi cæremonia, neque ratione virtutis, neque ratione modi operandi comparari potest cum Baptismo; quia simplex cæremonia non agit nisi ex opere operantis. Hæc igitur unctio non est simplex Baptismi cæremonia.

Decimum tertium. *Sic in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit : quomodò et ipsius Baptismi carnalis actus est, quòd in aquâ mergimur : spiritalis effectus est, quòd delictis liberamur.* Sicut igitur in Baptismo, carnalis actus est carnis immersio; ita in unctionis Sacramento carnalis actus est carnis unctio : et sicut in Baptismo spiritalis effectus est emundatio à delictis; ita in unctionis Sacramento, spiritalis effectus est interior animæ profectus, seu unctio, et fortitudo; carnalis enim unctio spiritaliter proficit, animam ungendo et confirmando : et sicut Baptismus à delictis liberat ex opere operato; ita unctio proficit spiritaliter ex opere operato; quia *sic in nobis spiritaliter proficit unctio, quomodo Baptismus nos à delictis liberat.*

Opponit 1° Dallæus adversùs hunc postremum Tertulliani textum; materiam unctionis Tertullianicæ diversam esse à materiâ unctionis Romanæ : quia Tertullianus meminit olei tantùm; et Romani oleum et balsamum requirunt.

Respondetur, incertum esse, utrùm balsamum sit de necessitate sacramenti Confirmationis. Quòd si Tertullianus balsami non meminit, illud etiam non excludit. Præterea quod tacuit Tertullianus, meminit Irenæus. Unum est extra controversiam, videlicet quòd unctio ex oleo necessaria est; hanc Tertullianus agnovit. Non est igitur dispar utriusque unctionis materia. Accedit quod Patres sub olei nomine, chrisma sæpè designent, ut Innocentius, in epistolâ ad Decentium Eugubinum, cap. 3.

Opponit 2° : Tertulliani unctio *est de pristinâ disciplinâ,* id est, de Mosaicâ disciplinâ, et de Judæorum usu suscepta est; Romana verò fingitur esse de Christi disciplinâ et mandato, et de apostolorum usu suscepta.

Respondeo meram esse æquivocationem : siquidem unctio Romana dicitur esse de Christi disciplinâ, quòd à Christo instituta fuerit; Tertullianica verò dicitur de pristinâ disciplinâ, non originaliter, quasi à Moyse instituta fuerit, sed præfigurativè, quòd per Mosaicam unctionem fuerit præfigurata.

Hunc esse Tertulliani sensum, apparebit recolenti textum citatum, et expendenti ac inter se conferenti modos loquendi Tertullianicos. Tria, ut diximus, ille distinguit, baptismum, unctionem, et impositionem manuum : quæ quidem tria præfigurata fuisse asserit suo modo, id est, modo loquendi parùm usitato. Aquas enim baptismales ait, cap. 4, *de pristinâ originis prærogativâ sacramentum sanctificationis consequi :* hoc est, sanctificationem aquarum baptismalium præfiguratam fuisse per sanctificationem aquarum primordialium; in eo quòd, sicut Spiritus sanctus ferebatur super aquas primordiales, eisque incubabat; ita Spiritus sanctus descendit super aquas baptismales, eisque superest, ut illas sanctificet. Unctionem verò, quâ egressi de lavacro perungimur, ait cap. 7, esse *de pristinâ disciplinâ, quâ ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant;* hoc est, præfiguratam fuisse per pristinam disciplinam Mosaicam, quâ sacerdotes ungi solebant in sacerdotium. Denique manuum impositionem super baptizatos factam, ait cap. 8, *esse* QUOQUE (observa hanc particulam) *de veteri sacramento, quo nepotes suos, Ephraim et Manassem, Jacob benedixit.* Quemadmodùm igitur, cùm Tertullianus ait, Baptismum *sanctificari de pristinâ originis prærogativâ : et manûs impositionem esse de veteri sacramento,* id debet intelligi præfigurativè; simili modo, cùm dixit baptizatos *ungi de pristinâ disciplinâ,* seu unctionem esse de pri-

stinâ disciplinâ, id debet accipi ratione figuræ, non autem ratione originis et institutionis.

Confirmatur. Tertullianus, postquàm dixit unctionem esse de pristinâ disciplinâ, transit ad manûs impositionem, et illam ait *esse quoque de veteri sacramento*. Ubi particula *quoque*, apertè indicat eodem sensu dici à Tertulliano, manuum impositionem esse de veteri sacramento, quo dictum fuerat unctionem *esse de pristinâ disciplinâ*. Aut igitur modus ille loquendi utrobique intelligitur præfigurativè; aut adversarii fateantur necesse est manuum impositionem, quæ Spiritum sanctum super baptizatos advocat, à Jacobo patriarchâ institutam, et eamdem esse cum Jacobæâ; sicut unctionem baptizatis adhibitam volunt à Moyse institutam, et eamdem esse cum Mosaicâ.

Instat Dallæus. Vetus unctio potuit quidem esse figura nostræ unctionis spiritalis, sed unctionis alicujus corporalis typum fuisse absurdum est.

Respondeo 1°: Si ex Tertulliano aquæ primordiales præfigurârunt Baptismum, et Jacobæa manuum impositio super Ephraim et Manassem præfiguravit manuum impositionem super baptizatos; quidni ex eodem Tertulliano unctio Mosaica præfigurare potuit unctionem confirmatoriam? 2° Si ex Tertulliano, ibid. cap. 5, piscina probatica significabat Baptismum, eoque mediante ablutionem delictorum; quid impedit, ne ex eodem auctore vetus unctio significet unctionem confirmatoriam, et eâ mediante unctionem spiritualem? 3° Si ex Tertulliano, ibid. cap. 5, piscina probatica significavit *medicinam spiritualem*, quo nomine intelligit Baptismum, qui licèt carnalis sit ratione materiæ, nihilominùs medicina spiritualis dicitur, quia virtutem medendi spiritalem habet; quidni ex eodem Tertulliano vetus unctio præfiguravit unctionem spiritualem, eoque nomine intelligitur unctio confirmatoria, quæ licèt carnalis sit ratione materiæ, nihilominùs dici potest unguentum spirituale, quia virtutem ungendi spiritualem habet? Hæc enim (subjicit Tertullianus) *quæ in nobis carnaliter currit unctio, spiritualiter proficit*.

Urget Dallæus. Unctio Mosaica non potest esse figura Romanæ unctionis confirmatoriæ: illâ enim ungebantur in sacerdotium; hâc verò in pugiles et athletas sive milites inungi se volunt Romani; quod non pertinet ad sacerdotium.

Respondeo nos fieri sacerdotes et reges, ex quo per baptismum christiani efficimur, juxta illud 1 Petri, c. 2, v. 9: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*, etc. Sed constituti infantes per baptismum, evadimus perfecti christiani per Confirmationem. Regalis igitur sacerdotii plenitudinem et perfectionem in Confirmatione consequimur. Nihil autem repugnat, quominùs unctio Mosaica, quâ sacerdotes Aaronici ungebantur, figura fuerit unctionis confirmatoriæ, quâ sacerdotii regalis perfectionem et plenitudinem consequimur.

Urget iterùm Dallæus. Regis est bellare et cum hostibus congredi. Romana igitur unctio, quâ pontificii in pugiles, athletas et milites ungi se volunt, ad eam potiùs debet referri, quâ reges ungebantur. Sed unctio Tertulliani pertinebat ad sacerdotalem, non autem ad regiam. Unctio igitur Tertulliani omninò diversa est à Romanâ.

Huic objectioni plura responderi possunt. 1° In Tertulliano, aliisque auctoribus factum, quod ab ipsis refertur, distingui debet à rationibus et conjecturis, quibus refert Tertullianus, quòd ætate suâ fideles de lavacro egressi perungerentur. Deinde verò de conjecturâ suâ addit illam unctionem præfiguratam fuisse per Mosaicam: factum, ut quod certum sit, admittimus; conjecturam, ut quæ incerta sit, omittimus. 2° Tertullianus unctionem confirmatoriam ita refert ad sacerdotalem, ut regiam non excludat, sed de illâ taceat. 3° Quandoquidem per unctionem confirmatoriam ungimur ut reges, et ut sacerdotes; liberum fuit Tertulliano, ut illam referret ad sacerdotalem, vel ad regiam, vel ad utramque. 4° Tertullianus fortè attendit potiùs ad sacerdotalem, quàm ad regiam christianorum dignitatem, exemplo Petri, qui christianos vocat *regale sacerdotium*, maximè cùm omnis christianus, etiam laicus, passim apud Tertullianum dicatur, ara Dei et templum Dei, et immolare et sacrificare Deo laudes, gratias, jejunia, eleemosynas, teste Rigaltio in notis ad cap. 17 libri de Baptismo. 5° Non christiani modò est, quà regis, sed etiam quà sacerdotis, bellare et cum hostibus congredi: nec enim se suasque passiones offert nisi se, suasque passiones vicerit.

Opponit 3°: Manuum impositio, de quâ Tertullianus unctionem consequitur. Sed apud Romanos aut nulla est manuum impositio, aut unctionem antecedit. Ergo, etc.

Respondeo hanc objectionem non pertinere ad eam, quæ controvertitur, difficultatem; sed respicere disputationem de materiâ Confirmationis, circa quam triplex est opinio. Prima docet manuum impositionem esse materiam Confirmationis essentialem, chrismationem verò essè materiam accidentalem; secunda docet utramque esse materiam essentialem: tertia docet manuum impositionem olim fuisse materiam essentialem, sed illam serie temporum desiisse, et ejus loco successisse chrismationem. Prima et secunda opinio contendit etiamnùm fieri manuum impositionem: tertia opinio concedit illam non ampliùs fieri, sed ejus loco successisse chrismationem: eamque immutationem esse legitimam, quia Christo ita volente facta fuit. Quòd autem manûs impositio unctionem antecedat vel subsequatur perinde est.

Opponit 4°: Forma verborum, quam Romani adhibent, est absoluta, unctionisque materiam respicit: *Consigno te*, etc., contra verò forma verborum, cujus meminit Tertullianus, est deprecatoria, cùm in oratione consistat; manuumque impositionem, non autem unctionem respicit. Ergo.

Respondeo, hanc etiam difficultatem non pertinere ad eam, quæ controvertitur difficultatem, sed ad formam Confirmationis; circa quam triplex est opinio. Quibus è theologis placet manuum impositionem esse

solam Confirmationis materiam essentialem, forma est deprecatoria, juxta illud Actor. 8, v. 15 : *Oraverunt pro ipsis*, etc., alia verò quæ absoluta est, quæque unctioni respondet, *consigno te*, etc., accidentalis est. Quibus verò utraque materia essentialis est, utraque forma pariter essentialis est. Quibus denique chrismatio successit manuum impositioni, forma etiam absoluta successit formæ deprecatoriæ. Qui primam tuentur opinionem, gloriantur auctoritate Tertulliani. Qui secundam tuentur opinionem, contendunt hæc verba Tertulliani *advocari et invitari Spiritum sanctum*, æquè verbis absolutis ac deprecatoriis convenire, et negant Tertullianum loqui de formâ tantùm deprecatoriâ; maximè si attendamus formulam Baptismi, quamvis absoluta sit, à Patribus vocari invocationem Trinitatis. Qui tertiam tuentur sententiam, pristinam formam concedunt fuisse deprecatoriam, sed absolutam ei successisse contendunt.

Cæterùm Tertullianus formam consecrationis vocat *benedictionem*, et per illam ait invitari seu advocari Spiritum sanctum, quia Sacramentorum formæ sunt quædam preces mysticæ, ministrorum ore prolatæ, quæ gratiam impetrant, ut à Deo ritibus sacris promissam.

Opponit 5° : Unctio manuumque impositio confirmatoria vindicatur solis episcopis. Atqui Tertullianus ritus illos non vindicat solis episcopis : sed illorum ministerium tribuere videtur presbyteris et clericis, imò et laicis. Postquàm enim, c. 7 et 8, ritus unctionis et manûs impositionis unà cum baptismo consequenter retulit; deinde loquitur de ministro Baptismi, c. 17 ; et ministerium illud assignat episcopis, et cum episcopi auctoritate presbyteris et diaconis, quin etiam laicis imminente mortis periculo. Si quid in Baptismi unctionis et impositionis manuum ministris discriminis fuisse putâsset, id hoc profecto loco notâsset : non fecit : nullum igitur discrimen agnovit.

Respondeo Tertullianum tacuisse de ministro unctionis et impositionis manuum, licèt de ministro Baptismi suam sententiam accuratè proposuerit, quia de Baptismo agebat ex professo ; de unctione autem atque manûs impositione transeunter et cursim scilicet occasione Baptismi, quem ætate illa Confirmatio statim subsequebatur. Cæterùm quod Tertullianus tacuit, non silentio prætermiserunt Cornelius pontifex Romanus, et Cyprianus Tertulliano suppares, concilium Eliberitanum, Hieronymus et alii.

Posset aliquis instare. Postquàm Tertullianus, c. 17, dixit ministrum Baptismi esse *summum sacerdotem*, *qui est episcopus ; dehinc presbyteros et diaconos*, *non tamen sine episcopi auctoritate* : deinde, c. 18, ipsos commonefacit, ne Baptismum temerè conferant omni petenti, sed attendant ad illud Christi, *nolite dare sanctum canibus, et porcis projicere margaritas vestras*. Et aliud Pauli, 1 ad Timoth. 5 : *Manus ne facilè imposueris, ne participes aliena delicta*. Quæ quidem verba de ordinatione Paulus protulit, sed ad impositionem manuum super baptizatos fieri solitam Tertullianus transtulit. Manuum igitur impositio, de quâ Tertullianus, ad Baptismum pertinebat, eaque conferri poterat à presbyteris et diaconis, non tamen sine episcopi auctoritate.

Priusquàm respondeatur, observandum est, quòd Tertullianus tractatui de Baptismo finem impositurus, subjicit monita quædam *de observatione dandi et recipiendi Baptismum*. Expendit, c. 17, ad quem pertineat ministrare Baptismum, et monet jus illud pertinere ad summum sacerdotem, qui est episcopus : dehinc ad presbyteros et diaconos, *non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiæ honorem*. Capite verò 18, docet Baptismum non temerè credendum esse cuilibet petenti, et monet illos, quorum interest, ut hoc attendant. *Baptismum*, inquit, *non temerè credendum esse*, *sciant quorum officium est. Omni petenti te dato*, *suum habet titulum*, *proinde ad eleemosynam pertinentem. Imò illud potiùs perspiciendum* : « *Nolite* « *dare sanctum canibus, et porcis projicere margaritas* « *vestras : et manus ne facilè imposueris, ne participes* « *aliena delicta.* » Hic est textus, de quo controvertitur, et cui triplex sensus adhiberi potest.

Qui Christo nomen dederant, ingrediebantur catechumenatûs curriculum, in quo *orationibus crebris*, *jejuniis*, *geniculationibus*, *et pervigiliis orare oportebat ;* ibid, c. 20 : qui verò post impletum catechumenatum, Baptismum ambiebant, tanquàm salutis candidati, dicebantur PETITORES, ex libro de Pœnitentiâ, c. 6, et inter competentes censebantur : non tamen admittebantur ad Baptismum, quin priùs eorum vita, agendique ratio expenderetur. Suffragia dabant non modò episcopus, presbyteri, et clerici, sed et alii fideles, qui eam ob rem scrutinio utebantur. Hinc fit ut ex petentibus, alii admitterentur ad Baptismum, alii verò, ut qui in catechumenatu non rectè se gessissent, ad tempus remitterentur, quod tamen nonnullis fidelibus displicebat, qui in petentes nimiùm propensi, volebant illis Baptismum statim conferri; allegabantque illud, *omni petenti te dato*, seu ut habetur Lucæ 6, v. 30, *omni petenti te tribue*. At illi petunt Baptismum : quidni igitur tribuetur? Respondet verò Tertullianus verba illa in vanum proferri, cùm in alium sensum in Scripturis prolata sint. Spectant enim ad eleemosynæ largitionem. Quocirca eos, qui textum hunc citabant, monet ut potiùs attendant ad illud Christi, quo prohibetur sanctum dari canibus ; et ad illud Pauli, quo vetatur manuum impositionem citò fieri. Hæc prima est expositio, quæ potest afferri, ex quâ nemo sanè concludet ministerium manuum impositionis pertinuisse ad presbyteros et diaconos.

Secunda et tertia expositio oriri possunt ex his verbis, *sciant, quorum officium est :* quæ ad diversa officia referri possunt.

Possunt enim referri ad examen baptizandorum, ita ut sensus sit : Baptismum non temerè credendum esse cuilibet petenti : noverint quorum officium est expendere, qui competentes debeant ad Baptismum admitti, vel ab eo rejici ; nec eos fideles audiant, qui in petentes nimiùm propensi, Baptismum statim confe-

rendum colligunt ex hoc textu, *omni petenti te dato :* sed potiùs attendant illud Christi, quo prohibetur sanctum dari canibus, et illud Pauli, quo vetatur manuum impositionem citò fieri. Ex quo sensu nihil etiam inferri potest, quod Antonio de Dominis, et Dallæo faveat.

Possunt quoque hæc verba, *sciant quorum officium est*, referri ad ministerium Baptismi, quasi sensus sit ; Baptismum non temerè credendum esse omni petenti, noverint quorum officium est baptizare ; nec attendant ad illud, quod à quibusdam in petentes nimiùm propensis allegatur, *omni petenti te dato ;* sed illud Christi potiùs respiciant, quo prohibetur sanctum dari canibus, et illud Pauli, quo vetatur manuum impositionem citò fieri. Atqui ætate Tertulliani episcopus erat ordinarius et præcipuus minister Baptismi, non autem presbyter vel diaconus. Præfatus igitur textus , hoc etiam tertio sensu usurpatus, respicit duntaxat episcopos, non autem sacerdotes vel diaconos.

Sed age, hæc verba, *sciant quorum officium est*, significent episcopos, sacerdotes et diaconos : quid inde ? Cùm enim hæc verba sint vaga et indeterminata , referri possunt, modò ad episcopos, quorum est baptizare et manus imponere ; modò ad presbyteros et diaconos, quorum est baptizare, non autem manus imponere : tuncque sensus erit : *Baptismum non temerè credendum esse sciant, quorum officium est ;* sive presbyteri sive diaconi, quorum est duntaxat baptizare, ne fortè margaritas ante porcos projiciant ; sive etiam episcopi, quorum est baptizare et manus imponere, ne fortè sanctum præbeant canibus, manusque citiùs imponant.

Opponit 6° : Unctio, de quâ Tertullianus, ea est quâ ungimur in sacerdotium. Sed in Baptismo ungimur ut sacerdotes ex Chrysostomo, homil. 3, in 2, ad Corinth., et ex aliis Patribus. Hæc igitur unctio non habet effectum à Baptismo distinctum.

Respondeo 1° : Chrysostomus loquitur de Unctione spirituali et interiori : Tertullianus autem de unctione olei. 2° Aliud est ungi unctione, quæ præfigurata fuerit per unctionem sacerdotalem Mosaicam ; et aliud ungi in sacerdotium : priùs, non autem posteriùs asseruit Tertullianus. 3° In Baptismo ungimur quidem ut reges et sacerdotes, sed in Confirmatione ungimur in plenitudinem et perfectionem regalis sacerdotii. 4° Tertullianus conceptis terminis statuit hoc discrimen inter unctionem et Baptismum, quòd unctionis effectus *est in nobis spiritaliter proficere, quomodò ipsius Baptismi spiritalis effectus est, quòd delictis liberamur.*

Opponit 7° : Effectus manuum impositionis, de quâ Tertullianus, est per benedictionem seu orationem advocare Spiritum sanctum. Atqui in baptismo advocatur etiam et descendit Spiritus sanctus, ex Hieronymo, in dialogo adv. Lucifer., cap. 3 et 4. Effectus igitur impositionis manuum, de quâ Tertullianus, non est diversus ab effectu Baptismi.

Respondeo 1° : Spiritus ita descendit per Baptismum ut specialori adhuc modo per episcopalem manuum impositionem descendat ex Hieronymo, ibid. cap. 4. 2° Hic non agitur de mente Hieronymi, sed Tertulliani, qui in textu supra citato luculenter asserit Spiritum sanctum per manuum impositionem, non autem per Baptismum advocari et descendere, quemadmodum diximus supra.

At, inquit Dallæus, non fuit ea Tertulliani mens, aut sibi ipsi contradixit, ut qui, lib. 1 contra Marcionem, cap. 28, clarissimè docet, imò velut christianæ doctrinæ principium præsupponit, Baptismum esse *consecutionem Spiritûs sancti*. Sic enim argumentatur adversùs Marcionem, qui duos admittebat Deos, quorum unus diceretur creator, et mundum creâsset, alter verò diceretur Pater, Christum misisset, et per ipsum instituisset Sacramenta. *Si* (Baptisma) *regeneratio est hominis, quomodò regenerat Deus Pater qui non generavit, iteratio enim non competit ei à quo quid nec semel factum est. Si consecutio est Spiritûs sancti, quomodò Spiritum attribuet Deus Pater, qui animam non priùs contulit ? quia suffectura est quodammodò Spiritus anima. Signat igitur hominem , nunquàm apud se resignatum; lavat hominem nunquàm apud se coinquinatum.* Quibus verbis Tertullianus probat Deum, quem Marcion Patrem appellat, non posse hominem regenerare per Baptisma, nisi priùs illum ab initio generaverit ; quia iteratio non competit ei , à quo quid nec semel factum est ; neque posse homini Spiritum sanctum conferre in Baptismo, nisi priùs ei ab initio animam contulerit ; quia anima est quodammodò suffectura Spiritûs. Ubi *suffectura* sensu *præfecturæ* contrario accipitur : ita ut suffectura conveniat animæ , sicut præfectura Spiritui sancto ; et ad animam pertineat subesse Spiritui sancto, sicut Spiritûs sancti est præesse animæ.

Respondent aliqui Tertullianum minimè sibi contradicere ; cùm enim ait : *Si consecutio est Spiritûs sancti*, loquitur de Confirmatione , non autem de Baptismo ; tum quia subjicit, *signat igitur hominem*, etc. Tum quia in libro de Baptismo conceptis terminis negat Spiritum sanctum conferri per Baptismum.

Dato tamen , et non concesso , quòd Tertulliano in libris contra Marcionem , visum fuerit eos, qui baptizantur, in aquis consequi Spiritum sanctum, respondetur, in Baptismo dari Spiritum sanctum ad regenerationem, et ut ita dicam , renativitatem ; sed in Confirmatione dari ad perfectionem ætatis christianæ : in Baptismo dari Spiritum sanctum ad remissionem peccatorum ; sed in Confirmatione dari ad fortitudinem et robur. Hanc distinctionem explicuerunt ii , qui seculis retrò sequentibus scripserunt. Eucherius Lugdunensis in homil. de Pentecoste : *Spiritus sanctus , qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu , in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam , in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam :... in Baptismo regeneramur ad vitam ; post Baptismum confirmamur ad pugnam : in Baptismo abluimur ; post Baptismum roboramur*, etc. Auctor epistolæ , quæ Melchiadis nomine circumfertur : *In fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam , in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam; in Baptismo regeneramur ad vitam , post Baptismum*

confirmamur ad pugnam. Petrus Damiani, serm. 1 de Dedicatione ecclesiæ : *In Baptismo Spiritus sanctus datur ad veniam, hic ad pugnam : ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur.* Goffridus Vindocinensis, opusculo 8 : *In baptismate per Spiritum sanctum datur remissio peccatorum, in Confirmatione Spiritus sanctus invitatur ut veniat, et domum ipsam, quam sanctificavit, inhabitet, muniat, et defendat.* Rupertus, lib. 3 de Operibus Spiritûs sancti, c. 10 : *Qui testis in Baptismo factus est Spiritus idem fit et tutor pupilli, ubi per impositionem manuum, sacrique chrismatis unctionem, secundam qui renatus est gratiam accepit.* Hugo Victorinus, lib. 1 de Sacramentis, c. 22 : *In baptismo datur Spiritus ad remissionem, hic verò ad robur.*

Instat Kemnitius in Examine, titulo de Confirmatione : Tertullianus quidem negavit Spiritum sanctum per Baptisma conferri : sed illam opinionem à Montano accepit. Nulla igitur ratio ipsius habenda est.

Respondeo 1° : Non satis liquet, quo fundamento id Montanisticum esse Kemnitius voluerit. 2° Tertullianus ita sensit in libro de Baptismo, quem, cùm adhuc catholicus esset, composuit adversùs Quintillam unam è Montanistarum pseudoprophetissis. 3° Eamdem ante Tertullianum opinionem amplexus est Irenæus supra citatus, lib. 4 advers. hæreses Valentini, c. 74 : quod quidem opus legerat Tertullianus, ut apparet ex cap. 5 et seqq. libri adversùs Valentinianos, ubi pleraque ejus verba describit usque ad libri finem. 4° Eamdem quam Tertullianus sententiam secutus est Cornelius Papa, ut patebit ex dicendis, qui tamen Montanista non erat.

Urget Dallæus. Manuum impositio, de quâ Tertullianus, advocat et invitat Spiritum sanctum, non bellatorem, et prælatorem, qualem Latini suæ chrismationi vindicant; sed columbinum, hoc est, ut ipse interpretatur, simplicitatis et innocentiæ, pacem Dei de cœlo afferentem : si quidem natura Spiritûs sancti declaratur per columbam, quæ felle caret, animal est simplicitatis et innocentiæ, et præco divinæ pacis : ex Tertulliano, ibid. cap. 8, et ex lib. adversùs Valentin., c. 2.

Respondeo non eodem modo sentiendum esse de prælio spiritali, ac de certamine terreno. Simplicitas, innocentia, tranquillitas animi, et mansuetudo ad terrenum quidem inepta sunt ; sed bellatori spiritali optimè conveniunt. Christus Apostolos discipulosque, *sicut oves in medio luporum*, mittens, eisque mala quòd passuri erant, prædicens, commendat præ cæteris, ut sint *simplices sicut columbæ*, Math. 10, v. 16. Unde Tertullianus, lib. adv. Valentin., c. 3, colligit et probat columbinam simplicitatem aptam esse ad veritatem aperiendam, fidemque prædicandam. Neque sanè alia virtus ad martyrium fortiter subeundum, vel ad pœnas submisso ac patienti animo ferendas, aut inimicis atque tortoribus corde sincero ignoscendum, convenientior videtur, quàm spiritus simplicitatis, innocentiæ, pacis, et mansuetudinis; quemadmodùm apparet exemplo Christi, qui non accessit ut leo ad pugnam, *sed sicut ovis ad occisionem ductus est*, Isai. 53, v. 7. *Et quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*, Jerem. 2, v. 19 : videsis Chrysostomum, homil. 34, post initium.

Opponit 8° : Unctio et manuum impositio, de quâ Tertullianus, continenter post Baptismum adhibebatur. Sed Romana neque in Baptismo, neque statim post Baptismum adhibetur. Igitur diversa est à Tertullianicâ : ita Dallæus, et ante Dallæum Blondellus, lib. de Episcop., pag. 214.

Respondeo diversam esse ratione temporis, non autem ratione specificæ distinctionis. Sicut enim specifica distinctio non sequitur, ex eo quòd olim parvuli baptizati statim eucharistiâ reficerentur, nunc verò illam non sumant, nisi postquàm ad plenum perfectumque rationis usum pervenerunt; ita nec ex eo quòd olim neophyti continenter ungerentur et manuum impositionem susciperent, nunc verò longè postea.

Opponit 9° : *Ipse Tertulliani liber clamat hos ambos, quos commemorat, ritus, Baptismi rem esse : quia et liber* de Baptismo *inscribitur, non de alio aliquo sacramento. Præterea et auctor tum alia quædam, tum hæc ipsa, quæ recitavimus, executus, non alia se, quàm quæ ad Baptismum pertinent, enarrâsse profitetur.* « *Dixi-* « *mus,* » *inquit cap.* 10, « *quantùm mediocritati nostræ* « *licuit, de universis, quæ baptismi religionem struunt.* » *Ergo et unctio et manûs impositio, quæ eorum de quibus dixit, pars sunt, ad baptismum pertinent.* Ita Dallæus, et ante Dallæum Antonius de Dominis, lib. 5, c. 5, num. 13.

Respondeo Tertullianum inscripsisse hunc librum *de Baptismo*, quia baptismus est argumentum hujus operis; ita tamen, ut (quod usu evenire solet) mentionem fecerit de quibusdam aliis rebus à Baptismo distinctis, quæ ad illustrandum id quod pertractabat, non parùm conducere videbantur. Accedit quòd Confirmatio ad Baptismum aliquo modo pertineat; sive quia continenter post Baptismum conferri solebat, sive quia baptismi perfectio dicitur. Sic Jesse Ambianensis, de Baptismo scribens, commemorat Eucharistiam. Sic Theodulphus Aurelianensis opus edidit *de Oratione baptismi*, in quo de Baptismo solo agere sibi proponit : sic enim Magnum Senonensem alloquitur : *Præcepisti mihi, ut quibusdam quæstionibus de ordine Baptismi, à domino et glorioso imperatore tibi transmissis breviter et citò responderem.* Et sub finem : « *Quod prudenter jus-* « *sisti, humiliter implevi.* » In eo tamen opere aliqua inseruit, quæ ad Confirmationem et Eucharistiam pertinent. Sic Alcuinus ad Odovinum episcopum mittit librum, cujus argumentum est *Ordo Baptismi* : in quo tamen nonnulla miscet de Confirmatione et Eucharistiâ. Sic Amalarius Fortunatus, in epistolâ ad Carolum Magnum, quæ hactenùs prodiit sub Alcuini nomine, docet imperatorem de cæremoniis Baptismi, neque silet prorsùs de Eucharistiâ, quamvis omninò sileat de Confirmatione, quia tunc sacerdotes, non autem episcopi baptismum conferre, et baptizatis Eucharistiam ministrare solebant.

Opponit 10° : Unctio, de quâ Tertullianus, eatenùs

spiritaliter proficit, quatenùs mentem nostram, rerum spiritalium imagine ad attentionem, fidem, spem, atque gaudium spiritale erigit.

Respondeo unctionem, de quâ Tertullianus, practicam esse, et agere ex opere, ut aiunt, operato. Asserit enim Tertullianus illam *sic in nobis spiritaliter proficere, quomodò ipsius Baptismi spiritalis effectus est, quòd delictis liberamur.*

Ut quasdam alias objectiones diluas, observari debet, 1° unctionem quæ Baptismi cæremonia est, ab eâ diversam esse, quæ ad Confirmationem pertinet, quòd illa agat ex opere operantis, ista ex opere operato : 2° utramque unctionem aliquando dici signum et signaculum, cum eo tamen discrimine, quòd illa sit signum, signaculum, et sigillum speculativum ; ista verò practicum : 3° unctionem practicam, et manuum impositionem, quamvis ad Confirmationem pertineant, nihilominùs eas à Patribus aliquando reduci ad Baptismum, sive quòd continenter post baptismum adhiberentur, sive quòd sint Baptismi perfectio.

§ 8. *Clemens Alexandrinus.*

Clemens, Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, magister Origenis, et Pantæni discipulus, qui post ejus mortem Alexandriæ ecclesiasticam scholam tenuit, fuitque catecheseon magister, et Severi atque Antonini Caracallæ ejus filii temporibus floruit, insignia volumina scripsit, quorum nonnulla recenset Hieronymus in catalogo. Quædam ex his supersunt, in quibus nulla ferè mentio fit de Sacramentis. Ex iis verò, quæ perierunt, refertur ab Eusebio, lib. 3 Histor., cap. 20, aut 23, insigne fragmentum, in quo narratur historia hujusce juvenis, quem Joannes apostolus cuidam episcopo ab urbe Ephesinâ non longè dissito commendavit. Ille verò ab episcopo fidei elementa edoctus baptizatus, et sigillo Domini obsignatus, recessit, latronumque dux effectus est. Verba sunt Clementis apud Eusebium, quæ quidem Græcè describamus necesse est, quòd eorum sensus controvertatur. Ὁ δὲ πρεσβύτερος ἀναλάβων οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον, ἔτρεφε, συνεῖχεν, ἔθαλπε, τὸ τελευταῖον ἐφώτισε, καὶ μετὰ τοῦτο, ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ παραφυλακῆς, ὡς τὸ τέλειον ἀντῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου. Quæ Ruffinus sic vertit : *Tum verò presbyter in domum suam adolescentem suscepit commendatum, et cum omni diligentiâ enutrit, amplectitur, fovet, ad ultimum etiam Baptismi gratiam tradit : post hæc jam velut confidens gratiæ, quâ fuerat communitus, paulò indulgentiùs juvenem habere cœpit.* Ruffinus igitur Eusebium de solo Baptismo interpretatur : sed Ruffini versio parùm accurata mihi videtur. Ruffino consentit Petrus Aurelius, et Aurelio Henricus Valesius ad hunc locum, quem ita vertit : *Presbyter verò adolescentem, sibi traditum in domum suam suscipiens educavit, fovit, atque continuit : tandemque Sacramentum Baptismi eidem tradidit. Deinde sacerdos de pristinâ curâ atque custodiâ paulatim remisit, quippe cum perfectissimo custode apposito, Christi scilicet signaculo, juvenem communivisset.*

Aliter sentiunt, Wolphangus Musculus, quia ita vertit : *Senior verò acceptum adolescentem sibi traditum, domui educavit, continxit, fovit, tandem etiam illuminavit* (ad marginem, id est, baptizavit), *post ad tantam ejus diligentiam et observantiam pervenit, ut et eximium illi phylacterium, obsignationem scilicet Domini adderet.* Joannes Christophorsonus Cicestrensis, in Angliâ episcopus. Baronius ad annum 35, n. 14 : *Ad extremum Baptismi sacramento illuminavit. Postea verò, ubi sigillo Domini tanquàm perfecta, tutaque animi ejus custodia, obsignâsset, nonnihil de curâ et observatione in eo instituendo susceptâ remisit.* Bellarminus, tractatu de Confirmatione, lib. 2, cap. 5 : *Episcopus eum Baptismi sacramento illuminavit. Postea verò sigillo Domini, tanquàm perfectâ, et tutâ animi ejus custodiâ, obsignavit.* Verùm hæc Bellarmini versio non est germana.

Eusebii textus verbo ad verbum ita reddi potest : *Senior verò sibi traditum adolescentem in domum suam suscipiens, enutrivit, complexus est, fovit, postremò illuminavit* (id est, baptizavit) : *post hæc remisit nimiam illam curam et custodiam, quippe qui perfectam ipsi custodiam, superposuisset, seu addidisset, nempe signaculum Domini.* A quâ versione Dallæus minimè dissentit, lib. 2, c. 1 : *Presbyter verò*, inquit, *adolescentem sibi traditum domum suam recipiens, educavit, continuit, fovit, ad extremum baptizavit. Postea verò de ampliori curâ et observatione remisit, quasi qui perfectam ipsi custodiam addidisset, sive adhibuisset, Domini scilicet sigillum.* Græcos verò per signaculum Domini et perfectam sanctimoniæ baptismalis custodiam intelligere solitos Confirmationem, apparet ex encyclicâ epistolâ, quam Photius contra Nicolaum I scripsit ad patriarchales sedes orientis, ubi Latinos Confirmationis administrationem presbyteris denegantes ita refellit : *Baptizat sacerdos baptizatus perficiens, quomodò auferes à sacerdote custodiam et sigillum illius puritatis, cujus ipse est auctor?*

CAPUT II.

§ 1. *Origenes.*

Origenes Adamantius, Clementis Alexandrini discipulus et successor, qui ex Hieronymo in Catalogo, *decimo octavo ætatis suæ anno*, imperii autem Severi Pertinacis undecimo, Christi verò 205, *Alexandriæ, dispersâ ecclesiâ, catecheseon opus aggressus est, vixit usque ad Gallum et Volusianum, id est, usque ad 69 ætatis suæ annum*, qui fuit epochæ nostræ 256.

Ex eo duo loca proferuntur à Bellarmino. Primus habetur homil. 8 in Levit., propè finem : *Oleum quo lux vera et scientiæ ignis accenditur, per manus sacerdotis capiti ejus imponitur.* Et fine : *Donum autem gratiæ Spiritûs per olei imaginem designatur, ut non solùm purgationem consequi possit, qui convertitur à peccato, sed et Spiritu sancto repleri.* Sed ingenuè fatendum est Origenem hìc minimè loqui de unctione Confirmationis : neque de purgatione baptismali, aut plenitudine Spiritûs sancti, quam recens baptizati per unctionem, manuumque impositionem consequuntur; sed de purgatione pœnitentiæ et plenitudine Spiritûs sancti, quam post peccata lacrymis purgata, et debita

exomologesi expiata, consequi possumus. Alludit Origenes ad ritum Mosaicum, quo olei reliquias imponebat sacerdos de manu suâ super caput leprosi, qui purificabatur, Levitici 14, v. 17 et 29.

Secundus locus habetur homil. 9, sequenti longè post medium : *Omnes enim quicumque unguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut Petrus ad omnem dicit Ecclesiam : « Vos autem genus « electum, et regale sacerdotium, gens sancta. »*

Respondet Dallæus, et post ipsum nonnulli etiam catholici, locum istum exponi posse de unctione verticali, quæ signum est speculativum sacerdotii christiani, quo fideles quilibet in baptismo donantur. Sed quid impedit, quo minus hic textus de unctione frontali intelligatur? maximè cùm nulla mentio unctionis verticalis in baptismate fiat apud auctores Origeni suppares. Rigaltius quidem in notis ad epist. 59 Cypriani contendit, quòd Cypriani tempore unica esset unctio, cujus administratio pro variorum episcoporum ingenio variabat, quibusdam in capite, aliis in fronte ungentibus : *Deinde verò*, inquit, *posteriori seculo invectæ sunt plures unctiones, et distingui cœpit ea, quæ in fronte fiebat, ab illâ quam in vertice fieri placuit. Hæc permissa presbyteris; alia episcopis reservata, perficientibus et consummantibus inchoata mysteria.* Sed quamcumque, sive nostram, sive Rigaltii opinionem secutus fueris, certum est, ætate Origenis et Cypriani, unicam fuisse unctionem, quæ quidem ab episcopis, non autem ab aliis conferretur : quemadmodùm observat Hugo Victorinus, lib. 2 de Sacramentis, parte 15, c. 3.

Præter hæc duo loca à Bellarmino citata, tertius habetur lib. 1 de Princip., c. 3, sub initium : *In Actibus Apostolorum*, inquit, *per impositionem, manuum apostolicarum Spiritus sanctus dabatur in Baptismo :* ita vertit Ruffinus, quanquàm alii vertant, post Baptismum, ut apparet ex Josepho Vicecomite, lib. 5, de Ritibus Baptismi, c. 30. Cæterùm hæc verba, in Baptismo, Dallæo nihil prorsùs favent, quasi Origenes voluerit hanc manuum impositionem apostolicam esse ritum Baptismi : tum quia alii vertunt *post Baptismum* : tum quia ex iisdem Actibus apparet Petrum et Joannem iis duntaxat Samaritanis manum imposuisse, qui integrum à Philippo Baptismum susceperant : tum quia Primasius, aliique nonnulli iisdem verbis utuntur qui tamen Confirmationis Sacramentum à Baptismo distinguunt : quâ de re infra.

Quartus quoque habetur in cap. 6 epist. ad Rom., ad hæc verba : *An ignoratis, quia quicumque*, etc., *Secundùm typum ecclesiæ traditum omnes baptizati sumus in aquis istis visibilibus, et in chrismate visibili :* quo loco, baptizari accipitur pro ministratione totius officii ut loquitur Alcuinus, quod utrumque Baptismi et Confirmationis sacramentum, et utriusque cæremonias complectebatur.

§ 2. *Cornelius Papa.*

Cornelius, qui Romanus pontifex creatus est anno 254, plures epistolas scripsit, de quibus Eusebius lib. 6 Histor. eccles., et Hieronymus in Catalogo. Perierunt omnes præter duas, quæ exstant inter Cypriani epistolas, et præter insignia quædam fragmenta epistolæ ad Fabium Antiochensis ecclesiæ præsulem, in quâ Novati ingenium ejusque mores depingebat. Ex iis fragmentis, quæ apud Eusebium loco citato legi possunt, referam, quæ ad nostrum institutum attinent. *Causam*, inquit, *atque initium credendi* (Novato) *præbuit Satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquandiù commoratus. Cùmque ab exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus, dùm jam jamque moriturus creditur, in ipso, in quo jacebat, lectulo perfusus, Baptismum suscepit; si tamen hujuscemodi homo Baptismum suscepisse dicendus est. Sed neque postquàm liberatus est à morbo, reliqua percepit, quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent : neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?* Habes hìc 1° signaculum à Baptismo diversum; 2° signaculum quod à Baptismi cæremoniis Baptismum subsequentibus distingui apparet hisce verbis : *Sed neque postquàm liberatus est à morbo, reliqua percepit* (id est, cæremonias Baptismum subsequentes), *quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent : neque ab episcopo consignatus est*, etc.; 3° signaculum, quod ab episcopo solo imprimi potest : 4° signaculum, quod vim habet conferendi Spiritum sanctum, et sine quo non confertur Spiritus sanctus.

Interpretationi nostræ favet Ruffinus, qui Eusebium ita vertit, seu potiùs contrahit : *Addit etiam hoc, quòd Novatus jacens in lecto, pro necessitate perfusus sit : nec reliqua in eo, quæ Baptismum subsequi solent, solemniter adimpleta sint : nec signaculo chrismatis consummatus sit, unde nec Spiritum sanctum unquàm potuerit promereri.*

Objicit Antonius de Dominis, lib. 5, c. 5, et Dallæus, lib. 2, c. 7, 1° obsignationem, de quâ Cornelius referendam esse ad Baptismi cæremonias.

Respondetur id falsum esse ex ipso contextu. 1° Quia Cornelius ibi distinguit ritus Baptismi, et episcopalem obsignationem, tanquàm duo disparata : *Sed neque reliqua percepit, quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent : neque ab episcopo consignatus est*, etc. 2° Quia Cornelius ipse virtutem conferendi Spiritum sanctum obsignationi quidem episcopali tribuit, non autem cæremoniis Baptismi. 3° Quia cùm Baptismi cæremoniæ non sint digniores, neque perfectiores ipso Baptismo, non postulant ministrum, qui majoris sit dignitatis. Sed Cornelii ætate simplex sacerdos permittente episcopo, poterat administrare Baptismum : igitur et omnes Baptismi cæremonias. Atqui obsignatio, de quâ Cornelius, ministrari non poterat nisi ab episcopo. 4° Cæremoniæ Baptismi majorem virtutem non habent quàm ipse Baptismus. Atqui ex Cornelio Baptismus non habet vim conferendi Spiritum sanctum; contra signaculum hanc virtutem habet : imò hæc virtus soli signaculo convenit. Ergo, etc.

Instant : Cornelius observationem hujusce obsignationis episcopalis, non ad Christi mandatum, aut

Evangelii præceptum, aut apostolorum traditionem, sed ad regulas ecclesiasticas refert : putavit igitur illam esse merè Baptismi cæremoniam.

Respondeo 1° negando antecedens. Contrarium enim ex ipsis Cornelii verbis apparet : *Sed neque, postquàm liberatus est à morbo, reliqua percepit quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent : neque ab episcopo consignatus est.* Signaculum igitur episcopale Cornelius distinguit ab iis ritibus, quos regula ecclesiastica percipi jubebat.

Respondeo 2° retorquendo : Ecclesia recens baptizatos canone suo ad Eucharistiæ perceptionem olim adstringebat. Ideò ne putabat Eucharistiam esse cæremoniam ?

Respondeo 3° negando consequens : Aliud enim est sacramenta institui, et aliud eorum usum præcipi. Sacramenta instituta sunt à Christo; sed eorum usus ab Ecclesiâ præcipi potest : sicut reipsà canone antiquo præceptum erat, ut recens baptizatis Confirmatio et Eucharistia administrarentur.

Objiciunt 2° : Fabianus Romanus pontifex, dum Novatum seu Novatianum in presbyterum promovit, neque omissas Baptismi cæremonias, neque prætermissam obsignationem episcopalem ei contulit, quemadmodùm ex eâdem Cornelii epistolâ apparet : contulisset verò, si illam pro Sacramento habuisset. Quis enim pontifex fidelem minimè confirmatum ad sacerdotium promoveret?

Respondeo epistolæ Cornelii ad Fabium ab Eusebio describi fragmenta septem, in quorum quinto tria quædam referuntur. Primum est, quòd Fabiano Novatianum ordinare cupienti, *universus clerus, multique ex populo refragarentur, eo quòd non liceret quemquam ex iis, qui vi morbi in lectulo perfusi fuissent, in clerum assumi :* quam quidem prohibitionem deinde Patres concilii Neocæsariensis, can. 12, expresserunt his verbis : *Si quis in ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet : nisi fortè postea ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut raritas hominum cogat.* 2° Quòd Fabianus *postulârit ab iis, ut hunc solum ordinari à se paterentur.* 3° Quòd Fabianus Novatianum, licèt clinicum, adeòque irregularem, ad presbyterium evexerit, sublatâ videlicet priùs irregularitate. Utrùm autem Fabianus omissas Baptismi cæremonias suppleverit, Confirmationemque contulerit, nihil quidquam asseritur aut negatur in fragmentis ab Eusebio descriptis. Fortè Novatianus, qui, postquàm à morbo liberatus est, Confirmationem neglexerat, eam deinde suscepit; vel si eam non suscepit, Fabianus fortè id minimè novit; vel si novit, dubium mihi non est, quin eum ante ordinationem consignaverit.

Instant. Si Fabianus Baptismi cæremonias supplevisset in Novatiano, eique Confirmationem contulisset, antequàm ipsum ordinaret, facilè sedâsset invidiam cleri populique, qui ægrè ferebat Novatianum ordinari. Falsum consequens. Ergo et antecedens.

Respondetur. Utrùm Fabianus cleri populique Romani invidiam sedaverit, necne, omninò incertum est : neque aliquid certi colligi potest ex fragmentis ab Eusebio descriptis ; sed ex iis duntaxat apparet clerum populumque Romanum conquestum esse de ordinatione Novatiani; non quòd in ejus Baptismo cæremoniæ omissæ fuissent, aut prætermissa Confirmatio; sed quòd clinicus esset, hoc est, in cubili, urgente mortis periculo, baptizatus fuisset; et regulis ecclesiasticis non liceret clinicum in clerum assumi. Sed regulis iisdem ecclesiasticis non licebat quemquam ex iis, qui confirmati non essent, ordinari. Cùm igitur clerus populusque Romanus Fabiano non objecerint quòd Novatianus non esset confirmatus, sed objecerint duntaxat quòd ille clinicus esset ; hinc manifestè apparet Confirmationem in Novatiano prætermissam non fuisse.

Objiciunt 3° : Ex ipso textu apparet Cornelium nimio partium studio egisse, in multis decipi, neque satis attendisse ad hæc quæ dixit. Valorem enim Baptismi Novatiano collati in dubium revocat, quem tamen validum esse certissimè constat. Deinde asserit Spiritum sanctum per signaculum duntaxat episcopale conferri, quod repugnat Patribus, unanimi consensu docentibus in Baptismo percipi Spiritum sanctum.

Respondeo 1° istam Cornelii dubitationem de valore Baptismi Novatiano concessi, non oriri ex nimio partium studio, sed proficisci ex eo quòd clinici in Baptismate non immergerentur, sed aquâ perfunderentur, quam perfusionem sufficere nondùm constabat. Sed et alii à Cornelio eamdem difficultatem patiebantur, ut apparet ex epistolâ 76 Cypriani ad Magnum : *Quæsivisti quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur : an habendi sint legitimi christiani, eo quòd aquâ salutari non loti sint, sed perfusi.*

Respondeo 2° diversa fuisse Patrum sensa circa perceptionem Spiritûs sancti, aliis concedentibus illum in Baptismo percipi ad christianam infantiam, et in Confirmatione ad robur et perfectionem; aliis verò absolutè negantibus illum in Baptismo percipi. Ita docuit ante Cornelium Tertullianus, et ante Tertullianum Irenæus.

§ 3. *Cyprianus aliique episcopi Africani cum ipso Carthagine congregati.*

Cæcilius Cyprianus, primùm rhetor, deinde senator Carthaginensis, qui ex neophyto et uxorato creatus est, jam senex, ejus urbis episcopus ad annum 250, subiit martyrium sub Valeriano, anno 261. Multa exstant ejus opera, ex quibus plura loca pro confirmationis sacramento deduci possunt. In citandis Cypriani epistolis, utar editione Rigaltii.

Primus locus habetur in epistolâ synodicâ, quæ inter Cyprianæas ordine 70 est, et quam Cyprianus, Liberalis, Caldonius, Junius, aliique antistites Carthagine convocati, anno 255 scripserunt ad Januarium, Saturninum, et alios sexdecim episcopos Numidas, à quibus consulti fuerant, *de iis, qui apud hæreticos et schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam catholicam, quæ una est, baptizari debeant.*

Baptismum verò nullum ab hæreticis aut schisma-

ticis conferri probant variis argumentorum generibus, quorum primum petitur à materiâ Baptismi : *Oportet enim*, inquiunt, *mundari et sanctificari aquam priùs à sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere... Quomodò autem mundare et sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est, et apud quem Spiritus sanctus non est?* Secundum desumitur ex Baptismi effectu, qui peccata remittit : *Sed peccatorum remissio nonnisi in Ecclesiâ datur; cujus veritatis testis est ipsa interrogatio, quæ fit in Baptismo. Nam cùm dicimus : credis in vitam æternam, et remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam? Intelligimus remissionem peccatorum nonnisi in Ecclesiâ dari : apud hæreticos autem, ubi Ecclesia non est, non posse peccata dimitti.* Tertium repetitur ex connexione (aliqui volunt illud argumentum sicut et ea, quæ sequentur, esse à similitudine) Baptismi cum confirmatione, quam hâc ætate post Baptismum indesinenter administrari certissimum est. *Ungi enim necesse est eum, qui baptizatus sit... unde nec unctio spiritalis apud hæreticos potest esse : tum quia oleum illud unde baptizati unguntur, in altari sanctificatur; hæretici verò nec altare, nec ecclesiam habent : tum quia scriptum est : Oleum peccatoris non ungat caput meum.* Quartum colligitur ex connexione Baptismi cum Eucharistiâ, quæ tunc temporis Baptismum proximè sequebatur. *Porrò autem Eucharistia.... in altari sanctificatur. Sanctificare autem non potuit, qui nec altare habuit, nec ecclesiam. Constat igitur oleum sanctificari et Eucharistiam fieri apud illos omninò non posse.* Quintum accipitur ex connexione precum, quæ super neophytum per manuum impositionem fieri solebant, ut Spiritus sanctus advocaretur. *Baptizato verò, quam precem facere potest sacerdos sacrilegus et peccator? Cùm scriptum sit : Deus peccatorem non audit.* Dixi hæc tria postrema ratiocinia peti à connexione Baptismi cum unctione, manuum impositione, precibus et Eucharistiâ; cùm tamen alii velint ea peti à similitudine, quasi episcopi Carthaginenses sic argumententur : Apud quos neque valet unctio, neque manûs impositio confirmatoria, neque Eucharistia; apud eos non valet ipse Baptismus; eadem enim est ratio : sed apud hæreticos neque valet unctio, neque, etc. Suo quisque sensu abundet.

His quinque rationibus præmissis tacitam diluunt objectionem quorumdam antistitum, tum Africanorum, tum aliorum, qui à Cypriano dissidentes, unctionem quidem, manuumque impositionem confirmatoriam apud hæreticos nullam esse fatebantur, quia dare non possunt Spiritum sanctum, sed eorum baptisma validum esse affirmabant. Quam distinctionem episcopi Carthagine congregati, his verbis refellunt : *Neque enim potest pars illic inanis esse*, etc.

His prænotatis, facilè intelliges textum, de quo quæritur, quem integrum describemus. *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate*, id est, *unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. Porrò autem Eucharistia, et unde baptizati unguntur oleum in altari sanctificatur. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec ecclesiam. Unde nec unctio spiritalis apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari, et Eucharistiam fieri apud illos omninò non posse. Scire autem et meminisse debemus, scriptum esse : « Oleum peccatoris non ungat caput meum : » Quod ante in psalmis præmonuit Spiritus sanctus, ne quis exorbitans, et à viâ veritatis exerrans, apud hæreticos et Christi adversarios ungeretur. Sed et baptizato quam precem facere potest sacerdos, sacrilegus et peccator? Cùm scriptum sit : « Deus peccatorem non audit : sed « qui eum coluerit, et voluntatem ejus fecerit, illum au- « dit. » Quis autem potest dare, quod ipse non habeat? aut quomodo potest spiritalia agere, qui ipse amiserit Spiritum sanctum? Et idcircò baptizandus est et innovandus qui ad Ecclesiam rudis venit.... Neque enim potest pars illic inanis esse, et pars prævalere. Si baptizare potuit, potuit et Spiritum sanctum dare : si autem Spiritum sanctum dare non potest, quia foris constitutus cum sancto Spiritu non est, nec baptizare venientem potest.*

En unctionem 1° quæ confertur ei, qui baptizatus sit, hoc est, qui plenum et integrum Baptisma susceperit; 2° quam necesse est baptizato conferri, ut accepto chrismate, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit; 3° quæ sit ex oleo jam priùs in altari, hoc est, inter missarum solemnia sanctificato; 4° quæ ratione sanctificationis et consecrationis æquiparatur Eucharistiæ.

En etiam preces, quæ super neophytos ab episcopis per manuum impositionem fieri solebant, ut Spiritus sanctus advocaretur, siquidem Sacramentorum formæ sunt quædam preces mysticæ ministrorum ore prolatæ, quæ gratiam impetrant, ut à Deo ritibus sacris promissam.

En denique ritum sacrum, quo Spiritus sanctus confertur, et quem apud hæreticos nullum esse omnes episcopi Africani consentiebant, quamvis inter se de Baptismi valore dissentirent.

Chemnitius *in examine* agnoscit ex hoc loco apertè sequi Cyprianum existimâsse Baptismum delere peccata; unctionem verò confirmatoriam dare gratiam seu Spiritum sanctum : sed contendit illum errâsse, eumque errorem à Tertulliano magistro suo accepisse. Quasi verò Tertullianus ritum illum, cujus ipse meminit velut ubique recepti, et quem ipse Christo acceptum refert omnium primus excogitârit; Cyprianus autem ritum, quem ætate suâ constat non solùm ab orthodoxis, sed etiam ab heterodoxis observari solitum, solus ipse administraverit.

Antonius verò de Dominis, lib. 5, c. 5, et Dallæus, lib. 2, c. 8, plura objiciunt, quæ quidem ex dictis dilui facilè possunt.

Dicunt igitur, 1° non de unctione vel manûs impositione confirmatoriâ, sed de Baptismo solo errâsse, vel cum Stephano Romano episcopo litigâsse dicitur Cyprianus. Ergo quas hic urget unctionem et manûs impositionem, eas fuisse necesse est Baptismi appendices, à quarum administratione ad ipsum Baptismum pro suâ sententiâ argumentatur.

Respondeo 1° retorquendo, non de Eucharistiâ, sed de Baptismo solo errâsse, vel cum Stephano Romano litigâsse dicitur Cyprianus. Ergo quam hic urget Eucharistiam, eam fuissse necesse est Baptismi appendicem, à cujus administratione ad ipsum Baptismum pro suâ sententiâ argumentatur.

Respondeo 2° epistolam, de quâ nunc agitur, synodicam esse primi concilii Carthaginensis sub Cypriano coacti in causâ Baptismi hæreticorum; adeòque præcessisse ejusdem Cypriani, aliorumque Africanorum cum Stephano dissidium, quod contigit post synodicam concilii II Carthaginensis epistolam ad eumdem Stephanum, quæ inter Cyprianicas exstat, n. 72.

Respondeo 3° negando antecedens. Tres siquidem erant tunc opiniones. Cyprianus aliique plurimi cum ipso negabant valere apud hæreticos Baptismum, unctionem, manuumque impositionem quâ Spiritus sanctus advocaretur, et Eucharistiam; plures verò antistites sive Africani, sive alii, qui volebant hæreticos, qui ad ecclesiam redeunt, recipi per manuum impositionem, quâ Spiritus sanctus advocatur, concedebant quidem hanc manuum impositionem, et Eucharistiam apud hæreticos irritam esse, sed validum esse baptisma contendebant. Stephanus autem ab illis utrisque dissentiens, asserebat iis, qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt, adhibendam esse duntaxat manuum impositionem reconciliatoriam. *Si quis à quâcumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*, ex epist. 74 Cypriani ad Pompeium, initio. Hæc dicta sint ex opinione communi; nec enim me latet nonnullos esse, qui contendant præfata Stephani verba mutata fuisse, et legendum existiment, *ut manus illi imponatur in*, vel *ad Spiritum sanctum*; quâ de re infra, ubi de validitate Confirmationis ab hæreticis administratæ.

Respondeo 4°: Esto antecedens, nego consequentiam. Neque enim Cyprianus argumentatur quasi à parte ad totum, ab appendice ad massam, et proprietatibus ad substantiam, ut inde Baptismi genium et naturam conjiciat; sed ratiocinatur vel à consequenti, vel à simili, vel potiùs ab utroque: quasi sic discurrat. Ungi necesse est eum, qui baptizatur: necesse est ei manum imponi et Eucharistiam administrari; hæc enim tria sacramenta connexa sunt. Sed hæretici nec ungere possunt, nec manum imponere, nec Eucharistiam conficere. Ergo nec validè baptizare.

Africanis autem episcopis, qui à Cypriano dissentiebant, respondentibus, hæreticos ungi quidem non posse, neque manum imponere, quia non possunt dare Spiritum sanctum: posse tamen baptizare; urget eos Cyprianus argumento à simili: *Si baptizare potuit hæreticus, potuit et Spiritum sanctum dare: si autem Spiritum sanctum dare non potest, quia foris constitutus, cum Spiritu sancto non est; nec baptizare venientem potest.* Aliis etiam argumentis eos alibi refellit, quæ referemus infra.

At, inquit Antonius de Dominis, Cyprianus unctionem, quæ fit ab hæreticis, inefficacem esse probat, indeque concludit Baptismum hæreticorum esse inefficacem; sed ab invaliditate unius sacramenti, non licet colligere invaliditatem alterius: laicus enim invalidè consecrat, et validè baptizat. Hæc igitur unctio, de quâ Cyprianus, non est sacramentum.

Respondeo 1° retorquendo circa Eucharistiam, de quâ ibidem Cyprianus. 2° Aliud est ratiocinationem aliquam non rectè concludere; aliud auctorem aliquem non ita ratiocinatum esse. Non agitur, utrùm legitima fuerit ratiocinatio Cypriani; quæritur utrùm ille (sive benè, sive malè), ita ratiocinatus fuerit. Cæterùm Cypriani ratiocinationem legitimam fuisse apparebit ex dicendis infra, ubi de quinto textu. Argumentabatur enim à simili, et ex concessis Africanorum sibi adversantium.

Urget Dallæus, et vim facit in particulis *quoque* et *sed et*, quibus Cyprianus utitur. Ipsa, inquit, Cyprianea series ostendit ibi unctionem et manûs impositionem ad Baptismum pertinuisse. Postquàm enim ab ipsâ lotione, quæ in Baptismi administratione fuit, et quâ propriè Sacramentum constat, et ab interrogatione de fide argumentatus est, ita progreditur: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit*, id est, lotus: ubi particula *quoque* unctionem cum lotione, velut partem vel appendicem ejusdem baptismalis ministerii, connectit: quasi dicat: Baptismum, qui ab hæreticis datur, nihil valere, non solùm lotio, sed et unctio ipsa, quæ ecclesiastico ritu lotionem excipit, clarè demonstrat. Itidem mox de manûs impositione: *Sed et baptizato*, inquit, *quam precem*, etc.

Respondeo 1° retorquendo circa Eucharistiam, de quâ Cyprianus, ibidem. 2° Hæ duæ particulæ ibi non connectunt unctionem et impositionem manuum cum lotione, quasi partem, vel appendicem ejus, sed rationes, quæ sequuntur, cum præcedentibus connectunt ad eamdem propositionem stabiliendam.

Objicit 2° Dallæus: Cyprianus olei meminit, non balsami. Sed unctio simplicis olei non est confirmatoria. Ergo.

Respondeo 1°: Cyprianus non meminit balsami; illud quoque non excludit: quemadmodùm aquam non excludit à materiâ calicis, qui vini, non autem aquæ meminit; quamvis calix Domini non sit vinum solum, neque aqua sola, sed vinum aquâ permixtum, ita tamen ut vinum aquæ prædominetur et substantia vini integra permaneat. Sicut igitur theologi in materiâ calicis, potiùs vini quàm aquæ mentionem faciunt, quia vinum aquæ prædominatur; ita Cyprianus potiùs olei quàm balsami meminit, quia in materiâ Confirmationis oleum præcipuum locum obtinet. 2° Hæc objectio illos non urget, quibus mixtio balsami non est de necessitate Sacramenti. Verbo dicam, hæc objectio pertinet ad Confirmationis materiam, de quâ infra.

Objicit 3°: Cyprianus ait baptizatum oleo ungendum, *ut unctus Dei esse possit*, id est, ut regii sacerdotii particeps in Christo fieri possit, qui quidem effectus ad Baptismum pertinet.

Respondeo 1° eodem argumentandi genere probari

posse Eucharistiam esse Baptismi appendicem. Quemadmodùm enim Baptismus suscipientes efficit regii sacerdotii participes; ita suscipientes efficit membra Christi, dat eis vitam æternam, eosque Christo induit: qui tamen iidem effectus Eucharistiæ neophytis administratæ aliquando tribuuntur. Unde Jesse, Ambianensis episcopus, tractatu de Baptismo: *Novissimè*, inquit, *corpore et sanguine Domini confirmatur infans, ut ejus possit esse membrum, qui pro eo passus est, et resurrexit.* Item Theodulphus, Aurelianensis episcopus, lib. de Ordine Baptismi, c. 18: *Propter hanc vitam capessendam, et baptizamur, et carne ejus pascimur.* Et Amalarius, in epistolâ ad Carolum Magnum: *Confirmatur postea corpore et sanguine Domini, ut sciat per talia mysteria diabolum expulsum ab ejus corde, ac Christum inhabitare, ita ut confidenter dicamus illis: « Omnes, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis. »* Ideòne Eucharistia, quæ recens baptizatis conferebatur, appendix erat Baptismi? Non ita sanè: sed omnia illa Sacramenta, ut quæ continenter administrarentur, considerabantur tanquàm causæ unius ejusdemque effectus totalis. 2° Si Christiani unguntur sacerdotes ad sacrificium, unguntur etiam milites ad pugnam. Quid igitur repugnat, quominùs hæc verba Cypriani, *ut unctus Dei esse possit*, hoc sensu intelligantur, *ut unctus ad pugnam miles Dei esse possit.* 3° Esto, de regio Christi sacerdotio intelligantur; nonne in Confirmatione regalis sacerdotii plenitudinem consequimur? recole, quæ supra dicta sunt, pag. 100.

Secundus Cypriani locus habetur in epist. 73 ad Jubaianum, ante medium: *Qui in Samariâ crediderant, fide verâ crediderant, et intùs in Ecclesiâ, quæ una est et cui soli gratiam Baptismi dare et peccata solvere permissum est, à Philippo diacono, quem iidem apostoli miserant, baptizati erant. Et idcircò, quia legitimum et ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat: sed tantummodò, quod deerat, id à Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habitâ et manu impositâ invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus: quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesiâ baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manûs impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.* Verba hæc perspicua sunt, et omninò faciunt ad nostrum institutum.

Objicit Antonius de Dominis, lib. 5, c. 5, n. 14, et post ipsum Dallæus, lib. 2, cap. 8, ex ipso textu apparere hanc manuum impositionem esse partem Baptismi cæremonialem, et postremum ritum, quo Baptismus ultimum complementum acciperet: ait enim Cyprianus Petrum et Joannem hâc impositione supplevisse, *quod deerat* Baptismo Philippi, eoque signaculo Baptismum *consummari.*

Refelluntur. 1° Quia neque Cyprianus, neque alius è sanctis Patribus unquàm dixit defuisse aliquid Baptismo à Philippo Samaritanis collato: imò Cyprianus, asserens illum fuisse *legitimum et ecclesiasticum*, apertè innuit nihil ei rituum hâc ætate observatorum defuisse. 2° Aliud est Baptismo aliud Samaritanis, qui Baptismum legitimum et ecclesiasticum, adeòque integrum et perfectum, à Philippo acceperant, aliquid deesse. Baptismo quidem nihil deerat, Samaritanis tamen deerat Spiritus sanctus, qui nondùm eis concessus fuerat. 3° Cyprianus non ait Baptismum, sed eos, qui baptizati sunt, signaculo dominico consummari. 4° Confirmatio dicitur Baptismi consummatio seu complementum, quia christianos perficit et corroborat, quos Baptismus fecit infantes.

Objicit 2° Dallæus, per præpositos ecclesiæ tam presbyteros, quàm episcopos intelligi posse, qui utrique sed suo singuli loco atque ordine ecclesiæ præerant, ejusque præpositi erant. Celerinus quidem presbyteros, præpositorum nomine apertè intelligit epistolâ ad Lucianum, quæ exstat inter Cyprianæas *epistola vigesima. Præceperunt*, inquit, *eas præpositi tantisper sic esse donec episcopus constituatur.* Sic etiam presbyteri Romani apud eumdem Cyprianum, epist. 2, *Nos*, inquiunt, *videmur præpositi esse.* Et ipse Cyprianus presbyteros hoc nomine haud dubiè intelligit, quo loco scribit epist. 10: *Instructi à præpositis faciant omnia cum Dei timore.* Et alibi item ad Pomponium, dùm præpositos plebi opponit: *Et præpositis*, inquit, *et plebi elaborandum est*: Et in libro de Lapsis, cùm inter superioris temporis peccata recenset, *præpositos superbo tumore contemnere.*

Respondeo. 1° Hæc difficultas respicit controversiam de ministro Confirmationis, non autem ejus naturam. 2° Hæc objectio nulla est in eâ opinione, quæ præter ordinarium ministrum, qui est episcopus, agnoscit simplicem sacerdotem esse ministrum extraordinarium. 3° Non agitur hìc de sensu Celerini confessoris, vel cleri Romani, sed de sensu Cypriani, qui neque in libro de lapsis per hanc vocem, præpositus, intelligit sacerdotes, sed episcopos duntaxat, neque in epistolâ 62 ad Pomponium; siquidem ad episcopos, non autem ad sacerdotes pertinebat delinquentes subjicere pœnitentiæ publicæ: sed hìc agitur de subjiciendis, vel non subjiciendis pœnitentiæ publicæ virginibus, quæ detectæ fuerant in eodem loco mansisse cum masculis. In epistolâ verò 10 Cypriani ad martyres et confessores, habetur quidem: *Sed præpositorum est præceptum tenere, et vel properantes, vel ignorantes instruere, ne qui ovium pastores esse debent, lanii fiant: ea enim concedere, quæ in perniciem vertant, decipere est.* Verùm hæc verba, quæ juxta Dallæum referri debent *ad sacerdotes et diaconos ad carcerem commeantes* ut *martyrum* veniam pro lapsis petentium desideria et vota susciperent, mihi videntur referri ad episcopos, non autem ad sacerdotes et diaconos illos, qui nec *ovium pastores erant*, neque pacem iis, qui lapsi erant, à martyribus expetitam concedere poterant: hæc enim relaxatio juris erat episcopalis. 4° Vox, præpositus, apud Cyprianum ubique ferè significat episcopum, ut videre est in epistolis 3, 7, 11, 15, 23, 27, 72, 73, 75 et 76 in fine. Neque memini eam à Cypriano unquàm usurpari pro simplici sacerdote. Sicubi verò inferiorem sacerdotem significat, nusquàm tamen vel apud Cyprianum, vel in epistolis

inter Cyprianæas relatis designare reperietur sacerdotem ratione suî, sed solummodò quatenùs vices gerit episcopi, ejusque nomine agit, vel etiam auctoritate fungitur. 5° Quocumque sensu hæc vox alibi usurpetur; hìc sanè episcopos significet necesse est; tum quia hi præpositi, de quibus Cyprianus, vocantur simpliciter et sine ullo additamento *præpositi Ecclesiæ*, quod solis episcopis convenit; neque apud Cyprianum reperies, quòd simplex sacerdos aliquando dicatur simpliciter et absolutè præpositus ecclesiæ: tum quia hi præpositi ecclesiæ, à Cypriano dicuntur per suas orationes, manûsque impositionem conferre Spiritum sanctum, quod simplicibus presbyteris nusquàm legitur concessum, ex Damaso in epistolâ ad episcopos Numidiæ: tum quia hi præpositi à Cypriano æquiparantur apostolis Petro et Joanni, qui Samaritanis à Philippo baptizatis Spiritum sanctum concesserunt; simplices autem presbyteri non æquiparantur apostolis in iis præsertim rebus, quæ Spiritum sanctum per manuum impositionem collatum respiciunt: tum quia Cyprianus loquitur de præpositis sibi dignitate æqualibus: postquàm enim dixit, ut baptizati *præpositis Ecclesiæ offerantur*, subjicit: *Et per nostram orationem ac manûs impositionem Spiritum sanctum consequantur*, etc.

Objiciet etiam fortè aliquis, hanc epistolam ex quâ textum eruimus, dubiam esse; hanc enim epistolam à Cypriano scriptam fuisse addubitat Augustinus, l. 2 contra Cresconium, c. 33, his verbis: *Cùm enim persuadere conaretur, vel sanctus Cyprianus, vel quicumque illam scripsit epistolam*, etc. Sed Hieronymus, in dialogo adversùs Lucifer., cap. 9, Cypriano tribuit, et libellum vocat. Et verò hanc epistolam Cypriani esse non dubitabit, qui observaverit eam nomine Cypriani, præsente ipso Cypriano, in concilio III Carthaginensi lectam fuisse, eamque Cyprianum in fine ejusdem concilii, ùti suam approbâsse.

Tertius Cypriani textus habetur in epist. 72 ad Stephanum papam, initio, ubi Cyprianus, qui sacramenta hæreticorum improbabat, ait, quòd ii, qui ab hæresi ad Ecclesiam redeunt, *plenè sanctificari, et esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur*. Huic textui alius planè similis est in epist. 73, non procul à fine: *Baptizari eos oportet*, qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt: *ut qui legitimo, et vero atque unico sanctæ Ecclesiæ Baptismo ad regnum Dei regeneratione divinâ præparantur, sacramento utroque nascantur*. Unde Bellarminus de Confirm., cap. 6; Morinus de Pœnit., lib. 9, c. 7, n. 5, et Petrus Aurelius in Orthodoxo adversùs Sirmundum, parte 1, cap. 6, in fine, colligunt duo fuisse Sacramenta, Baptismum scilicet et Confirmationem, quibus Cyprianus voluerit hæreticos ad Ecclesiam redeuntes initiari. Itaque minimè mirum, inquit, Aurelius, *si eos, qui ab hæresi emergerent, ut Ecclesiæ Baptismo rursùs mergendos: ita Ecclesiæ Confirmatione rursùs signandos putavit*, UT UTROQUE SACRAMENTO *in Ecclesiâ nascerentur, qui utriusque simulatione in hæresi periissent*.

Sed (pace tantorum virorum dixerim) Cyprianus per hæc verba, sacramento utroque nascantur, non intelligit utrumque Baptismi et Confirmationis sacramentum, sed aquam et Spiritum sanctum, quibus regeneramur. Subjicit enim priori loco: *Cùm scriptum sit:* « *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu, non* « *potest introire in regnum Dei:* » Posteriori verò textui: *Quia scriptum est:* « *Nisi quis renatus fuerit ex* « *aquâ et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* » Quin etiam in epist. 74 ad Pompeium, in medio, conceptis terminis asserit fidelem in Baptismo duntaxat nasci, non autem in Confirmatione: *Non per manûs inpositionem quis nascitur, quandò accipit Spiritum sanctum, sed in Baptismo; ut Spiritum jam natus accipiat*. Eodem sensu intelligi debet Nemesianus, episcopus à Thubunis, quem infra producemus.

Plures alii textus ex Cypriano, Firmiliano et Africanis episcopis excerpti.

In causâ Baptismi ab hæreticis collati, tria sub Cypriano concilia Carthagine congregata sunt: primum quidem ad annum 255, post Cornelii pontificis obitum, cujus meminit Cyprianus in epist. 71 ad Quintum Mauritaniæ episcopum, et in epist. 72 ad Stephanum pontificem Romanum. Lectis in hâc synodo litteris episcoporum Numidiæ, *de iis qui apud hæreticos et schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam catholicam, quæ una est, venientes baptizari debeant;* Cyprianus, aliique antistites Carthagine coacti synodicam (inter Cyprianæas 70) epistolam rescripserunt, cujus compendium fecimus, pag. 133: textus integer quem pag. 135 et 136 descripsimus recolendus est. In eo enim Cyprianus probare nititur, utrumque Baptismi et unctionis manûsque impositionis Sacramentum apud hæreticos, aut ratum aut irritum esse. Ex eo etiam apparet unctionem et manûs impositionem, eam esse, quæ Baptismum subsequebatur, et quæ super baptizatos fieri solebat ad Spiritum sanctum super ipsos advocandum. Scripsit etiam Cyprianus ad Quintum (inter Cyprianæas epistolas 71), eique præfatæ epistolæ synodicæ exemplum misit.

Deinde ad annum 256, congregata est secunda synodus Carthaginensis, cui interfuerunt *tam provinciæ Africæ, quàm Numidiæ episcopi numero septuaginta et unus hoc idem denuò sententiâ suâ ... statuentes, unum Baptisma esse, quod sit in Ecclesiâ catholicâ constitutum, ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari...* (hæreticos qui) *ab adulterâ et profanâ aquâ veniunt*. Ex epist. 73 ad Jubaianum.

Sub finem hujus concilii, Patres synodicam Epistolam scripserunt ad Stephanum papam (inter Cyprianæas 72), quâ ipsum monent, se statuisse, *eos, quì sint foris extra Ecclesiam tincti, et apud hæreticos et schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quandò ... ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere; eo quòd parùm sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant et Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim demùm plenè sanctificari, et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur, cùm scriptum sit:* « *Nisi quis renatus fuerit*

« *ex aquâ et Spiritu, non potest introire in regnum* « *Dei.* » *Invenimus enim etiam in Actis apostolorum hoc esse ab apostolis custoditum.... ut cùm in domo Cornelii centurionis super ethnicos, qui illic aderant, fidei calore ferventes, et in Dominum toto corde credentes, descendisset Spiritus sanctus, quo adimpleti variis linguis Deum benedicerent; nihilominùs tamen beatum Apostolum divini præcepti atque evangelii memorem præcepisse, ut baptizarentur iidem illi, qui jam fuerant sancto Spiritu pleni.* Sentiunt igitur 1° manûs impositionem, quâ Spiritus sanctus advocatur, omninò diversam esse à Baptismo : 2° illam hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus adhibendam esse, et antequàm illa conferatur, debere ipsis Baptismum administrari : 3° eos, super quos Spiritus sanctus per manûs impositionem descendit, nihilominùs teneri Baptismo : 4° hanc manûs impositionem comparant descensui Spiritûs sancti super Cornelium et alios, qui in ejus domo Petrum audiebant, Actor. 10, v. 44.

Cyprianus etiam de rebus in hâc synodo gestis epistolam misit ad Jubaianum (extat inter Cyprianæas num. 73), quâ illum monet se statuisse, *unum Baptisma esse, quod sit in Ecclesiâ catholicâ constitutum, ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari ab ipsis hæreticos.* Postea decretum illud pluribus argumentis stabilire conatur, ac tandem refellit antistites Africanos, qui docebant manus quidem hæreticis imponendas esse, non eos tamen baptizandos ; quòd eorum valeret Baptismus, minimè verò apud ipsos valeret manûs impositio. *Si secundùm pravam fidem,* inquit, *baptizari aliquis foris et remissam peccatorum consequi potuit, secundùm eamdem fidem consequi et Spiritum sanctum potuit : aut utrumque enim fides foris potuit, aut neutrum eorum, qui foris fuerat, accepit.* Quia verò episcopi à Cypriano dissidentes, suam sententiam confirmabant facto Petri et Joannis, qui Samaritanos à Philippo baptizatos, non rebaptizârunt, sed eis tantùm manum imposuerunt ad recipiendum Spiritum sanctum, subjicit Cyprianus : *Quod autem dicunt quidam de eis, qui in Samariâ baptizati fuerant, advenientibus apostolis Petro et Joanne, tantùm super eos manum impositam esse, ut acciperent Spiritum sanctum, rebaptizatos tamen non esse; locum istum, frater charissime, ad præsentem causam videmus omninò non pertinere. Illi enim, qui in Samariâ crediderant, fide verâ crediderant, et intùs in Ecclesiâ, quæ una est.... baptizati erant : et idcircò, quia legitimum et ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant baptizari eos ultra non oportebat; sed tantummodò quod deerat, id à Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habitâ, et manu impositâ invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus,* etc. Episcopis igitur objicientibus factum Petri et Joannis, qui Samaritanis manum duntaxat imposuerant respondet Cyprianus latum esse discrimen inter Samaritanos et hæreticos, quod illi cum in ecclesiâ baptizati fuissent validum Baptisma consecuti fuerant, atque ita manûs impositio eis solùm adhiberi debebat : contra verò hæretici, cùm extra ecclesiam baptizati sint, validum Baptisma non sunt consecuti, atque ita non satis est, manum eis imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, sed huic manûs impositioni Baptismus præmitti debet. Cyprianus igitur et episcopi ab ipso dissentientes, conveniebant eamdem esse manûs impositionem, quâ Samaritani Spiritum sanctum acceperant, et quâ hæretici ad ecclesiam redeuntes (quos Cyprianus volebat, alii verò nolebant baptizari) Spiritum sanctum acciperent.

Periit primum et secundum concilium ; sed tertium integrum superest, quod Carthagine cœptum est kalendis septembris anni 256. *In eo lectæ fuerunt litteræ Jubaiani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Jubaianum rescriptæ :* nulla verò Stephani, ejusque rescripti mentio facta est. Unde conjicere licet rescriptum illud nondùm in Africam pervenisse. Huic synodo interfuêre cum Cypriano sex et octoginta episcopi, *ex provinciâ Africâ, Numidiâ, Mauritaniâ :* singuli ordine suo suffragia tulerunt, quæ inter opera Cypriani referuntur. Quamvis autem omnes illi episcopi idem cum Cypriano sentirent, plures tamen, qui aberant, ab eo dissentiebant (videsis Cyprianum, in epist. 71, 72 et 73, et Augustinum, lib. 3 contra Crescentium, c. 1), existimantes hæreticorum quidem manûs impositionem invalidam esse, eorum tamen Baptismum esse validum, adeòque illos ad Ecclesiam revertentes, per solam manûs impositionem in Spiritum sanctum recipiendos esse. Nemesianus autem, episcopus à Thubunis (alii legunt à Thubinis), adversùs illos ita conclusit : *Malè ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant quod* (hæretici ad Ecclesiam redeuntes) *per manûs impositionem Spiritum sanctum accipiant, et sic recipiantur; cùm manifestum sit utroque sacramento* (aquâ primum et Spiritu sancto) *debere eos renasci in ecclesiâ catholicâ.* Secundinus quoque à Carpis dixit super hæreticos, qui ad Ecclesiam revertuntur, *Spiritum sanctum per manûs impositionem tantummodò non posse descendere, cùm manifestum sit hæreticos baptisma non habere.* Euchratius item à Thenis dixit : *Venientes ad Ecclesiam hæreticos integro et catholico baptismate baptizari debere manifestum est, ut à blasphemiæ suæ præsumptione purificati, possint Spiritûs sancti gratiâ reformari.* Denique Vincentius à Thibari dixit, hæreticos debere priùs baptizari, *ut tunc possint ad Christi pollicitationem venire,* quâ scilicet Christus promisit Spiritum sanctum. Episcopi igitur Africani utriusque partis, sive ii qui Baptismum hæreticorum admitterent, sive qui rejicerent, inter se conveniebant manûs impositionem, per quam Spiritus sanctus super baptizatos descendit, omninò diversam esse à Baptismo.

Post absolutam synodum, litteræ Stephani in Africâ receptæ sunt, quibus statuebatur, nihil circa hæreticorum Baptisma innovandum esse. Quâ de re commotus Cyprianus epistolam Pompeio scripsit adversùs Stephanum (extat inter Cyprianæas, numero 74) quâ Baptismum hæreticorum nullum esse multis contendit argumentis petitis ex ipsius Stephani aliorumque episcoporum sibi adversantium concessis, quos supponit

ultrò concedere, nullum esse Spiritum sanctum apud hæreticos, nullum ab ipsis Spiritum sanctum conferri, invalidam apud ipsos esse manûs impositionem, quâ Spiritus sanctus super baptizatos descendit : eamque super hæreticos, qui ad Ecclesiam veniunt, repetendam esse. Unde Cyprianus à pari concludit, nullum apud ipsos baptismum esse, eumque repetendum in his, qui ab hæresi ad Ecclesiam transeunt; aut si non repetitur Baptismus, nec repetendam esse manûs impositionem, sed utramque apud hæreticos valere. *Si effectum baptismi* (antistites, qui nobis adversantur) *majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Jesu Christi, ubicumque et quomòdocumque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur; cur non in ejusdem Christi nomine illic et manus baptizato imponitur* (validè scilicet) *ad accipiendum Spiritum sanctum? Cur eadem ejusdem majestas nominis non prævalet in manûs impositione, quam valuisse contendunt in Baptismi sanctificatione?* Nam si *potest quis extra Ecclesiam natus templum Dei fieri, cur non possit super templum et Spiritus sanctus infundi? Qui enim peccatis in Baptismo expositis sanctificatus est, et in novum hominem spiritaliter reformatus, ad accipiendum Spiritum sanctum idoneus factus non est? Quando Apostolus dicat : « Quotquot in Christo « baptizati estis Christum induistis. »* Qui potest apud hæreticos baptizatus Christum induere, multò magis potest Spiritum sanctum, quem Christus misit, accipere..... Porrò autem non per manûs impositionem quis nascitur, quando accipit Spiritum sanctum; sed in Baptismo; ut Spiritum jam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim Deus eum plasmavit, et tunc insufflavit in faciem ejus Nec flatum vitæ. enim potest accipi Spiritus, nisi priusfuerit qui accipiat.

Alteram quoque epistolam Cyprianus Firmiliano scripsit adversùs Stephanum, quæ non extat, eique misit exemplum rescripti ejusdem Stephani. Firmilianus autem Cypriano prolixam epistolam rescripsit (est inter Cyprianæas, num. 75), quâ, inter alia quibus utitur argumenta, probat Baptismum hæreticorum invalidum esse, primum quidem à simili, deinde verò ex eo quòd illi spontè faterentur manûs impositionem, quâ Spiritus sanctus advocatur, non valere apud hæreticos, eamque ob rem super ipsos ad Ecclesiam redeuntes innovandam esse : denique hanc manuum impositionem super ipsos fieri non posse, nisi præmittatur verus Christi Baptismus : probat facto Pauli, qui discipulis à Joanne baptizatis non imposuit manus, nisi postquàm Baptismo Christi eos baptizavit. *Hæretici, si se ab Ecclesiâ Dei sciderint, nihil habere potestatis aut gratiæ possunt, quando omnis potestas et gratia in Ecclesiâ constituta sit, ubi præsident majores natu, qui et baptizandi, et manum imponendi, et ordinandi possident potestatem. Hæretico enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare.... quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum convenientibus ex Galatiâ et Ciliciâ et cæteris proximis regionibus confirmavimus tenendum..., cùm à quibusdam de istâ re dubitaretur. Et quoniam Stephanus et qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum... in hæreticorum Baptisma posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum sanctum non esse; considerent et intelligant spiritualem nativitatem sine Spiritu esse non posse; secundum quod et beatus Paulus Apostolus eos qui à Joanne baptizati fuerant, priusquàm missus esset à Domino Spiritus sanctus, baptizavit denuò spiritali Baptismo, et sic eis manum imposuit, ut acciperent Spiritum sanctum. Quale est autem, ut cùm Paulum post Joannis Baptisma iterato discipulos suos baptizâsse videamus : nos eos, qui ab hæresi ad Ecclesiam veniunt, post illicitam et profanam eorum tinctionem baptizare dubitemus? Nisi si his episcopis, de quibus nunc minor fuit Paulus; ut hi quidem possint per solam manûs impositionem venientibus hæreticis dare Spiritum sanctum, Paulus autem idoneus non fuerit qui à Joanne baptizatis Spiritum sanctum per manûs impositionem daret, nisi eos priùs etiam Ecclesiæ Baptismo baptizâsset.* Ex his tria aut quatuor manifestè apparent. Primum est, quòd episcopi utriusque partis conveniunt eos, qui ab hæresi ad Ecclesiam veniunt, recipiendos esse per manûs impositionem, quâ Spiritus sanctus super fideles descendit; quod illa apud hæreticos minimè valeret. Secundum est, quòd hæc manûs impositio eadem esset, quæ natu majoribus, in Ecclesiâ præsidentibus, reservata erat; quæ utrique Baptismi et Ordinationis Sacramento æquiparatur; quamque Firmilianus in concilio Iconiensi definivit apud hæreticos nihil valere. Tertium est, quòd hæc manûs impositio eadem esset, quam Paulus duodecim Joannis discipulis à se Christi Baptismate initiatis imposuit, ut Spiritus sanctus super illos descenderet, Act. 19, v. 6. Quartum, quod hæc manuum impositio ejusmodi sit, ut iis solùm, qui Christi Baptismate actu initiati sunt, conferri possit.

Pluribus verò interjectis, Firmilianus aliud argumentum affert. *Si non mentitur Apostolus dicens : « Quotquot in Christo tincti estis, Christum induistis; » utique qui illic* (in hæresi) *in Christo baptizatus est, induit Christum. Si autem induit Christum, accipere potuit et Spiritum sanctum qui à Christo missus est; et frustra illi* (ad Ecclesiam) *venienti ad accipiendum Spiritum sanctum manus imponitur.* Hæc igitur impositio hujusmodi est, ut si valeat apud hæreticos, frustra iis imponatur, qui ab hæresi recidunt, et ad Ecclesiam veniunt.

Denique Stephanum respondentem hæreticorum Baptisma valere, quia *in nomine Christi datum est, et in multum* (verba sunt Stephani) *proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi :* Firmilianus ita refellit : *Si in nomine Christi valuit foris Baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit et manûs impositio ad accipiendum Spiritum sanctum : et incipient cætera quoque, quæ apud hæreticos aguntur, justa et legitima videri, quando in nomine Christi gerantur.* In hoc textu Firmilianus tria præstat. 1° Hanc manuum impositionem, quæ suscipiebatur *ad accipiendum Spiritum sanctum*, æquiparat Baptismo. 2° Sup-

ponit utrumque ab hæreticis conferri in nomine Christi. 3° Contendit utrumque apud hæreticos aut nullum, aut ratum esse.

Cyprianus aliquanto post scripsit et aliam in eâdem causâ epistolam ad Magnum (est inter Cyprianæas, num. 76), in quâ post medium, episcopos Stephano consentientes sic urget : *Confitentur quòd universi sive hæretici, sive schismatici non habeant Spiritum sanctum, et ideò baptizare quidem possint, dare autem Spiritum sanctum non possint. In hoc ipso à nobis tenentur, ut ostendamus nec baptizare omninò eos posse, qui non habeant Spiritum sanctum. Nam cum in Baptismo unicuique peccata sua remittantur....* (et Dominus dixerit) : « *Accipite Spiritum sanctum; si cujus remiseritis peccata,* « *remittentur illi ; si cujus tenueritis, tenebuntur* »..... Ostendit eum solum posse baptizare, et remissionem peccatorum dare, qui habeat Spiritum sanctum.... Itaque qui hæreticis sive schismaticis patrocinantur, respondeant nobis ; habeantne Spiritum sanctum, an non habeant. Si habent, cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum, cùm jam utique illic acceptus sit ubi, si fuit, dari potuit ? Si autem foris cuncti hæretici et schismatici non habent Spiritum sanctum, et ideò apud nos manus imponitur, ut hic accipiatur, quod illic nec est, nec dari potest ; manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse, quos constet Spiritum sanctum non habere.

Ex his apparet falli Antonium de Dominis, et cum ipso Dallæum, respondentes hanc manuum impositionem fuisse cæremoniam, quæ ad baptismum pertineret. 1° Quia utriusque partis antistites illam à Baptismo distinguunt. 2° Quia utriusque partis episcopi virtutem ei attribuunt conferendi Spiritum sanctum à Baptismo diversam. 3° Quia antistites utriusque partis inter se conveniunt eam apud hæreticos invalidam esse, quamvis de valore Baptismi ab invicem dissideant. Nullus verò cordatus unquàm sibi persuadebit cæremoniam Baptismi apud eos irritam esse, apud quos baptismus ratus erit. 4° Quia episcopi utriusque partis hanc manuum impositionem æquiparant ei quâ Petrus et Joannes super Samaritanos recens baptizatos advocârunt Spiritum sanctum, ex 73 Cypriani epistolâ ad Jubaianum. 5° Quia Cyprianus in epist. 74 ad Pompeium, et Firmilianus, in suâ epistolâ, illam Baptismo æquiparant, quasi duo Sacramenta quæ ambo conferri debent in nomine Christi, ambo eamdem nominis Christi majestatem requirunt, quæ in utroque ad valorem prævaleat, ambo diversum habent effectum, quatenùs per Baptismum innovamur et sanctificamur, et per manûs impositionem accipimus Spiritum sanctum. 6° Quia effectus Baptismi disponit ad effectum manûs impositionis, et ad illum refertur tanquàm medium ad finem, ex Cypriano in eâdem epist. 74 : *Si potest quis extra Ecclesiam*, etc. 7° Si hæc manûs impositio ad Baptismum pertinet, velut pars illius et appendix, idem dicendum erit de ejus effectu. Sed effectus impositionis manuum non est pars, vel appendix regenerationis et nativitatis, quam in Baptismo consequimur ; cujus veritatis nos monet Cyprianus in eâdem epist. *Porrò autem*, inquit, *non per manûs impositionem*, etc.

Apparet etiam ex dictis, eos catholicos decipi, qui respondent, hanc manuum impositionem, non sacramentalem, neque confirmatoriam esse, sed reconciliatoriam et in pœnitentiam. Ita hodiè sentiunt nonnulli theologi Parisienses post Petrum Aurelium, virum eruditissimum, , qui in Anæretico adversùs Jacobum Sirmundum, tomo 3, pag. 446, contendit hanc manûs impositionem, quam utriusque partis episcopi hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus adhibendam esse conveniebant, *non fuisse Sacramentum Confirmationis, aut impositionem illam eamdem, quæ neophytis in Ecclesiâ tribui solet ;.... sed cæremoniam merum, quæ tamen presbyteris eodem modo interdiceretur, quo reconciliatio pœnitentium : quia sicut à pœnitentiâ ad Ecclesiam redeuntes, nonnisi ab episcopo admitti poterant ; sic neque ad eamdem ab hæresi redeuntes : sicut autem pœnitentes à presbytero in discrimine vitæ reconciliari Ecclesiæ poterant per manûs impositionem, ut sæpè concilia edicunt ; ita et redeuntes ab hæresi in eodem periculo per manûs similiter impositionem et chrismationem in Ecclesiam ab eodem admittebantur.* Quemadmodùm enim manûs impositionem, ita chrismationem istam hæreticorum existimat fuisse meram cæremoniam ad Sacramentum Confirmationis nihil pertinentem. Ita celeberrimus hierarchiæ Ecclesiæ vindex, cujus cum Sirmundo dissidium expendam, ubi de validitate Confirmationis ab hæreticis collatæ. Tunc de jure, nunc de facto, quod hujusmodi fuisse contendo, ut hæc manuum impositio, quam Cyprianus, aliique episcopi, sive cum ipso sentientes, sive ab ipso dissentientes, unanimi consensu fatebantur hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus adhibendam esse, sacramentalis et confirmatoria fuerit, non autem merè cæremonia, quâ hæretici admitterentur ad pœnitentiam, ut deinde reconciliarentur.

1° Quia hæc manûs impositio eadem est ac illa, cujus meminerunt episcopi Carthaginenses in epistolâ synodicâ ad antistites Numidiæ, quæ inter Cyprianæas exstat num. 70 : idque apparet, tum ex argumento, quo episcopi Carthaginenses supponunt et probant unctionem et preces, quæ super neophytos ab episcopis per manuum impositionem fieri solebant, nullas esse apud hæreticos, indeque à pari concludunt apud eosdem hæreticos nullum esse Baptisma ; quam quidem rationem Cyprianus, Firmilianus et Patres Carthaginenses in epistolis et conciliis sequentibus sæpe repetunt : tum ex dilemmate, quo Patres sub finem epistolæ utuntur ; quo etiam dilemmate postea usi sunt, Cyprianus, in epist. 73 et 76, Firmilianus, in suâ epistolâ, et Successus, episcopus ab Abbir Germanicianâ, in concilio III Carthaginensi. Atqui Petrus Aurelius, ejusque sequaces agnoscunt, in epist. 70, agi de unctione et manûs impositione sacramentali et confirmatoriâ.

2° Hæc manûs impositio Baptismum proximè subsequebatur et post ipsum fieri solebat, ex eâdem

epist. 70. Sed manûs impositio in pœnitentiam nusquàm Baptismum proximè subsecuta est.

3° Hæc manûs impositio super neophytos fieri solebat in Ecclesiâ catholicâ, ex eâdem epist. 70. Sed manûs impositio in pœnitentiam nunquàm facta est super recens baptizatos in Ecclesiâ catholicâ.

4° Hæc manûs impositio non solùm in Ecclesiâ catholicâ super neophytos, sed etiam in hæresi super gregales suos baptizatos fieri solebat, ex eâdem epist. 70; ex Cypriano, epist. 73, 74 et 76; et Firmiliano, epist. 75. Sed hæretici non imponebant manum in pœnitentiam omnibus suis gregalibus.

5° Quia episcopi utriusque partis huic manuum impositioni tribuunt virtutem conferendi Spiritum sanctum : quod certè non convenit manuum impositioni in pœnitentiam.

6° Quia virtutem ejus ad Spiritum sanctum advocandum æquiparant *descensui Spiritûs sancti in domo Cornelii centurionis super ethnicos, qui illic aderant fidei calore ferventes* : ex epist. 72 ad Stephanum.

7° Quia episcopi utriusque partis eam æquiparant, imò eamdem esse supponunt, cum manûs impositione, quâ Spiritus sanctus super Samaritanos novissimè baptizatos descendit : ex epist. 73 ad Jubaianum.

8° Quia Cyprianus, in epist. 74 ad Pompeium, eam Baptismo æquiparat ratione virtutis, valoris et efficaciæ : ita ut utrumque conferatur in nomine Christi, utrumque eamdem nominis Christi majestatem requirat, et in utroque eadem nominis Christi majestas ad valorem eodem modo prævaleat.

9° Quia Cyprianus loquitur de manûs impositione, quam Baptismus præcedit, et ad cujus effectum sanctificatio Baptismi proximè disponit : ex epist. 74. Idem colligere licet ex suffragiis Euchratii et Vincentii episcoporum in synodo III Carthaginensi supra relatis. Atqui nec Baptismus proximè præcedit manûs impositionem ad pœnitentiam, nec ad illam disponit.

10° Quia hæc manûs impositio, de quâ Cyprianus, eadem est, de quâ Firmilianus in suo ad Cyprianum rescripto. Atqui Petrus Aurelius, ejusque sequaces agnoscunt, manuum impositionem, de quâ Firmilianus, sacramentalem et confirmatoriam esse; tum quia illam ait fuisse reservatam natu majoribus in Ecclesiâ præsidentibus; tum quia illam Baptismo et ordinationi æquiparat; tum quia illam ait eamdem esse, quam Paulus duodecim Joannis discipulis, postquàm illos Christi baptismate initiavit, imposuit ut Spiritus sanctus super illos descenderet; tum quia illam Baptismo æquiparat ratione valoris et efficaciæ, ita ut utrumque sacramentum in nomine Christi conferri debeat, et utrumque in nomine Christi collatum valeat apud hæreticos, aut utrumque irritum habeatur : quòd in utroque majestas nominis Christi ad validitatem eodem modo prævaleat.

11° Quia hæc manûs impositio ejusmodi est, ut iis solum, qui Christi Baptismate initiati sunt, conferri possit, ex Firmiliano in epist. 75. Atqui manûs impositio in pœnitentiam valebat super catechumenos, qui in aliquod grave peccatum lapsi fuerant.

12° Hæc manûs impositio ejusmodi est, ut si valeat apud hæreticos, frustra iis imponatur, qui ab hæresi ad Ecclesiam transeunt, ex Firmiliano, in epist. 75. Sed quamvis aliquis ultro concederet manûs impositionem in pœnitentiam valere in hæresi, inde non sequeretur illam super hæreticos ad Ecclesiam transeuntes minimè valere, frustraque iterari.

Denique Cyprianus hæreticos, qui cum in Ecclesiâ baptizati fuerint, à fide recedunt, ab his distinguit, qui in ipsâ hæreticorum societate baptizati sunt : illos ait in epist. 71 et in fine epistolæ 74, per solam manûs impositionem in pœnitentiam recipiendos esse; istos in aliis epistolis sequentibus recipi vult per Baptismum et manûs impositionem in Spiritum sanctum. Sed inauditum est, neque id apud Cyprianum aut alium quemlibet Patrem alicubi reperietur, quod neophytis recensque baptizatis manus imposita fuerit in pœnitentiam. Cyprianus igitur manûs impositionem in Spiritum sanctum distinguebat à manûs impositione in pœnitentiam.

Solvuntur objectiones Petri Aurelii, et theologorum Parisiensium.

Licèt tot testimoniis evidenter demonstratum sit, manuum impositionem, quâ Stephanus, Cyprianus, Firmilianus, aliique antistites ætate illâ conveniebant hæreticos, qui extra Ecclesiam baptizati sunt, debere recipi, sacramentalem et confirmatoriam esse; contrarium tamen Petrus Aurelius, et post ipsum theologi Parisienses probare conantur.

Objiciunt igitur 1° : Confirmatio ab hæreticis collata valet, eamque pro rato Sacramento Ecclesia semper habuit. Sed Confirmatio iterari non potest. Ergo.

Respondeo gravissimam esse difficultatem, utrùm Ecclesia Confirmationem in hæresi collatam pro rato et valido Sacramento semper habuerit. Quid alii Patres senserint, inquiretur, ubi de ministro hujus sacramenti. Nunc agitur de mente Cypriani, aliorumque antitistum Africanorum ipsi adhærentium, qui clarissimè supponunt ex utriusque partis, sive pro validitate, sive pro nullitate Baptismi hæreticorum decertantis consensu, Confirmationem non valere apud hæreticos, eoque supposito ut certo, et ab episcopis utriusque partis concesso, alter in alterum pro nullitate baptismi ab hæreticis collati decertat et argumentatur.

Objiciunt 2° : Ex eo quòd Stephanus aliique episcopi pro Baptismi hæreticorum validitate decertantes, concederent in hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus innovandam esse manûs impositionem, inde Cyprianus aliique antistites cum ipso consentientes, à pari concludebant in iisdem hæreticis innovandam esse Baptismum. Hæc igitur manûs impositio, de quâ Cyprianus, eadem erat ac illa, de quâ Stephanus. Atqui manûs impositio, de quâ Stephanus erat in pœnitentiam, non autem erat sacramentalis; quemadmodùm apparet ex ipsius verbis à Cypriano relatis initio epistolæ 74 ad Pompeium : *Si quis ergo à quâcumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam : cùm ipsi*

hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.

Respondeo : Joannes Morinus, lib. 9 de Pœnitentiâ, cap. 7, num. 13, putat in ea verba mendum irrepsisse, et pro *in pœnitentiam*, legendum, *in Spiritum sanctum. Nam præter tot clarissima testimonia Cypriani et collegarum jam relata, eò tendit universa ipsius ratiocinâtio. Semper enim contendit hæreticos dare non posse Spiritum sanctum : idque probat ex communi suo et adversariorum axiomate, qui hæreticorum manûs impositionem in Spiritum sanctum non admittunt. At Spiritus sanctus in Baptismo donatur. Cur igitur potiùs Baptismi sacramentum probatis, quàm manûs impositionis ? Aut utrumque admittite, aut utrumque negate. De istorum autem hæreticorum, qui in hæresi baptizati sunt, receptione per pœnitentiam publicam ne verbum quidem miscet Cyprianus.* Hactenùs Morinus.

Textum illum Stephani in aliis etiam partibus depravatum fuisse multa alia suaderent.

Pamelius enim existimat pro, *cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ;* legendum, *cùm ipsi hæretici propè alterutros.*

Deinde prioribus hujus decreti verbis approbatur Baptismus quorumlibet hæreticorum : quamvis certum sit Baptisma quorumdam hæreticorum decretum illud præcedentium minimè valuisse. Valentiniani enim seu Gnostici formulam vitiabant ; alii enim ex ipsis, inquit Irenæus, lib. 1 adversùs hæreses, c. 18, *inter baptizandum his verbis utebantur : in nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit in unione et redemptione et communione virtutum.* Alii hebraica quædam vocabula proferebant, quæ Irenæus ibidem refert, quæque ridiculum omninò sensum præ se ferant. Cataphrygas quoque seu Montanistas, quos Epiphanius hæresi 48 refert exortos fuisse circa annum 19 Antonini pii, qui fuit à Christo 159, denuò baptizari mandat concilium Laodicænum, can. 8 ; secunda synodus œcumenica can. 7 ; quin etiam prima synodus Nicæna, can. 8, si collectioni Isidori Mercatoris fides habeatur. Taceo Pepuzenos, qui et Pepuziani à civitate Pepuzâ, vel Quinctilliani à Quinctillâ, Montanistarum pseudoprophetissâ, adversùs quam Tertullianus librum de Baptismo conscripsit ; ii siquidem hæretici *in Patrem et Filium et Montanum, Priscillamque baptizabant, non autem in nobis tradita*, id est, nomina nobis tradita, seu juxta formulam nobis traditam : ex Basilio, epist. 1 ad Amphilochium, can. 1.

Posterioribus etiam hujus decreti verbis asseritur, quòd hæretici ad se venientes non rebaptizarent ; quod tamen falsum esse apparet exemplis Montanistarum, qui longè antequàm Stephanus ad pontificatum eveheretur, et Novatianorum, qui Stephani tempore, catholicos ab Ecclesiâ ad suam hæresim deficientes rebaptizabant : ex initio epistolæ 73, quam Cyprianus ad Jubaianum scripsit, eodem ferè tempore, quo episcopi secundæ synodi Carthaginensis suam synodicam epistolam miserunt ad Stephanum papam ; in eâ enim meminit hujus secundæ synodi, quasi nunc coactæ.

Accedit quod in hoc decreto praxis Ecclesiæ ab apostolis accepta, hæreticos ad Ecclesiam redeuntes minimè baptizandos esse, confirmatur usu et praxi hæreticorum, qui ad se venientes non rebaptizabant : quæ quidem probatio videtur indigna Stephano.

Hæc, inquam, omnia decretum illud in omnibus suis partibus depravatum fuisse mihi suaderent, nisi singula ejus verba à Cypriano expenderentur, et semel ac iterùm ab eo repeterentur sub initium ejusdem epistolæ 74 ad Pompeium ; nisi codices manuscripti optimæ notæ, quibus Rigaltius usus est, idem haberent ; nisi denique reclamaret codex Corbeiensis annorum et eo amplius octingentorum.

Ad aliam igitur solutionem confugiamus necesse est, quam repetemus ex relatâ in euchologio patriarchali formulâ, quâ *ex hæresibus in Ecclesiam remigrantes suscipi oporteat :* quam quidem formulam descripsêre Goarius in suo euchologio pag. 883, et Morinus lib. 9 de Pœnit., c. 9, n. 13 : Eamque antiquissimam esse demonstrat antiquissimum euchologium Barberinum annorum octingentorum canitie venerandum, ex Morino ibid., n. 9.

Arianis igitur, aliisque hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus manus imponebatur in pœnitentiam, quæ brevis quidem erat, et quam ab ipsis agi oportebat, antequàm confirmarentur. Jejunabant decem aut quindecim diebus et orationibus mane et vespere incumbebant catechumenorum instar ; eâque peractâ pœnitentiâ ad baptisterium accedentes, primùm quidem hæresim abjurabant, deinde emittebant fidei professionem, ac tandem ungebantur, et per manûs impositionem accipiebant Spiritum sanctum. Hæc autem postrema manûs impositio, licèt eadem esset quæ neophytis adhiberetur, in hæreticis tamen lugubris erat : hæc enim in ipsis signum erat non modo *copulationis charitatis*, *quod est maximum donum Spiritûs sancti*, sed etiam *reatus culpæ præteritæ*, ex Augustino lib. 5, de Baptismo contra Donatistas, cap. 23. Hæc etiam non solùm erat *in Spiritum sanctum*, *sed et in pœnitentiam et detestationem erroris*, ex Hugone Victorinô, tract. 5 summæ Sent., cap. 8. Hæc denique non modò significabat sancti Spiritûs sanctificationem, sed et præ se ferebat imaginem pœnitentiæ publicæ, ex Innocentio I in epist. 18 : quo fit ut Innocentio *non videatur clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam dignitate suscipi debere.* Scitum est enim clericos post pœnitentiam illis temporibus eo privilegio frui non solitos. Idem vult Innocentius in illis hæreticorum clericis, propter imaginem pœnitentiæ cum quâ admissi sunt, observari.

Manûs igitur impositio in pœnitentiam, de quâ Stephanus, vel est prior manûs impositio, quæ hæreticis in pœnitentiam adhibebatur ; vel posterior, quâ super hæreticos invocabatur Spiritus sanctus, et per quam hæretici *ad sancti Spiritûs percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiebantur*, ex Innocentio ibid. Alterutra expositio vera est ; utraque defendi po-

test; in eam tamen expositionem magis propenderem, ut Stephanus de priori manûs impositione locutus fuerit.

Dices. Post citatum Stephani decretum, Cyprianus illum redarguit, quasi voluerit, quòd tantùm manus hæreticis imponatur in pœnitentiam. Stephanus igitur confirmatoriam manûs impositionem excludebat.

Respondeo Cyprianum per illam particulam, tantùm, innuere duntaxat, quòd Stephanus excluderet innovationem Baptismatis, non autem confirmatoriæ manuum impositionis : sic enim ille argumentatur adversùs traditionem à Stephano laudatam. *Si ergo*, inquit, *aut in evangelio præcipitur, aut in apostolorum Epistolis, aut Actibus continetur, ut à quâcumque hæresi venientes non baptizentur, sed tantùm manus illis imponatur in pœnitentiam, observetur divina hæc et sancta traditio : si vero*, etc. Postea verò supponens Stephanum ultrò concedere hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus adhibendam esse manûs impositionem ad recipiendum Spiritum sanctum, quòd illa apud hæreticos invalida sit; hinc adversùs Stephanum concludere conatur pari modo Baptismum apud illos invalidum esse. Igitur ex Cypriano constat Stephanum in eâ fuisse sententiâ, hæreticos, qui in ipsâ hæresi baptizati sunt, recipiendos esse per manuum impositionem in pœnitentiam, et per manuum impositionem in Spiritum sanctum : utrùm autem duæ forent distinctæ manuum impositiones, an verò unica, quæ simul esset in pœnitentiam et in Spiritum sanctum, quia reconciliatoria simul et confirmatoria erat in hæreticis, non potest facilè dijudicari : utrumque, ut dixi, defendi potest.

Urgent. Cyprianus, in epist. 71 ad Quintum, conatur refellere Stephanum Romanum, qui prohibendo ne baptizati ab hæreticis baptizarentur, et præcipiendo ut reciperentur per manûs impositionem, declaraverat se in eo veterem consuetudinem fuisse secutum. Contendit ibi Cyprianus veterem consuetudinem illam, quâ Stephanus nitebatur, respicere hæreticos baptizatos in Ecclesiâ, non autem respicere baptizatos extra Ecclesiam, quos volebat per Baptismatis innovationem suscipi. Stephanus contra contendit veterem illam consuetudinem respicere hæreticos intra et extra Ecclesiam baptizatos. Vult igitur Stephanus hæreticos utriusque generis eodem modo recipi. Sed hæretici intra Ecclesiam baptizati recipiebantur per manûs impositionem merè cæremonialem et nullo modo sacramentalem. Igitur et hæretici extra Ecclesiam baptizati. Ita D. de Saintebeuve, regius in Sorbonâ professor, in tractatu de Confirmatione, in dissertatione de Validitate Confirmationis ab hæreticis administratæ.

Respondeo 1°, in hâc epistolâ agi de episcopis Africanis à Cypriano dissidentibus, non autem de Stephano, ad quem Cyprianus, aliique antistites Africani idem cum ipso sentientes nondùm scripserant, quandoquidem in epistolâ ad Stephanum mentio fiat epistolæ ad Quintum.

Respondeo 2°, argumentum, quod in hâc ad Quintum epistolâ refertur, non eodem prorsùs modo proponi, quo præcedens. Quamvis enim episcopi à Cypriano dissentientes contendant hæreticos utriusque generis eodem modo recipiendos esse quoad negationem iterationis Baptismi, non tamen contendunt eos per eamdem manûs impositionem suscipiendos esse. Hæ siquidem duæ quæstiones omninò dissimiles sunt, utrùm hæretici extra vel intra Ecclesiam baptizati, sine Baptismatis iteratione recipi debeant : et utrùm illi recipi debeant per eamdem manûs impositionem. Controversia erat de primâ quæstione, de secundâ nullum erat dissidium : episcopi enim utriusque partis in eo conveniebant, hæreticis extra Ecclesiam baptizatis imponendam esse manum in Spiritum sanctum : neque apud Cyprianum ullibi reperietur, quòd hæreticis intra Ecclesiam baptizatis manus in Spiritum sanctum imponi debeat. Manûs igitur impositio in Spiritum sanctum distingui debet à manûs impositione in pœnitentiam.

Urgent iterùm. Si Stephanus Cypriano concessisset factam ab hæreticis Confirmationem irritam esse, inde Cyprianus invictissimè probâsset à pari Baptisma quoque nullum esse : par enim est utriusque ratio. Ita idem professor ibidem.

Respondeo 1°, ibi quæri quid Stephanus ex Cypriano senserit, eique concesserit; non autem, an Cyprianus benè vel malè argumentatus fuerit adversùs Stephanum. 2° Consequentia negatur; latum enim est discrimen inter Baptismum et cætera Sacramenta, ratione necessitatis, adeòque ratione ministerii. Hinc Baptismus à quolibet etiam laico administrari potest; non autem Confirmatio : hinc Innocentius I, epist. 22, Bonosiacorum Baptismum admittit, eorum ordinationes rejicit : hinc apud veteres theologos de Ordinatione, non autem de Baptismo hæreticorum dubitatum est : hinc Maldonatus et Sirmundus hæreticorum Baptismum approbant, Confirmationem improbant. Baptismatis sane mysterium ex omnium theologorum consensu latiùs patet, quàm cæterorum Sacramentorum.

§ 4. *Firmilianus.*

Firmilianus, eximius Origenis discipulus (ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium), inde verò Cæsareæ Cappadocum archiepiscopus, qui Antiochenæ synodo, sub Cornelio papâ adversùs Novatum habitæ anno circiter 253, et priori synodo in eâdem urbe sub Dionysio papâ adversùs Paulum Samosatenum coactæ anno circiter 264, interfuit, in hâc celebri epistolâ quam Cypriano, cui adhærebat, scripsit adversùs Stephanum papam, quæque inter Cyprianæas extat numero 75, ita loquitur de Confirmatione, quam nomine manûs impositionis exprimit et ab utroque Baptismi et Ordinationis sacramento distinguit : *Omnis potestas à gratiâ in Ecclesiâ constituta est, ubi præsident majores natu, qui et baptizandi, et manus imponendi, et ordinandi possident potestatem.* Deinde verò significat se loqui de illâ manûs impositione, quam Paulus iis imposuit, quos à Joanne Baptismate tinctos ipse baptizaverat. Hæc igitur manûs impositio de quâ Firmilianus, est confirmatoria. Con-

sule pag. 159 et seq., ubi textum integrum retulimus, Firmilianique mentem fusè prosecuti sumus.

§ 5. *Auctor anonymus, qui scripsit adversùs Cyprianum.*

Cypriano et Firmiliano subjiciemus auctorem anonymum, quem ipsis æqualem vel supparem viri quidam eruditi existimant; quem etiam Africanum fuisse conjicitur ex quibusdam vocabulis cum Tertulliano et Cypriano sibi communibus, quæ Rigaltius in suis ad hunc auctorem notis observavit; quem denique episcopum fuisse ex multis apparet, ac præsertim ex eo quòd fratres appellet episcopos, qui de valore Baptismi hæreticorum dissidebant; à minore clero, id est, presbyteris et diaconis sese discernat; sibique auctoritatem tribuat supplendi impositionem manûs episcopi, quæ deest in baptismate, quod *à minore clero* traditum fuerit.

Scripsit ille de Baptismo adversùs Cyprianum, ejusque tractatus in exemplari vetustissimo operum Cypriani, quod in Rhemensi, S. Remigii monasterio, asservatur, post epistolam 74 ad Pompeium sequitur. Hunc verò tractatum, quem in aliis exemplaribus inveniri nemo hactenùs prodidit, publici juris fecit Rigaltius, edique curavit ad calcem operum Cypriani, anno 1649 : et quantùm ex dictione deprehenditur, auctoris est ab ævo Cyprianico parùm distantis : meminit ille sub finem, quorumdam hæreticorum, *qui originem trahebant à Simone mago*, quique, quoniam Joannes dixit nos esse baptizandos *in Spiritu et igni*, *præstigiis utebantur, ut quam mox in aquam descendisset baptizandus, statim super aquam ignis appareat.*

Plures ex eo textus referemus, quorum alii directè probant veritatem sacramenti Confirmationis; alii verò respiciunt manûs impositionem in Spiritum sanctum, per quam hæretici foris baptizati, in Ecclesiam admittebantur; eamque sacramentalem et confirmatoriam esse ostendunt.

1° *Per manûs*, inquit, *impositionem episcopi datur unicuique credenti Spiritus sanctus, sicut Apostoli circa Samaritanos, post Philippi Baptisma, manum eis imponendo, fecerunt, et hâc ratione Spiritum sanctum in eos contulerunt; quod ut fieri posset, ipsi pro eis oraverunt.* Loquitur, ut apparet, de manûs impositione, per quam Spiritus sanctus modo invisibili (nec enim hâc ætate visibiliter descendebat) baptizatis conferebatur, eamque æquiparat manûs impositioni per quam Petrus et Joannes Spiritum sanctum super Samaritanos advocaverunt.

Asserit etiam hæc duo sacramenta non ita esse adunata, ut dividi ac separari non possint, eaque, si separentur, tamen *non esse mutila, sed integra atque perfecta :* quod probat exemplis apostolorum et discipulorum, *qui alios baptizabant, qui et ipsi à Domino baptizati sunt*, neque acceperunt Spiritum sanctum, nisi die Pentecostes, sive, ut ipse loquitur pluribus interjectis, non nisi *post resurrectionem Domini in Spiritu sancto baptizati sunt :* item eorum exemplo, *qui post Baptisma sine impositione manûs episcopi de seculo exeunt, et tamen pro perfectis fidelibus habentur :* denique exemplo Æthyopis eunuchi, qui à Philippo diacono baptizatus est, cui tamen *imposita manus non est ab episcopo, ut Spiritum sanctum reciperet.*

Subjicit *per manûs impositionem episcopi Spiritum sanctum consuêsse præstari* : neque patitur ut aliquis *non episcopum dicat Spiritum sanctum solum esse largiri* : id est, ut aliquis asserat presbyterum aut diaconum posse largiri Spiritum sanctum solum, hoc est, sine aquâ et sine Baptismo. Spiritus enim aquæ adunatur in Baptismo juxta illud Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto :* atque ita presbyteri et diaconi, qui baptizant, conferunt Spiritum sanctum, sed solius est episcopi conferre Spiritum sanctum sine aquâ et Baptismo.

Pluribus verò interjectis, docet Baptisma aquæ, quo quis baptizatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi, minus esse : Baptisma verò Spiritûs, quo quis in Spiritu sancto per manûs impositionem episcopi baptizatus est, majus esse.

Et paulò post medium tractatus ait, si Baptismus à minore clero, id est, à presbytero aut diacono traditus fuit ægroto, morbi eventum expectandum esse, ut si ægrotus revalescat, omissa manûs impositio in Spiritum sanctum ab episcopo suppleatur, aut si moriatur, res tota Domino qui mortuos et vivos judicaturus est, committatur. *Si Baptisma*, inquit, *à minore clero per necessitatem traditum fuerit, eventum expectemus, ut aut suppleatur à nobis, aut à Domino supplendum reservetur.*

Denique post medium et ultra, quæcumque dixit sic ille paucis contrahit : *Et quoniam videmur omne Baptisma spiritale trifariam divisisse, veniamus etiam ad probationem narrationis propositæ, ne videamur proprio sensu et temerè hoc fecisse. Ait enim Joannes de Domino nostro, ... « Hic est qui venit per aquam et « sanguinem Jesus Christus, non in aquâ tantùm, sed in « aquâ et sanguine. Et Spiritus est, qui testimonium « perhibet, quia Spiritus est veritas. Quia tres testimo- « nium perhibent, Spiritus, et aqua, et sanguis. Et isti « tres in unum sunt »*, ut ex illis colligamus, et aquam præstare solitam (legi debet præstare Spiritum solitum, quemadmodùm apparet ex sequentibus), et sanguinem proprium hominibus præstare Spiritum solitum, et ipsum quoque Spiritum præstare Spiritum solitum. Nam cùm effundatur aqua, sicuti et sanguis, Spiritus etiam effusus sit à Domino super omnes qui crediderunt, utique et aquâ, et proprio nihilominùs sanguine, tunc deinde et Spiritu sancto, possunt homines baptizari. Baptisma igitur spiritale triplex distinguit, aquæ, quo quis in lavacro baptizatur; sanguinis, quo martyr abluitur cruore proprio; et Spiritûs, quo apostoli, *correctâ fide suâ post resurrectionem Domini in Spiritu sancto sunt baptizati ipso die Pentecostes* : quæ tria baptismata præstant Spiritum sanctum.

2° Prioribus textibus quosdam alios subjiciemus, quibus appareat vera esse, quæ de manûs impositione in Spiritum sanctum diximus, ubi de mente Stephani, Cypriani, etc., pag. 151 et seq.

Primum quidem auctor ille anonymus statum quæstionis ita proponit : *Quæsitum apud fratres, quid potiùs observari oportet in personam eorum qui in hæresi quidem, sed in nomine Dei nostri Jesu Christi tincti, postmodùm inde digressi, et suppliciter ad Ecclesiam Dei advolantes, totis præcordiis, pœnitentiam agerent, et erroris sui damnationem nunc demùm intelligentes, auxilium salutis ab eâ implorent; utrum vetustissimâ consuetudine ac traditione ecclesiasticâ, post illum qui foris quidem, sed in nomine Jesu Christi dominicum acceperunt Baptisma, tantummodò imponi eis manum ab episcopo, ad accipiendum Spiritum sanctum sufficeret, et hæc manûs impositio signum fidei iteratum atque; consummatum eis præstaret ; an verò etiam iteratum baptisma his necessarium esset.... , perinde ac si nunquàm baptizati in nomine Jesu Christi forent.* Respondet verò auctor ille, nullam fore controversiam, si unusquisque contentus esset venerabili ecclesiarum omnium auctoritate, quâ certum est baptisma nunquàm iteratum fuisse.

Consentit ille, ut apparet, cum Stephano, et à Cypriano dissentit. Negat hæreticos qui foris initiati sunt, recipiendos esse per innovationem Baptismi; et concedit illos ex *vetustissimâ consuetudine, ac traditione ecclesiasticâ* recipi debere per manûs impositionem episcopi in Spiritum sanctum. Videamus igitur quid ille per hanc manûs impositionem intellexerit. Petrus Aurelius, et post illum doctores Parisienses, volunt hanc impositionem fuisse merè cæremonialem ego contra, hujus episcopi anonymi auctoritate, probo hanc fuisse sacramentalem et confirmatoriam.

Id apparet, primum quidem ex modo quo ille probat Baptismum et manûs impositionem in Spiritum sanctum, quæ simul in Ecclesiâ neophytis conferri solebant, non ita adunata esse, quin possint aliquando separari, et separata maneant adhuc integra et perfecta et salutaria : quemadmodùm enim Baptismus separatim à manûs impositione aliquando collatus salutaris est, et Spiritum sanctum iis confert, qui minimè confirmati sunt; ita manûs impositio in Spiritum sanctum separatim à Baptismo collata Spiritum sanctum tribuit. Primum membrum ille ostendit exemplo apostolorum, *qui à Domino baptizati,* non acceperunt Spiritum sanctum, nisi die Pentecostes; exemplo eorumdem apostolorum, et discipulorum, qui, vivente adhuc Christo, alios baptizabant, neque manum eis imponebant in Spiritum sanctum; exemplo Samaritanorum à Philippo diacono baptizatorum, quorum *aliquis morte potuit intercipi,* antequàm Petrus et Joannes Jerosolymis Samariam venirent, manum eis impositurì; exemplo fidelium, *quorum plerique post Baptisma sine impositione manûs episcopi de seculo exeunt;* exemplo Æthyopis eunuchi, qui à Philippo diacono baptizatus est, et tamen *imposita ei manus non est ab episcopo, ut Spiritum sanctum recipe-ret.* Alterum membrum probat exemplo hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium, quibus manus imponitur sine illâ Baptismatis innovatione : *Quod si,* inquit, *hoc admittis et salutare esse credis* (nempe Baptismum, qui pœnitentibus separatim à manûs impositione episcopi confertur, salutarem esse) *necesse est confitearis, proinde autem atque hoc latius tractatu procedit, etiam illud aliud latius posse consistere, id est, ut per solam manûs impositionem episcopi, quia Baptisma in nomine Jesu Christi Domini nostri præcessit, possit alii homini pœnitenti atque credenti etiam Spiritus sanctus tribui; quoniam eos qui in Christum crediturì essent, Scriptura sancta prædixit oportere in Spiritu baptizari : ita ut et hi quoque non videantur minus aliquid habere, quàm illi qui perfectè sunt christiani, necesse sit quæri, quale illud Baptisma fuerit, quod in nomine Jesu Christi sunt consecuti.* Auctor ille asserit Baptismum et manûs impositionem episcopi in Spiritum sanctum, non ita adunari, quin separari possent, separataque maneant integra et perfecta; quia sicut Baptismus, qui pœnitentibus catechumenis seorsim à manûs impositione episcopi confertur, salutaris est, ita manûs impositio episcopi, quæ hæreticis pœnitentibus seorsim à Baptismo administratur, confert Spiritum sanctum. Manûs igitur impositio episcopi eodem sensu accipitur in utroque membro : sed in priori membro significat manûs impositionem sacramentalem et confirmatoriam, quemadmodùm apparet exemplis ad prioris membri probationem adductis. Igitur et in posteriori membro pro eâdem manûs impositione confirmatoriâ usurpatur. Præterea hanc manûs impositionem credenti et pœnitenti hæretico adhibitam asseritur ibidem eamdem esse, per quam fideles in Spiritu baptizantur. Atqui ex dictis in præcedenti §, auctor ille Baptismum Spiritûs opponit et æquiparat Baptismo aquæ ac sanguinis, et toto ferè tractatu per Baptismum Spiritûs et Baptismum in Spiritu intelligit Baptismum, de quo Christus post suam resurrectionem discipulos alloquens, ait : *Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies;* seu Baptismum, quo Apostoli et discipuli *secundùm promissionem Domini nostri, ipso die Pentecostes cùm descendisset Spiritus sanctus super ipsos, in illo baptizati sunt.* Denique hæc manûs impositio ejusmodi est, ut hæretici pœnitentes, qui per illam recipiuntur, *non videantur minus aliquid habere, quàm illi qui perfectè sunt christiani,* id est, qui baptizati et confirmati sunt : nemo enim perfectè christianus est, nisi confirmetur.

2° Id apparet ex comparatione quam instituit inter apostolos, quos supponit à Christo baptizatos fuisse, à fide et charitate defecisse tempore passionis, *fide verò postmodùm correctâ et sinceratâ, baptizatos fuisse in Spiritu sancto, et eadem hæc eis peccata per Baptisma Spiritûs sancti non dubiè esse dimissa : et inter hæreticum qui in hæresi baptizatus, tamen quandoque rectum sapit, errorem suum corrigit, et ad Ecclesiam et ad episcopum venit, et sinceriter confitetur Jesum nostrum coram hominibus, ut tunc cùm ab episcopo ei manus imponitur, etiam Spiritum sanctum accipiat.* Et post nonnulla : *Non solùm Petrus..., verùm universi quoque discipuli, quibus jam baptizatis postea Dominus ait,* « quia vos omnes scandalizabimini in me : » *qui omnes,*

ut animadvertimus, correctâ fide suâ, post resurrectionem Domini in Spiritu sancto sunt baptizati; ut non immeritò hodiè quoque credamus homines hæreticos correctos à pristino errore in Spiritu sancto posse baptizari, qui cùm aquâ baptizarentur in nomine Domini, aliquod scabram habuissent fidem : ubi pro aliquod, legendum est, aliquo, id est, aliquatenùs, ut apud Tertullianum, aliquo Numidas, id est, aliquatenùs, vel, in aliquo Numidas.

Cyprianum verò respondentem latum discrimen esse, quòd apostoli et discipuli, cùm baptizarentur, hæretici non fuerint, multis ille refellit, quibus probare conatur apostolos et discipulos, cùm baptizati fuerint, et alios baptizarent, *neque integram, neque perfectam fidem habuisse.* Ac tandem ita concludit : *Et ideò, cùm salus nostra in baptismate Spiritûs, quod plerùmque cum baptismate aquæ conjunctum est, sit constituta, (hæreticis) pœnitentiam agentibus, correctisque per doctrinam veritatis, et per fidem ipsorum, quæ postea emendata est, purificato corde eorum, tantummodò baptismate spiritali, id est, manûs impositione episcopi et Spiritûs sancti subministratione subveniri debet :* ubi Baptismum Spiritûs et manûs impositionem episcopi per quam Spiritus sanctus subministratur, pro eodem habet. Hæc igitur manûs impositio, per quam hæretici foris baptizati in Ecclesiam recipi debent, est *manûs impositio episcopi, per quam Spiritus sanctus subministratur, est baptisma spiritale, est Baptisma Spiritûs, in quo salus constituta est, est baptisma Spiritûs, quod plerùmque cum baptismate aquæ conjunctum est :* impositio verò manûs in pœnitentiam, nunquàm conjuncta fuit cum Baptismate aquæ.

3° Id apparet ex verbis proximè sequentibus, quibus ille asserit hæreticum, qui, cùm ad Ecclesiam revertitur, subjici nollet manûs impositioni episcopi, seu, ut ipse loquitur, nollet denuò baptizari, defraudatum iri Baptismate spiritali. *Si ille,* inquit, *qui ad Ecclesiam revertitur, noluit denuò baptizari, futurum est, ut defraudemus Baptismate spiritali eum, quem putamus defraudandum* (legi debet defraudatum) *non esse baptismate aquæ :* ubi denuò baptizari et subjici manûs impositioni in Spiritum sanctum, pro eodem habet ; quemadmodùm Baptisma spiritale et manûs impositionem in Spiritum sanctum pro eodem usurpat.

4° Id apparet ex discrimine, quo auctor ille modum recipiendi Judæos et gentiles distinguit à modo recipiendi hæreticos foris baptizatos. *Et ideò,* inquit, *utriusque hujus generis homines, id est, Judæi et Gentiles, plenè ut oportet credentes, pari modo baptizantur : hæretici verò jam baptizati aquâ in nomine Jesu Christi, tantùm in Spiritu sancto baptizandi sunt.* Sed Confirmatio est Baptismus in Spiritu sancto.

§ 6. *Concilium Eliberitanum.*

Ex antiquo concilio Eliberino, vel ut alii volunt Eliberitano, seu Illiberitano, cujus epochen ad finem tertii, aut ad initium quarti seculi vulgò referunt, tres canones, videlicet 38, 39, et 77, adducemus, quibus catholica de sacramento Confirmationis veritas confirmatur.

Canon 38. *Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem* (qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) *baptizare in necessitate, ita ut si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manûs impositionem perfici possit.* Quo quidem canone tria docentur : 1° Baptismum extra templum conferri posse urgente mortis periculo ; 2° ægrotum in necessitate baptizari posse à fideli laico, *qui lavacrum suum integrum habet, nec bigamus est ;* 3° ægrotum, si supervixerit, deducendum esse ad episcopum, ut per ejus manûs impositionem perficiatur. Hæc autem impositio est confirmatoria ; tùm quia Confirmatio vocatur perfectio christianorum ; tùm quia manûs impositio, quæ ab episcopo super neophytum fieri debet, est confirmatoria ; quod ultrò conceditur ab omnibus. Hanc autem novæ legis sacramentum esse, ex eo convincitur. Quid enim sacramentum novæ legis, nisi sensibile signum, quo gratia sanctificans confertur ? Sed hæc manûs impositio est signum sensibile ; præterèaque confert gratiam sanctificantem, quia confert perfectionem.

Antonius de Dominis, lib. 5, c. 5, n. 16, respondet hanc manûs impositionem confirmatoriam esse partem Baptismi ; quod ut probet, vim facit in verbis istis, *qui lavacrum integrum habet.* Agnoscunt igitur Patres Eliberitani lavacrum esse, quod non est integrum. At, inquit, quomodò potest esse lavacrum non integrum ? ubi videlicet qui baptizatus est, episcopalem manûs impositionem confirmatoriam non habuit. Ad integritatem ergo Baptismi additur cæremonia Confirmationis, quæ perficit Baptismum, ut est in eodem canone. Si perficit Baptismum, integrum profectò facit lavacrum. Illa ergo est pars Sacramenti, et non sacramentum seorsim.

Verùm canonis hujus mentem Spalatensis non attingit.

Quæritur quid Patres Eliberitani intelligant, cùm aiunt ægrotum in necessitate Baptizari à laico *fideli, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus.*

Ferdinandus Mendoza, in Notis ad hunc canonem, intelligit laicum, qui fidem profitetur, quique verum et integrum Baptismum acceperit, hoc est aquâ et verbis evangelicis baptizatus fuerit ; quod olim controversum fuisse referat Augustinus, lib. 2 contra epistolam Parmeniani, cap. 13 : *Utrum et ab his qui nunquàm fuerunt christiani, possit Baptismus dari.*

Alii per lavacrum integrum intelligunt Baptismum et Confirmationem, ita ut synodus Eliberitana in laico Baptismatis ministro requisierit, ut ille fidelis, baptizatus et confirmatus esset, neque foret bigamus. Baptismus enim sine Confirmatione non censetur integer ; sed gratia Sacramenti Confirmationis est perfectio et complementum gratiæ baptismalis.

Gabriel Albaspinæus, in suis Observationibus ad hunc canonem, per lavacrum integrum intelligit integritatem Baptismi, seu gratiam baptismalem (quam Tridentini Patres, sess. 14, cap. 2, vocant integritatem), quòd ille qui peccatum post Baptismum committit, *omnium*, ut ita loquar, *gratiarum ac beneficiorum, quæ acceperat, jacturam facit ; ideoque ma-*

ptismus ejus, qui deliquit, non integer aut incorruptus videatur amplius. Per laicum igitur fidelem, qui lavacrum suum integrum habeat, neque bigamus fuerit, intelligit fidelem, qui post lavacrum non peccavit, neque pœnitentiam ullam subierit, neque bigamus fuerit : quas quidem conditiones in uno laico, qui baptizet, requirit ille canon, quòd eo modo sit sacerdotis partes acturus; sacerdotes verò, neque pœnitentiam peragere, neque eâ perfectâ absolutâque, ad id eligi, neque bigami esse poterant.

Præ cæteris expositionibus Albaspinæana mihi arridet : quæcumque verò defendatur, ex eâ minimè sequitur manûs impositionem episcopalem esse partem Baptismi. Inanis est igitur Spalatensis archiepiscopi argumentatio. Dallæi verò responsiones et objecta commodiùs expendemus infra, post canonem 77.

Canon 59 : *Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliquâ parte honesta vita, placuit eis manus imponi et fieri christianos.*

Non hæretici modò, sed et nonnulli catholici existimant in hoc canone agi tantùm de Baptismo. Viri tamen eruditi canonem interpretantur de confirmatoriâ manûs impositione. Ita exponit Ferdinandus Mendoza in Commentariis ad hunc canonem, asserens illum in favorem gentilium editum esse, quibus in extremo periculo cupientibus *sibi manus imponi, hoc est, effici veros et perfectos christianos*, utrumque Baptismi et Confirmationis sacramentum administrari debet; *cùm plenus, perfectus, et omnibus numeris absolutus christianus, quis non efficiatur, nisi acceptâ manûs impositione episcopali, quæ cum Baptismo conjuncta olim dabatur.*

Mendozæ subjiciemus eruditissimum Albaspinæum, qui canonem illum accuratiùs perspectatus est. « Gentilibus, inquit, qui in mortis discrimine baptizati « essent, manus ab episcopis imponendæ, et Confirmationis Sacramento signandi, si probi fuerint, moresque consimiles fidei christianæ habuerint. Nam « si ex more turpissimorum hominum anteactam vitam duxerint, non sunt Confirmatione perficiendi, « quantumvis omnibus vitiis et flagitiis carerent, et « omnem extra noxam censerentur. Hunc ego sensum « et explicationem confido Patres ipsos Eliberitanos « agnituros pro legitimâ et pro natâ; contra verò « quam de Baptismo nonnulli asserunt, tanquàm suppositiam repudiaturos, si utramque aspiciant. Quis « enim unquàm potuit dubitare an gentiles (qui baptismum expetunt) essent in morte baptizandi? Quis « unquàm docuit Baptismum iis in morte denegandum esse, quorum vita non fuisset honesta? Porrò « ubinam reperient Baptismum *manûs impositionem* « nominari, et isto nomine à Patribus appellari? Sed « aiunt monere titulum ita hunc canonem esse accipiendum, *gentilibus, si in discrimine baptizari expetunt* : movere quoque et suadere hæc verba, *et fieri* « *christianos gentilisque* nomen, quo qui essent confirmandi, nunquàm appellarentur. Hæc adversùm « nostram explicationem non magnoperè faciunt. Nam « non constat à quo, aut quando tituli appositi sint : « *christianique* nomen, etsi baptizatis datum, propriam tamen hujusce vocis vim et significationem confirmatos indicare alibi observavimus, quod Spiritu « sancto ejusque charitate in Confirmatione ungantur « et illiniantur, Christoque similes efficiantur, qui à « Spiritûs sancti unctione Christus appellatur. Gentiles « autem hosce vocârunt Patres, quamvis essent baptizati, ut de catechumenis, qui in infirmitate baptizarentur, non agi docerent. Et quemadmodùm « canone 46 vocant apostatas fideles; ita hoc loco « nominant baptizatos gentiles; non quòd essent « gentiles, sed cùm in catechumenatu non stetissent, fideique elementa non essent edocti, idcò « gentiles vocantur : nam alio nomine non poterant nominare et appellare ejusmodi gentiles, qui « extra ordinem et sine catechumenatu essent baptizati. Quamobrem autem statuerint Patres Eliberitani ut gentiles, qui infirmitate baptizati essent, « confirmarentur, ea potuit esse causa, quod post « Confirmationem subinde, nullâque interjectâ morâ, « Eucharistia confirmatis tribueretur. Quidam igitur « non existimabant eam satis tuto et consulto ejus fidei credi et committi posse, qui in rebus christianæ « religionis et in ejusmodi mysteriis parùm esset eruditus. Nam ad sanitatem, eâ acceptâ, poterat redire, ejusque mysteria et arcana divulgare Præterea mysteriorum participes hos esse nolebant, qui « turpem vitam exegerant, ne recuperatâ sanitate, « animus pravâ consuetudine et cupiditate detentus, « ad eadem vitia faciliùs relaberetur, et indumentum « Spiritûs sancti ipsumque Christum exueret. » Hactenùs Albaspinæus, qui deinde singula ejusdem canonis verba sic exponit.

Gentiles : pagani, qui ne morte interciperentur, extra ordinem baptizati essent, et antequàm in catechumenatu erudiri possent.

Si in infirmitate : nam si mortis metus non urgeret, erudiendi erant, antequàm confirmarentur aut baptizarentur.

Desideraverint : non petentibus manus non erat imponenda, quod Baptismo satis ad salutem præsidii consecuti essent.

Manum imponi : confirmari : nam de eâ manûs impositione, quæ pro ritu et cæremoniâ in Baptismo usurparetur, hæ illi egregiè hallucinantur, qui interpretantur : quasi eâ indignus ille videri potuisset, cui ipsummet Baptisma collatum esset.

Fieri christianos : unctione scilicet, et sancti Spiritûs infusione, ut loquitur Cyrillus Hierosolymitanus. Cæterùm in concilio Arelatensi I, canone 6, idem omninò statuitur : *De his qui in infirmitate credere volunt, placuit debere iis manum imponi* : hoc est, iis qui in infirmitate volunt baptizari, Confirmatio quoque tribuenda. Hucùsque Albaspinæus.

Ex his apparet quid iis responderi debeat, quæ nobis opponuntur. Adversarii enim tria nobis objiciunt.

Primum est, quod vel ipse titulus moneat canonem de solo Baptismo accipiendum esse : sic enim habet epigraphe : *de Gentilibus, si in discrimine baptizari expetunt.* Sed inprimis non constat à quo aut quando tituli appositi sint. Deinde mendum aliquod in titulum irre-

psisse, apparet ex Ferdinando Mendozâ, qui testatur in antiquis codicibus, quibus ipse in commentariis ad canones hujus concilii usus est, haberi : *Ut gentilibus desiderantibus manus imponatur.*

Secundum est, quia manus olim imponi solebant in Baptismo à presbyteris, vel etiam ab exorcistis : de quâ manûs impositione loquitur Vincentius à Thybari in concilio Carthaginensi sub Cypriano. *Ergo* 1° *per manûs impositionem in exorcismo;* 2° *per Baptismi regenerationem, tunc possunt ad Christi pollicitationem venire.* Et Gregorius in Sacramentario, seu quisquis ejus operis auctor est : *Imponit etiam manus presbyter in frontibus eorum* (scilicet baptizandorum), *dicendo : signaculum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in frontem tuam pono, et similiter in pectus.* Quod et faciebant olim exorcistæ, ut tradunt concilii IV Carthaginensis Patres, canone 7 et 90. Verùm in hoc canone, de quo controversia est, agitur de baptizatis in discrimine : exorcismi verò adeòque et manûs impositio ad hunc usum usurpata, omitti solebant urgente mortis periculo. Præterea ubinam adversarii reperient Baptismum vocari manûs impositionem, et isto nomine à Patribus appellari ?

Tertium est, quia sub finem canonis asseritur, *eis manum imponi, et fieri christianos.* Sed christiani efficimur per Baptismum. Ergo canon loquitur de manûs impositione quæ Baptismum præcedit, non autem de illâ quæ baptismum subsequitur, qualis est confirmatoria.

Juxta Ferdinandum Mendozam respondetur canonem loqui de plenis et perfectis christianis. Non enim pleni, perfecti, et omnibus numeris absoluti christiani efficimur, nisi acceptâ manûs impositione episcopali. *Omnes enim fideles,* inquit Urbanus papa in epist. ad omnes christianos (si tamen germana sit), cap. ultimo, *per manûs impositionem episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut plenè christiani inveniantur : quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur.*

Juxta Gabrielem Albaspinæum respondetur.

Christiani nomen sonare aliud apud veteres Patres, aliud verò apud auctores inferioris ætatis. *Infantes,* inquit, libro 1 Observat., observat. 25, *in ipsis hodiè Baptismi aquis christiani nomen cum ipsâ gratiâ hauriunt, eoque nomine vocantur, antequàm divino chrismate perfusi, Spiritum sanctum induerint, quos tamen antiquitas pro christianis non agnovisset, cùm eos duntaxat christianos esse censeret, qui Spiritu sancto confirmati, et oleo sancto obliti essent. Tertullianus de Pudicitiâ : Nam si christianus est, qui acceptam à Deo Patre substantiam utique Baptismatis, utique Spiritûs sancti, et exinde spei æternæ. Concilium Eliberitanum can.* 39 : *Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliquâ parte vita honesta, placuit eis manum imponi, et fieri christianos. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi* 3 : *Hujus sancti chrismatis dono accepto, meritò appellamini christiani, veram efficientes appellationem in ipsâ regeneratione. Ante enim quàm hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eò usque progressi estis, ut efficeremini christiani. Nemo enim christiani nomen olim sortiebatur, nemo perfectus existimabatur christianus, qui dono Spiritûs sancti confirmatus et donatus non esset : quemadmodùm enim Baptismi aquis traduces et originales noxæ deterguntur; ita pretiosio Spiritûs sancti oleo et unguento anima, quæ in Baptismo emersit, detersa et candida, cœlestibus donis variisque beneficiis vestitur et ornatur; illud ad purgandum, hoc ad ornandum instituta esse videntur. Quapropter cum sine ejusmodi virtutibus nemo possit Christo similis effici, ideò Confirmatione censemur fieri christiani.* Hactenùs Albaspinæus, cujus auctoritatibus addi potest canon tertius concilii Aurelianensis. *Nunquàm* (Fidelis) (1) *erit christianus, nisi Confirmatione episcopali fuerit chrismatus.* Ratio est quia præclara licèt in nos beneficia Baptismo conferantur, *tamen hoc uno Sacramento, inquit Albaspinæus, ibidem, christiani nomen vel præcipuè meremur, quòd oleo sancto corpus, et Spiritu divino anima nostra ungatur, ... ut hâc duplici unctione deliniti, uncti et Christi dici possimus. Tertullianus : Caro ungitur, inquit, ut anima consecretur. Cyrillus Hierosol. Participes ergo Christi effecti, meritò Christi, hoc est, uncti vocamini, et Deus dixit de vobis : Nolite tangere Christos meos. Christi verò estis facti, posteaquàm sancti Spiritûs imaginem recepistis.*

Canon quidem 45 Eliberitani concilii, his repugnare et obstare videtur, qui ex emendatione Garsiæ catechumenos vocat christianos. Sed vulgaris et antiquior lectio, quam recentiores editiones deserunt, ut Garsianam sequantur, magis probatur Albaspinæo, eamque antiquis codicibus Hispanicis conformem esse testatur Ferd. Mendoza. Vulgaris autem, et vetus lectio sic habebat : *Si eum de clero quisquam agnoverit voluisse esse christianum :* hoc est baptizatum et confirmatum; hæc enim duo Sacramenta continenter conferebantur, atque ita poterant simul expeti : imo iis, qui gravi morbo laborabant, non rarò hâc ætate simul administrabantur, quemadmodùm apparet ex citato canone 6 concilii I Arelatensis, quod anno 314 celebratum est.

Canon 77. *Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero, aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit : quòd si ante de seculo recesserit, sub fide, quâ quis crediderit, poterit esse justus.* In quem canonem sic ait Mendoza : *Confirmationis sacramentum fuisse semper in Ecclesiâ, ex hoc canone discimus; non ad catechesim quamdam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant, ut perversè effutiunt hæretici; sed ad constantiam christianam, prudentiamque accipiendam per impositionem manûs episcopi divinitùs institutam. Edocemur præterea hoc canone Confirmationis sacramentum ad solos episcopos spectare, contra Lutherum, qui presbyteris id muneris deferri impudenter asseverat... Illud præterea observandum, Confirmationem olim variis nominibus, consignationem scilicet, manûs impositionem, obsignaculum, benedictionem, operationem Spiritûs sancti, chri-*

(1) Ita canon ille citatur à Ferd. Mendozâ in notis ad canonem 38 Eliberitanum; et ita refertur apud Gratianum, dist. 5, c. 6, Ut jejuni.

sma, chrismatis sacramentum appellari. Primus, ut opinor, qui Confirmationem vocavit, beatus Ambrosius fuit, lib. de His qui mysteriis initiantur, c. 6, quem Patres recentiores secuti sunt. Benedictionem appellavit Tertullianus de Baptismo, c. 8, *invocationem Spiritûs sancti Hieronymus in dialogo advers. Lucif. invocationem sacerdotis quâ Spiritus sanctus infunditur; et perfectionem, quâ quis post fontem perficitur, Ambrosius, lib. 3 de Sacramentis, cap. ultimo, seu quisquis hujus operis auctor fuerit. Voluerunt ergo Illiberitani episcopi, si diaconi, absente episcopo, vel presbytero Baptismum ministrâssent..., ut illum baptizatum deducant ad episcopum, ut eum per benedictionem sive manûs impositionem confirmet. Idem sentiendum si presbyter absente episcopo Baptismum contulisset : ad episcopum enim baptizatus erat deducendus, ejusdem Confirmationis impetrandæ gratiâ.*

Quo verò sensu postrema hujus canonis verba (poterit esse justus) debeant intelligi controversia est. Mendoza interpretatur de salute æternâ, ita ut sensus sit, poterit esse salvus; quia baptismus sine Confirmatione ad salutem sufficit : eodem sensu ante Mendozam seculo IX accepit Walafridus Strabo, abbas Augiensis, lib. de Rebus ecclesiasticis, c. 26 : sed Albaspinæus sensu planè diverso exponit, nimirùm de sacrificii eucharistici participatione, adeò ut sensus sit: *Quamvis minimè confirmatus fuerit, poterit esse particeps sacrificii eucharistici.*

Tria enim hæc nomina, *fidelis, justus,* et *sanctus*, asserit Albaspinæus pro eodem olim habita fuisse : *Fidelis verò,* inquit ille lib. Observat., observat. 25, *distinguitur à catechumeno, et à confirmato; non enim inter fideles assumebantur, qui fidem in baptismo, aut qui charismata et dona Spiritûs sancti, ipsumque Spiritum sanctum in Confirmatione adepti essent. Verùm ii solùm censebantur et appellabantur fideles, qui iis duobus Sacramentis muniti, Eucharistiâ insuper donarentur; cùm enim ea sit summum christianæ Religionis mysterium, arcanum et sacramentum, non cuivis olim temerè concedebatur, sed ei duntaxat, qui multò antea morum et probitatis suæ specimen exhibuisset, quique se ita fidum probâsset, ut tutò ei mysteria divulgari possent. Is igitur vocabatur fidelis, non qui baptizatus, aut confirmatus, sed qui Eucharistiæ sacris participâsset.*

Qui igitur non esset confirmatus, subjicit ille in notis ad can. 77 Eliberitanum, *Eucharistiâ non donabatur, quam qui nondùm esset assecutus, neque sanctus, neque justus, aut fidelis nominabatur; quòd Eucharistia extremus esset actus, formaque christiani hominis, cujus quâdam vi atque efficaciâ, sanctitatis laude præstans et divinitatis cujusdam particeps, Christique Domini membrum redderetur, quòd ejus sacrosanctâ carne pastus esset, Christoque cum Domino quâdam consociatione conjungeretur (quo fit, ut primis Ecclesiæ temporibus subdubitatio quædam fuerit) utrùm admitterentur ejus oblationes, communioque fidelibus seu justis omnibus intercederet cum eo, qui (Confirmatione et Eucharistiâ, earumque virtutibus destitutus cùm esset, verus et perfectus non esset christianus, sed) perfecti verique christiani virtute spoliaretur (dubitationem illam cugere poterat temporum illorum disciplina; nam quamplurimi, quamvis omni vitiorum labe ac colluvione purgatos eos esse constaret, non ideò ad sacram synaxim accedebant, neque eorum oblationes probabantur : ut eorum, qui essent in quarto pœnitentiæ gradu; quorum exemplum quidam sibi proponentes, facilè eò propellebantur, ut crederent eorum etiam oblationes repudiandas, qui (nondùm confirmati) sacroque pane non refecti, omnibus licèt peccatorum maculis (per Baptismum) detersis occidissent. Tantâ scilicet curâ, tantâque animi provisione ac præcautione prospiciebant, ne quid offenderent, aut titubarent in recipiendis, iisque Deo repræsentandis alicujus oblationibus; neque verò cujusquam, nisi sanctissimi, justissimique viri oblationes æquo animo ferebant.*

Cùm igitur neophytus, qui nondùm confirmatus esset, jus non haberet offerendi oblationes, atque adeò nec accedendi ad sacram synaxim, Patres Illiberitani hoc ei privilegium concesserunt, *quòd si,* antequàm confirmari potuerit, *de seculo recesserit, poterit esse justus,* hoc est, poterit in communionem justorum omnium recipi, poterunt ejus oblationes admitti, poterit ipse sacrificii eucharistici particeps esse : defuncti enim affinibus et cognatis permittebatur, ut ejus nomine oblationes afferrent, quo defunctus particeps esset eucharistici sacrificii, et eucharisticæ communionis.

Neque dicas neophytos, qui antequàm confirmarentur, de seculo recesserunt, non indiguisse sacrificio, quo sublevarentur : cùm plenam et culpæ et pœnæ remissionem per Baptismum obtinuerint.

Patres enim Illiberatini de iis loquuntur, qui à diacono baptizati, è vivis recesserant, antequàm ad episcopum venirent Confirmationem petituri : quo quidem intervallo maculas aliquas contraxisse potuerant. Deinde aliud est neophytum aliquem defunctum indigere precibus Ecclesiæ ad suum levamen; aliud verò ipsum in exteriorem communionem justorum omnium recipi, ejus oblationes admitti, eumque participem esse sacrificii eucharistici, et eucharisticæ communionis fidelium : cujus quidem sacrificii et communionis participatione Deum coleret, Deum collaudaret, Deoque pro beneficiis acceptis gratias ageret.

Referuntur Dallæi responsiones et objectiones, eæque refelluntur.

Dallæus prætermisso canone 39, in quo nihil agi putat de manûs impositione confirmatoriâ, in eo tetus est, ut aliis duobus canonibus satisfaciat, libro 2. c. 9. Præmittit ille, antequàm ad speciale canonum examen veniat, Tertulliani temporibus episcopum, presbyterum, diaconum, imò et laicum, ministros fuisse unctionis, et manûs impositionis confirmatoriæ; sed Novatiani historiam, et locum Cypriani in epistolâ ad Jubaianum innuere aliquid mutatum, datumque ordinis honori, ut id presbyteris solis liceret, non autem laicis, imò nec diaconis, etiam in necessitate positos baptizantibus : indeque institutum (quod habent canones 38 et 77 Illiberitani, quodque jam Cornelii et Cypriani tempore obtinuisse videtur) ut si quos laicus, urgente mortis periculo, vel diaconus sine episcopo

baptizàsset, ad episcopum venirent manûs impositionem accepturi.

Verùm hæc Dallæi observatio inprimis supponit falsum, nempe Tertullianum existimàsse presbyteris, diaconis, vel etiam laicis, urgente necessitate, inesse potestatem ungendi, et manus imponendi. Tertullianus enim loquitur tantùm de ministro Baptismi; de ministro verò Confirmationis nihil prorsùs asserit, quemadmodùm apparebit legenti caput 17 tractatûs de Baptismo. 2° Supponit Novatiani historiam ab Eusebio relatam, docere consignationem, cujus Cornelius papa meminit, potuisse fieri à presbyteris : et tamen solius episcopi mentio fit in eâ historiâ. 3° Supponit Cyprianum in citatâ epistolâ sub nomine præpositorum comprehendisse presbyteros : quem tamen eâ voce intellexisse solos episcopos, ostendimus supra. 4° Dallæi ratiocinatio, indeque conclusio deducta, omninò falsa est, scilicet institutum fuisse à Patribus Illiberitanis, ut baptizati à diaconis vel à laicis, perducerentur ad episcopum manûs impositionem ab eo accepturi : eique decreto occasionem præbuisse Cornelium et Cyprianum, qui munus illud laicis et diaconis abstulerunt, illudque solis presbyteris et episcopis reservârunt. Enimverò, si Cornelius et Cyprianus munus illud non solùm episcopis, sed etiam presbyteris tribuunt : eaque Cornelii et Cypriani doctrina seu disciplina locum dedit Patribus Illiberitanis condendi canones 38 et 77 : cur in iisdem canonibus Patres illi neophytos à diaconis vel à laicis baptizatos perduci jubent ad solos episcopos, nusquàm verò ad presbyteros, ut Confirmationem ab iis accipiant. Poterunt enim et presbyteros faciliùs adire, et eos frequentiùs obvios habere.

Quod si concilium Illiberitanum anterioribus temporibus (quod probabilitate non caret) celebratum est, Dallæi observatio, ejusque ratiocinatio ex se ipsâ concidit. Illud verò ante Cornelium et Cyprianum coactum fuisse Joannes Morinus contendit, lib. 9 de Pœnit., ejusque æram hæreseos quidem Montani et Tertulliani de pace mœchis negandâ condemnationi, quæ teste Baronio à Zephyrino pontifice facta est anno 215, postponit; sed illam præponit Novatiani hæresi et persecutioni Dacianæ, quæ cœpit anno 250. De concilii hujus epoche agemus alibi. Consules interim Joannem Morinum, lib. 9 de Pœnitentiâ, cap. 19 integro; Baronium, qui illud revocat ad annum 305, Constantio et Galerio imperantibus; sed præ cæteris Ferdinandum Mendozam, qui libro Comment. in concil. Illiberit., c. 3 et 4, multis probat illud præcessisse Diocletianam persecutionem, neque post annum 300 cogi potuisse.

Hâc suâ observatione præmissâ Dallæus duas responsiones affert.

Prima est, Confirmationem esse ritum ultimum Baptismi, quem qui non susceperat, plenè initiatus ac perfectè baptizatus non erat; quia deerat ei aliquid eorum, quæ ad Baptismum sunt requisita : perficere enim est ultimam manum ac velut culmen et fastigium alicui rei addere.

Refellitur 1°, quia hæc à Dallæo gratis et absque fundamento asseruntur. 2° Si manûs impositio, quæ canone 38 decernitur, est quidam ritus simplex, meraque Baptismi cæremonia, quæ in Baptismo per laicum urgente necessitate collato deerat, Patres æquè decrevissent alios ejusdem sacramenti ritus omissos adhiberi, exorcismos videlicet, exsufflationes, aurium nariumque tactum, unctionem olei, abrenuntiationem Satanæ et operibus et pompis ejus, redditionem symboli et orationis dominicæ, lactis et mellis prægustationem, aliasque id genus cæremonias Baptismum præcedentes aut comitantes aut subsequentes, quæ religiosè tunc temporis observabantur. Cur enim ultimam cæremoniam, spretis aliis non minùs antiquis, non minùs sanctis, non minùs significantibus adhiberi præcepissent? aut omnes certè, eas præsertim, quæ Baptismum subsequebantur, aut nullam repeti judicàssent. 3° Baptismus solemnis ille dicitur, qui cum omnibus ritibus et cæremoniis ecclesiasticis confertur à ministro, qui baptizandi jus habet. Quòd igitur supponit Baptismum solemnem jampridem collatum, inter Baptismi ritus recenseri non potest. Sed manûs impositio, benedictio et perfectio, de quâ canon 77, decernitur adhibenda post Baptismum solemnem à diacono plebem regente, adeòque à legitimo et ecclesiastico ministro celebratum. Quod enim diaconi sint ministri Baptismi solemnis, docent Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 17, et Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos. 4° Cæremonia, quæ ministrum requirit alium ab eo, à quo Baptismus solemnis confertur, non est ritus Baptismi solemnis : cæremoniæ enim ad aliquod Sacramentum pertinentes, ab eodem ministro conferuntur, à quo tale Sacramentum solemniter administratur. Atqui manûs impositio, benedictio et perfectio, de quâ canones Illiberitani, requirit ministrum alium à presbytero et diacono qui sunt ordinarii ministri Baptismatis solemnis, videlicet episcopum. 5° Cæremoniæ sacramentorum significant effectum ejus sacramenti, cujus sunt ritus. Atqui Confirmatio non significat effectum Baptismi, qui est infantia christiana, sed significat plenitudinem ætatis, robur, atque vigorem christianum. 6° Cæremoniæ cujusdam Sacramenti significant duntaxat ejus effectum, sed illum minimè producunt. Atqui Confirmatio producit effectum quem significat. Ergo, etc.

Altera Dallæi responsio est, neophytum per manûs impositionem perfici perfectione quæ tota ad Ecclesiæ ordinem, disciplinam et judicium, non autem ad interiorem animi statum pertinebat. Siquidem ante hujus Confirmationis susceptionem baptizati, simpliciter quidem et apud Deum perfecti reputabantur, non autem apud Ecclesiam, quæ nonnisi post manûs impositionem eos admittebat ad participationem Eucharistiæ.

Refellitur 1° : Quia hæc à Dallæo gratis dicuntur. 2° Quia omnibus auctoritatibus hucusque adductis constat per hanc manûs impositionem neophytum suscipere Spiritum sanctum, charitatis augmentum, aliaque ejusdem Spiritûs dona; atque adeò interiùs perfici. 3° Quamvis regulariter et ordinariè loquendo,

suppetente copiâ episcopi, nemo ad participationem Eucharistiæ admitteretur absque prævia manûs impositione confirmatoriâ; tamen quia usus obtinuit, ut baptismus solemnis à presbytero vel à diacono conferretur absente episcopo, hinc fit ut Eucharistia neophytis traderetur aliquando ante manûs impositionem. Sed illi non censebantur perfecti; quandoquidem ad episcopum manûs impositionem accepturi perducerentur. Perfectio igitur confirmatoria tota non spectat ad ordinem Ecclesiæ.

Objicit 1° Dallæus, vana esse quæ ex concilio Illiberitano afferuntur, quia unctionis non meminit, sed solius manûs impositionis.

Respondeo valere argumentum, in eâ saltem sententiâ, quæ docet manûs impositionem esse totam materiam essentialem Confirmationis. In aliâ verò opinione respondetur unctionem semper fuisse adjunctam manûs impositioni; unde Patres aliquando utriusque, ut Tertullianus et Cyprianus, meminerunt; aliquando alterutrius, ut Cyprianus qui plerisque in locis meminit solius manûum impositionis; sed tunc unctio subintelligitur, quando manûs impositio commemoratur. Deinde usu receptum est, ut sacramenta aliquando à materiâ, aliquando à formâ, aliquando ab effectu vel à cæremoniâ quâdam cognominentur. Igitur qui unius ritûs nomen usurpat ad significandum sacramentum, ille cæteros ritus, cæterasque cæremonias non excludit: non excludit quoque formam, qui utitur voce materiam significante. Non exclusit manûs impositionem Cornelius, quando Confirmationem appellavit signaculum dominicum. Pari modo non excluditur unctio, dùm Confirmatio per manûs impositionem significatur: neque manûs impositio excluditur, dùm mentio fit solius unctionis.

Objicit 2°: Qui baptizatus à diacono migrat ex hâc vitâ, antequàm sibi manus imponatur ab episcopo, ille in justorum numero atque ordine censetur, et nomen ejus commemoratur in altari, hoc enim volunt istæ voces canonis 77, *sub fide, quâ quis crediderit, poterit esse justus.* Eum verò nunquàm talem censendum fuisse decrevissent Patres Illiberitani, si interiori fidei ac pietatis perfectione carere putassent. Perfectio igitur confirmatoria non pertinet ad interiorem animæ statum.

Respondeo canonem Illiberitanum non supponere baptizatos, qui ante susceptam Confirmationem è vivis excedunt, habere interiorem fidei et pietatis perfectionem: supponit enim duntaxat eos in gratiâ decessisse. Quo autem sensu postrema hujus canonis verba intelligi debeant, exposuimus supra.

Objicit 3°: In canone 38 non alium quàm à laicis collatum Baptismum ab episcopo perficiendum decernunt Patres. Supponunt igitur jus tunc fuisse presbyteris, imò et diaconis, ut quos tingerent, iis manum imponerent; aliter, cur etiam Baptismum à presbyteris vel à diaconis collatum non decernerent ab episcopo perficiendum.

Sed age, Dallæum eodem canone paucis perstringamus. Si ex eo quòd in hoc canone ii tantùm, qui à laicis baptizati fuerint, remittuntur ad episcopum, manûs impositionem ab eo accepturi, de aliis verò à presbytero vel à diacono baptizatis taceatur; si, inquam, ex hoc silentio apertè sequitur, quòd presbyteri et diaconi hâc ætate jus haberent manum imponendi baptizatis; cur Patres Illiberitani baptizatos à laicis remittunt solùm ad episcopos, nusquàm verò ad sacerdotes vel diaconos, ut manûs impositionem ab iis accipiant? Poterant enim et sacerdotes ac diaconos faciliùs adire, et ipsos frequentiùs obvios habere. Cur etiam canone 77, baptizatos solemniter à diaconis, remittunt ad alios, ut ab ipsis confirmentur et per benedictionem perficiantur, si diaconi jus habebant confirmandi, et perficiendi baptizatos, eisque manum imponendi? Ex canone igitur 38, minimè sequitur, quòd diaconi jus haberent confirmandi; alioquin canon 38 apertè contradiceret canoni 77. Ad argumentum igitur Dallæi

Respondeo: Concedo antecedens, nego consequentiam. Hoc enim canone agebatur tantùm de Baptismo à laicis conferendo, urgente necessitate; Patres verò laicis fidelibus permittunt in necessitate baptizare, eosque monent ut baptizatos ad episcopum perducant, ut manûs impositionem ab ipso suscipiant. Nihil verò hujusmodi præcipiunt presbyteris et diaconis, quia in hoc canone non agebatur de Baptismo ab ipsis collato.

Objicit 4°: De eâ manûs impositione canone 77 agitur, quæ cùm à diacono fieri non posset, à presbytero tamen atque ab episcopo fieri poterat. Sic enim habebat vulgaris editio: *Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, eos per benedictionem perficere debebit.* Patres igitur non determinant, à quo Baptismus, quem diaconus contulit, per benedictionem perfici debeat: utrùm ab episcopo, an à presbytero? sed liberum relinquunt, ut hic Baptismus ab alterutro perficiatur.

Huic objectioni plurâ responderi possunt.

1° Dallæus in hâc posteriori objectione jus confirmandi manumque imponendi concedit solis episcopis et presbyteris, cùm tamen jus illud in priori objectione ipsis etiam diaconis asseruerit: ille igitur sibi non constat.

2° Vulgarem editionem mutilatam fuisse apparet ex ipsis verbis relatis, quæ vel sensum imperfectum generant, vel significant diaconum habere jus per benedictionem perficiendi eos, quos ipse baptizaverit: quod tamen falsum esse Dallæus ultrò concedit in ipsâ objectione: idque constabit expendenti verba, quæ in eodem canone proximè sequuntur: *Quòd si ante de seculo recesserit, sub fide, quâ quis crediderit, poterit esse justus:* id est, quòd si, antequàm per benedictionem perficiatur, de seculo recesserit, sub fide, quam in Baptismo recepit, poterit esse justus. Canon igitur loquitur de iis, qui à diacono baptizati, è vivis excedunt, antequàm ad Confirmationis ministrum accedere possint, ut ab eo per benedictionem perficiantur: atque ita supponit jus illud non inesse diaconis.

Hanc vulgarem editionem decurtatam fuisse appa-

ret etiam, tum ex Burchardo libri 4 Decretorum, cap. 92, qui hunc canonem refert, licèt eum concilio Turonico can. 3, perperam tribuat : tum ex editionibus, Garsianâ, Binianâ, Mendozæâ, Albaspinæanâ et Labbæanâ, quæ sic habent : *Si quis diaconus regens ecclesiam , sine episcopo vel presbytero, aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficiat : quòd si ante* , etc. Jus igitur confirmandi solis episcopis concedunt Patres Illiberitani.

3° Patres Illiberitani jus illud solis episcopis tribuunt canone 38 : Patres verò sibi non contradixerunt.

4° Jus illud solis episcopis ætate concilii Illiberitani convenisse, docemur ex Cornelio supra, ubi de Novatiano ; ex Cypriano in epistolâ ad Jubaianum ; ex auctore anonymo in tractatu de Baptismo.

Instat Dallæus ex verbis ipsius canonis : *Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Ergo ubi diaconus aliquos baptizaret, præsente presbytero, nulla erat necessitas eos adducendi ad episcopum , ut ab eo per benedictionem perficerentur : fuisset verò necessitas eos adducendi ad episcopum, nisi presbyter, qui aderat, habuisset jus imponendi manum baptizatis, eosque per benedictionem perficiendi.

Respondeo purum esse sophisma, meramque æquivocationem, quæ oritur partim ex virgulæ transpositione (potest enim virgula poni vel post vocem *plebem*, vel post vocem *presbytero*) : partim ex praxi Ecclesiæ pristinis temporibus observari solita , quam nescivit Dallæus , vel ad quam non attendit. Nec enim diaconus præsente episcopo vel presbytero plebem olim regebat : neque ille alterutro præsente baptizabat solemniter, sed utroque absente. Sic enim habet canon 18 concilii primi Arelatensis : *De diaconibus urbicis, ut non aliquid per se præsumant , sed honor presbyteris reservetur.*

Si virgula voci *presbytero* postponatur, hoc modo : *Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero, aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit ;* sensus est : Si quis diaconus , cui plebis regimen, utroque absente episcopo et presbytero, commissum est, aliquos baptizaverit, episcopus, etc.

Sin autem virgula post vocabulum *plebem* ponatur, hoc modo : *Si quis diaconus regens plebem , sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit*, etc., tunc sensus erit : Si quis diaconus , cui plebis regimen commissum est , aliquos solemniter baptizaverit utroque absente episcopo et presbytero (nec enim hoc ei licebat præsente episcopo vel presbytero), episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quid autem ex utroque sensu colligi possit in gratiam Dallæi, non video.

Concesso igitur antecedente, negatur consequentia : tum quia supponit diaconos habuisse jus baptizandi solemniter præsente presbytero , quod falsum est ; tum quia ex hypothesi quòd diaconus aliquos solemniter baptizaret præsente presbytero (quod aliquandò contingere poterat, modò id fieret jubente sacerdote, aut diacono veniam à sacerdote petente), adhuc necesse erat eos adduci ad episcopum, ut ab ipso confirmarentur.

Posset etiam præfatus canon exponi de diaconis forensibus, qui plebem regebant in iis locis, in quibus ipsi sine episcopo et presbytero commorabantur : et tunc sensus erit , si quis diaconus plebem regens in iis locis, in quibus ipse sine episcopo et presbytero commoratur, aliquos baptizaverit sine jussu episcopi aut sacerdotis , vel sine veniâ ab episcopo aut sacerdote petitâ ; Baptismus, quem ita contulerit, non ideò reputabitur illicitus , sed baptizatos ab illo episcopus per benedictionem perficere debebit. Diaconus enim non habebat jus baptizandi sine episcopi auctoritate ex Tertulliano , de Baptismo , c. 17 : *Dandi Baptismi jus habet summus sacerdos, qui est episcopus ; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate :* neque sine episcopi jussione, ex Hieronymo in dialogo adversùs Luciferianos : *Inde venit , ut sine episcopi jussione neque presbyter , neque diaconus jus habeant baptismi :* neque sine veniâ à presbytero petitâ ; facultatem enim à sacerdotibus petere debebant ex canone 18 concilii I Arelatensis : *De diaconibus urbicis , ut non aliquid per se præsumant, sed honor presbyteris reservetur :* Quemadmodùm et sacerdotes facultatem ab episcopis petere tenebantur ex canone 19 ejusdem synodi : *Ut presbyteri sine conscientiâ episcoporum nihil præsumant :* Ita Biniana editio. Labbæus tamen post Sirmundum permiscet duos illos canones, et detractis aut immutatis quibusdam vocibus , unicum efficit : *De diaconibus urbicis, ut non sibi tantùm præsumant , sed honorem presbyteris reservent, ut sine conscientiâ ipsorum, nihil tale faciant.* Binianam editionem retinendam existimo.

CAPUT III.

AUCTORES SECULI QUARTI.

§ 1. *Concilium Arelatense.*

Ex hoc concilio, quod anno 314 in causâ Cæciliani et Donatistarum sub Constantino episcopo celebratum est, ejusque synodicâ epistolâ ad Sylvestrum papam, duos canones, sextum et octavum referemus.

Sextus sic habet : *De his, qui in infirmitate credere volunt , placuit eis debere manum imponi.* Et in epistolâ synodicâ : *De his, qui in infirmitate constituti, et credere volunt, placuit eis manum imponi,* hoc est, placuit eis præter Baptismum adhiberi Confirmationem. Canon enim de gentilibus intelligitur, qui gravi morbo laborantes credere volunt, id est, fieri volunt Christiani. Patres verò supponentes eis conferendum esse Baptismum, quia Ecclesia illum nemini unquàm denegavit, addunt manûs quoque impositionem eis , si fieri potest, adhibendam esse. Ita canonem Albaspinæus in notis interpretatur : *Baptizati in infirmitate,* inquit, *confirmandi sunt : de hujus canonis explicatione plura dicuntur in canone 39 concilii Illiberitani. Eodem enim sensu utrumque canonem accipienaum esse conveniunt viri eruditi.*

Severinus tamen Binius in notis ad hunc canonem refragatur, eumque contendit intelligendum esse de hâc manûs impositione cæremoniali, de quâ Augustinus, lib. 3 de Baptismo, cap. 16, in fine, loquens ait : *Quid enim est manûs impositio, nisi oratio super hominem?* Item illud ejusdem Augustini, lib. 2 de peccatorum Meritis et Remis., c. 26 : *Catechumenos secundùm quemdam modum suum per signum Christi et orationem manûs impositionis puto sanctificari.*

Refellitur : 1° Ubinam Binius reperiet Baptismum *manûs impositionem* nominari, et isto nomine à Patribus appellari? 2° Patres eo canone non definiunt illud de quo nullus unquàm dubitavit. Quis verò unquàm potuit dubitare, an gentiles, qui Baptismum expetunt, essent in morte Baptizandi? Quis unquàm docuit Baptismum iis in morte denegandum esse, quorum vita non fuisset honesta? 3° Patres eo canone non decernunt id agendum esse, quod ab omni ævo, quod ubique, et quod ab omnibus agebatur : tunc enim cui bono esset ille canon? Sed Baptismus nusquàm iis negatus est, qui illum in infirmitate sincerè postulant. Manûs igitur impositio, quam Patres Arelatenses definiunt ac decernunt infirmis, qui fieri volunt christiani, concedendam, non est Baptismus; sed Confirmatio, quæ gentilibus infirmis, ut qui nondùm in album catechumenorum relati, nondùm mysteria fidei edocti fuissent, utrùm concedenda esset, poterant plerique in dubium revocare, quemadmodùm exposuimus supra; maximè cùm Eucharistiæ participatio Confirmationem proximè sequeretur. Quin etiam Augustinus, lib. de Fide et Operibus, cap. 6, satis apertè innuit catechumenis adulteris, aliisque publicis peccatoribus, qui sani correptionem recusârant, infirmi verò baptizari petierant, Baptismum duntaxat concessum fuisse. 4° Quia manûs impositio, quæ in Baptismo adhibebatur, exorcismos respiciebat, ex dictis supra. Sed exorcismi fieri non solebant super eos, qui urgente necessitate baptizabantur. 5° Si hæc manûs impositio merè cæremonialis fuisset, eaque foret, per quam Augustinus ait catechumenos sanctificari, Patres non satisfecissent votis gentilium infirmorum qui credere volebant, hoc est, qui fieri volebant Christiani : petebant enim fidem salutarem, fidem quâ sanctificarentur, fidem quâ salvarentur. Sed ex Augustino ibidem, sanctificatio catechumeni per orationem manûs impositionis, non est sanctificatio simpliciter, sed secundùm quid, seu ut ipse loquitur, *secundùm quemdam modum, neque ei valet, seu sufficit ad intrandum regnum cœlorum, aut ad peccatorum remissionem.*

Taceo, quòd ex duabus Augustini auctoritatibus à Binio relatis, prior loquitur de manûs impositione, quæ sacramentalis et confirmatoria est, quemadmodùm apparebit legenti caput 16 integrum libri 3 de Baptismo, unde prior textus excerptus est.

Iisdem ferè argumentis refelli debet Sirmundus, qui in notis posthumis ad concilium I Arelatense, quas Labbæus ad calcem tomi I conciliorum excudi jussit, utrumque canonem, scilicet 39 Illiberitanum, et 6 Arelatensem, intelligendum esse putat non de Baptismo, neque de Confirmatione, sed de manûs impositione, per quam gentiles ab Ecclesiæ præpositis primum suscipiebantur, antequàm ingrederentur catechumenatum. Verba Sirmundi, licèt prolixa satis, referam, ut quæ profundam ejus eruditionem testentur. *Hoc ipsum est*, inquit, *quod Patres Illiberitani*, canone 39, *præceperant. Gentilibus, si in infirmitate desideraverint, manum imponi, et christianos fieri, ad fidem Christi venientibus, primum omnium manus imponebatur, et* christiani *exinde*, credentes*que vocabantur postea catechumeni, ac demùm suscepto Baptismo*, fideles. Sulpitius Severus, *in Vitâ S. Martini*, cap. 10 : *Nemo ferè ex immani illâ multitudine gentilium fuit, qui non impositione manûs desideratâ in Dominum Jesum Christum, relicto impietatis errore crediderit.* Idem, cap. 16 : *Quo viso Tetradius in Dominum nostrum Jesum credidit, statimque catechumenus factus, nec multò post baptizatus.* Denique synodus I Constantinopolitana, canone 7, de Hæreticis quibusdam : *Quicumque ex his rectæ fidei adscribi volunt, velut gentiles admittimus : et primo quidem die eos christianos facimus, altero catechumenos, deinde tertio exorcizamus, sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum et aures insufflando : et sic eos catechizamus sive initiamus : et curamus ut longo tempore versentur in Ecclesiâ, et audiant Scripturas, et tunc eos baptizamus.* Canone 45 Eliberitano catechumeni dicuntur christiani, et Augustinus, de Pastoribus c. 13 : *Constat ergo impositionem manûs in his canonibus non ad Baptismum, quod nonnullis placuit, neque ad Confirmationem referri oportere, sed ad ritum illum quo christiani fiebant. Aliud enim, ut dixi, christiani et credentes erant; aliud fideles.* Augustinus, epist. 67 ad Alypium : *Narrat*, inquit, *gaudia de Gabinianò, quòd non solùm christianus, sed etiam fidelis sit valdè bonus per pascha proximè baptizatus.* Gaudentius Brixianus, tract. 5 : *Hujus agni carnem tam fideles in mysterio, quàm simul universi credentes, in fide debemus edere.* Chrysologus verò, serm. 52 : *Hinc est quòd veniens ex gentibus impositione manûs et exorcismis ante à dæmone purgatur, et apertionem aurium percipit, ut fidei capere possit auditum.* Et codicis Theodosiani lex 2, de Apostatis, *distinguit christianos ac fideles à christianis et catechumenis tantùm.* Hactenùs Sirmundus.

Ea quidem erudita sunt; non tamen ad sensum utriusque canonis. 1° Quia, ut jam supra observavimus, Patres duobus illis canonibus non definiunt illud, de quo nullus unquàm dubitavit. Quis verò unquàm potuit dubitare an gentiles, *qui in infirmitate credere volunt* essent per manûs impositionem suscipiendi ad fidei initiationem. 2° Patres iis duobus canonibus non decernunt id agendum esse, quod semper, quod ubique, et quod ab omnibus agebatur. Atqui admissio ad fidem nusquàm iis negata est, qui in infirmitate constituti credere voluerunt. 3° Quia manûs impositio, de quâ canon 39 Illiberitanus, ea est, ut supponat gentilium vitam, qui credere volunt, ex aliquâ parte honestam fuisse : *Si fuerit eorum ex aliquâ parte hone-*

sta vita, placuit eis manus imponi, et fieri christianos. Sed manûs impositio, per quam gentiles ad fidem admittebantur, nusquàm in iis supposuit vitam honestam. Quis enim unquàm docuit ex gentilibus, qui in infirmitate constituti credere volunt, eos solùm ad fidem admittendos esse, quorum vita sit honesta? 4° Quia Patres per hanc manûs impositionem non satisfecissent votis gentilium infirmorum, *qui credere volebant*, hoc est, qui petebant fidem salutarem, fidem quâ sanctificarentur, fidem quâ salvarentur. Admissio enim ad fidem in catechumenatu ediscendam, non sufficiebat ad salutem.

Jam verò canonem octavum describamus: *De Afris, quòd proprià lege suà utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam ejus de hàc hæresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum: quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Ubi pro *Afris* Gratianus et Binius habent *Arianis*. Sed mendum in hunc canonem irrepsisse, et pro *Arianis*, legendum esse *Afris* seu *Africanis*, constat tum ex antiquis codicibus, quibus Sirmundus usus est, tum ex ipsâ ejusdem concilii epistolâ synodali, quæ canonem integrum refert; tum ex ipsius synodi epoche, quæ incidit in annum 314, quo tempore Ariani nondùm exorti erant. Arius enim anno 316, cœpit Alexandriæ hæresim suam spargere. Afros autem eos synodus intelligit qui, Africanæ sub Cypriano synodi de rebaptizandis hæreticis errorem sectantes, Baptismum iterare non dubitabant; quo ex numero Donatum Carthaginensem, æmulum Cæciliani fuisse liquet ex Optato libro 1, qui tradit eum in concilio Romano damnatum fuisse, *quòd confessus sit se rebaptizasse, et episcopis lapsis manum imposuisse.*

Dallæus huic postremo canoni respondet manûs impositionem, de quâ Patres Arelatenses, à nostrâ diversam esse, quòd nostra iterari non possit, illa verò iteraretur: quia Patres Arelatenses decernunt Donatistis, qui jampridem in hæresi manûs impositionem acceperant, manum iterùm imponendam esse, cùm ad Ecclesiam redirent.

Verùm Dallæus simili ratiocinio concludere posset, Baptismum, quem Cyprianus conferebat, à nostro diversum esse. Quemadmodùm igitur Cyprianus hæreticos ad Ecclesiam redeuntes iterùm rebaptizabat, non quòd existimaret Baptismum iterari posse, sed quòd putaret, nullum esse Baptismum hæreticorum: ita Patres Arelatenses decernunt Donatistis ad Ecclesiam redeuntibus manum imponendam esse in Spiritum sanctum, quia illam existimabant nullam esse apud hæreticos.

§ 2. *Concilium Laodicenum.*

Concilium Laodicenum, quod Baronius sub Sylvestro circa annum 320, alii sub Liberio circa annum 357, alii sub eodem Liberio circa annum 367, alii denique sub Damaso circa annum 367 celebratum fuisse existimant, duos canones habet qui ad nostram institutum attinent, 7, scilicet, et 48. Tres exstant hujus synodi versiones, una Gentiani Herveti, altera Dionysii Exigui, tertia Isidori Mercatoris.

Canone autem 7 sic habetur ex versione Herveti: *Oportet eos qui apud illos (Novatianos et Tessaradecatitas seu Quartodecimanos) fideles (hoc est, baptizati) dicebantur, fidei symbola discentes, et sancto chrismate inunctos, sic sancto mysterio communicare: (seu, ut habet Dionysius Exiguus:) Ii, qui apud eos dicebantur fideles, nostræ doceantur fidei symbolum: et uncti sancto chrismate sic mysteriis communicent sacrosanctis.* Quibus tria præscribuntur. 1° Ut ii, qui à Novatianis vel Quartodecimanis baptizati sunt, cùm ad Ecclesiam redeunt, fidei symbolum discant, quod catechumeni *discere, et quintâ ferià septimanæ majoris episcopo, aut presbyteris reddere* debebant, ex canone 46 ejusdem concilii. 2° Ut post redditum fidei symbolum ungantur sacro chrismate. Quid verò est inungi sacro chrismate, nisi confirmari? 3° Ut sacro chrismate inuncti, *mysteriis communicent sacrosanctis*, id est, Eucharistiæ participent: Eucharistiæ enim administratio Confirmationem proximè sequebatur. Hunc canonem de Confirmatione interpretantur Joannes Morinus, lib. 9 de Pœnit., cap. 9, n. 2, et Joannes Cabassutius, in suâ notitiâ ecclesiastic. ad eumdem canonem 7.

Expressior est canon 48 ejusdem concilii: *Oportet eos qui illuminantur: post Baptisma inungi supercœlesti chrismate, et esse regni Christi participes.* Ita Hervetus. Paulo aliter Dionysius: *Oportet eos, qui baptizantur, post lavacrum chrisma Ecclesiæ accipere, et regni Christi participes inveniri.* Duplex solebat olim, uti et nunc, in Baptismate unctio adhiberi. Præcedebat enim Baptismum prima unctio ex oleo catechumenorum: sequebatur verò Baptismum unctio chrismatis. Prior fiebat quidem apud Latinos in vertice capitis et in pectore baptizandi, ut ex Ambrosio notat Pamelius in notis ad initium libri Tertulliani de Baptismo, vel etiam in pectore et in scapulis, ut habet Theodulphus Aurelianensis, de Ordine Baptismi, cap. 10. At verò apud Græcos fiebat à sacerdote per totum ejus, qui baptizandus erat, corpus, ex Dionysio de Hierarch. eccles., cap. 2, ex Cyrillo Hierosolymitano, Cath. Mytag. 2, et Chrisost. homil. 6 in epist. ad Coloss. Posterior fiebat in fronte: ejusque meminerunt Tertullianus, Cyprianus, aliique Patres supra citati et infra citandi. Prior cæremonialis, posterior autem sacramentalis erat.

Confirmatur. Nemo enim inficiatur hunc canonem sancitum fuisse adversùs Novatianos, qui frequentes quidem erant in regionibus illis, quique baptizatos minimè confirmabant, exemplo Novati, qui Baptismum sine Confirmatione acceperat. Hæc igitur unctio in eo canone statuitur, quam Novatiani omittebant. Sed Novatiani omittebant unctionem confirmatoriam, ex dictis supra.

Confirmatur iterùm, et singula hujus canonis verba explicantur.

Oportet eos, etc. Ex præcepto Christi vel saltem Ecclesiæ, baptizatos, sub peccato ad sacramentum Confirmationis suscipiendum, dùm com-

modè possunt, obligari colligunt nonnulli ex hoc canone.

Oportet eos qui illuminantur : hoc est, qui baptizantur. Juxta editionem Dionysii Exigui, *oportet eos qui baptizantur* : juxta Paulum, ad Hæbræos cap. 6, *impossibile est eos qui semel sunt illuminati*, et juxta canonem 3 ejusdem concilii Laodiceni : *Non oportet eos, qui sunt recens illuminati (hoc est, baptizati), in ordinem sacerdotalem promoveri.*

Oportet eos qui illuminantur, post Baptismum inungi. Hæc igitur unctio non est mera Baptismi cæremonia, sed Baptismum completum et absolutum supponit.

Oportet eos qui illuminantur, post Baptismum inungi supercœlesti chrismate. Hæc igitur unctio cœlestis et divinitùs instituta est, gratiamque cœlestem confert.

Oportet eos, qui illuminantur, post Baptismum inungi supercœlesti chrismate, et esse regni Christi participes. Quibus postremis verbis duplex sensus potest inesse. Prior est : *et esse participes justitiæ*, quæ dicitur regnum Dei ad Romanos 14, *non est regnum Dei esca et potus, sed justitia*, etc. Atqui Confirmatio justitiam adauget : nos igitur participes efficit regni Dei. Posterior est : *et esse participes Eucharistiæ*, quæ regnum Dei à Patribus appellatur : quemadmodùm enim baptizatustatim confirmabantur; ita confirmati mox Eucharistiâ donabantur. Quòd autem Eucharistia à Patribus aliquando nuncupetur *regnum Dei*, propter Christum qui in eâ continetur : qui quidem Christus est regnum et panis in hoc seculo, quemadmodùm erit suo modo regnum et panis in futuro, probatur ex S. Paulino, epistolâ 9 : *Si igitur (Christus) in hoc domus et mens nostra fundetur, et digna tanto fundamento superædificetur operatio, erit nobis in aditum civitatis suæ porta ipse qui reget nos in secula : et in loco pascuæ collocabit nos, quos jam per aquam refectionis sibi genuit, et nutrit epulis salutaribus in eam mensam, quam præparavit nobis adversùs eos qui tribulant nos, de quâ dixit : Beatus qui manducabit panem in regno Dei; quia Christus idem et regnum et panis est quo nos saginamur.*

Antonius de Dominis et Dallæus nonnulla quidem objiciunt; sed quæ futilia sunt.

§ 3. *Concilium Nicænum primum.*

Concilii Nicæni primi anno 325 celebrati exstat canon, quo præscribitur, ut Cathari seu Novatiani ad Ecclesiam redeuntes, postquàm errores suos ejuraverint, fidemque catholicam, non solùm voce, sed etiam scriptis professi fuerint, per manûs impositionem suscipiantur, et sic in clero maneant : *Ut impositis manibus, sic in clero maneant.* Idem habet Dionysii Exigui interpretatio, et Gelasii Cyziceni historia.

Dubitatur, quæ qualisve fuerit hæc manûs impositio. Gratianus in decreto, causâ 1, q. 7, c. 8, canonem interpretatur de ordinatione, indeque colligit eam in Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus repetitam fuisse. Gratiani mentem sequitur Morinus de Sacris Ordinationibus, parte 3, cap. 7, num. 14 et 15, et cap. 12, num. 9, 10, etc. 1° Quia græcè habetur ὥστε χειροτετουμένους αὐτοῦς. Sed χειροθεσία ordinationem designat, quemadmodùm apparet ex eodem concilio canone 19, ubi asseritur diaconis nullam manuum impositionem, χειροθεσίαν, id est, ordinationem conferri. 2° Quia Ruffinus, lib. 2 Eccles. Hist., cap. 6, habet *ordinatione datâ.* 3° Quia Isidorus Mercator, in suâ collectione vertit : *ut ordinentur et sic maneant in clero.* 4° Quia versio canonum Nicænorum auctoritate concilii VI Carthaginensis anno 419 facta, sic habet : *Placuit, sicut et magnæ synodo eos ordinatos, sic manere in clero.* 5° Quia Theophylus, patriarcha Alexandrinus, S. Hieronymo æqualis, in additis ad Balsamonem, interrogatus, quid faciendum sit, dùm *quidam eorum, qui se Catharos nominant, volunt ad Ecclesiam accedere* : respondet : *Magna synodus, quæ Nicæa habita est à sanctis Patribus, statuit, ut ordinentur* : ὥστε χειροτονεῖσθαι. 6° Quia Basilius, in epist. ad Amphiloch., can. 1, Nicænum hunc canonem sic intellexit, licèt illius disertè non meminerit. Negat enim Novatianorum Baptisma ratum esse; neque illud suscipi permittit, nisi concordiæ conservandæ causâ; quâ ratione vellet eos cum ordinibus suscipi. 7° Quia Innocentius I, epist. 22, cap. 5, episcopos Macedoniæ redarguit, quòd clericos à Bonosianis ordinatos iterùm ordinarent, eosque in pristinum gradum admitterent, asserens id quidem, Anisii, archiepiscopi Thessalonicensis, qui hæc permiserat, temporibus licitum fuisse, *ne fieret non mediocre scandalum; jam verò, cessante necessitate, illos non iterùm ordinandos esse, multò minùs in pristinum gradum admittendos, sed per pœnitentiam suscipiendos. Illis autem objicientibus, quòd Nicæni canones apud Nicæam constituti, de Novatianis id fieri permiserunt : respondet, de solis Novatianis hoc esse præceptum, nec ad aliarum hæresum clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ita definirent, addidissent, à Novatianis aliisque hæreticis revertentes, debere in suum ordinem recipi.*

Huic tamen expositioni multa repugnant. 1° Quia posteriori parte ejusdem canonis Nicæni Patres jubent in clero, atque in eodem quo reperiuntur ordine Novatianos perseverare; eâ cautione adhibitâ, ut si in urbe duo sint episcopi, catholicus unus, Novatianus alter, Novatianus presbyteri vices agat, aut in diœceseos parte sit chorepiscopus, ne duo in eâdem urbe sedeant antistites. Non igitur improbant Novatianorum ordinationem. 1° Quia concilium II generale præscribens, canone 7, modum quo Novatiani recipi debeant, eaque recensens, quæ ab illis exigi, et super illos fieri debent, meminit quidem abjurationis, fideique professionis scriptis mandatæ, non autem ordinationis. 3° Quia nusquàm auditum est Novatianos ad Ecclesiam redeuntes, iterùm ordinatos fuisse. 4° Hæc manûs impositio in eodem canone conjungitur cum hæresis abjuratione, et catholicæ fidei professione. Sed ex Patribus citatis et infra citandis apparet manûs impositionem, per quam hæretici, præcedente hæresis abjuratione et fidei professione, recepti fuerunt, esse manûs impositionem in Spiritum sanctum. 5° Quia ex

Siricio papà, epist. 4 ad Africanas ecclesias, cap. 8, et ex Innocentio I, epist. 2, c. 8, apparet, manùs impositionem, per quam Novatiani suscipiebantur, non fuisse ordinationem, sed manùs impositionem in Spiritum sanctum. *Venientes* (inquit Siricius) *à Novatianis vel Montensibus per manùs impositionem suscipiantur, præter eos, quos rebaptizant. Venientes* (inquit Innocentius) *à Novatianis vel Montensibus per manùs impositionem suscipiantur, quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati.* Montenses enim seu Donatistæ per ordinatoriam manùs impositionem non admittebantur. 6° Quia Siricius, in epist. ad Honorium Tarrac., cap. 1, hoc Nicænum decretum interpretatur de manùs impositione, per quam invocatur *septiformis Spiritus* super Arianos, Novatianos aliosque hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, *Arianos*, inquit, *cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut in synodo (Nicænâ scilicet) constitutum est, per invocationem solam (quâ voce Baptismus, non autem unctio excluditur) septiformis Spiritûs episcopalis manùs impositione catholicorum conventui sociamus : quod etiam totus oriens occidensque custodit.* 7° Quibusdam monachis, in actione 1, septimæ synodi, præfatum canonem de ordinatione interpretantibus, Tharasius patriarcha Constantinopolitanus eos redarguit et istam vocem (χειροθεσία) interpretatur *benedictionem*, non autem *ordinationem;* εὐλογίαν non autem χειροτονίαν. Manùs autem impositio dicitur *benedictio*, quia cum benedictione semper conjuncta fuit : hinc can. 1 concilii I Arausicani, confirmatoria manuum impositio dicitur *benedictio. Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit episcopus, à presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placuit.* 8° Alexius Aristenus, diaconus ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui floruit sub Joanne Comneno imperatore ad annum 1130, canonem hunc octavum concilii Nicæni edisserens, triplicem hæreticorum reconciliationem distinguit : alii baptizantur, alii chrismate unguntur, alii solùm anathematizant hæresim : ad secundam classem Novatianos revocat, hoc velut à Patribus Nicænis omissum supplens. Ita refert Morinus, de Pœnit., lib. 9, c. 9, n. 8. Manùs autem impositio, maximè si unctionem connexam habeat, Confirmationem apertè significat. 9° Aristenus, in synopsi canonum concilii Nicæni; Simeon Logotheta, in epitome eorumdem canonum; et Zonaras ac Balsamon, in notis ad eumdem can. 8, innuunt vel asserunt Novatianorum ordinationem ab Ecclesiâ susceptam fuisse. Idem ante ipsos asseruerat, Nicænumque canonem eodem sensu, quo nos, exposuerat Aurelius, qui floruit desinente seculo IX, lib. 1 de Ordinationibus à Formoso factis, c. 23 et 24.

Ad primam igitur objectionem respondeo discrimen esse inter χειροθεσίαν et χειροτονίαν : posterior vox determinatè significat ordinationem; sed prior generatim significat manùs impositionem, et ad quamcumque manùs impositionem, sive confirmatoriam, sive ordinatoriam, sive aliam quamlibet inflecti potest.

Ad secundam objectionem, respondeo versionem Ruffini, ut qui Græcæ linguæ non satis peritus esset, quemadmodùm ex Eusebii translatione apparet, parùm castigatam esse. Idem asseri debet de versione Isidori Mercatoris, quam in multis imperfectam esse certissimum est. Illis igitur aliisque versionibus, n. 2, 3, 4 et 5, recensitis, Dionysianam opponimus, sicut et Theophilo objicimus Tharasium, imò et Hieronymum advers. Lucifer., cap. ultimo. Quod verò ad Basilium attinet, ille quidem, sicut Novatianorum Baptismum, ita et eorum ordinationem irritam existimavit; sed cùm hæc ita sensit, non attendit ad canonem 8 Nicænum; alioquin Novatianorum Baptisma, quod eo canone approbatur, non rejecisset. Denique Innocentius I ex eodem canone non infert, hoc proprium esse Novatianis hæreticis, ut ordinarentur, quemadmodùm supponit Morinus, sed hoc illis privilegium concessum esse, *ut in suum ordinem reciperentur;* cùm contra cæteri hæretici, cùm ad Ecclesiam redirent, priori gradu caderent, et quasi laici haberentur. Hanc fuisse mentem Innocentii apparet ex ejus responso. Non enim ait, quòd Nicæni Patres addidissent, à Novatianis aliisque hæreticis revertentes debere ordinari, sed debere *in suum ordinem recipi.* Innocentius certè conceptis terminis asserit, venientes à Novatianis, vel Montensibus per eamdem manùs impositionem suscipi. Nemini verò, quòd sciam, hactenùs in mentem venit, Montenses seu Donatistas admitti per ordinatoriam manùs impositionem.

§ 4. S. *Optatus.*

Optatus, Milevitanus episcopus, quem inter alios Augustinus digno præconio nominavit, lib. 1 contra Parmen., cap. 3, et inter præclaros tractatores ecclesiasticos annumeravit, lib. 2 de Doctrin. Christ., cap. 40, volumen sex aut septem libris distinctum edidit adversùs Parmenianum Donatistam, quod diù latuit, donec postremo seculo in Germaniâ in lucem prodiit operâ Cochlæi, deinde Parisiis curâ Franc. Balduini, qui illud semel et iterùm edi curavit, denique Parisiis rursùs anno 1631 typis excusum est cum notis posthumis Gabrielis Albaspinæi, aliisque nonnullis lucubrationibus ad causam Donatistarum attinentibus, quas eruditissimus Aurelianensium antistes in unum collegerat.

Hunc verò tractatum et à Donatistis corruptum, et exscriptorum seu librariorum incuriâ maculis innumeris inquinatum fuisse asserit Balduinus, comment. in lib. 1, ita ut in Cochlæi editione plura menda fuerint quàm versus. Subjicit verò : *Ego in priori editione Parisiensi operam dedi, adjutus collatione exemplaris manuscripti, quod mihi communicaverat Espensæus theologus, ut sexcentos saltem locos emendarem. Nunc non multò pauciores emendabit altera hæc editio, duobus manuscriptis sive chirographis exemplaribus subnixa, quorum alterum Joanni Tilio, episcopo Meldensi, alterum Macereo theologo Parisiensi debemus. Multùm tamen abest ut dicam Optatum nunc tandem in integrum planè esse restitutum.* Librum verò septimum minùs quàm alios castigatum prodire agnoscit ipse Commentariis

ad hunc librum 7 : *Illud*, inquit, *confiteor in emendatione hujus libri postremi, minimè mihi ipsi me satisfecisse, neque propter varietatem scripturæ potuisse.* Eam ipsam hujus operis depravationem à Donatistis, qui Optati ætate in Africâ dominabantur, factam fuisse Baronius ad annum 314, conjicit, quòd in eo nulla mentio fiat concilii Arelatensis in causâ Cæciliani et Donatistarum congregati, vel etiam sententiæ Constantini postmodùm Mediolani adversùs eosdem latæ; neque enim quæ conscio toto orbe facta essent, potuerunt Optatum præteriisse.

Duo verò circa tractatum illum controvertuntur, annus scilicet, quo eum Optatus composuit : et lib. 7, quem nonnulli suppositum suspicantur.

Optatus, libro 2, Romanorum pontificum seriem referens, eam Siricio terminat : *Damaso*, inquit, *Siricius hodiè* (successit) *qui noster est socius.* Siricius autem super cathedram Petri sedere cœpit anno 385. Huic tamen epochæ multa repugnant. Augustinus enim, qui sub eodem Siricio factus est episcopus, de Optato agens, non ut sui temporis hominis, sed antiquioris meminit, unde Optatus vix Damasi prima tempora attigisse putatur. Deinde hos ab Optato libros *sub Valentiniano et Valente principibus* scriptos esse testatur Hieronymus in Catalogo. Valentinianus autem et Valens imperare cœperunt anno 364; et Valentinianus quidem Valente superstite, obiit anno 375. Denique ipsemet Optatus, lib. 1 et 3, ait se scribere anno circiter 60 post excitatam in Africâ Diocletiani et Maximiani persecutionem : quâ quidem sæviente traditio codicum facta est. *Nam fermè*, inquit lib. 1, *ante annos* 60, *et quod excurrit* (1) *per totam Africam*, etc.

Diocletianus autem Nicomediæ et Maximianus Mediolani, uno eodemque die depositâ purpurâ imperio se abdicârunt undecimo kalendas martii, anno Christi 304 : unde consequens esset Optatum scripsisse ad annum 364. Verùm quia ille meminit Damasi pontificis, qui Liberio successit anno 367 ; inde fit ut Baronius existimet illum scripsisse ad annum circiter 368; Balduinus autem ad annum 370; uterque verò suspicetur è serie Romanorum pontificum ab Optato relata expungendum esse nomen Siricii : hic enim Damaso primùm successit anno 385.

Gravior ea est difficultas, quæ circa septimum librum versatur. Hunc enim non esse Optati quis suspicari posset : 1° quia Hieronymus nonnisi sex libros ab eo scriptos asserit in Catalogo; 2° quia vel ipse Optatus, libro 1, universum opus in sex duntaxat libros dividit, suum cuilibet argumentum assignans ; 3° quia auctor hujus libri 7 scribit se *in quarto libro manifestiùs explanâsse* verba hæc primæ Joannis epistolæ : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est :* quorum tamen Optatus in libro quarto nequidem meminit; 4° quia hic liber 7 in editione Germanicâ præteritus fuit, adeòque in manuscriptis deerat, quibus Cochlæus usus est; 5° quia sub finem hujus libri 7 retractatur causa Macharii, et ineptè repetuntur quæ ab Optato tractata fuerant libro 3 : quo fit ut utraque Balduini, et quæ post ipsum secuta est editio, ea detraxerit et deleverit quasi *temerè repetita et ineptè addita :* quamvis Balduinus fateatur se hæc reperisse in duobus manuscriptis Espensæi et Macerei, quibus usus est.

Balduinus tamen, Baronius, Bellarminus et Albaspinæus hunc 7 librum pro genuino habent : eorumque opinio his argumentis firmari potest. 1° Quia hic liber extat in tribus manuscriptis exemplaribus, quibus Balduinus usus est; 2° quia stylus idem est, qui in cæteris libris; 3° Quia res ipsæ, quæ in hoc septimo libro tractantur, conveniunt cum rebus aliorum sex librorum; 4° quia conferenti nonnulla Scripturæ sacræ loca, quæ et in hoc 7 libro et in aliis laudantur, apparebit auctorem hujus libri septimi eàdem Scripturæ translatione, quâ Optatus usum esse. Optatus verò usus est translatione omninò sibi speciali, longèque aliâ, quàm fuerit illa, quâ vel Tertullianus, vel Cyprianus, vel Arnobius, vel Augustinus, in eâdem Africâ usi sunt.

Ad Hieronymi auctoritatem Bellarminus in Catalogo respondet in librum S. Hieronymi irrepsisse errorem in numeris, et pro *sex* legendum esse *septem libros :* quæ quidem conjectura fortè afferri posset, si de unico Hieronymi contextu ageretur. Sed quid respondendum ipsi Optato, qui universum opus nonnisi in sex libros partitur, suum cuilibet argumentum proponens?

Ad secundum Balduinus conjicit hunc 7 librum *esse scriptum post editos sex superiores :* quo fit ut Optatus in operis sui partitione non meminerit hujus libri 7. Verùm si Optatus hunc 7 librum sex superioribus jam editis adjecit, cur Hieronymus Optati opera recensens hunc 7 librum præteriit? Illum igitur eodem tempore, quo sex priores, ab Optato compositum existimo; sed ab eodem Optato non fuisse à sexto distinctum, sed à quodam inferioris ætatis exscriptore, qui sextum librum in duos partitus est. Septimus enim totus est in unâ objectione solvendâ, quæ huic divisioni occasionem præbere potuit. Eo modo facilè satisfit duobus prioribus objectis.

Ad tertium respondeo mendum irrepsisse, et pro *quarto libro*, legendum esse *secundo libro*, in quo Optatus citatam Joannis sententiam exponit.

Ad quartum respondeo hunc septimum librum fuisse quidem præteritum in editione Germanicâ, sed extare in tribus codicibus, quibus Balduinus usus est.

Ad quintum respondeo, quod de causâ Macharii temerè hìc repetitum, et ineptè additum, atque assutum fuerat ad finem hujus libri 7, excerptum fuisse ex fine libri 3 : quare à Balduino jure merito detractum et deletum fuisse; præsertim cùm hæc additio, eaque sutura in Tiliano codice desit.

Fragmentum verò, quod extat ad finem ejusdem libri 7, transpositum fuisse et pertinere ad finem libri 3, apparet tum ex causâ Macharii, de quâ Optatus in

(1) *Quod excurrit*, id est *eò ampliùs*, vel *plùs minùsve :* modus loquendi apud Africanos usitatus, quo utitur Augustinus, lib. 7 de Baptismo c. 7.

tertio libro disserit, et cujus tractatum in hoc fragmento prosequitur, tum ex eo quòd testetur se, *paulò ante memorâsse* (exemplum Phinees) *qui ab ipso Deo pro homicidio laudari meruit.* Homicidii verò, propter quod Phinees à Deo laudatus est, mentionem facit libro tertio et non alibi.

His præmissis videamus quid ex his Optati libris ad institutum nostrum colligi possit.

Primus locus habetur lib. 2, ultra medium, ubi Optatus duo miracula refert, quorum alterum Eucharistiam respicit, alterum chrisma, quo neophyti confirmantur. Donatistæ enim, ut qui nullum in Ecclesiâ catholicâ Sacramentum valere contenderent, Eucharistiam à catholicis consecratam dabant canibus, et chrisma ab illis benedictum effundebant. Deus autem utriusque sanctitatem duobus miraculis, quæ ab Optato his verbis referuntur, testatus est: *Ut omnia,* inquit, *sacrosancta supra memorati vestri episcopi violarent, jusserunt Eucharistiam canibus fundi : non sine signo divini judicii. Nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquàm ignotos, et inimicos laniaverunt. Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt. Et cùm casum adjuvaret abjectio, non defuit manus angelica, quæ ampullam spiritali subvectione deduceret : projecta casum sentire non potuit : Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.* Quid, quæso, adversarii divino testimonio respondebunt?

Secundus locus habetur sub finem libri quarti, ubi Optatus hæc Psalmistæ verba : *Oleum peccatoris non unget caput meum,* de Christo intelligit, qui *Patrem deprecatus est, ut non ungeretur ab homine, sed ab ipso Deo Patre.* Cùm enim homo sit peccator, non debuit Christus ungi ab homine, sed à Deo, juxta illud psalmi 44 : *Unget te Dominus Deus tuus oleo exultationis àliter à consortibus tuis. Consortes* (Christi) *fuerant Judæorum sacerdotes et reges, quos singulos unctos ab hominibus constat. Sed Filius à Patre, Deus à Deo erat ungendus.* Filii verò petitionem complevit Pater in Jordane, quando super ipsum à Joanne baptizatum audita est vox Patris æterni, et Spiritus sanctus super ipsum descendit. Ubi notat Christum priùs à Joanne baptizatum fuisse, quàm cœlis apertis ungeretur à Patre, audiretur vox Dei Patris, et Spiritus sanctus descenderet : quia jam tum ordinabantur, quæ deinde in baptismate complenda erant; priùs enim baptizatur catechumenus, deinde ungitur et manûs impositionem accipit, denique Spiritus sanctus super ipsum descendit. Is est sensus horum verborum Optati : *Quia nemo non est peccator, nisi solus Deus; ideò Filius ejus timuit oleum hominis, quia fœdum erat, ut Deus ab homine ungeretur. Ideò deprecatur Patrem, ut non ungatur ab homine, sed ab ipso Deo Patre... Quod Filius petiit, complevit Pater in Jordane. Quò cùm venisset Filius Dei..., descendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere ad mysteria initianda et ordinanda et implenda baptismatis : totus cùm in Joannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, et complevit Pater, quod rogaverat Filius, et quod nuntiaverat Spiritus sanctus. apertum est cœlum Deo Patre ungente; spirituale oleum statim in imagine columbæ descendit, et insedit capiti ejus, et perfudit eum, unde cœpit dici Christus, quando unctus est à Deo Patre : cui ne manûs impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis :* Hic est Filius meus, etc.

Dallæus, lib. 2, cap. 21, concedit antiquitatem Confirmationis ex hoc loco inferri, sed contendit chrismationem et manûs impositionem ex mente Optati fuisse partes et ritus Baptismi, quia utramque Optatus recenset inter ea, quæ à Domino in Baptismo suo initiata, ordinata, et impleta sunt. Initiata verò, ordinata, et impleta tunc à Domino fuisse Optatus ait mysteria futuri Baptismatis, quod ipse instituturus erat.

Refellitur : Si quidem cùm Optatus unctionem et manûs impositionem ad mysteria Baptismatis refert, per has voces, *mysteria baptismatis*, non significat unctionem et manûs impositionem ad Baptismum pertinere tanquàm partes et ritus illius; sed, vel considerat Baptismum secundùm morem, quo tunc temporis administrari solebat, scilicet conjunctim cum Confirmatione, ita ut Baptismatis mysteria censeantur non solùm ea quæ sunt de ratione intrinsecâ Baptismi, sed etiam illa quæ unà cum Baptismo solebant conferri : vel sub eo nomine Confirmationem involvit, quia Confirmatio est complementum et perfectio Baptismatis, quod Optatus significare voluit vocibus istis, *ad mysteria implenda Baptismatis.* Sanè Optatus libro 7 attribuit unctioni esse collativam gratiæ sanctificantis, quod proprium est Sacramenti, non autem convenit puro ritui ac cæremoniæ ab hominibus excogitatæ : deinde in eodem libro 7 Optatus apertè loquitur de unctione tanquàm de Sacramento distincto à Baptismate : *Rebaptizâstis,* inquit, *iterùm unxistis.* Hæc clariora fient ex discussione libri 7.

Tertius locus habetur sub finem libri 7, ubi Optatus exponens hæc verba Salomonis : *Muscæ morituræ exterminant olei suavitatem :* quæ quidem Donatistæ catholicis exprobrabant, quasi olei seu chrismatis confirmatorii suavitatem corrumperent : illudque opprobrium in ipsos retorquens, quatuor præstat. Primùm quidem explicat, quid *olei* nomine intelligatur. 2° Quid sit hæc olei suavitas, quomodò conficiatur, qualis sit ejus virtus et efficacia. 3° Ostendit hanc olei sacri suavitatem à Catholicis corrumpi non posse. 4° Probat illam ab ipsis Donatistis corrumpi. Textum, quia prolixior est, omittemus : incipit ab his verbis : *Aliqui ex vobis volentes nos populis,* etc., et desinit his verbis : *Nec in futuro seculo.*

Circa primum, ait *olei* nomine intelligi hunc sacrum liquorem, qui ex nomine Christi conditur, et ita conditus vocatur *chrisma. Oleum,* inquit, *nominant, illum scilicet liquorem, qui ex nomine Christi conditur : quod* chrisma, *postquàm conditum est, nominatur.*

Circa secundum, ait olei suavitatem confici virtute nominis Christi, eamque ex condimento nominis Christi, cum oleo effluere. *Oleum,* inquit, *suave est, dum de nomine Christi conditur ... : suavitas de conf-*

ctione.... si apud vos (ô Donatistæ) *putatis esse confectionem*, (hoc est consecrationem) *quæ det oleo suavitatem : est apud vos oleum et suavitas..; oleum antequàm à nobis conficiatur* (hoc est, consecretur) *tale est, quale natum est : confectum, suavitatem, ex nomine Christi accipere potest.* Deinde asserit eam esse hujus suavitatis olei virtutem, ut *cutem conscientiæ molliat, exclusâ duritiâ peccatorum : animum innovet lenem : sedem Spiritui sancto paret, ut invitatus illic, asperitate fugatâ, libenter inhabitare dignetur; condiat mores; et incendat lumen mentis ad salutarem et veram intelligentiam.* Exponit ille, ut apparet, olei sacri spiritualem virtutem comparatè ad effecta olei usualis; ita ut oleum sacrum eosdem in animâ, quos oleum usuale in corpore effectus præstet.

Circa tertium, ostendit hanc olei sacri suavitatem à Catholicis corrumpi seu profanari non posse. Oleum enim vel à Donatistis, vel à Catholicis consecratum est. Catholici verò non corrumpunt suavitatem olei à Donatistis consecrati; quia unctionem ab illis factam non iterant: neque corrumpere possunt suavitatem olei à seipsis consecrati: omnis enim corruptio confectionem, et profanatio consecrationem supponit. Sed Donatistæ docent oleum sacrum non posse confici à Catholicis. Doceant igitur necesse est illud non posse à Catholicis corrumpi.

Circa quartum, probat suavitatem olei à catholicis consecrati, corrumpi à Donatistis; quia Donatistæ catholicos ad se transeuntes iterùm baptizant, et iterùm ungunt. *Vos*, inquit, *exterminâstis in rebaptizatione suavitatem olei illius, quod in nomine Christi confectum est... Vos exterminâstis rem, ubi oleum fuit et suavitas :... seduxistis homines; rebaptizâstis, iterùm unxistis : proh dolor!.. exterminâstis quod fuerat de nomine Christi confectum.* Denique subjicit hanc olei corruptionem seu profanationem *esse peccatum, quod non habet indulgentiam, quia peccatum est in Spiritum sanctum, quod non remittetur, nec hic, nec in futuro seculo.*

Ex his colliges, 1° quòd oleum consecraretur, et consecratum diceretur *chrisma*. 2° Quòd conficeretur in nomine Christi, et ex nomine Christi cum oleo conditum esset. 3° Quòd chrisma sic confectum virtutem haberet emolliendi duritiem conscientiæ, animam innovandi, condiendi mores, incendendi lumen mentis, parandi sedem Spiritui sancto, et efficiendi ut idem Spiritus in nobis libenter inhabitet. 4° Quòd hujus chrismatis unctio Baptismum jam completum præsupponeret, *rebaptizâstis, iterùm unxistis.* 5° Quòd nefas esset hanc unctionem, sicut et Baptismum iterari. 6° Quòd hæc iteratio crimen esset adeò grave, ut peccatum esset in Spiritum sanctum.

Objicit Antonius de Dominis, lib. 5, cap. 5, n. 17. Optatus retorquet in Donatistas id, quod ipsi catholicis opponebant, eos scilicet esse muscas morituras, quæ corrumpunt unguenti suavitatem : idque probat, quia Donatistæ catholicos ad se venientes rebaptizant, et in eâ rebaptizatione olei suavitatem exterminant. Cùm igitur ait *rebaptizâstis*, et *iterùm unxistis*, putat unctionem illam esse partem Baptismi; alioquin sufficeret Donatistis objicere, quòd unctionem iterarent : frustraque adderetur, quòd rebaptizarent. Quomodò enim Donatistæ unguenti suavitatem poterant in rebaptizatione corrumpere, si unguentum illud ad Baptismum nihil attineat ?

Respondeo Optatum ostendere Donatistas corrumpere unguenti suavitatem, quia chrismatis unctionem repetebant in iis, qui ab Ecclesiâ recedebant : meminit verò rebaptizationis, aitque quod in rebaptizatione olei suavitatem exterminarent, quia continenter ungebant quos rebaptizabant, non autem quòd hæc unctio pars esset Baptismi.

Objicit 1° Dallæus lib. 2, cap. 21, Optatum, more Patrum solemni, id signis tribuere, quod illa non quidem operantur, sed tamen significant, dùm ait chrisma animum lenem efficere, asperitatem fugare, etc. Hæc enim ipsius Baptismi verè effecta sunt. Quæ verò Baptismus simul ac semel efficit, eorum ordinem ac dispositionem ordo rituum, quibus illa effecta adumbrantur et significantur, ostendit : nimirùm 1° peccata dilui; tum hujus gratiæ dono animum levigari ac leniri : denique cœlestia Spiritûs charismata accipi.

Respondeo Patres docere signa speculativa significare et non operari; signis verò practicis tribuere quòd significent et simul operentur. Atqui unctio et manûs impositio sunt signa practica Optato; quia de illis eodem modo loquitur, quo de aquâ baptismali, cui delictorum emundationem attribuit, quam significat et facit.

Dallæus subjungit Baptismi effectum esse, animum innovare lenem, et dare charismata cœlestia. Sed probare deberet, ita visum fuisse Optato. Putavit enim Optatus, quod et Tertullianus aliique nonnulli cum eo sensisse videntur, Baptismum quidem remittere peccata, sed Confirmationem levigare animam, eique charismata tribuere.

Promisso tamen, non concesso, quòd Optatus voluerit gratias et charismata supra memorata conferri per lavacrum : Respondeo alias per lavacrum et alias per Confirmationem gratias administrari

Jam verò quod idem Optatus adstruxit, animam levigari et leniri per unctionem, Spiritum verò sanctum descendere in animam lenem per manûs impositionem, si quis in eâ sit sententiâ, quæ docet solam manuum impositionem Confirmationi essentialem esse : dicendum est unctionem levigare et lenem animam reddere dispositivè seu præparatoriè. Si quis verò existimet unctionem perinde ac manûs impositionem Confirmationi essentialem esse, respondendum est utriusque eumdem effectum esse, ita tamen ut aliquid unctioni, et aliquid manûs impositioni tribuatur per quamdam appropriationem : quemadmodùm sancti Patres immersioni baptismali attribuunt, quòd baptizatus peccato moriatur : emersioni verò, quòd in vitæ novitatem resurgat.

Objicit 2° chrismationem, quam alii Patres, vel ad mysticum sacerdotium, regnumque, ut Tertullianus; vel ad eorum, quæ in Baptismo pacta sunt, confirma-

tionem, ut auctor constitutionum apostolicarum ; vel ad sepulturæ dominicæ recordationem, ut auctor quæstionum orthodoxarum apud Justinum referunt : Optatus eò vult pertinere, ut animum lenem efficiat. Hæc verò tam multiplex interpretationis varietas clamat unctionem illam non divini, sed humani esse instituti.

Respondeo 1°, argumentum nullum esse apud eos, quibus unctio nihil attinet ad Confirmationis essentiam. 2° Unius ejusdemque rei à Christo institutæ plures rationes mysticæ reddi possunt, quemadmodùm apparet de calice eucharistico, de aquâ baptismali et aliis.

§ 5. *Concilium II œcumenicum.*

Concilium Constantinopolitanum, quod sedente Damaso, et imperante Theodosio Magno celebratum est anno 381, omnes hæreticos extra Ecclesiam baptizatos (nec enim loquitur de iis qui in Ecclesiâ baptizati, à fide recesserunt), canone 7°, in duo genera dividit. Primum eorum est, qui Baptismum extra Ecclesiam validè susceperunt, nempe Arianorum, Macedonianorum, Sabbatianorum, Novatianorum, Quartodecimanorum, et Apollinaristarum, quos sic ex antiquâ consuetudine recipiendos docet, *dantes quidem libellos, et omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia : et signatos sive unctos primùm sancto chrismate, et frontem, et oculos, et nares, et os, et aures : et eos signantes dicimus, Signaculum doni Spiritûs sancti.* Alterum genus eorum est, quorum Baptismus ab Ecclesiâ judicatur invalidus, videlicet Eunomianorum, Montanistarum, et Sabellianorum, quos ideò ad Ecclesiam redeuntes jubet per Baptismum recipi, perinde ac si Græci seu gentiles essent.

In priori autem reconciliatione sermonem esse de vero Confirmationis sacramento docet Jacobus Goar in notis ad officium sancti baptismatis, n. 31, pag. 368 : *Græcos*, inquit, *necesse est asserere verum et perfectum Confirmationis sacramentum, chrismatis unctione velut materiâ proximâ, et verborum* σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου *formâ constans, penes se semper habuisse : ita concilium Constantinopolitanum II et Trullanum superiùs citata, quæ si veram Confirmationis formam non protulerint, nulla jam in oriente superest Confirmatio, nullum illius fundamentum, nulla de illo fides.* Hactenùs Goarius : cui Joannes Morinus consentit lib. 9 de Pœnit., cap. 9, n. 6 et 7. *Animadvertet lector*, inquit, *in priore reconciliatione purum putum adhiberi Confirmationis, ut in oriente administrari solet sacramentum, non modò materialiter, ut aiunt, sed etiam formaliter. Nec enim aliâ materiâ Græci utuntur, aut unquàm usi sunt, quàm* τῷ μύρῳ, *hoc est unguento ex oleo, balsamo, aliisque pluribus odoribus composito, et variis orationibus consecrato ; aut aliâ verborum formulâ, quàm istâ,* σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Ungere etiam semper soliti sunt (cùm hoc sacramentum administrant) easdem corporis partes, quas hic numerari legis. Deinde huic cæremoniæ eamdem vim tribuunt ad reconciliandos Deo et Ecclesiæ hæreticos quorum ratus est Baptismus, quàm Baptismo ad catechumenos Deo conciliandos et Ecclesiæ incorporandos. Denique si hæc caremonia non sit efficax, sed nudus ac simplex ritus, mira sanè res est, et stupenda, quòd in negotio tanti momenti, de quo in Ecclesiâ tamdiù altercatum est, unius cæremoniolæ tantùm mentionem faciant, efficacis verò et salutaris medicinæ nusquàm. His adde, quod Græcorum ritualia antiquissima, antiqua, et recentia, quæ sigillatim sacerdotes et pontifices docent quâ ratione Sacramenta et divina officia celebrare debeant, nihil aliud ad illos hæreticos reconciliandos præscribant. Hunc igitur ritum admittendi hæreticos, eosque purgandi et sanctificandi, maximi momenti fuisse planè necessarium est, non autem simplicem et inefficacem cæremoniam.*

Confirmatur 1°. Sacramentum nihil aliud est quàm materia et forma sacramentalis. Ergo præscribitur ibi Græcorum Confirmatio, ubi præscribitur eadem materia, eademque verborum formula quam Græci in Confirmatione adhibere solent. Sed Patres Constantinopolitani eamdem materiam et formam nonnullis hæreticis in priori parte canonis præscribunt, quam Græci recens baptizatis in Confirmatione conferunt, quemadmodùm apparebit citata canonis verba conferenti cum modo Confirmationis administrandæ in rituali Græcorum præscripto, cap. de officio sancti Baptismatis, editionis Goarii pag. 556, ubi modus ita præscribitur : *Et oratione hâc terminatâ (per quam scilicet baptizatus tunicam albam indutus est), baptizatum sancto unguento ungit, crucis signum faciens in fronte, et in oculis, et in naribus, et in utrâque aure, et in pedibus, dicens : Signaculum doni Spiritûs sancti. Amen.*

Confirmatur 2°. Patres hoc canone sanciunt, ut Ariani, Macedoniani, Sabbatiani, Novatiani, etc., per eamdem frontis unctionem admittantur. Sed unctio per quam admittebantur Novatiani erat confirmatoria, ex Theodoreto, lib. 3 hæret. Fabul. *Novatiani*, inquit, *iis qui ab ipsis inunguntur sacrum chrisma præbent; quocirca eos etiam qui ex hâc hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, benedicti Patres ungi jusserunt.* Quibus verbis Theodoretus ad canonem illum de quo nunc agimus alludit.

Confirmatur 3°. Canon ille septimus secundæ synodi in synodo Quinisextâ, seu Trullanâ, can. 95, repetitus et confirmatus est; nihilque in eo quod ad præfatos hæreticos attinet, adjectum, imminutum, aut explicatum. Sed in confesso est apud Græcos, ritum illum suscipiendi hæreticos, qui canone 95 Trullano præscribitur, unctionem esse confirmatoriam : quemadmodùm apparet ex libro 5 Juris orientalis, ubi Marcus, patriarcha Alexandrinus, multa sciscitatur Balsamonem patriarcham Antiochenum : interrogatio verò vigesima nona est, quâ ratione Nestoriani, Jacobitæ, et alii hæretici recipi debeant? quid autem Marco respondet Balsamon? Nihil aliud illi quàm canonem 95 in Trullo proponit, quem ideò propè integrum repetit ; ac tandem responsum suum his verbis concludit : *Itaque juxta canonis hujus tenorem alii quidem hæretici lavacro sanctificantur, alii autem sacro unguento consecrantur.*

Confirmatur 4° ex formulâ recipiendi hæreticos, quæ in rituali Græcorum refertur, editionis Goarii, pag. 88, et apud Morinum, de Pœnitentiâ, lib. 9, cap. 9, n. 13. Hæc enim eorumdem hæreticorum mentionem facit, quorum canon septimus; eumdem modum ipsos recipiendi præscribit, quem canon septimus; et iisdem verbis incipit, quibus canon septimus. *Arianos quidem et Macedonianos, et Sabbatianos, et Novatianos, qui se ipsos* PUROS *dicunt, et Quartodecimanos sive Tetraditas et Appollinaristas recipimus, dantes libellos, et anathematizantes suam, omnemque aliam hæresim non sentientem ea quæ sentit sancta catholica et apostolica Dei Ecclesia : qui postea signantur sive unguntur sancto unguento.* Quæ sunt ipsissima verba canonis 7 : unctio igitur eadem utrobique præscribitur. Sed formula apertè innuit hanc unctionem esse sacramentalem et confirmatoriam : ait enim eam esse *sigillum divini unguenti, adventum Spiritûs sancti, et sigillum sancti mysterii :* illam ait esse per quam quis redditur perfectus servus Christi, hoc est, perfectus christianus : addit eamdem unctionem esse quâ neophyti unguntur, eamdemque verborum formam quæ super neophytos pronuntiatur : *Post hæc*, inquit, *ungit eum unguento sicut neophytos, eamdem super ipsum formulam pronuntians. Denique quemadmodùm neophytus, sic hæreticus ita unctus, participatione venerandi corporis et sanguinis Christi reficitur, et mandatum accipit septem diebus carnem non comedere, neque vultum lavare, sed sicut baptizati solent, ita omninò se gerere septem illis diebus.*

Cæterùm hæc formula recipiendi hæreticos antiquissima est, eaque legitur et in antiquâ collectione regiâ quam Petrus de Marcâ ante annos octingentos consarcinatam asserit in notis ad can. 28 Claromont. (scribebat hæc ad annum 1643) et in antiquissimo Euchologio Barberino S. Marci, quod Leo Allatius ante octingentos annos exaratum, et Joannes Morinus *annorum octingentorum canitie venerandum esse* asserit lib. 9 de Pœnit., c. 9, n. 9 : atque adeò exaratum fuit ad annum 850. Opus enim de Pœnit. Morinus edidit anno 1651. Hæc tamen formula longè antiquior videtur Euchologio Barberino : recentiores enim hæretici, quorum illa meminit, sunt Eutychiani qui in concilio Chalcedonensi damnati fuerunt anno 451.

§ 6. *S. Pacianus.*

Pacianus, Barcinonensis episcopus, cujus filio Dextro S. Hieronymus suum de Scriptoribus ecclesiasticis catalogum inscripsit, vixit seculo quarto, et eodem ultimâ senectute confectus obiit, imperante Theodosio Magno. Scripsit ille ad Sympronianum Novatianum epistolas tres contra Novatianos. Sub finem verò primæ epistolæ probat in Ecclesiâ superesse potestatem remittendi peccata, quia Christus dixit apostolis, Matth. 16 : *Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt in cœlis*, etc. Novatianis verò respondentibus hæc dicta fuisse solis apostolis, ideòque hanc potestatem solis apostolis concessam fuisse, et in eis desiisse, probat ille hanc consequentiam nullam esse; alioquin pari modo concludi posset, quòd solis apostolis liceret baptizare, et dare Spiritum sanctum; quia totum hoc non aliis quàm apostolis imperatum est. *An tantùm ligare ac solvere solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis, quàm apostolis imperatum est.* Quòd si lavacri et chrismatis potestas, licèt solis apostolis concessa, per eos tamen descendit ad episcopos; quantò magis ligandi et solvendi potestas; quia posse baptizare, et chrismate ungere, potestas est majorum charismatum, quàm posse ligare et solvere! *Si ergo*, inquit, *et lavacri et charismatis potestas, majorum longè charismatum, ad episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi.* Unde colligit baptizandi, chrismandi, et peccata remittendi potestatem non fuisse ab hominibus indultam episcopis, neque ab episcopis usurpatam, sed apostolis à Christo concessam, et per apostolos defluxisse ad episcopos. *Ergo*, inquit, *nec chrisma, nec baptisma, nec criminum remissio sanctæ potestati ejus (scilicet episcopi) indulta est; quia nihil proprià usurpatione mandatum est, totumque id ex apostolis jure defluxit.* Pacianus igitur ungendi sive chrismandi potestatem in episcopo agnoscit : eam distinguit à potestate baptizandi : ei concedit virtutem dandi Spiritum sanctum : eam æquiparat utrique facultati baptizandi, et peccata remittendi : eam asserit à Christo institutam, à Christo concessam apostolis, et per eos ad episcopos defluxisse.

Unctionem quoque sacramentalem et manûs impositionem paucis indicat epistolâ 2, post medium, ubi Sympronianum qui simulabat velle se erudiri, seque paratum esse ad schisma deserendum, modò suis dubiis satisfieret, sic alloquitur : *Utinam verum esset, quòd doceri velle te dicis; jam ipsa tibi manibus meis sancti Spiritûs unguenta suggererem.* Sympronianо igitur, modò sincerè vellet erudiri, Pacianus promittebat se manûs impositionem, sanctique Spiritûs unctionem collaturum. Novatiani quippe baptizatis Confirmationem non adhibebant.

Ejusdem Confirmationis meminit epistolâ 3, post initium, ubi eumdem Sympronianum ita alloquitur : *Expectemus quid objicias, quid loquaris. Proponis Ecclesiam esse populum ex aquâ et Spiritu sancto renovatum*, id est, renatum, regeneratum, et vitali regeneratione vivificatum : ita Sympronianus objiciebat : cui Pacianus : *Rectè quidem : sed vestræ plebi, unde Spiritus, quam non consignat unctus sacerdos (Novatiani quippe Confirmationis signaculum non conferebant)? Unde aqua (nimirùm salutaris, vitalis et vivificatrix) quæ à matrice (hoc est ab Ecclesiâ, quam apostoli fundaverunt) discessit? Unde innovatio, quæ cunabula pro nubæ pacis amisit.* Novatiani enim statim ab initio pacem violârunt, seseque à reliquis fidelibus schismate separaverunt.

Denique in sermone de Baptismo ad fideles et catechumenos, ultra medium, postquàm dixit Christum nuptias cum Ecclesiâ iniisse, ei copulatum fuisse, dùm humanitati in utero Virginis conjunctus est; et ex his nuptiis nasci christianos, quorum conceptionem et nativitatem ibi describit, asserens novum ho-

tionem, ut auctor constitutionum apostolicarum ; vel ad sepulturæ dominicæ recordationem, ut auctor quæstionum orthodoxarum apud Justinum referunt : Optatus eò vult pertinere, ut animum lenem efficiat. Hæc verò tam multiplex interpretationis varietas clamat unctionem illam non divini, sed humani esse instituti.

Respondeo 1°, argumentum nullum esse apud eos, quibus unctio nihil attinet ad Confirmationis essentiam. 2° Unius ejusdemque rei à Christo institutæ plures rationes mysticæ reddi possunt, quemadmodùm apparet de calice eucharistico, de aquâ baptismali et aliis.

§ 5. *Concilium II œcumenicum.*

Concilium Constantinopolitanum, quod sedente Damaso, et imperante Theodosio Magno celebratum est anno 381, omnes hæreticos extra Ecclesiam baptizatos (nec enim loquitur de iis qui in Ecclesiâ baptizati, à fide recesserunt), canone 7°, in duo genera dividit. Primum eorum est, qui Baptismum extra Ecclesiam validè susceperunt, nempe Arianorum, Macedonianorum, Sabbatianorum, Novatianorum, Quartodecimanorum, et Apollinaristarum, quos sic ex antiquâ consuetudine recipiendos docet, *dantes quidem libellos, et omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia : et signatos sive unctos primùm sancto chrismate, et frontem, et oculos, et nares, et os, et aures : et eos signantes dicimus, Signaculum doni Spiritûs sancti.* Alterum genus eorum est, quorum Baptismus ab Ecclesiâ judicatur invalidus, videlicet Eunomianorum, Montanistarum, et Sabellianorum, quos ideò ad Ecclesiam redeuntes jubet per Baptismum recipi, perinde ac si Græci seu gentiles essent.

In priori autem reconciliatione sermonem esse de vero Confirmationis sacramento docet Jacobus Goar in notis ad officium sancti baptismatis, n. 31, pag. 368 : *Græcos*, inquit, *necesse est asserere verum et perfectum Confirmationis sacramentum, chrismatis unctione velut materiâ proximâ, et verborum* σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου *formâ constans, penes se semper habuisse : ita concilium Constantinopolitanum II et Trullanum superiùs citata, quæ si veram Confirmationis formam non protulerint, nulla jam in oriente superest Confirmatio, nullum illius fundamentum, nulla de illo fides.* Hactenùs Goarius : cui Joannes Morinus consentit lib. 9 de Pœnit., cap. 9, n. 6 et 7. *Animadvertet lector*, inquit, *in priore reconciliatione purum putum adhiberi Confirmationis, ut in oriente administrari solet sacramentum, non modò materialiter, ut aiunt, sed etiam formaliter. Nec enim aliâ materiâ Græci utuntur, aut unquàm usi sunt, quàm τῷ μύρῳ, hoc est unguento ex oleo, balsamo, aliisque pluribus odoribus composito, et variis orationibus consecrato ; aut aliâ verborum formulâ, quàm istâ,* σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Ungere etiam semper soliti sunt (cùm hoc sacramentum administrant) easdem corporis partes, quas hic numerari legis. Deinde huic cæremoniæ eamdem vim tribuunt ad reconciliandos Deo et Ecclesiæ hæreticos quorum ratus est Baptismus, quàm Baptismo ad catechumenos Deo conciliandos et Ecclesiæ incorporandos. Denique si hæc caremonia non sit efficax, sed nudus ac simplex ritus, mira sanè res est, et stupenda, quòd in negotio tanti momenti, de quo in Ecclesiâ tamdiù altercatum est, unius cæremoniolæ tantùm mentionem faciant, efficacis verò et salutaris medicinæ nusquàm. His adde, quod Græcorum ritualia antiquissima, antiqua, et recentia, quæ sigillatim sacerdotes et pontifices docent quâ ratione Sacramenta et divina officia celebrare debeant, nihil aliud ad illos hæreticos reconciliandos præscribant. Hunc igitur ritum admittendi hæreticos, eosque purgandi et sanctificandi, maximi momenti fuisse planè necessarium est, non autem simplicem et inefficacem cæremoniam.*

Confirmatur 1°. Sacramentum nihil aliud est quàm materia et forma sacramentalis. Ergo præscribitur ibi Græcorum Confirmatio, ubi præscribitur eadem materia, eademque verborum formula quam Græci in Confirmatione adhibere solent. Sed Patres Constantinopolitani eamdem materiam et formam nonnullis hæreticis in priori parte canonis præscribunt, quam Græci recens baptizatis in Confirmatione conferunt, quemadmodùm apparebit citata canonis verba conferenti cum modo Confirmationis administrandæ in rituali Græcorum præscripto, cap. de officio sancti Baptismatis, editionis Goarii pag. 556, ubi modus ita præscribitur : *Et oratione hâc terminatâ (per quam scilicet baptizatus tunicam albam indutus est), baptizatum sancto unguento ungit, crucis signum faciens in fronte, et in oculis, et in naribus, et in utrâque aure, et in pedibus, dicens : Signaculum doni Spiritûs sancti. Amen.*

Confirmatur 2°. Patres hoc canone sanciunt, ut Ariani, Macedoniani, Sabbatiani, Novatiani, etc., per eamdem frontis unctionem admittantur. Sed unctio per quam admittebantur Novatiani erat confirmatoria, ex Theodoreto, lib. 3 hæret. Fabul. *Novatiani*, inquit, *iis qui ab ipsis inunguntur sacrum chrisma præbent; quocirca eos etiam qui ex hâc hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, benedicti Patres ungi jusserunt.* Quibus verbis Theodoretus ad canonem illum de quo nunc agimus alludit.

Confirmatur 3°. Canon ille septimus secundæ synodi in synodo Quinisextâ, seu Trullanâ, can. 95, repetitus et confirmatus est; nihilque in eo quod ad præfatos hæreticos attinet, adjectum, imminutum, aut explicatum. Sed in confesso est apud Græcos, ritum illum suscipiendi hæreticos, qui canone 95 Trullano præscribitur, unctionem esse confirmatoriam : quemadmodùm apparet ex libro 5 Juris orientalis, ubi Marcus, patriarcha Alexandrinus, multa sciscitatur Balsamonem patriarcham Antiochenum : interrogatio verò vigesima nona est, quâ ratione Nestoriani, Jacobitæ, et alii hæretici recipi debeant? quid autem Marco respondet Balsamon? Nihil aliud illi quàm canonem 95 in Trullo proponit, quem ideò propè integrum repetit ; ac tandem responsum suum his verbis concludit : *Itaque juxta canonis hujus tenorem alii quidem hæretici lavacro sanctificantur, alii autem sacro unguento consecrantur.*

Confirmatur 4° ex formulâ recipiendi hæreticos, quæ in rituali Græcorum refertur, editionis Goarii, pag. 88, et apud Morinum, de Pœnitentiâ, lib. 9, cap. 9, n. 13. Hæc enim eorumdem hæreticorum mentionem facit, quorum canon septimus; eumdem modum ipsos recipiendi præscribit, quem canon septimus; et iisdem verbis incipit, quibus canon septimus. *Arianos quidem et Macedonianos, et Sabbatianos, et Novatianos, qui se ipsos* PUROS *dicunt, et Quartodecimanos sive Tetraditas et Appollinaristas recipimus, dantes libellos, et anathematizantes suam, omnemque aliam hæresim non sentientem ea quæ sentit sancta catholica et apostolica Dei Ecclesia : qui postea signantur sive unguntur sancto unguento.* Quæ sunt ipsissima verba canonis 7 : unctio igitur eadem utrobique præscribitur. Sed formula apertè innuit hanc unctionem esse sacramentalem et confirmatoriam : ait enim eam esse *sigillum divini unguenti, adventum Spiritûs sancti, et sigillum sancti mysterii :* illam ait esse per quam quis redditur perfectus servus Christi, hoc est, perfectus christianus : addit eamdem unctionem esse quâ neophyti unguntur, eamdemque verborum formam quæ super neophytos pronuntiatur : *Post hæc*, inquit, *ungit eum unguento sicut neophytos, eamdem super ipsum formulam pronuntians. Denique quemadmodùm neophytus, sic hæreticus ita unctus, participatione venerandi corporis et sanguinis Christi reficitur, et mandatum accipit septem diebus carnem non comedere, neque vultum lavare, sed sicut baptizati solent, ita omninò se gerere septem illis diebus.*

Cæterùm hæc formula recipiendi hæreticos antiquissima est, eaque legitur et in antiquâ collectione regiâ quam Petrus de Marcâ ante annos octingentos consarcinatam asserit in notis ad can. 28 Claromont. (scribebat hæc ad annum 1643) et in antiquissimo Euchologio Barberino S. Marci, quod Leo Allatius ante octingentos annos exaratum, et Joannes Morinus *annorum octingentorum canitie venerandum esse* asserit lib. 9 de Pœnit., c. 9, n. 9 : atque adeò exaratum fuit ad annum 850. Opus enim de Pœnit. Morinus edidit anno 1651. Hæc tamen formula longè antiquior videtur Euchologio Barberino : recentiores enim hæretici, quorum illa meminit, sunt Eutychiani qui in concilio Chalcedonensi damnati fuerunt anno 451.

§ 6. *S. Pacianus.*

Pacianus, Barcinonensis episcopus, cujus filio Dextro S. Hieronymus suum de Scriptoribus ecclesiasticis catalogum inscripsit, vixit seculo quarto, et eodem ultimâ senectute confectus obiit, imperante Theodosio Magno. Scripsit ille ad Sympronianum Novatianum epistolas tres contra Novatianos. Sub finem verò primæ epistolæ probat in Ecclesiâ superesse potestatem remittendi peccata, quia Christus dixit apostolis, Matth. 16 : *Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt in cœlis*, etc. Novatianis verò respondentibus hæc dicta fuisse solis apostolis, ideòque hanc potestatem solis apostolis concessam fuisse, et in eis desiisse, probat ille hanc consequentiam nullam esse; alioquin pari modo concludi posset, quòd solis apostolis liceret baptizare, et dare Spiritum sanctum; quia totum hoc non aliis quàm apostolis imperatum est. *An tantùm ligare ac solvere solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis, quàm apostolis imperatum est.* Quòd si lavacri et chrismatis potestas, licèt solis apostolis concessa, per eos tamen descendit ad episcopos; quantò magis ligandi et solvendi potestas; quia posse baptizare, et chrismate ungere, potestas est majorum charismatum, quàm posse ligare et solvere! *Si ergo*, inquit, *et lavacri et charismatis potestas, majorum longè charismatum, ad episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi.* Unde colligit baptizandi, chrismandi, et peccata remittendi potestatem non fuisse ab hominibus indultam episcopis, neque ab episcopis usurpatam, sed apostolis à Christo concessam, et per apostolos defluxisse ad episcopos. *Ergo*, inquit, *nec chrisma, nec baptisma, nec criminum remissio sanctæ potestati ejus (scilicet episcopi) indulta est; quia nihil propriâ usurpatione mandatum est, totumque id ex apostolis jure defluxit.* Pacianus igitur ungendi sive chrismandi potestatem in episcopo agnoscit : eam distinguit à potestate baptizandi : ei concedit virtutem dandi Spiritum sanctum : eam æquiparat utrique facultati baptizandi, et peccata remittendi : eam asserit à Christo institutam, à Christo concessam apostolis, et per eos ad episcopos defluxisse.

Unctionem quoque sacramentalem et manûs impositionem paucis indicat epistolâ 2, post medium, ubi Sympronianum qui simulabat velle se erudiri, seque paratum esse ad schisma deserendum, modò suis dubiis satisfieret, sic alloquitur : *Utinam verum esset, quòd doceri velle te dicis; jam ipsa tibi manibus meis sancti Spiritûs unguenta suggererem.* Sympronianо igitur, modò sincerè vellet erudiri, Pacianus promittebat se manûs impositionem, sanctique Spiritûs unctionem collaturum. Novatiani quippe baptizatis Confirmationem non adhibebant.

Ejusdem Confirmationis meminit epistolâ 3, post initium, ubi eumdem Sympronianum ita alloquitur : *Expectemus quid objicias, quid loquaris. Proponis Ecclesiam esse populum ex aquâ et Spiritu sancto renovatum*, id est, renatum, regeneratum, et vitali regeneratione vivificatum : ita Sympronianus objiciebat : cui Pacianus : *Rectè quidem : sed vestræ plebi, unde Spiritus, quam non consignat unctus sacerdos (Novatiani quippe Confirmationis signaculum non conferebant)? Unde aqua (nimirùm salutaris, vitalis et vivificatrix) quæ à matrice (hoc est ab Ecclesiâ, quam apostoli fundaverunt) discessit? Unde innovatio, quæ cunabula pro nubæ pacis amisit.* Novatiani enim statim ab initio pacem violârunt, seseque à reliquis fidelibus schismate separaverunt.

Denique in sermone de Baptismo ad fideles et catechumenos, ultra medium, postquàm dixit Christum nuptias cum Ecclesiâ iniisse, ei copulatum fuisse, dùm humanitati in utero Virginis conjunctus est : et ex his nuptiis nasci christianos, quorum conceptionem et nativitatem ibi describit, asserens novum ho-

nunem, *Christo parente in alvo matris Ecclesiæ concipi : Christi semen esse Dei Spiritum, quo adveniente desuper, nostrarumque animarum substantiæ superfuso et admixto, visceribus matris inolescimus : fontem esse partum, et partu fontis, manibus sacerdotis, obstetricis vice fungentis, christianum effundi, fide tamen in omnibus pronubâ :* subjicit : *Hæc autem compleri aliàs nequeunt, nisi lavacri et chrismatis et antistitis sacramento; lavacro enim peccata purgantur : chrismate sanctus Spiritus superfunditur : utraque verò ista, manu et ore antistitis impetramus; atque ita totus homo renascitur et innovatur in Christo, ut sicut Christus resurrexit à mortuis, sic et nos in novitate vitæ ambulemus, id est, ut, depositis vitæ veteris erroribus, novos per Spiritum mores sequamur in Christo, fidem, pudicitiam, innocentiam, castitatem.* En chrismatis unctionem, per quam Spiritus sanctus superfunditur, manu antistitis adhibitâ.

Solvuntur objectiones Dallæi.

Dallæus nihil habet quod adversùs primum et secundum locum objiciat, sed multa proponit adversùs postremum, lib. 2, cap. 21, quibus ille Pacianum suum esse contendit. Antequàm verò ejus objecta diluamus, specialem Paciani mentem circa Confirmationem præmittamus necesse est : nec enim ille in explicando hujusce sacramenti effectu idem sentire mihi videtur, quod cæteri Patres; quin etiam Patres ipsi inter se non consentiunt.

Patres igitur ad tres classes revocari possunt. Alii putant in Baptismo non solùm peccata remitti, sed etiam conferri Spiritum sanctum, ita tamen ut major Spiritûs sancti plenitudo in Confirmatione conferatur : ita sanctus Hieronymus in Dialogo adv. Lucifer., cap. 3 et 4; auctor anonymus Cypriano æqualis vel suppar in tractatu de Baptismo, et alii, qui existimant peccatorum remissionem fieri non posse sine infusione Spiritûs sancti. Alii verò sentiunt peccata quidem in Baptismo remitti, non tamen conferri Spiritum sanctum, sed ablutione delictorum in Baptismo concessâ viam præparari ad Spiritum sanctum in Confirmatione recipiendum; ita tamen, ut baptizatus dicatur ex aqua et Spiritu sancto regeneratus, licèt personam Spiritus sancti nondùm in Confirmatione susceperit : ita Irenæus, de quo pag. 76; Tertullianus, de quo pag. 86, Cornelius Papa, de quo p. 126. Alii denique volunt 1° in Baptismo peccata quidem dimitti, non tamen dari Spiritum sanctum. 2° Spiritum sanctum non nisi in Confirmatione conferri. 3° Eum, qui baptizatus est, non esse regeneratum, donec in Confirmatione Spiritum sanctum acceperit : tum quia Christus dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto;* regeneratio igitur non solùm aquam, sed etiam Spiritum sanctum includit : tum quia qui regeneratus est, vivit vitam divinam; Spiritus verò sanctus christianum vivificat : ita Pacianus, et ante ipsum fortè Optatus, post ipsum verò forsitan Chrysostomus, Isidorus Hispalensis, et Rabanus Maurus. Apparet enim ex primo, secundo, tertio et quarto textu, Pacianum Spiritum ab aquâ, chrisma à lavacro, et confirmationem à Baptismo distinguere. 2° Ex iisdem quatuor textibus apparet Pacianum lavacro tribuere purgationem peccatorum, chrismati verò infusionem Spiritûs sancti. 3° Docet in sermone ad fideles et catechumenos, eum non esse regeneratum, qui non accepit Spiritum sanctum. *Neque enim,* inquit, *genitus à Christo videbitur, qui Spiritum ipse non recepit.* Et post nonnulla ait hanc regenerationem *compleri non posse, nisi lavacri et chrismatis et antistitis sacramento; lavacro enim,* etc. 4° Apparet ex tertio textu citato ibi non esse Spiritum sanctum, ex quo regeneratur homo, ubi non est signaculum Confirmationis, quod Spiritum illum adducat. Eamdem ante Pacianum opinionem amplexus fuerat, sive Cyprianus, sive quicumque alius fuerit, adversùs quem auctor anonymus, de quo supra, pag. 180, tractatum suum de Baptismo composuit; hanc enim adversario suo doctrinam impingit. Denique hanc Cypriani mentem fuisse existimat Petrus Aurelius in orthodoxo adversùs Jacobum Sirmundum. Recole quæ dicta sunt pag. 162 et seq.

Cæterùm hæc Paciani doctrina Dallæo minimè suffragatur. Dallæus enim asserit chrismationem esse Baptismi partem et cæremoniam : Pacianus verò chrisma à lavacro seu Baptismate distinguit 1°, 2°, 3°, et 4° textu. Dallæus ait hanc chrismationem esse ritum humanum : Pacianus autem illam à Christo institutam docet in primo textu. Dallæus ait illam esse ritum simplicem : Pacianus contra illam Baptismo et Pœnitentiæ sacramento æquiparat in primo et quarto textu; quin etiam docet illam pœnitentiæ sacramento majorem esse, in primo textu. Denique Dallæus ait illam esse ritum inefficacem; sed Pacianus ei ascribit effusionem Spiritûs sancti ex 1° et 4° textu.

Jam veniamus ad objecta Dallæi, eaque paucis referamus.

Objicit 1° : Paciani sermo inscribitur de Baptismo. Quæcumque igitur in eo disserit, pertinent ad Baptismum vel tanquàm partes, vel tanquàm ritus illius.

Respondeo 1° incertum esse, an titulus ille à Paciano, vel ab amanuensi, vel etiam à typographo præfixus fuerit. 2° Negatur consequentia; sufficit enim ad hunc titulum, ut in eo sermone præcipuè agatur de Baptismo et de iis quæ ad Baptismum attinent. Recole quæ dicta sunt pag. 117 et seq. object. 9, ubi de libro Tertulliani de Baptismo.

Objicit 2° : Pacianus in ipso limine sic præfatur : *Aperire desidero qualiter in baptismo nascamur, et qualiter innovemur.* At chrisma inter cætera censet, quibus nascimur et innovamur, quemadmodùm apparet *ex ultimo textu relato.* Igitur chrisma pertinet ad Baptismum.

Responderi 1° posset Pacianum hìc usurpare Baptismum, non quidem secundùm se, sed secundùm morem, quo tunc temporis administrari solebat, scilicet conjunctim cum Confirmatione. Responderi 2° posset nativitatem alio sensu propriam esse Baptismi, et alio sensu Confirmationis. Baptismo renascimur, sed Confirmatione plenitudinem nativitatis et regenera-

tionis consequimur; quia in Confirmatione conceditur plenitudo Spiritûs sancti, per quem vivificamur. Idem dici debet de innovatione seu novitate vitæ. Baptismo innovamur, sed Confirmatione plenitudinem innovationis consequimur. Hinc S. Thomas, quem certè nemo negaverit Confirmationis sacramentum à Baptismo distinxisse, in cap. 6 epist. ad Hebr., ad hæc verba *impositionis quoque manuum*, ait manûs impositionem, quæ in Confirmatione adhibetur, fieri ad renovationem, juxta illud Pauli ad Titum, cap. 3, v. 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti.* Vita igitur inchoata per Baptismum, sed vita perfecta per Confirmationem conceditur. 3° Respondetur ex mente Paciani, Christianum non renasci, regenerari, et innovari per aquam solam et seorsim à Sacramento Confirmationis, sed per utrumque simul Sacramentum, ex dictis supra.

Instabis : Ex omnium Patrum et theologorum consensu renascimur et regeneramur per solum Baptismum. Sed ex Paciano renascimur et regeneramur per chrisma. Ergo chrisma est pars Baptismi.

Respondeo 1° antecedens esse falsum. Regenerari enim idem est ac renovari, juxta illud Pauli ad Hebræos, cap. 6 : *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati..., et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam.* Sed ex S. Thomâ, renovatio non solùm Baptismati, sed etiam Confirmationi convenit.

Respondeo 2° hìc agi de Paciano, qui specialem hâc in re opinionem habuit, quique manifestè distinguit chrisma à Baptismate, apertèque docet christianum renasci, regenerari, et innovari per utrumque simul Baptismi et chrismatis sacramentum. Neque Pacianus modò, sed et alii nonnulli veteres existimaverunt hisce verbis Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto*, etc., utrumque lavacri et chrismatis sacramentum comprehendi : quam quidem opinionem Cypriani fuisse asserit Petrus Aurelius in Orthodoxo adversùs Sirmundum : et quam Chrysostomi fuisse apparebit ex dicendis infra.

Urgebis. Inde sequeretur ex mente Paciani Confirmationem esse necessariam necessitate medii : non enim cœlum ingreditur, nisi qui renatus fuerit, juxta illud Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Regeneratio igitur necessaria est necessitate medii. Sed ex mente Paciani regeneramur per utrumque lavacri et chrismatis Sacramentum. Utrumque igitur necessarium erit necessitate medii.

Respondeo hoc esse incommodum, quod auctor anonymus, Cypriano æqualis, ex illâ, quam ipse impugnat, sententiâ deducit. Hæc sanè ratiocinatio evincit falsam esse Paciani opinionem : verùm ea non probat Pacianum aliter opinatum esse. De mente Paciani agitur hìc, non autem de incommodis, quæ ex ejus opinione inferri possunt.

Objicit 3° : Pacianus ad describendum totius istius ex lavacro et chrismate mysterii effectum, affert hæc Pauli verba ad Rom. 6, v. 4 ; *Ut quomodò Christus surrexit à mortuis..., ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Sed Paulus his verbis nullius alterius Sacramenti, præterquàm unius Baptismi, vim et effectum expressit. Fatendum igitur est Pacianum vel Paulinis verbis abuti, vel certè existimâsse chrismationem, ad quam illa verba partim accommodat, Baptismi partem aliquam esse.

Respondeo Pacianum verbis Pauli non abuti. 1° Quia Paulus apertè quidem asserit christianum mori peccato et à peccatis purgari per Baptismum, sed resurrectionem ejus spiritualem seu vitæ novitatem non adeò apertè tribuit Baptismo. Nempe mori peccato, tribuit morti Christi ; purgari à peccatis, tribuit ejus sepulturæ ; et vitæ novitatem tribuit ejus resurrectioni. Nos verò in Christi morte ait quidem esse baptizatos, et per Baptismum cum illo consepultos, sed nos per Baptismum cum eo resurgere disertè non asserit ad Rom. 6, v. 4 et 5 ; quemadmodùm nec ad Coloss., c. 2, v. 12 : in iis enim verbis epistolæ ad Coloss. : *Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis :* particula *in quo* ad Christum refertur, non autem ad Baptismum. 2° Cyrillus Jerosolymitanus, quem mox producturi sumus, chrismationem ait correspondere Christi resurrectioni, qui tamen chrismationem apertè distinguit à Baptismate ; quemadmodùm et reipsà distinxit Pacianus, qui Novatianorum Baptisma ut integrum suscipit, licèt illis ad Ecclesiam redeuntibus chrismationem et manûs impositionem ad conferendum eis Spiritum sanctum adhiberet. 3° Si D. Thomas qui certè Confirmationem à Baptismo discrevit, innovationem tribuit Confirmationi ; quidni Pacianus tribuere potuit, quin opus sit eò recurrere, ut ille existimaverit chrismationem esse partem Baptismi ? 4° Innovatio duplex est, imperfecta et perfecta : prior Baptismo, posterior Confirmationi convenit : utrique verò Pacianus Pauli verba per accommodationem appropriare potuit, quin eis abusus fuerit. 5° Quia Confirmatio Baptismi dona perficit, quo fit ut à Patribus Baptismi effectus non rarò tribuantur Confirmationi. 6° Quia Confirmatio est perfectio Baptismi, cumque olim immediatè consequebatur ; ideò Baptismus et Confirmatio, ut unum quid plerùmque sumuntur. 7° Nihil repugnat quominùs unus idemque effectus tribuatur diversis sacramentis : sic Ambrosius remissionem peccatorum neophytis concessam modò tribuit Baptismo, lib. 1 de Sacramentis, c. 4 et 5, et lib. 2, c. 1 et 4, et modò Eucharistiæ, quâ neophyti statim reficiebantur lib. 5, c. 3. Sic ille spiritualem neophytorum resurrectionem modò tribuit Baptismati, lib. 2, c. 1, 6 et 7, modò Eucharistiæ, quam neophyti recipiebant, lib. 5, c. 4. Denique neophyti ab auctoribus noni seculi infra citandis dicuntur per Eucharistiæ participationem effici membra Christi, vitam habere, Christum induere, habere in se inhabitantem Deum, quæ tamen omnia Baptismo conveniunt. Similiter quæ pertinent ad Baptismum dici possunt de Confirmatione, licèt Confirmatio à baptismo distincta sit.

§ 7. *S. Cyrillus Hierosolymitanus.*

Cyrillus Hierosolymorum episcopus, qui sub Theo-

dosio principe obiit, scripsit in adolescentiâ catecheses, quarum meminit Hieronymus in Catalogo, et quarum prima et secunda est de Baptismo, tertia est de Confirmatione : quarta et quinta de Eucharistiâ : quæ sunt tria sacramenta, quæ eodem die à neophytis percipiebantur. Unde apparet Cyrillum habuisse Confirmationem pro Sacramento propriè dicto; quandoquidem illud in numero ponit cum Baptismo et Eucharistiâ.

Igitur catechesi tertiâ, quæ tota est de Confirmatione, sex aut septem docet, quæ luculenter ostendunt illam esse Sacramentum propriè dictum.

1° Quidem ait, nos *Christos* seu unctos fieri, postquam chrisma, quod est imago Spiritûs sancti, suscepimus. *Christi*, inquit, *facti estis, postquàm sancti Spiritûs imaginem recepistis.*

2° Quemadmodum Spiritus sanctus descendit super Christum, postquàm in Jordanè baptizatus est : ita et nos priùs baptizamur, deinde per chrisma recipimus Spiritum sanctum. *Christus quidem*, inquit, *cùm in flumine Jordanis ablutus, fragrantia divinitatis suæ effluvia aquis communicàsset, ascendit ex illis, et Spiritus sanctus substantialiter super eum descendit, requiescens super suî similem : et vobis, postquàm similiter ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus : hoc autem est Spiritus sanctus.*

3° Sicut Christus postquàm crucifixus et sepultus est, resurrexit : ita et nos per Baptismum in similitudinem quamdam crucifixi et sepulti, resurgimus in unctione; quòd uncti eo unguento, facti sumus participes et consortes Christi.

4° *Quemadmodùm panis Eucharistiæ post sancti Spiritûs invocationem non ampliùs est panis communis, sed est corpus Christi; sic et sanctum hoc unguentum, non ampliùs est unguentum nudum, postquàm jam consecratum est, sed est chrisma Christi* (1), *quod adventu Spiritûs sancti per ipsius divinitatem energiam habet, quo frons et alii sensus hìc symbolicè inunguntur; et corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto, ac vivifico Spiritu sanctificatur.* Ad quem locum nota 1° conferri hìc etiam chrisma cum Eucharistiâ, quod argumentum est utrumque esse æquè propriè Sacramentum. Nota 2° unguentum consecratum habere vim sanctificandi, quod est proprium verorum Sacramentorum, quæ sunt instrumenta sanctificationis. Nota 3° non solùm vim habere sanctificandi, sed etiam reipsà verè animam sancto Spiritu sanctificari, cùm frons, aliique sensus chrismate perunguntur. Nota 4° Cyrillum cautè locutum, cùm ait, panem Eucharistiæ post consecrationem esse corpus Christi : unguentum autem post consecrationem non dixit esse Spiritum sanctum, ne putaretur ab ipso fingi similem transsubstantiationem unguenti, qualis fit in pane : sed dixit, *non esse nudum unguentum, sed chrisma Christi*, habens energiam sanctificandi à Spiritu sancto.

5° Quemadmodùm Christus post Baptisma susceptum et descensum Spiritûs sancti pugnavit cum dæmone, eumque devicit; ita et nos post Baptismum, et chrismatis unctionem muniti Spiritu sancto pugnamus. *Ut enim*, inquit, *Salvator post Baptismum et illum Spiritûs sancti adventum, egressus in prælium, devicit adversarium : sic et vos post sacrum Baptisma et chrisma mysticum, induti armis Spiritûs sancti, adversùs vobis oppositam potestatem consistatis.*

6° Post unctionem istam meritò nuncupamur *Christiani*, cùm antea, dùm sola esset regeneratio, non essemus propriè digni hoc nomine. *Hujus*, inquit, *chrismatis dono accepto meritò appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsâ regeneratione. Ante enim quàm hæc vobis gratia donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eò usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.* Denique Cyrillus ibidem dicit Joannem in suâ epistolâ 1, cap. 2, v. 27, cùm ait : *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis... Et unctio ejus docet vos de omnibus :* ad hoc sanctum chrisma allusisse, per quod datur Spiritus, sanctus, qui docet nos de omnibus.

Expenduntur Kemnitii et Dallæi responsiones et objectiones.

Kemnitius primùm quidem in dubium revocat, utrùm Cyrilli sint illæ catecheses. Deinde ut Cyrilli auctoritatem elevet, dubitat, an non ipse aliquando erraverit in fide. Denique tanquàm falsa rejicit, quæ Cyrillus asserit. Refellitur. De catechesibus enim Cyrilli nemo unquàm dubitavit, earum meminit Hieronymus in catalogo, neque profert Kemnitius ullam rationem vel conjecturam, cur dubitandum sit. De fide autem et probitate Cyrilli extat egregium testimonium in epistolâ concilii Constantinopolitani ad Damasum apud Theodoretum, lib. 5, c. 9, ubi synodus œcumenica Cyrillum vehementer commendat, quòd multa et varia certamina cum Arianis ob fidem catholicam gesserit. Denique solemne est hæreticis Patrum auctoritatem rejicere, catholicis eam admittere.

Dallæus quatuor responsiones affert, quarum prima est : Quæcumque dicuntur à Patribus habere vim sanctificandi, ea non esse sacramenta propriè dicta. Augustinus enim lib. 2 de peccatorum Meritis, cap. 26, putat, *Catechumenos secundùm quemdam modum suum per signum Christi et orationem manûs impositionis sanctificari.* In ordine quoque Romano vis sanctificandi cineri tribuitur.

Refellitur. Aliud enim est sanctificare simpliciter, et aliud sanctificare secundùm quid. Sacramenta vim habent sanctificandi simpliciter; ritus verò sacramentales vim habent sanctificandi secundùm quid, sive *secundùm quemdam modum*, ut Augustinus, ibidem, loquitur. Atqui unctio, de quâ Cyrillus, vim habet sanctificandi simpliciter; ait enim quòd hæc unctio nos *Christos* efficit : *quòd in unctione resurgimus spiritaliter : quòd uncti eo unguento sumus participes et consortes Christi : quòd corpus quidem isto visibili unguento perungitur; anima verò sancto ac vivifico Spiritu sanctificatur : quòd per illud chrisma induimur arma Spiritûs sancti, quibus adversùs nobis oppositam potestatem consistamus : quòd*

(1) Arcudius, aliique nonnulli legunt, ἀλλὰ Χριστοῦ χρῖσμα, *sed est donum Christi.*

hujus chrismatis dono accepto, meritò appellamur et efficimur christiani.

Iisdem textibus refutatur secunda Dallæi solutio, quâ respondet Cyrillum non dicere animam sanctificari per chrismatis unctionem : sed dicere tantùm, animam Spiritu sancto sanctificari. Ex his enim textibus apparet id omninò falsum esse.

Tertia responsio est, quòd sicut Christus, non in novo aliquo Sacramento à Baptismate diverso, sed in ipso Baptismate vix ex Jordane egressus accepit Spiritum sanctum; ita quoque secundùm Cyrillum neophytis in ipso Baptismo, non autem in sacramento à Baptismate diverso Spiritus sanctus per chrisma confertur ; adeòque hæc chrismatis unctio est pars vel ritus Baptismi.

Refellitur 1° Quia descensus Spiritûs sancti super Christum non erat pars baptismi Joannis, quo Christus baptizatus est, sed baptismum Joannis velut quid à se penitùs distinctum consecutus est. 2° Quia Cyrillus apertè significat hanc chrismatis unctionem fieri post integrum Baptisma. *Vobis*, inquit, *postquàm ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma*. Et infra : *Ut enim Salvator post Baptismum et illum Spiritûs sancti adventum, egressus in prœlium, devicit adversarium ; sic et vos post sacrum Baptisma et chrisma mysticum, induti armis Spiritûs sancti, adversùs vobis oppositam potestatem consistatis.* Quorsùm, quæso, Cyrillus aliique Patres chrisma distinguunt à Baptismate, ipsumque post Baptisma repetunt, si existimârunt illud in Baptismate comprehendi. Denique hæc distinctio apparet ex textu relato num. 6. Cùm enim dicat christianos in regeneratione seu Baptismo nuncupari, eo tamen nomine non esse propriè dignos, nisi qui chrismantur, considerat certè chrismationem et Baptismum tanquàm duo penitùs à se invicem distincta.

Quarta responsio est, inauditum esse, ut qui verè baptizatus est, is propriè christiani nomine non sit dignus; quia per regenerationis Sacramentum verè christiani efficimur. Sed Cyrillus asserit nos appellari christianos post chrismatis susceptionem ; nec eo nomine, antequàm ungamur, nos propriè dignos esse. Hæc igitur unctio ad Baptismum pertineat necesse est. Idem respondet Antonius de Dominis, num. 4.

Refellitur. 1° Quia major est falsa, quemadmodùm apparet ex iis, quæ supra disseruimus. 2° Quia hìc agitur de mente Cyrilli. Cyrillus verò utrumque asserit, videlicet nos in Baptismo esse christianos, eam tamen appellationem, quæ à regeneratione est, non propriè dici de nobis, nisi post unctionem chrismatis. Neque in eo major apparet contradictio, quàm cùm dicitur, quòd parvulus, recèns in lucem editus, verè homo est, qui tamen eo nomine non est propriè dignus, donec adoleverit. Neque sequitur hominem habere à Baptismo, quòd cognominetur propriè christianus : sicut non sequitur habere à nativitate, quòd propriè cognominetur homo. Paritas utrobique eadem est : infantiam enim christianam adipiscimur per Baptismum, et christianismi plenitudinem per Confirmationem assequimur.

Objicit 1° Dallæus. Eadem est ratio unctionis ex oleo, quæ adhibetur ante baptismalem immersionem ac ipsius unctionis ex chrismate, quæ adhibetur ex aquis sacri lavacri egressis. Sed prior est ritus Baptismi. Igitur et posterior.

Respondeo utriusque unctionis diversam rationem esse. Prior enim institutionis est ecclesiasticæ, posterior institutionis divinæ, prior sanctificat secundùm quid, posterior sanctificat simpliciter ; prior gratiam operatur ex opere operantis, posterior ex opere operato.

Objicit 2° : Cyrillus ipse palàm testatur, quo loco chrismationem hanc censuerit. Sic enim orationem, quam de eâ dixit exorditur. *In Christum baptizati et Christum induti, conformes facti estis Filii Dei. Deus enim hos, quos prædestinavit in adoptionem filiorum, conformes effecit corpori glorioso Christi. Participes ergo Christi effecti, meritò, Christi, id est, uncti, vocamini ; et Deus dixit de vobis : Nolite tangere Christos meos. Christi verò facti estis, cùm sancti Spiritûs imaginem (nempe chrisma) suscepistis.* Quidquid isti hactenùs susceperant, Cyrillus duobus aut tribus vocabulis initio complexus est, dùm eos dixit *in Christum baptizatos et Christum indutos* esse; ergo et Baptismi pars est ea chrismatio, quam susceperant.

Respondeo objectionem in æquivocatione consistere. Dallæus enim conformitatem seu participationem, cujus in eo textu mentio fit, refert ad Baptismum ; cùm contra ex mente Cyrilli ad chrisma referri debeat, per quod Spiritus sanctus in nos descendit, eoque spiritualiter ungimur : sicut Spiritus sanctus super Christum in Jordane descendit, eoque unctus est. Sensus igitur Cyrilli hic est : *In Christum baptizati et Christum induti, conformes (per unctionem) facti estis Filii Dei. Participes ergo Christi effecti, meritò, Christi, id est, uncti, vocamini. Christi verò facti estis, cùm sancti Spiritûs imaginem suscepistis.* Quemadmodùm igitur si dixisset Cyrillus, quod dicere potuisset, *In Christum baptizati et Christum induti, unum corpus cum eo facti estis, cùm corpori ejus in Eucharistiâ communicâstis*, non inde quis rectè concluderet, Eucharistiam esse partem Baptismi ; ita cùm dixit, *In Christum baptizati et Christum induti conformes facti estis Filii Dei, (seu) participes Christi effecti estis...., cùm sancti Spiritûs imaginem (seu chrisma) suscepistis* ; inde colligi non potest, chrisma esse partem lavacri.

Inde patet solutio ad tertiam Dallæi objectionem, quâ ille contendit has phrases : *In Christum baptizatos, Christum indutos, conformes factos fuisse Filii Dei, ejusque participes*, et *Christos*, idem omninò sonare, nec alius sacramenti, quàm Baptismatis effectus esse. Siquidem ex mente Græcorum Patrum *conformes efficimur Filii Dei ; ejusque participes efficimur* per susceptionem Spiritûs sancti, qui est *signaculum Christi, forma Christi, imago Filii Dei.* Videsis Athanasium in Epistolâ ad Serapionem, longè ante finem. Atqui ex Cyrillo Spiritus sanctus per chrismationem

infunditur. Accedit, quòd Cyrillus conceptis terminis dicat, *quòd uncti eo unguento facti sumus participes et consortes Christi.*

Objicit 4° Cyrilli comparationem, quâ sicut Spiritus sanctus super Christum baptizatum descendit; ita chrisma, quod gerit imaginem Spiritûs sancti, datum est recens baptizatis. Sed descensus Spiritûs sancti pertinet ad Christi Baptismum. Igitur et chrisma, ut comparatio rectè instituta sit, pertinere debet ad Baptismum neophytorum.

Respondeo meram esse æquivocationem. Minorem igitur distinguo : descensus Spiritûs sancti super Christum baptizatum pertinet ad Christi Baptismum, quem ille in Jordane suscepit; nego : suscepit enim Joannis baptisma, ad quod Spiritus sanctus non pertinebat. Pertinet ad Christi Baptismum, quem Christus instituit, subdistinguo : pertinet, ut ex illo Spiritu christianus regeneretur, juxta illud Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto*, etc., concedo; pertinet, quia in Baptismate à Christo instituto Spiritus sanctus conceditur ad remissionem peccatorum, concedo iterùm; pertinet, quia in Baptismo à Christo instituto Spiritus sanctus conceditur ad robur et gratiæ augmentum, nego. Cyrillus verò descensum Spiritûs sancti super Christum in Jordane, et super neophytos in unctione, considerat ut principium roboris et fortitudinis, quâ Christus munitus processit ad pugnam, et quâ instructi neophyti parati sunt ad certamen. Sed age Dallæum eâdem comparatione perstringamus. Cyrillus enim comparationem instituit inter Baptismum Joannis à Christo susceptum, et Baptismum Christi neophytis collatum; inter descensum Spiritûs sancti super Christum baptismo Joannis baptizatum, et chrismationem neophytis Christi Baptismo initiatis administratam. Sicut igitur descensus Spiritûs sancti non pertinebat ad Joannis Baptismum, quem Christus suscepit; ita chrismatio, ut comparatio rectè instituatur, pertinere non debet ad Christi Baptismum, quo neophyti initiantur.

Instabis. Signum exterius effectûs sacramentalis et ipse sacramentalis effectus pertinent ad idem sacramentum : sic exterior et interior ablutio pertinent ad Baptismum; sic exterior et interior unctio pertinent ad Sacramentum Extremæ-Unctionis; sic actus pœnitentis exteriores, et interior peccatorum absolutio pertinent ad pœnitentiam. Atqui ex Cyrillo chrisma, quod neophytis confertur, est symbolus descensûs Spiritûs sancti, qui super Christum in Jordane descendit. Utrumque igitur pertinet ad idem Sacramentum. Sed descensus Spiritûs sancti pertinet ad Baptismum à Christo institutum. Igitur et chrisma.

Respondeo 1° alium esse descensum Spiritûs sancti super aquas baptismales, et alium esse descensum ejusdem Spiritûs sancti super fideles, qui baptizantur, vel qui recens baptizati sunt. Quamvis enim Patres unanimi consensu doceant, quòd Spiritus sanctus descendat super aquas baptismales iisque immoretur ut eas sanctificet, et eis vim sanctificandi conferat : nihilominùs apud eosdem Patres incertum est, utrùm baptismus à Christo institutus conferat Spiritum sanctum, an delictorum absolutione vias præparet ad superventurum Spiritum sanctum. Recole quæ dicta sunt, pag. 94 et seq., et 266. Atqui ex Cyrillo chrisma significat descensum Spiritûs sancti super ipsos fideles, non autem super aquas baptismi.

Respondeo 2° descensum Spiritûs sancti super fideles, alium esse ad remissionem peccatorum, et alium ad robur et fortitudinem. Prior esto pertineat ad Baptismum; posterior certè non pertinet. Atqui ex Cyrillo chrisma significat Spiritum sanctum ut principium roboris et fortitudinis, quâ Christus munitus processit ad pugnam, et quâ instructi neophyti parati sunt ad certamen. Chrisma igitur ex mente Cyrilli non pertinet ad baptismum à Christo institutum.

Urgebis. Ex Cyrillo, sicut Christus postquàm crucifixus et sepultus est, resurrexit, *ita et nos per baptismum in similitudine quàdam crucifixi et sepulti, resurgimus in unctione, quòd uncti eo unguento, facti sumus participes et consortes Christi.* Atqui ex Paulo ad Rom. 6, v. 4; ad Coloss. 2, v. 12, et ex sanctis Patribus, ac præsertim ex Ambrosio, resurrectio spiritalis est effectus Baptismi. Igitur et chrismatis unctio ad Baptismum pertinet. Confirmatur. Immersio et emersio pertinent ad Baptismum, quia significant sepulturam et resurrectionem : utraque verò sepultura et resurrectio spiritalis est effectus Baptismi; per Baptismum enim Christo consepelimur, et cum Christo resurgimus. Ergo à pari chrisma pertinet ad Baptismum, quia significat et efficit spiritalem resurrectionem, quæ Baptismi effectus est.

Respondeo 1° Pauli mentem non adeò certam esse, quâ de re supra, pag. 271.

Respondeo 2° hìc agi de mente Cyrilli non autem aliorum Patrum. Cyrillus verò resurrectionem spiritalem tribuit chrismationi, quam à baptismate à Christo instituto apertè distinguit.

Respondeo 3° easdem omnes solutiones posse huic objectioni adhiberi; quæ adibitæ fuerunt objectioni tertiæ ex Paciano petitæ, et relatæ, pag. 271.

§ 8. *Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, et Prudentius.*

Basilius, archiepiscopus Cæsariensis in Cappadociâ, qui, Valente imperante, floruit, et sub Gratiano obiit anno 378, consecrationis olei et ejus unctionis meminit, eamque ad traditiones apostolorum asserendas adducit, lib. de Spiritu sancto, cap. 27. *Consecramus aquam baptismatis, et oleum unctionis. Ex quibus scriptis? nonne à tacitâ, secretâque traditione? ipsam porrò olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit?*

Ejusdem unctionis mentionem facit Gregorius Nazianzenus, qui floruit sub Valente, et anno Theodosii II, Christi verò 389, in cœlum migravit. *At si tu*, inquit oratione 40 in sanctum lavacrum, *vel per Baptismum te ipsum obfirmaveris, ac præclarissimo et firmissimo auxilio tibi in futurum caveris, animum scilicet et corpus unctione et spiritu consignans..., quid tibi accidet? et quod tibi præsidium comparatum erit. Audi Salo-*

monis parœmias : Si sederis, ait, *intrepidus eris; si dormieris, suavis erit somnus tuus.*

Meminit quoque Aurelius Prudentius, poeta christianus, qui sub Theodosio seniore et filiis ejus floruit ad annum 390; videlicet in psychomachiâ, ubi de pugnâ luxuriæ et sobrietatis :

Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Unguentum regale datum est, et chrisma perenne.

Et hymno ante somnum :

Cultor Dei, memento
Te frontis et lavacri
Rorem subiisse sanctum,
Te chrismate innotatum.

§ 9. *Siricius.*

Siricius papa, in epistolâ, quam initio sui pontificatûs, anno 385 ad Himerium, episcopum Tarraconensem, scripsit, ipsum monet Arianos, Novatianos, aliosque hæreticos in Ecclesiam suscipiendos esse, non iteratione Baptismi, sed solâ manûs impositione confirmatoriâ. *Arianos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritûs, episcopalis manûs impositione, catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus oriens occidensque custodit.* Synodus, de quâ loquitur, Nicæna est, quæ canone 8 definit, Novatianos per manûs impositionem admittendos esse. Sed manûs impositionem, de quâ synodus Nicæna, confirmationem esse probavimus supra.

§ 10. *S. Ambrosius.*

Ambrosius, episcopus Mediolanensis, qui Gratiano et Theodosio imperantibus floruit, obiitque anno 397, unctionis confirmatoriæ meminit in libro de Salomone, cap. 3 : *Moyses*, inquit, *in cantico Deuteronomii, ait : Lactavit eos mel ex petrâ, et oleum de solidâ petrâ*, id est, *quod dulcem daturus is* (nempe Christus) *esset Evangelii suavitatem, aut Spiritum sanctum per chrismatis unctionem.* Quid verò est chrismatis unctio, per quam datur Spiritus sanctus ex instituto Christi, nisi unctio sacramentalis et confirmatoria ?

Erasmus quidem dubitavit an liber ille sit Ambrosii. Sed Erasmo consensum eruditorum omnium opponimus.

Dallæus, lib. 2, cap. 25, respondet quòd Spiritus sanctus per chrismatis unctionem dari dicitur ab Ambrosio phrasi symbolicâ, quia scilicet per chrisma significatur et adumbratur Spiritus sanctus, non autem quòd ipsius chrismatis vi et operatione conferatur. Sed nemo non videt hanc Dallæi interpretationem esse violentam, prorsùsque alienam à verbis Ambrosii. Verbum enim, *daturus esset*, quod non repetitur, sed ponitur semel, ad duo membra refertur. Eodem igitur sensu in utroque membro accipitur. Sed in priori membro sumitur propriè, non autem symbolicè et figurativè. Igitur et in posteriori membro.

Unctionis quoque confirmatoriæ aliquid subindicat in cap. 6 Lucæ, ad hæc verba : *Et respondens Jesus ad eos*, etc., ubi exponens hæc Christi verba : *Nec hoc legistis, quod fecit David; quomodò intravit in domum Dei et panes propositionis sumpsit, et manducavit et dedit iis, qui cum ipso erant : quos non licet manducare, nisi tantùm sacerdotibus.* Ait hoc Davidis facto figuratum fuisse, quòd in lege evangelicâ *sacerdotalis cibus* (id est, cibus eucharisticus) ad usum transiturus esset populorum ; sive quòd omnes vitam sacerdotalem debent imitari ; sive quia omnes filii Ecclesiæ sacerdotes sunt : ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias spiritales.

Clariorem verò ejusdem unctionis mentionem facit in libro de Initiandis, cap. 6 : *Post hæc*, inquit, *id est, post Baptisma susceptum utique ascendisti ad sacerdotem. Considera quid secutum sit : nonne illud quod ait David ? « Sicut unguentum in capite, quod descendit « in barbam, barbam Aaron ? » hoc est unguentum*, etc. *Ideò in barbam defluit, id est, in gratiam juventutis. Ideò in barbam Aaron, ut fias electum genus, sacerdotale, pretiosum. Omnes enim in regnum Dei et in sacerdotium ungimur gratiâ spiritali.* Et in fine capitis 7 : *Repete, quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiæ et intellectûs, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris : et serva quod accepisti. Signavit te Deus pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in corde tuo.*

Dallæus, ut sese ab hâc auctoritate expediat, respondet, lib. 1, cap. 25, post Robertum Cocum in Censurâ suæ editionis secundæ, ad quem remittit lectorem, aitque hunc librum non esse Ambrosii, sed ignoti cujusdam auctoris fœtum.

Verum Coco et Dallæo opponimus 1° codices omnes manuscriptos ; 2° editiones omnes, ne unâ quidem exceptâ ; 3° vel ipsum Blondellum, Falcarium, Gerardum Joannem Vossium, Albertinum in lib. de Eucharistiâ, et Rivetum in Critico sacro, lib. 3. Ii siquidem Calvinistæ, qui certè apud suos eruditi habentur, agnoscunt hunc librum esse genuinum fœtum Ambrosii : imò eorum plurimi libros de Sacramentis extra catalogum Ambrosianorum rejiciunt, quòd stylo differre existiment à libro de Initiandis ; 4° opponimus orthodoxos et heterodoxos omnes, qui ab 800 annis ex hoc libro testimonia protulère. Denique vel ipsum librum opponimus, qui per se clamat se Ambrosianum esse. Auctor enim in præfatione dicit se tractâsse moralia quædam ex vitis patriarcharum, et ex Salomone ; quæ opera nemo negavit unquàm esse Ambrosii. Præterea idem stylus est eademque Scripturæ translatio Latina, quâ in cæteris operibus Ambrosius usus est, quæ quidem translatio Ambrosio specialis est. Pauca referam ex pluribus, quæ à Vulgatâ nostrâ differunt : *Spiritus superferebatur super aquas;* de Initiandis, c. 3 ; idem habetur, lib. 1 Hexaemeron, c. 8, et alibi : *Non permanebit Spiritus meus in hominibus, quoniam carnes sunt;* de Init., c. 3 ; idem, lib. 6 Hexaemeron, c. 6, et alibi : *Estote astuti, sicut serpentes;* de Init., c. 4 ; idem, lib. de Fugâ seculi, c. 7, et alibi : *Unguentum exinanitum est nomen tuum*; de Init., c. 6 ; id., lib. de Eliâ, cap. 10, et alibi : *Si fuerint peccata vestra sicut Phœnicium, ut nivem dealbabo;* de Init., c. 7 ; idem in psalm. 50, ad hæc ver

ba : *Asperges me*, etc. *Quæ est, quæ ascendit dealbata?* de Init., c. 7; idem in psalm. 41, ad hæc verba : *Ad me ipsum*, etc., et alibi : *Tollite portas principis vestri*, etc.; de Init., c. 7; idem, lib. de Instit. virginis, c. 5 : *Quis est iste, qui ascendit ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor?* de Init., c. 7; idem in psalm. 118, ad hæc verba : *Anima mea in manibus*, etc. *Tota formosa es, proxima mea, et reprehensio non est in te;* de Init., c. 7; idem in Apolog. 2 Davidis, c. 8, et in lib. de Fide resurrect., sub finem : *Quæ omnes genuinos creant, et infecunda non est in eis;* de Init., c. 7; idem in psalm. 118, ad hæc verba : *Oculi mei*, etc. *Ut resticula coccinea labia tua;* de Init., c. 7; idem in psalm. 118, ad hæc verba : *Ignitum eloquium*, etc. *Quis dabit te fratrem lactentem ubera matris meæ? Inveniens te foris, osculabor te; et quidem non spernent me. Assumam te et inducam in domum matris meæ, et in secretum ejus quæ concepit me;* de Init., c. 7; idem in psalm. 118, ad hæc verba : *Prævenerunt oculi mei*, etc. *Spiritum consilii atque virtutis, Spiritum cognitionis atque pietatis;* de Init., c. 7; idem in psalm. 118, ad hæc verba : *Statue servo tuo*, etc. *Poculum meum inebrians quam præclarum est!* de Init., c. 8; idem in psalm. 36, et 118, et lib. de Noe, c. 29 : *Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa : vindemiavi myrrham cum unguentis meis : manducavi panem meum cum melle meo : bibi vinum cum lacte meo. Edite, proximi mei, et bibite, et inebriamini fratres mei;* de Init., c. 9; idem lib. de Bono mortis, c. 5. Hæc autem Latina Scripturæ translatio ita specialis fuit Ambrosio, ut ea nec Augustinus, nec Hieronymus, nec alii, quod sciam, Ambrosio æquales vel suppares usi fuerint.

Loca prætermittimus, quæ ex libris sex de Sacramentis, necnon ex Commentariis in Pauli epistolas colligi possunt : de his enim uberrimè infra, ubi de suppositis vel dubiis operibus.

§ 11. *S. Chrysostomus.*

Quid de propositâ quæstione senserit Joannes Chrysostomus, qui anno 407 obiit, colligi debet ex Homiliâ 18 in Acta, ante medium; ubi loquens de Samaritanis, qui à Philippo diacono baptizati fuerant, nondùm tamen acceperant Spiritum sanctum, sic habet : *Philippus unus ex septem* (diaconis) *erat secundus à Stephano : ideò et baptizans Spiritum sanctum non dabat : neque enim facultatem habebat. Hoc enim donum solorum apostolorum erat.... Igitur hoc erat in apostolis singulare. Unde et præcipuos* (hoc est, episcopos) *et non alios videmus hoc facere.* Quem textum exposuimus supra, et objecta Dallæi diluimus.

Potest etiam colligi ex homiliâ 9 in cap. 6 ad Hebr., ad hæc Pauli verba : *Non iterùm fundamentum ponentes baptismatum, doctrinæ, impositionis quoque manuum.* Ubi Chrysostomus tria præstat : primum quidem hæc tria distinguit, *baptismatum, doctrinæ, impositionis quoque manuum* (quæ tamen in Vulgatâ non distinguuntur). Baptismum enim sequebatur doctrina, seu catechesis, quâ *post Baptismum docebantur* (initiati) *quid agere deberent, et quid non deberent :* doctrinam verò sequebatur manuum impositio. 2° Ait per hanc manuum impositionem initiatos *accepisse Spiritum sanctum, imponente illis Paulo manus.* 3° Monet initiatos ne malè, vel negligenter vivant; neque dicant, si negligenter vixerimus, iterùm baptizabimur, iterùm catechizabimur, iterùm accipiemus Spiritum sanctum... *Impossibile namque est eos, qui semel illuminati* (seu baptizati) *sunt : gustaverunt quoque donum cœleste* (hoc est remissionem); *et participes facti sunt Spiritûs sancti, et bonum gustaverunt verbum Dei* (seu doctrinam); *et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam*, eam scilicet quæ Baptismum præcedit, et Baptismo conjuncta novum hominem efficit.

CAPUT IV.

Auctores seculi quinti.

§ 1. *S. Hieronymus.*

Mens beati Hieronymi, qui Honorio imperante obiit anno 420, apparet ex dialogo adversùs Luciferianos, cujus compendium hic præmittamus necesse est, ad mentem Hieronymi aperiendam, Antonii verò de Dominis et Dallæi responsiones refellendas, eorumque objectiones diluendas.

Lucifer, Calaritanus episcopus, Antiochiæ, ubi exul erat, ab eorum communione se separavit, qui episcopos Arimini lapsos, pœnitentes quidem, non tamen sacerdotii gradu depositos, in Ecclesiam admiserant. Luciferianus igitur, quem Hieronymus in hoc dialogo interloquentem inducit, laicum quidem Arianum, modò pœniteat, concedit in Ecclesiam recipiendum esse; sed episcopum, nisi deponatur, suscipiendum esse negat; quia *non est episcopi lacrymas fundere pro peccatis : non est episcopi, ad fratrum genua provolvi.* Et infra, *Recipio laicum, qui errâsse se confitetur.... Episcopus si errâsse se confitetur, cur episcopus perseverat? deponat sacerdotium, concedo veniam pœnitenti.* Orthodoxus verò asserit eamdem esse in eo rationem laici et episcopi : et paritatem instituens inter episcopi sacerdotium et Baptisma quo laicus est sacerdos juxta illud Petri : *Gens sancta, regale sacerdotium*, etc.; argumentum ita retorquet : si laicus, qui errâsse se confitetur, recipi debet, quin deponat sacerdotium laici, id est, Baptisma; quidni episcopus recipi poterit, quin deponat sacerdotium episcopi?

Pergit Luciferianus : *Recipimus laicos, quoniam nemo convertetur, si se scierit rebaptizandum : et ita fiet ut nos simus causa perditionis eorum, si repudientur.* Reponit orthodoxus : *Tu in eo quòd recipis laicum, unam animam salvas : et ego in recipiendo episcopum, universam, cui præest, provinciam Ecclesiæ socio : quem si repellam, multos secum in ruinam trahet.*

Luciferianus multis contendit episcopi, qui lapsus est, sacrificia probari non posse. Reponit orthodoxus, Baptismum, quem episcopus administrat, ejusdem esse conditionis cum sacrificio, quod ille offert : quare utrumque vel approbandum vel reprobandum esse.

Sed ego, subjicit Luciferianus, *pœnitentem recipio per manûs impositionem et invocationem Spiritûs sancti,*

sciens ab hæreticis Spiritum sanctum non posse conferri. Reponit orthodoxus : *Si Arianus Spiritum sanctum non potest dare, ne baptizare quidem potest; quia Ecclesiæ Baptisma sine Spiritu sancto nullum est : tu verò baptizatum ab eo recipias, et postea invoces Spiritum sanctum : aut baptizare eum debes, qui sine Spiritu sancto non potuit baptizari; aut si est baptizatus in Spiritu, desine ei invocare Spiritum, quem tunc, cùm baptizaretur, accepit.*

Instat Luciferianus, Baptismum posse esse sine Spiritu sancto, quia legitur in Actibus Apostolorum, cap. 19, *eos, qui jam à Joanne baptizati fuerant, postea fuisse Spiritum sanctum consecutos.* Reponit orthodoxus discrimen esse, quia Baptismus Joannis neque perfectus erat, neque conferebat Spiritum sanctum. Subjicit Confirmationem seu invocationem Spiritûs sancti, quæ super baptizatos Baptismo Christi fieri solebat, esse quid modicum. *Tu verò*, inquit, *qui ab Arianis recipis baptizatum, et ei tribuis Baptisma, quod perfectum est* (hoc est, et concedis ejus Baptisma perfectum esse), *quo pacto, quasi modicum quid ei defuerit, sanctum invocas Spiritum; cùm Baptisma Christi sine Spiritu sancto nullum sit?* Denique respondet baptizatos à Joanne, iterùm fuisse ab apostolis tinctos Baptismo Christi, deinde verò confirmatos. Quare Apostolorum exemplo posse quidem Spiritum sanctum invocari super eos qui recens in Ecclesiâ baptizati sunt Baptismo Christi, non autem super Arianos et alios hæreticos, qui jampridem extra Ecclesiam initiati sunt. *Si ergo*, inquit, *qui à Joanne baptizati fuerant, baptizati sunt vero et legitimo Ecclesiæ Baptismate, et ita postea Spiritum sanctum consecuti sunt : et tu Apostolorum sequere auctoritatem, et Baptiza eos, qui Christi non habent baptisma : et poteris invocare Spiritum sanctum.*

Urget Luciferianus, hanc ecclesiarum consuetudinem esse, ut super eos qui Baptisma Christi susceperunt, Spiritus sanctus per manûs impositionem invocetur. *An nescis, etiam ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam et multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt*, etc. Orthodoxus admittit hunc esse morem ecclesiarum, ut ad eos, qui in minoribus urbibus baptizati sunt, episcopus manus eis impositurus excurrat : sed reponit causam Luciferianorum nihil in hoc adjuvari ; quia mos ille servatur tantùm respectu eorum, *qui in rectâ fide baptizati sunt*, non autem eorum, qui in erroneâ fide extra Ecclesiam baptizati, peccatorum remissionem minimè consecuti sunt. Porrò id factitatum potiùs ad honorem sacerdotii, quàm ad legis necessitatem : aliàs miseros fore, qui à presbyteris baptizati, ante ex hâc vitâ discedunt quàm ad eos episcopus manus eis impositurus excurrat. *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat : sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas?.... Episcopus si imponit manum, iis imponit, qui in rectâ fide baptizati sunt..... Arianus verò,..... quomodò Spiritum sanctum ab Ecclesiâ recipiet, qui necdùm remissionem peccatorum consecutus est ? Spiritus quippe sanctus nisi mundam fidem non incolit.... Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui : disce hanc observationem ex eâ auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potiùs sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Alioqui si ad episcopi tantùm deprecationem Spiritus sanctus defluit; lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros et diaconos baptizati, ante dormierunt, quàm ab episcopis inviserentur.*

En sacramentum Confirmationis propriè dictum. 1° Manûs impositio est signum sensibile. 2° Per hanc manûs impositionem invocatur et confertur Spiritus sanctus. 3° In Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipit Spiritum sanctum. Denique id totum ita scriptum est in Actibus Apostolorum, cap. 8, v. 14 et seq., et cap. 19, v. 6. Ita præscribitur *totius orbis in hanc partem consensu : et hæc observatio ex eâ auctoritate descendit quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad apostolos descendit.*

Refelluntur Calvini responsiones.

Calvinus, lib. 4 Instit., cap. 19, § 4 et 13, ad auctoritatem Hieronymi duo respondet : 1° Concedit Hieronymum existimâsse observationem apostolicam esse ritum Confirmationis ; sed illum in hanc partem ait hallucinari.

Refellitur. 1° Inde constat saltem Hieronymum ita sensisse. 2° Non Hieronymus modò ita sentit; sed et orthodoxum, omnium catholicorum nomine ita sentientem inducit. Eam igitur mentem fuisse omnium catholicorum Hieronymus testatur. 3° Non solùm orthodoxus, sed et Luciferianus, quem Hieronymus interloquentem inducit, ita sentit. Hæc igitur mens apud orthodoxos et Luciferianos constans erat. 4° Uterque, seu orthodoxus, seu Luciferianus, hanc apostolicam traditionem unanimi consensu confirmat facto Petri et Joannis, qui, Act. 8, Samaritanis à Philippo baptizatis manus imposuerunt, et ita invocârunt Spiritum sanctum : et in eo tantùm differunt, quòd Luciferianus ex hoc facto concludit Confirmationem laicis etiam in Arianâ hæresi baptizatis conferendam esse ; Orthodoxus contra contendit, inde sequi duntaxat Confirmationem iis concedendam esse, qui in Ecclesiâ et in rectâ fide baptizati sunt.

Respondet 2° Calvinus Confirmationem apud veteres fuisse duntaxat catechesim puerorum, qui in infantiâ baptizati fuerant, cujus rei confirmandæ gratiâ citat Hieronymum in dialogo contra Lucif.

Quâ fronte id dixerit Calvinus, viderint Calvinistæ. In eo siquidem dialogo Hieronymus ne meminit quidem hujus catecheseos. Cæterùm hanc Calvini responsionem fusè refutabimus infra.

Diluuntur objectiones Antonii de Dominis et Dallæi.

Plura objicit Antonius de Dominis, num. 18, quæ Dallæus repetit, et quibus nonnulla addidit, lib. 2, cap. 22. Hæc ordine referemus. Dallæus igitur objicit inprimis : *Ex ipso Hieronymi contextu liquere Spiritum sanctum vi Baptismatis omnibus, qui initiantur, conferri. Unde sequitur : quidquid Baptismo additur, quo in genere sunt unctio et manûs impositio confirmatoria, id (si propriè loquendum est) nullam per se vim habere ad Spiritum conferendum, sed ad significandum duntaxat, atque adumbrandum illum.*

Respondeo, apud antiquos Patres controverti, utrùm Spiritus sanctus vi Baptismatis conferatur : affirmant alii, alii negant, quâ de re disseruimus supra. Concedo igitur ex ipso Hieronymi contextu liquere, Spiritum sanctum vi Baptismatis conferri ad remissionem peccatorum; quia *sine Spiritu sancto*, ait, cap. 3, *peccata non possunt dimitti ; nec antiquis sordibus anima purgatur, quæ sanctum non habet Spiritum :* Sed ex eodem contextu apparet, iis, qui in Ecclesiâ et in rectâ fide baptizati sunt, adeòque ex Hieronymi mente Spiritum sanctum in Baptismo acceperunt, eumdem Spiritum sanctum per manûs episcopalis impositionem iterùm conferri. *Si ergo à Joanne baptizati*, inquit ille in fine capitis 3, *baptizati sunt vero et legitimo Ecclesiæ Baptismate, et ita postea Spiritum sanctum consecuti sunt : et tu apostolorum sequere auctoritatem, et baptiza eos, qui Christi non habent Baptisma, et poteris invocare Spiritum sanctum.* Et cap. 4 : *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui? disce*, etc. De iis loquitur, *qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt*, et deinde manûs impositionem ab episcopo accipiunt. Asserit igitur Spiritum sanctum in vero Baptismate tribui, eumque per manûs impositionem, iterùm conferri : et paucis interjectis subjicit : *Quòd si ad episcopi tantùm deprecationem Spiritus sanctus defluit ; lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros et diaconos baptizati, ante dormierunt, quàm ab episcopis inviserentur.* Concedit igitur Hieronymus quòd Spiritus sanctus ad episcopi deprecationem defluit : et id unum contendit, quòd Spiritus sanctus non solùm per manûs episcopalis impositionem, sed etiam per verum Baptisma defluit. Itaque Hieronymus duplicem Spiritûs sancti descensum admittit, alterum in Baptismo, alterum in Confirmatione. Prior est ad remissionem peccatorum, et respondet descensui Spiritûs sancti super Christum in Jordane, ex cap. 3 ejusdem dialogi : posterior respondet descensui Spiritûs sancti super apostolos die Pentecostes, ex cap. 4 ejusdem dialogi. Atque ita ex mente Hieronymi ad robur et perfectionem conceditur.

Instabis. Hieronymus orthodoxum sic argumentantem inducit, cap. 3 adv. Lucif., qui Arianorum quidem Baptismum admittebat, negabat tamen Spiritum sanctum in eo Baptismo illis concessum fuisse ; adeòque manus illis imponebat, et super eos invocabat Spiritum sanctum. Arianus vel est baptizatus in Spiritu sancto, vel non : si non est baptizatus in Spiritu, *baptizare eum debes, quia sine Spiritu sancto non potuit baptizari : aut si est baptizatus in Spiritu, desine ei invocare Spiritum, quem tunc, cùm baptizaretur, accepit.* Sensit igitur Spiritum sanctum minimè invocandum esse super eum qui in Spiritu sancto baptizatus est.

Respondeo hanc consequentiam diametraliter opponi doctrinæ ab Hieronymo traditæ capite 4 proximè sequenti : *Si quæris quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui, disce*, etc. Unde sic argumentari licet : Ex Hieronymo Spiritus sanctus in vero Baptismate tribuitur. Ergo qui verum Baptismum suscipit, baptizatur in Spiritu sancto. Sed qui in Ecclesiâ baptizatur, verum Baptismum suscipit. Ergo qui baptizatur in Ecclesiâ, baptizatur in Spiritu sancto. Atqui in Ecclesiâ baptizatus, per manûs episcopalis impositionem accipit Spiritum sanctum. Ergo baptizatus in Spiritu sancto, eumdem Spiritum sanctum per manûs episcopalis impositionem iterùm accipit. Quamobrem, ut Hieronymus secum concilietur, distingui debet duplex Spiritûs sancti descensus, alter ad remissionem peccatorum, alter ad robur et perfectionem. Super eum, qui in Spiritu sancto baptizatus est, invocari non potest per manûs impositionem Spiritus sanctus ad remissionem peccatorum, quia talem Spiritum jam in Baptismo consecutus est : sed invocari potest Spiritus sanctus ad robur et perfectionem. Eam fuisse mentem Hieronymi apparet, 1° ex eo quòd in capite 3 loquatur de Spiritu sancto in remissionem peccatorum. 2° Ex ipso textu Hieronymi : *Si baptizatus est in Spiritu sancto, desine ei invocare Spiritum, quem tunc, cùm baptizaretur, accepit.* Sed in Baptismo accepit Spiritum sanctum ad peccatorum remissionem. Spiritus igitur, quem negat invocandum, est Spiritus in peccatorum remissionem. 3° Ex Orthodoxi scopo, qui Luciferianum refellere contendit. Luciferianus verò baptismum quidem Arianorum admittebat, negabat tamen Spiritum sanctum in eo Baptismo illis concessum fuisse, ideòque manus illis imponebat, et super eos invocabat Spiritum sanctum. Eum igitur invocabat Spiritum, quem negabat in Baptismo Arianorum concessum fuisse : sed negabat in Baptismo Arianorum concessum fuisse Spiritum ad remissionem peccatorum. Igitur per manûs impositionem invocabat Spiritum sanctum in remissionem peccatorum : quam Luciferiani consuetudinem et doctrinam Hieronymus proposito dilemmate refutat.

Objicit 2° Dallæus, *ex his verbis Hieronymi videre esse, quisquis ritè baptizatus est, eum verè esse christianum; neque, ut id nominis apud Deum consequatur, ullo alio ritu initiari necessariò debere; adeòque chrismationem et ma-*

nùs impositionem nonnisi efficere ut homo christianus nominetur, quàm firmare eum ritè baptizatum esse : atque ad hunc sensum revocandum esse, si quid Patres paulò licentiùs (ut eorum mos est) eâ de re per hyperbolem dixerunt.

Respondeo 1° Dallæum Calvinistarum more de sanctis Patribus nec prudenti animo, nec eâ quâ par est veneratione loqui. Patres enim nihil quidquam paulò licentiùs vel per hyperbolem dixerunt de Confirmatione : neque eorum mos est in iis, quæ ad fidem attinent, licentiùs et per hyperbolem disserere.

Respondeo 2°, qui ritè baptizatus est, verum quidem christianum esse, non tamen perfectum christianum effici nisi in Confirmatione.

Objicit 3° : *Ipsam Hieronymi contra Luciferianorum usum disputationem sibi mirabilem videri : neque satis à se percipi, qui ita pugnet, ut et ministratum ab Arianis baptismum valere, et iis ad Ecclesiam venientibus manus imponendas negare videatur : quod utrumque perpetuo totius veteris Ecclesiæ mori adversatur, apud quam Ariani neque baptizabantur conversi : et manùs impositione apud Romanos, chrismate apud Græcos suscipiebantur : ut magnum Luciferiani interlocutoris stuporem fuisse oporteat, qui hæc nota et omnibus obvia in causæ suæ defensione prætermiserit.*

Respondeo 1° gravem controversiam esse apud antiquos Patres, utrùm manùs impositio, per quam hæretici in Ecclesiam admitterentur, confirmatoria esset. Affirmant plures antiqui Patres pluraque concilia ; negare videtur Hieronymus. Argumentum porrò ad mentem Hieronymi aperiendam à nobis productum, non petitur ex manùs impositione super hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, sed ex manùs impositione super eos qui in Ecclesiâ baptizati sunt, fieri solitâ. Priorem negat, posteriorem concedit Hieronymus confirmatoriam esse.

Respondeo 2° Hieronymum mihi videri in eâ fuisse opinione, quòd confirmatoria manùs impositio conferret quidem Spiritum sanctum ad robur et perfectionem, sed nullo modo ad remissionem peccatorum. Quamobrem cùm descensus Spiritûs sancti ad robur et perfectionem præsupponat descensum ejusdem Spiritûs ad remissionem peccatorum, inde fit, ut Hieronymus contra Luciferianos existimaverit, Arianos, ut qui remissionem peccatorum in suo baptismo non essent consecuti, per confirmatoriam manùs impositionem minimè recipiendos esse.

Eam etiam ob rem Hieronymus, opinor, concedit confirmatoriam manùs impositionem iis conferendam esse qui in Ecclesiâ, non autem iis qui in hæresi baptizati sunt : quia confirmatoria manùs impositio in iis, qui baptizati sunt, peccatorum remissionem supponit.

Objicit 4°. *Quando Hieronymus scripsit hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati erant, episcopus manum impositurus excurreret, significavit hanc esse consuetudinem quarumdam ecclesiarum duntaxat, non omnium. Et certè non fuisse hanc Ecclesiæ consuetudinem, apertum est, quia orientales episcopi non imponunt manus neophytis. Neque etiam consuetudo ea erat omnium ecclesiarum occidentis ; quandoquidem in Hispaniâ iis solis, qui in morbo aut periculo mortis vel etiam à diacono tincti fuerant, imponebatur tempore concilii Eliberitani, hoc est, sexaginta quinque annis circiter, antequàm Hieronymus dialogum hunc conscriberet, qui seipsum explicat verbis istis sequentibus :* MULTIS IN LOCIS *(non ergo in omnibus)* ID FACTITATUM REPERIMUS AD HONOREM POTIUS SACERDOTII, QUAM AD LEGIS NECESSITATEM.

Respondeo ex Patribus sive Græcis sive Latinis supra relatis et infra referendis constare de manùs impositione episcopali cùm apud Græcos, tum apud Latinos adhibita. Quid verò argutiis Dallæi ex canone 77 concilii Illiberitani petitis responderi debeat, recole quæ dicta sunt supra. Relata Hieronymi verba probant equidem in more tunc temporis fuisse apud quasdam ecclesias, ut episcopi per minores urbes excurrerent ad eos confirmandos qui per presbyteros et diaconos baptizati fuerant; non autem affirmant, quòd in quibusdam duntaxat ecclesiis Confirmatio hâc ætate neophytis conferretur, quæ duo maximè distinguuntur. Sacramentum enim sese offerentibus ac petentibus administrari potest, quin episcopi per minores urbes ad neophytos confirmandos excurrant. Etsi verò assererent, quòd Confirmatio quibusdam in locis ab episcopis non conferretur iis, quos presbyteri vel diaconi baptizaverant; evincerent tantùm neglectam tunc temporis fuisse Confirmationem summo abusu, cui postea per canones et decreta consultum fuit.

Objicit 5° : *Ex Hieronymo constare Confirmationem esse juris duntaxat ecclesiastici. Luciferianus quidem id scriptum esse in Actis Apostolorum dicit; sed falsum dicit, neque ex Actis quidquam ad id probandum adducit, neque sanè pedem in eo figit ; sed hoc præsidio, velut ei diffidens, misso, ecclesiasticam consuetudinem obtendit. Etiamsi,* inquit, *Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Et Hieronymus satis ostendit id non à Christo, non ab apostolis, sed ab Ecclesiâ institutum : neque in Scripturis præceptum, sed usu introductum : ubi docet nullâ id necessitate factum, quasi qui ritè loti essent, ii Spiritu sancto carerent, qui per episcopalem manùs impositionem tradi dicebatur, quia nullum est verum Baptisma sine Spiritu sancto, et qui post illud susceptum ante manum sibi per episcopos impositam ex hâc vitâ decedunt, non sunt salutis exsortes. 2° Cùm Luciferianus objecisset hunc esse ecclesiarum morem, qui pro lege esse debet, sicut pro lege sunt nonnullæ aliæ cæremoniæ ecclesiasticæ, Hieronymus non modò non refutat, sed et ipse disertè eâdem de re verba faciens, consuetudinem ecclesiarum, item Ecclesiæ leges vocat, non Domini aut apostolorum præceptum : quin et hujus legis necessitatem esse rotundè negat, significatque Ecclesiam ad hunc inducendum morem ob oculos habuisse dignitatem episcopalem.*

Respondeo 1° Luciferianum disertè pronuntiare, quòd Confirmatio est juris divini, quando sic loquitur : *An nescis etiam ecclesiarum hunc esse morem, ut*

baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus. Exigis ubi scriptum sit? in Actibus apostolorum. Neque verò sequentibus verbis *(etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret)* significavit se divinarum Scripturarum præsidio diffidere, imò potiùs significavit hoc esse juris divini et ecclesiastici simul. Augustinus phrasi simili usus libro de Curâ pro mortuis, cap. 1. *In Machabæorum libris*, inquit, *legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquàm in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hâc consensione claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum...* Simile probationis genus legere est in epistolâ Innocentii I ad Decentium Eugubinum, cap. 3 : *Hæc*, inquit, *pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo ecclesiastica demonstrat, verùm et illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum.*

2° Ipse quoque sanctus Hieronymus apertè fatetur Confirmationem esse juris divini, dùm ita loquitur : *Quòd si quæris quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum..., disce hanc observationem ex eâ auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad apostolos descendit.* Sanè quod confert Spiritum sanctum, juris divini sit oportet. Sed Hieronymus non semel ibi docet per impositionem manûs episcopalis conferri Spiritum sanctum.

Quando verò pronuntiat *nullâ necessitate factum esse*, ut baptizato manus imponeretur in Spiritum sanctum, loquitur de Spiritu sancto in remissionem peccatorum, ut qui in legitimo Baptismate jam receptus fuerit, non autem de Spiritu sancto qui legitimè baptizatis conferatur ad robur. Sic Apostoli, cùm Spiritum sanctum accepissent, antequàm Christus ascenderet in cœlum, eumdem Spiritum rursùs acceperunt post ascensionem. Sic Samaritani per Philippum diaconum Christi Baptismate initiati, adeòque ex Hieronymi mente donati Spiritu sancto, postea eumdem Spiritum sanctum ad robur consecuti sunt, *Actorum* 19. Unde Hieronymus : *Si ergo baptizati sunt vero et legitimo Ecclesiæ Baptismate, et ita postea Spiritum sanctum consecuti sunt : et tu Apostolorum sequere auctoritatem; et baptiza eos qui Christi non habent Baptisma : et poteris invocare Spiritum sanctum.* Duplicem ergo Spiritûs sancti receptionem Hieronymus distinguit : prior est in remissionem peccatorum ; posterior ad robur et perfectionem : prior simpliciter necessaria est, non autem posterior.

Quod etiam Dallæus subjungit, Hieronymum significare, Ecclesiam, dùm hunc morem induxit, ob oculos habuisse dignitatem episcopalem, falsum est. Hieronymus enim apertè significat episcopos esse ministros jure divino, non autem ecclesiastico duntaxat; quemadmodùm in Actis apostoli et non alii, jure divino erant ministri manûs impositionis, quâ neophyti Spiritum sanctum consequebantur. Hæc igitur Hieronymi verba, *multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potiùs sacerdotii, quàm ad legis necessitatem*, non intelliguntur de institutione confirmatoriæ manuum impositionis, vel ejus ministri, quasi Ecclesia ministerium illud solis episcopis tribuerit ad honorem sacerdotii; sed de excursu episcoporum ad eos confirmandos, qui in minoribus urbibus per presbyteros vel diaconos baptizati fuerant : quem quidem excursum Hieronymus ait fieri potiùs *ad honorem sacerdotii*, hoc est, ut episcopus suo munere fungatur, quàm *ad legis necessitatem*, quia baptizati salutem sine manûs impositione consequi possunt. Denique hæc Hieronymi verba, *sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresim tranferas?* varii variè interpretantur : quis sit eorum sensus legitimus, aperuimus supra, iste scilicet : Sed quale est, ut legibus Ecclesiæ, quibus sancitum est, ut *ad eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos in Ecclesiâ catholicâ baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat : has, inquam, leges transferas ad hæresim*, id est, adhibeas, ut inde probes manuum quoque impositionem confirmatoriam hæreticis, qui in hæresi baptizati sunt, conferendam esse.

§ 2. *Innocentius primus.*

Innocentius I, qui anno 402 electus, obiit anno 417, sacramenti Confirmationis meminit in epistolâ ad Decentium Eugubinum, cap 3 : *De consignandis verò infantibus*, inquit, *manifestum est non ab alio quàm ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licèt sint sacerdotes, pontificatûs tamen apicem non habent. Hæc autem pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo ecclesiatica demonstrat, verùm et illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris, seu extra episcopum, seu præsente episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cùm tradunt Spiritum paracletum. Verba verò dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Ex quo loco sequitur ætate Innocentii duas unctiones fuisse, alteram in vertice, alteram in fronte. Utraque fiebat ex oleo, episcopali benedictione consecrato : prior à sacerdotibus, ipso etiam præsente episcopo ; posterior à solis episcopis fieri poterat ex lege divinâ et ecclesiasticâ : posterior, non autem prior, conferebat Spiritum sanctum ; posteriorem comitabatur verborum formula, quam Innocentius silentio prætermisit, ne hujus sacramenti sanctitatem proderet.

Objicit 1° Dallæus, lib. 3, cap. 1, *à doctis viris, neque sanè abs re, fuisse dubitatum, utrùm Innocentii necne sit epistola.*

Refellitur. Dallæo enim inprimis ipsum Dallæum opponimus, qui omnibus ritè perpensis agnoscit, lib. 2 de Extremâ-Unctione, eam esse Innocentii. 2° Ipsi

opponimus Blondellum Calvinistarum in iis, quæ ad criticam attinent, eruditissimum in libro de Episcopis, pag. 144 et 211. 3° Plures antiquos auctores opponimus, qui hanc epistolam Innocentii nomine laudârunt; Nicolaum I, et Hincmarum, archiepiscopum Remensem, qui floruerunt ad annum 850; concilium Meldense, quod anno 845 celebratum est, can. 44; auctorem libri de Divinis Officiis, qui Alcuini nomine circumfertur, qui floruisse putatur ad annum 840, cap. de Sabbato sancti paschæ, et cap. de Infirmis; Amalarium Fortunatum, in libris de Ecclesiasticis Officiis, quos ille composuit ad annum 830, lib. 1, c. 12; Walafridum Strabonem, qui floruit ad eumdem annum 830, in libro de Rebus ecclesiasticis, cap. 26; Halitgarium, episcopum Cameracensem, qui floruit ad eumdem annum 830, lib. 3 de Vitiis et Virtutibus, cap. 15; Jonam, Aurelianensem episcopum, qui floruit ad annum 820, lib. 1 Instit. laic., cap. 7, et l. 3, c. 14; venerabilem Bedam in Epist. S. Jacobi, qui presbyter ordinatus anno 701, obiit anno 731, ex Sigeberto, vel anno 735, quod alii probabilius existimant; Cresconium, episcopum Africanum, qui floruit seculo VII, in Breviario canonum; Isidorum, Hispalensem episcopum, qui anno Domini 600 ordinatus est; Dionysium Exiguum in suâ canonum Collectione, quam sub initium seculi VI edidit, ubi hanc ipsam epistolam integram refert.

Hæc etiam epistola Innocentii nomen præfert in vetustissimo codice Corbeiensi, exarato temporibus Vigilii Papæ, qui extat in bibliothecâ Sangermanâ Parisiensi. Denique verba nonnulla hujus epistolæ, tacito tamen Innocentii nomine, referuntur in concilio Hispalensi, quod anno 619 celebratum est, cap. 7, et à Crodegando seu Crodogango, episcopo Meldensi, qui sub rege Pipino floruit ad annum 750, in regulâ canonicorum, cap. 71, quam tamen regulam agnosco integram non fuisse à Crodegando compositam, sed ab anonymo quopiam interpolatore ex Crodogangi normâ, concilii Aquisgranensis capitulis, et aliunde consarcinatam: item à Rabano Mauro in libris de Institutione clericorum, quos ille scripsit anno 819, lib. 1, cap. 6.

Objicit 2° Dallæus *quòd ipsa Decentii episcopi consultatio ostendit, nondùm anno 416 apud omnes ecclesias receptum, et indubitatum fuisse, ut episcopi soli chrismarent. Hoc enim jus, si liquidò vel ab Apostolis constitutum, vel majorum saltem auctoritate, vel denique Romani alicujus episcopi, puta Silvestri, lege, apud omnes Christianos jam tum receptum fuisset, id profectò Decentius, qui episcopus erat, et quidem Eugubii civitate Romæ vicinâ ac propemodùm suburbanâ, nescire non poterat.*

Respondeo 1°, hanc objectionem esse de ministro, de quo hìc non agitur, non autem de naturâ hujus Sacramenti, quæ inter catholicos et Calvinistas hìc controvertitur.

Respondeo 2° hâc de re minimè dubitâsse Decentium, sed presbyteros nonnullos, quibus ipse præerat, qui ut suam auctoritatem attollerent et ampliarent, *novitates inducebant*, vel etiam earum aliquas sub Decentii prædecessoribus induxerant.

Objicit 3° *hinc videri quàm exigua haberetur illis seculis papalium decretorum ratio, quàmque angustis circumscripta esset finibus legum Romæ de ecclesiasticis ritibus positarum auctoritas. Nam quo tempore hæc quærebat ab Innocentio Decentius, anni erant jam elapsi centum, cùm ista, de quibus quærit, definiverat Silvester. Ergo Silvestri lex toto illo tot annorum spatio ne in proximam quidem Umbriam, cujus erat Eugubium civitas, ereptare ex urbe potuerat, nedùm ut eam toto statim orbe promulgatam, pronoque omnium obsequio receptam, veluti sacrosanctum communis monarchæ edictum vel oraculum fuisse putemus: quod est bellum sanè ac suave præsentium Latinorum de suis papis somnium. Id Sirmundus pro suâ eruditione vidit, et pro suo candore observavit his verbis. In Italiâ ipsâ* (inquit Antirrethici 2, cap. 7, pag. 53) *vix extra urbem vicinas ecclesias institutum hoc* (de signandâ à solis episcopis fronte) *tenuisse illa Decentii Eugubini in Umbriâ episcopi consultatio declarat.*

Respondeo ex hâc Decentii consultatione equidem sequi, quòd hisce temporibus decretum Silvestri de signandâ à solis episcopis fronte, Eugubii non servaretur: non autem, quòd in Italia ipsâ (quemadmodùm vult Sirmundus) vix extra urbem vicinæ Ecclesiæ tenuerint hoc institutum. Sequitur etiam quòd lex illa Silvestri violata aut ignorata Eugubii fuerit; non autem quòd legum Romæ de ecclesiasticis ritibus positarum auctoritas (ut vult Dallæus) angustis finibus esset circumscripta: imò ex Innocentii responso contrarium apparet. Decentius ad Eugubii episcopatum evectus, novitates aliquas à presbyteris induci, vel sub suis præcedessoribus inductas fuisse observavit. Ut verò majori eas auctoritate reformaret, consuluit Innocentium I. Innocentius in suo rescripto in illos presbyteros acriter invehitur, ut qui *instituta ecclesiastica, ut sunt à beatis Apostolis tradita, non servarent; sed traditiones antiquas humanâ præsumptione corrumperent.* Subjicit neminem esse *qui nesciat, aut non advertat, id quod à principe Apostolorum Petro, Romanæ ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari* (de iis loquitur ecclesiis, quæ à Romanâ principium acceperant): *nec superinduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum; præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes. Legant, si in his provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquàm inveniunt, oportet eos hoc sequi quod Romana ecclesia custodit, à quâ eos principium accepisse non dubium est.* Deinde monet Decentium, ut novitates illas in ecclesiâ suâ reformet: et monitum suum ita concludit: *Quibus* (consultis tuis) *idcircò respondemus, non quòd te aliqua ignorare credamus, sed ut majori auctoritate vel tuos instituas, vel, si qui à Romanæ eccle-*

siæ institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas; ut scire valeamus qui sint, qui aut novitates inducunt, aut alterius ecclesiæ quàm Romanæ existimant consuetudinem. His præmissis, respondet ad singulas quæstiones à Decentio propositas. Quòd autem non debeant baptizati, nisi ab episcopo chrismate in fronte consignari, et per hanc unctionem consequi Spiritum sanctum, asserit 1°, id *manifestum esse :* 2° eam esse *consuetudinem ecclesiasticam :* 3° id *demonstrari lectione Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum.* Hoc igitur Innocentii ætate non erat dubium, sed manifestum : eaque consuetudo vigebat in ecclesiis Italicis, Gallicanis, Hispanicis, Africanis, Siculis, et aliis, quæ à Romanâ principium acceperant.

Objicit 4° : *Sed et in ipsâ epistolâ quanto supercilio sua dictata profundit! Manifestum est*, inquit, *non ab alio quàm ab episcopo consignari infantes licere. Quid ita, quæso? Nam*, inquit, *presbyteri, licèt sint sacerdotes, pontificatûs tamen apicem non habent. Quid istâ ratiocinatione absurdius fingi potest? An sit aliquis pontificatûs apex, quo presbyter careat, non immeritò dubitatur : et adhuc ipso tum superstiti Hieronymo definitum esse, nullo divino jure niti istum apicem facilè scire potuit Innocentius. Jam si hoc, quod totius ratiocinationis fundamentum est, dubium ipsum et obscurum atque incertum, imò et falso longè propius est, quomodò manifestum est id quod hinc iste colligit? Sed esto tamen eo pontificatûs apice, quem habebant (sed jure ecclesiastico) illius temporis episcopi, caruerint presbyteri, an propterea consequens est, ut ii consignare non possint? Atqui etiam sine illo apice baptizant, Eucharistiam conficiunt, etiam ex te, Innocenti, chrismant. Qui tot, tantaque, quanquàm nullo apice insignes, præstant : quis eos (quæso) si sanæ mentis sit, consignare non posse, non dico manifestum, sed vel probabile eo fieri putaverit, quòd illo tuo apice carzant?*

Respondeo neque Hieronymum, neque ullum alium catholicum unquàm dubitàsse, quin sit in episcopis pontificatûs apex, quo presbyteri careant : et quin ille sit juris divini; tantùm abest ut jure ecclesiastico introductus fuerit Innocentii tempore. Quâ de re suus erit disserendi locus.

At, inquit Dallæus, presbyteri baptizant, Eucharistiam conficiunt, imò in vertice chrismant : cur non in fronte?

Respondet Innocentius, ne baptizatos in fronte chrismente, et per hanc chrismationem eis Spiritum sanctum conferant, prohibere *non solùm consuetudinem ecclesiasticam, verùm et illam lectionem Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum.* Quòd si non sit sanæ mentis, qui ita senserit : insani erunt Cyprianus in epist. 73 ad Jubaianum, Chrysostomus in homil. 18 in Acta, Hieronymus dialogo adversùs Luciferianos, c. 4, Augustinus lib. 18 de Trinit., c. 26, Patres Illiberitani, can. 38 et 77, supra citatis, et alii, qui in solis episcopis agnoscunt potestatem confirmandi, et per Confirmationem conferendi Spiritum sanctum.

Objicit 5° : *Ejusdem farinæ sunt, quæ consequuntur, consuetudinem Ecclesiæ demonstrare, solis pontificibus deberi, ut vel consignent, vel Spiritum sanctum tradant. Si de universâ Ecclesiâ (quod absurdissimum somniat Aurelius) hæc diceret Innocentius, falsi manifesti reus esset. Nam planè contrariam fuisse non modò Græcæ sive orientalis, sed etiam Africanæ, et Hispanicæ, et Gallicanæ, imò et Sardiniensis in Romanâ viciniâ ecclesiæ consuetudinem et fatetur et probat Sirmundus. Sed Innocentium, ut mihi quidem videtur, calumniatur Aurelius, dùm hanc ei mentem fuisse vult. Ille verò de suâ unâ, id est, Romanâ, sive urbicâ ecclesiâ loquitur. Ejus unius consuetudinem idoneum censet argumentum ad demonstrandum quid esset in eâ causâ juris. Nimirùm Innocentius (qui istorum Romæ antistitum vetus est jam ab antiquissimis temporibus morbus) sibi persuaserat nihil Romæ suæ fieri, quod non esset apostolicum, ac divinum, et omnibus omninò christianis sequendum.* Et postea : *Quod ille velut principium quoddam notissimum assumit suæ ecclesiæ eam vim esse atque dignitatem, ut quidquid illa observat, id observari debeat, nego : negaverunt eam rem pridem Cyprianus et Firmilianus; nesciverant omnes penè ecclesiæ, quæ etiam post invectum illud episcopis à Silvestro collatum privilegium, suorum presbyterorum neophytis consignandis manu et operâ, annis jam penè centum in Africâ et in Hispaniâ utebantur. Nesciverunt etiam post hanc Innocentii decretalem Gallicanæ, Sardiniensis, Hispanicæ ecclesiæ, quas (quod mox demonstrabitur) diversum à Romano morem retinuisse constat.*

Respondeo Innocentium loqui duntaxat de ecclesiis à Petro apostolo institutis vel ab ejus successoribus, præsertim verò de Italicis, Gallicanis, Hispanicis, Africanis, Siculis, et iis quæ in insulis interjacentibus sitæ sunt : quemadmodùm apparet ex textu supra relato; quæ quidem ecclesiæ easdem cum Romanâ consuetudines observabant. Quâ de re infra, ubi de ministro. Quæ verò fuerit orientalium praxis, ibidem referemus. Innocentio igitur imponit Dallæus, cùm ei affingit, quòd ille velut principium quoddam notissimum assumpserit, suæ ecclesiæ eam vim esse atque dignitatem, ut quidquid illa observat, id ab omnibus christianis observari debeat. Quod ad Cyprianum et Firmilianum attinet, ii quidem in causâ de hæreticorum baptismate, recesserunt ab Ecclesiæ Romanæ consuetudine, sed simul illi quoque ab apostolicâ traditione et veritate alieni facti sunt

Objicit 6° : *Sed neque levior illa quæ sequitur deliratio, quâ consignationis seu chrismationis jus solis episcopis deberi, demonstrare ait illam lectionem Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. 1° De consignatione sive chrismatione nullum in Actis verbum. Manus imponere planè aliud est, quàm chrismare. Ergo ridiculus est, qui ex eo quòd apostoli neophytis manus imposuerunt, concludit solis episcopis chrismandi jus esse. Tum fac apostolos (quod nulla Actuum, nulla divinæ Scripturæ lectio asserit) neophytos chrismâsse; quâ ratione inde conficies, non aliis quàm episcopis licere*

chrismare? suntne episcopi apostoli? vel an quæ apostoli fecerunt, ea episcopis vel omnia vel solis facere licet? cur ea presbyterum magis excludant, quàm episcopum? Neque est quod regerat Innocentius, Philippum manus nequaquàm imposuisse. Primum, hoc si ego negavero, unde iste probabit? Certè et Chrysostomus refert, et Œcumenius sequitur hanc interpretationem, Philippum ideò manus non Samaritanis imposuisse, non quòd non liceret, sed quòd honoris causâ id apostolis peragendum servare maluerit, quàm ipse peragere. Sed hoc quidem mitto: illud rogo, quâ necessitate concludes presbyteris non licere, quod Philippo non licuit? Philippus enim non presbyter, sed diaconus fuit.

Respondeo chrismationem in fronte et manuum impositionem plerùmque pro eodem usurpari, sive quia (quod nonnulli volunt) chrismatio manuum impositioni successit: sive quia (quod aliis placet) chrismatio manuum impositioni necessariò connexa est. Hæc autem connexio juris est divini vel ecclesiastici. Si primum, chrismatio in Actis commemoratur implicitè, quia in illis mentio fit impositionis manuum. Si secundum, Patribus familiare est, ut ex duobus inter se etiam usu ecclesiastico connexis, unum pro altero sumatur; sic pœnitentiæ sacramentum dicitur *manûs impositio* et ipsa Confirmatio plerùmque vocatur *signaculum*, *obsignatio*, à signo crucis, quod in eâ conferendâ adhibetur: denique ex Actis constat solos apostolos habuisse potestatem conferendi Spiritum sanctum. Sed Spiritus sanctus per manuum impositionem olim quidem conferebatur: nunc verò per chrismationem in fronte, quæ manuum impositioni successit. Hæc igitur unctio ad solos episcopos pertinet. Hæc et alia pro eâ, quam amplexus fuerit, sententiâ quilibet respondere potuit. Crediderim tamen Innocentio visum fuisse, quòd chrismatio jure divino annexa sit manuum impositioni, per quam Spiritus sanctus neophytis ad robur et perfectionem confertur. Id quippe iste loquendi modus Innocentii persuadere videtur.

Sin autem quæras unde constet licere episcopis chrismare, quemadmodùm licuit apostolis,

Respondeo id constare ex eo quòd episcopi succedant apostolis, ad quorum munus ordinarium chrismatio pertinebat.

Si quæras iterùm, unde constet id licere episcopis, non autem presbyteris,

Respondeo id constare ex duplici capite. 1° Quia episcopi pontificatûs apicem habent, quo carent presbyteri; 2° quia traditio, quæ optima interpres est Scripturæ sacræ, docet hoc munus jure ordinario solis episcopis reservatum esse.

Quòd autem Philippus diaconus non habuerit potestatem imponendi manum neophytis, et per hanc impositionem conferendi Spiritum sanctum, docent omnes antiqui Patres, etiam ipse Chrysostomus, cujus mentem ut intelligas, adverte olim dubitatum fuisse, utrùm Philippus, qui Samaritanis prædicavit Evangelium, eosque baptizavit, apostolus, an diaconus esset. Clementinæ constitutiones, lib. 6, c. 7, eum apostolum asserunt; idem asserebant illi, quos Œcumenius refutat, cap. 9 in Acta Apostol. Ea tamen communis est Patrum sententia, hunc Philippum ab eo minimè diversum esse, qui, Actor. 21, v. 8, dicitur *fuisse unus de septem*. Inde fit ut Chrysostomus dubitaverit, utrùm Philippus, qui Samaritanos baptizavit, haberet potestatem eis manum imponendi et per eam impositionem conferendi Spiritum sanctum; manum tamen eis non imposuerit, sed hanc impositionem Petro et Joanni venturis, ut eos honoraret, servaverit; an ille verò hâc potestate careret. In eam tamen partem Chrysostomus inclinat, quòd Philippus hâc potestate caruerit, quia probabilius existimat illum eumdem esse, qui, Actor. 21, asseritur fuisse unus de septem. Hæc sunt verba Chrysostomi, hom. 18 in Acta: *Quarè non acceperunt Spiritum sanctum ii, qui baptizarentur? vel forsan quia Philippus in hoc apostolos brevi venturos honorabat; vel quòd hoc donum non habebat (erat enim ex septem illis), id quod magis videtur dicendum: unde meâ sententiâ hic Philippus unus ex septem erat, secundus à Stephano: ideò et baptizans Spiritum sanctum non dabat, neque enim facultatem habebat: hoc enim donum solorum apostolorum erat:... nam virtutem quidem illi septem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in apostolis singulare. Unde et præcipuos* (hoc est, episcopos) *et non alios videmus hoc facere.* Probat Chrysostomus Philippum ex eo, quòd diaconus esset, non habuisse facultatem imponendi manus et conferendi Spiritum sanctum. Certa igitur, eaque indubitata Chrysostomi sententia fuit diaconos eâ potestate semper caruisse.

Quod attinet ad Œcumenium, cujus commentarii in Apostolorum Acta nobis objiciuntur:

Respondeo ejus eamdem atque Chrysostomi mentem fuisse. Ille siquidem, c. 9 in Acta, probat Philippum non fuisse apostolum, quòd non haberet potestatem conferendi Spiritum sanctum. *Si unus erat apostolorum, cùm in Samariâ baptizaret, habebat utique auctoritatem doni Spiritûs.* Et c. 10 ostendit Philippum non habuisse hanc facultatem, quòd diaconus esset. *Philippus unus ex septem, cùm diaconus esset, potestatem non habebat ut ad manuum suarum impositionem daret Spiritum sanctum.* Et paucis interjectis: *Manifestum est eos, qui à Philippo in Samariâ baptizati erant, non accepisse Spiritum sanctum, eo quòd donum hujusmodi non haberet: quandoquidem, ut diximus, hic unus ex septem erat. Nam hi virtutem quidem ad edenda signa acceperant, non autem ut cæteris quoque darent hujusmodi Spiritum; hoc enim apostolis servatum erat.* Verba igitur quæ proximè sequuntur: *Præterea Philippus in eos, qui à se baptizati erant, Spiritum illabi non fecit, honorans videlicet apostolos. Neque enim tanquàm abjectus et indignus (quando etiam de ipso proditum est, quòd signa ediderit in sanitatibus morborum, ejectionibusque dæmonum); sed quòd non oraverit, ut hoc illis contingeret, nondùm videlicet aptis ad Spiritûs susceptionem: quando et Simon qui ab eo baptizatus erat, quæ carnis sunt adhuc sapiens, petebat ab aposto-*

lis dono pecuniarum accipere potestatem, ut cuicumque vellet, manuum impositione daret Spiritum sanctum: hæc, inquam, verba intelligi non debent absolutè et simpliciter, quasi Œcumenius absolutè existimaverit Philippum habuisse facultatem imponendi manus et conferendi Spiritum sanctum; alioquin Œcumenius in eodem loco sibimetipsi apertè contradiceret: sed accipi debent hypotheticè, nimirùm, factâ hypothesi, datoque, non autem concesso, quòd Philippus fuerit apostolus, atque adeò hanc virtutem habuerit, manum tamen Samaritanis non imposuerit, sive ut Petrum et Joannem brevi venturos honoraret, sive quòd nonnulli ex Samaritanis nondùm apti essent ad suscipiendum Spiritum sanctum.

Denique falsum est quòd Innocentius concludat, non licere presbyteris chrismare, quia id non licuit Philippo diacono. Innocentius ne id quidem cogitavit, sed in duobus duntaxat vim facit, scilicet in consuetudine et traditione ecclesiasticâ, et in lectione Actuum quâ constat Petrum et Joannem apostolos, non autem presbyteros, Samariam *directos esse, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum.*

§ 3. *Augustinus*

Augustinus, qui presbyter ordinatus est anno 391, episcopus verò creatus anno 395, obiit anno 430, præclara docet de Confirmatione. Ejus autem testimonia ad duas classes revocari possunt: quædam enim manuum impositionis, alia verò chrismatis mentionem faciunt.

Testimonia primi generis quatuor sunt.

Primum habetur in tractatu 6 in 1am Joannis epistolam, n. 10 editionis Bened. *Primis temporibus*, inquit, *cadebat super credentes Spiritus sanctus; et loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum; quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, et transiit. Numquid modò quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrùm, utrùm linguis loquerentur? Et cùm videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrùm fuit, ut diceret: Non acceperunt isti Spiritum sanctum; nam si accepissent, linguis loquerentur, quemadmodùm tunc factum est? Si ergo per hæc miracula non fiat modò testimonium præsentiæ Spiritûs sancti; unde fit, unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum; si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. .. Ergo si vis nosse, quia accepisti Spiritum, interroga cor tuum: ne fortè Sacramentum habeas, et virtutem Sacramenti non habeas. Interroga cor tuum: si est ibi dilectio fratris, securus esto. Non potest esse dilectio sine Spiritu Dei, quia Paulus clamat: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Eò loci Augustinus plura docet. 1° Manus imponitur non solùm adultis, sed et ipsis infantibus baptizatis. 2° Hæc manûs impositio eis confertur, *ut accipiant Spiritum sanctum.* 3° Hæc manûs impositio et vim habet conferendi charitatem, et ille effectus permanens est. 4° Hæc manûs impositio præter charitatem olim quidem conferebat gratias gratis datas, sed ille effectus transiit desiitque. 5° Hæc manûs impositio rationem habet Sacramenti. 6° Baptizatus, qui hanc manûs impositionem suscipit, neque tamen fratrem diligit, *Sacramentum* quidem *habet*, sed *virtutem Sacramenti non habet.* Hoc textu catholica doctrina luculentis terminis asseritur, et argutiæ Calvini refutantur, lib. 4 Instit., c. 19, § 6, sic ratiocinantis: *Ubi gratia illa (miraculorum) conferri desiit, quorsùm pertinet manuum impositio?* Desierant quippe gratiæ gratis datæ tempore Augustini, quo tamen manuum impositio baptizatis conferebatur, ut Spiritum sanctum acciperent.

Secundum habetur, lib. 3 de Baptismo, c. 16. *Spiritus sanctus*, inquit, *quòd in solâ Ecclesiâ catholicâ per manûs impositionem dari dicitur, nimirùm hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ipsa est enim charitas, quam non habent, qui ab Ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt.... Non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem: ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi nisi in catholicâ Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manûs impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari.... Aliud est Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud operatio Spiritûs, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, sicut Saül habuit prophetiam; aliud operatio ejusdem Spiritûs, quam nisi boni habere non possunt, sicut est charitas.... Manûs autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest: quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* Ex hoc textu quinque colligi possunt. 1° *Manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur.* 2° Hæc manûs impositio charitatem *invisibiliter et latenter* producit: et ille effectus hodiè permanet. 3° Hæc manûs impositio olim conferebat gratias gratis datas *ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiæ primordia dilatanda;* et ille effectus desiit. 4° In hâc manûs impositione aliud est Sacramentum, aliud virtus conferendi gratias gratis datas, et aliud virtus conferendi charitatem. Manûs impositionis Sacramentum cum gratiis gratis datis in peccatore reperiri potest, sed manûs impositionis Sacramentum cum effectu permanenti, videlicet cum charitate, in solis bonis reperitur. 5° Manûs impositio, cùm nihil aliud sit quàm oratio, repeti potest, cùm è contrario Baptismus repeti non possit. Quæ verò et qualis manuum impositio repeti possit, discutietur alibi.

Tertium habetur in expositione inchoatâ in episto-

lam ad Romanos, circa finem ubi Augustinus expendens illud capitis 6 epistolæ ad Hebræos, v. 1 et 2 : *Non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ à mortuis operibus, et fidei in Deum, lavacri doctrinæ, impositionis manûs ;* subjicit : *Ista omnia in Baptismo traduntur, quæ* (*Paulus*) *negat esse repetenda, utique in consecrandis fidelibus.* Sicut igitur Baptismus, ita manûs impositio in consecrandis fidelibus iterari non debet.

Quartum habetur lib. 15 de Trinitate, cap. 26, ubi Christi divinitatem ex missione Spiritûs sancti probat. *Quomodò ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? imò quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum : orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Et post alia : *Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro; effundere autem super alios non utique possumus, sed ut hoc fiat, Deum super eos, à quo hoc efficitur, invocamus.* Ex hoc textu quatuor patent. 1° Manûs impositio, quæ ab apostolis super baptizatos usurpata fuit, ætate Augustini in Ecclesiâ observabatur. 2° Hæc manûs impositio à præpositis, hoc est, ab episcopis, conferebatur. 3° Baptizatis conferebatur ut super eos descenderet Spiritus sanctus. 4° Verba, quibus episcopi in hâc manûs impositione utebantur, erant omninò deprecatoria; nec enim dabant Spiritum sanctum, sed Deum orabant, ut Spiritus sanctus super baptizatos descenderet.

Calvini responsio dicentis lib. 4 Instit., c. 19, § 6, manuum impositionem olim in usu duntaxat fuisse ad effectus sensibiles et gratias gratis datas, falsa demonstratur 1° et 2° textu.

Falsa etiam demonstratur responsio ejusdem Calvini, ibid., § 12, absolutè negantis manûs impositionem, seu ab Augustino, seu ab ullo veterum aliquando vocari Sacramentum.

Falsa quoque apparet Antonii de Dominis solutio, num. 32, respondentis, inde non sequi Spiritum sanctum esse effectum confirmatoriæ manuum impositionis. Hæc enim, inquit, manûs impositio ab apostolis adhibebatur ad impetrandum Spiritum sanctum, non absolutè, sed quoad effectus quosdam sensibiles et gratias gratis datas. Deinde Ecclesia illam retinuit ad imitationem, et fortassè ex Apostolorum instituto, non ad dandum, sed ad impetrandum super baptizatos Spiritum sanctum quoad effectus quosdam invisibiles, præsertim quoad stabilitatem et incrementum charitatis. Apostoli verò tali manuum impositione gratias gratis datas obtinebant ex opere duntaxat operantis, cùm illas nonnisi per orationem obtinerent : quantò magis nos gratiam sanctificantem per eamdem manûs impositionem ex opere tantùm operantis consequimur.

Hæc, inquam, solutio refellitur. 1° Quia gratis id asseritur ab Antonio de Dominis. 2° Quia probatione, primâ, et object. tertiâ, efficaciter probavimus Spiritum sanctum per apostolicam manuum impositionem concessum fuisse in ordine ad utramque gratiam, et gratis datam, et sanctificantem. 3° Quia Augustinus in 2 textu relato, conceptis verbis ait *Spiritum sanctum in Ecclesiâ catholicâ per manûs impositionem dari.* 4° Quia Augustinus in 1 et 2 textu hanc manûs impositionem propriis terminis appellat *sacramentum.* 5° Quia Augustinus in hoc utroque textu ait in hâc manûs impositione aliud esse Sacramentum, et aliud esse virtutem Sacramenti. Concedit enim eum, cui non rectè disposito manus imponitur, suscipere quidem Sacramentum, non autem virtutem Sacramenti : quemadmodùm ille, qui pravè dispositus ad Baptismum accedit, ipsum quidem Sacramentum, non autem virtutem Sacramenti recipit. 6° Augustinus in primo textu ait, hanc manûs impositionem non solùm adultis, sed etiam infantibus concedi, et per eam Spiritum sanctum, hoc est, charitatem, ipsis infundi. Supponit igitur illam agere ex opere operato. Neque contrarium ex argutiis Antonii de Dominis evinci potest. Formæ si quidem pœnitentiæ et Confirmationis olim erant deprecatoriæ : formæ quoque Ordinis et Extremæ-Unctionis hodiè deprecatoriæ sunt, quamvis agant ex opere operato : quin etiam forma Baptismi, quem ipsi hæretici verum esse sacramentum agnoscunt, à sanctis Patribus vocari solet *invocatio* et *deprecatio Trinitatis.* Idem dici debet de Eucharistiâ, cujus formam Patres appellant *invocationem Spiritûs sancti.* Denique Augustinus, lib. 5 de Baptismo, cap. 20, agnoscit formas Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, et Pœnitentiæ deprecatorias esse, licèt ibidem hæc quatuor pro veris Sacramentis habeat. *Quomodò* (Deus) inquit, *exaudit ministrum homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?... quomodò dat homicida Spiritum sanctum?*

Dallæus, ut ab illis Augustini testimoniis sese explicet, lib. 2, c. 24, respondet 1°, sibi facile esse relatis auctoritatibus id respondere, quod eisdem respondent theologi, qui sustinent chrismationem esse materiam Confirmationis adæquatam : nempe Spiritum sanctum datum intelligi, non ipsius propriè manûs impositionis virtute, sed vi Sacramenti, cui hæc cæremonia annexa erat : cum hoc solo discrimine, quòd manûs impositionem illi quidem Confirmationis, ipse verò Baptismi cæremoniam esse censeat.

Hæc responsio duabus partibus constat : prima est, ex mente Augustini, manûs impositionem, per quam datur Spiritus sanctus, cæremoniam essé Baptismi. Secunda est, ex mente ejusdem Augustini, per hanc impositionem intelligi Spiritum sanctum conferri, non vi hujusce manûs impositionis, quæ quidem mera cæremonia est, sed virtute Baptismi, cui olim annexa erat. Utramque partem Dallæus Augustino tribuit gratis et sine ullo fundamento. Utramque verò partem in mente Augustini falsam esse, sic ostendo. 1° Quia manûs impositio, de quâ Augustinus, eadem est ac illa, quam Apostoli adhibebant, ut Spiritus sanctus super baptizatos descenderet : id apparet ex 1, 2 et 4 textu relato. Sed apostolica manuum impositio non erat mera Baptismi cæremonia ;

id probavimus supra, idque constat ex Samaritanis, qui primùm à Philippo baptizati, non statim, sed aliquantò post à Petro et Joanne manuum impositionem acceperunt. 2° Quia cùm Augustinus in 1, 2 et 4 textu citato, magnificè loquitur de manûs impositione, ita de ipsâ loquitur, ut ne Baptismi quidem meminerit. 3° Mera cæremonia non sanctificat ex opere operato. Sed manûs impositio, de quâ Augustinus, Spiritum sanctum confert non solùm adultis, sed et infantibus, ex 1° textu. 4° Mera cæremonia non habet rationem Sacramenti. Sed manûs impositio, de quâ Augustinus, SACRAMENTUM est, ex 1 et 2 textu. 5° Nemo dixerit in merâ cæremoniâ aliud esse sacramentum, aliud verò virtutem et effectum Sacramenti. Sed in eâ manûs impositione, de quâ Augustinus, aliud est Sacramentum, aliud verò virtus Sacramenti, ex 1 et 2 textu. 6° Augustinus in 1 et 2 textu agnoscit eum, qui ritè dispositus manuum impositionem suscipit, suscipere Sacramentum et virtutem Sacramenti; eum verò, qui pravè dispositus accedit, suscipere sacramentum, non autem virtutem Sacramenti. Agnoscit igitur hanc manuum impositionem esse verum, legitimumque sacramentum. Hoc enim eodem modo loquendi utitur Augustinus, cùm hæreticorum Baptismum esse verum Sacramentum probat adversùs Donatistas. 7° Cæremoniæ Sacramento cuidam annexæ tribui non potest effectus sacramentalis, nisi fortè quando Sacramentum illud nomine ejusdem cæremoniæ appellatur. Dixi *fortè;* tunc enim effectus ille non tribuitur cæremoniæ, sed Sacramento, quod hujus cæremoniæ nomine designatur, ut cùm eucharistiæ Sacramentum dicitur *synaxis*, et Confirmationis Sacramentum vocatur *obsignatio*. Sed apud Augustinum, vel alium (quod sciam) Patrem Baptismus nullibi appellatur *manûs impositio*. Contrarium quidem existimat Josephus Vicecomes, qui in eam rem, lib. 1 de Ritibus Baptismi, c. 3, in medio, citat Clementem Alexandrinum, lib. 1 Pædagogi, c. 6; Severum Sulpicium de Vitâ S. Martini; Gregorium Nazianz., orat. 10 et 40, et in Carm. iamb. Sed in hisce auctoribus nihil hujusmodi reperitur. 8° Cæremoniæ Baptismo annexæ tribui non potest effectus à Baptismo diversus. Sed manûs impositioni, de quâ Augustinus in 4 textu, tribuitur effectus à Baptismo diversus, nempe *donum gratiæ:* quod Augustinus post verba in eodem textu relata, ait *significari*, non quidem Baptismo, sed *visibili unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* 9° Augustinus loquens de manûs impositione, per quam Spiritus sanctus confertur, eam cum unctione Baptismum subsequente conjungit, non autem cum ipso Baptismo: ejusque effectum non ait Baptismo, sed *visibili significari unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Dallæus igitur eam minùs rectè ad Baptismum, theologi contra eam rectiùs ad unctionem referunt.

Respondet 2°, *quòd ritum impositionis manuum, quem vetus Ecclesia ad Augustinum et infra servavit, penitùs antiquaverimus, quo satis superque testati sumus meram esse cæremoniam nullo divino mandato in usum publicum invectam.*

Refellitur: Manûs enim impositionem, quam Ecclesia ad Augustinum et infra servavit, nunc etiam observari testantur libri pontificales, cùm aiunt, episcopum *manus extendere versùs confirmandos*. Theologi verò ab invicem ita dissident, ut nullus hæreticis faveat. Nonnulli aiunt, tunc ab episcopo manum imponi, cùm baptizatum ungit in fronte. Alii verò, qui existimant unctionem manuum impositioni successisse, statim sese explicant, dicendo Christum genericè duntaxat determinâsse materiam Confirmationis, Ecclesiæ verò potestatem dedisse eam specificè determinandi: quam ob rem apud illos theologos manûs impositio et chrismatio ad mediatam Christi institutionem pertinent.

Respondet 3° ex ipsis Augustini verbis initio secundi textûs relatis, *nimirùm hoc intelligi majores nostri voluerunt*, apparere quòd Augustinus majoribus totum hunc ritum, ejusque significationem tribuat.

Refellitur ex ipsis Augustini verbis. *Spiritus sanctus*, inquit, *quod in solâ Ecclesiâ per manûs impositionem dari dicitur: nimirùm hoc intelligi majores nostri voluerunt quod apostolus ait, quoniam « charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. »* Unde apparet Augustinum majoribus nostris attribuere, non quod Spiritus sanctus in manûs impositione conferatur, sed quod per Spiritum sanctum in manûs impositione collatum intelligi debeat charitas, de quâ Apostolus ad Romanos.

Respondet 4°, apostolicam et Augustinianam manûs impositionem diversi generis esse, quòd illâ conferretur Spiritus sanctus in ordine ad signa sensibilia, istâ verò in ordine ad gratiam sanctificantem.

Refellitur 1°: Quia *in textibus relatis*, præsertim in 4, Augustinus agnoscit utrumque ritum eumdem esse: *Quem morem* (apostolorum), inquit, *in suis præpositis etiam nunc servat ecclesia.* 2° Apostolicâ manûs impositione gratiam sanctificantem collatam fuisse, satis superque probatum est. Eumdem igitur effectum permanentem habebat, quem Augustiniana; atque adeò ab illâ essentialiter non differebat. Ordo enim ad signa sensibilia, erat, ex Augustino, effectus transiens. Quare in ritu permanenti, quale est sacramentum, accidentale quidem, non autem essentiale discrimen inducere potuit: quod explicari potest exemplo fidei, quæ primis Ecclesiæ temporibus miracula operabatur, juxta illud Marci ultimo: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*, etc., nec ea tamen à nostrâ essentialiter differt, quia utraque eumdem habet permanentem et principalem effectum, qui est vivificare: *Justus enim ex fide vivit.*

Respondet 5° ex Augustino præpositos non dare Spiritum sanctum; sed orare duntaxat ut Spiritus sanctus in eos veniat, quibus manum imponunt. Non igitur ex opere operato, sed ex opere operantis Spiritus sanctus per manûs impositionem conferebatur.

Verùm hæc solutio jam refutata est, ubi de responsione Antonii de Dominis. Negatur igitur et antecedens et consequentia. Utrumque enim statuit Augustinus,

et præpositos orare ut detur Spiritus sanctus, et præpositos dare Spiritum sanctum : conceptis enim terminis ait, Spiritum sanctum in Ecclesiâ catholicâ per manûs impositionem dari. Dant igitur, et non dant Spiritum sanctum : non dant, ut causæ principales; hoc enim ad Deum solum pertinet, ex textu 4 : dant ut causæ instrumentales; quia *Spiritus sanctus in ecclesiâ catholicâ per manûs impositionem datur*, ex textu 2. Frequens est hæc loquendi ratio apud sanctos Patres. *Post Baptismum*, inquit Isidorus Hispal., lib. 2 de Divinis Officiis, c. ultimo, *per episcopos datur Spiritus sanctus*. Et postea : *Spiritum sanctum dare non possumus, sed ut detur, Deum invocamus*. Et paucis interjectis : *Soli episcopi tradunt Spiritum paracletum*.

Respondet 6°, hodiernam Confirmationis formam his concipi verbis : *Signo te*, etc.; *confirmo te*, etc.; « quæ, ut liquet, nihil commune habet cum oratione « super hominem factâ, quâ totum veteris manuum « impositionis ritum constare ac concludi definit Au- « gustinus. »

Verùm hæc difficultas ad præsens institutum nihil attinet, sed ad formæ confirmatoriæ mutationem, de quâ alibi.

Respondet 7°, manûs impositionem, cujus Augustinus mentionem facit, iterari posse ex textu 2°, proinde ab hodiernâ diversam fuisse, quam iterari non posse à synodo Tridentinâ definitum est.

Verùm hæc quoque difficultas ad aliam quæstionem pertinet; interim observâsse sufficiat, 1° hæc omnia, si quid probarent, probatura solùm Confirmationem esse Sacramentum iterabile; non autem eam non esse Sacramentum propriè dictum, quod Dallæo probandum erat; 2° Augustinum, in 3° textu relato, negare manûs impositionem, quæ in consecrandis fidelibus adhibetur, repetendam esse. Manûs igitur impositio quam in 2° textu ait repeti posse, vel est manûs impositio reconciliatoria; quod verum esse multis contendit Bellarminus, de Confirm., cap. 7; vel est manûs impositio genericè et secundùm se considerata, non autem spectata specificè, relativè ac determinatè ad neophytos ungendos; quæ quidem impositio super neophytos facta, super eosdem pœnitentes repetebatur; quâ in re differebat à Baptismo, qui ex se suâque naturâ repeti non potest; vel si sit manûs impositio considerata specificè, relativè ac determinatè ad neophytos confirmandos, loquitur Augustinus de manûs impositione inter hæreticos collatâ, quam plures theologi nullam, atque ideò repetendam existimant in iis qui ab hæresi recedunt. Quæ verò ex his tribus solutionibus probabilior sit, dicemus infra, ubi de iteratione hujus Sacramenti.

Testimonia secundi generis plurima sunt : Primum habetur lib. 2 contra litteras Petiliani, cap. 104. ubi Augustinus hæc verba psalmi 132, v. 2 : *Tanquàm unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron*, quæ Petilianus objecerat, de unctione confirmatoriâ interpretans, sic habet : *In hoc unguento Sacramentum chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus; sed potest esse in hominibus pessimis... Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad præmium, istis ad judicium, ab invisibili unctione charitatis, quæ propria bonorum est. Discerne ista, discerne.* In eo textu primùm quidem hæc unctio vocatur *Sacramentum chrismatis*; 2°, illud Sacramentum chrismatis dicitur *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum esse*; 3°, *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus*; proinde in ratione Sacramenti Baptismo comparatur, atque ita Sacramentum est à Baptismo diversum; 4° dicitur *visibile sanctum Sacramentum*; 5°, sicut Baptismus, ita Sacramentum chrismatis *esse et in bonis et in malis potest*; quia sicut Baptismus ab interiori lotione, ita Sacramentum chrismatis *ab invisibili unctione charitatis discerni* debet. Validitas enim utriusque Sacramenti sine ejus effectu subsistere potest. Secundus locus habetur tractatu 3 in 1 Joannis epistolam, num. 5 : *Unctio spiritalis*, inquit, *ipse Spiritus sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili*. Et num. 12 : *Unctionis Sacramentum est virtus ipsa invisibilis; unctio invisibilis, Spiritus sanctus; unctio invisibilis charitas illa est, quæ in quocumque fuerit, tanquàm radix illi erit quamvis ardente sole arescere non potest*. Unctio igitur visibilis est Sacramentum, cujus effectus est unctio invisibilis; unctio verò invisibilis est Spiritus sanctus, seu charitas, non quælibet, sed vegetans et radicata, quæ ardente concupiscentiâ non arescit. Tertius locus habetur lib. 5 de Baptismo, c. 20, ubi Augustinus rationibus pro nullitate Baptismi et chrismationis hæreticorum atque schismaticorum, à Cypriano, in epistolâ 70 ad Januarium et cæteros episcopos Numidas, relatis respondet, easque refellit. Donatistis igitur objicientibus : *Quomodò aquam mundat et sanctificat* (minister) *homicida? quomodò benedicunt oleum tenebræ* (hoc est, hæretici)? — Respondet Augustinus : *Si Deus adest Sacramentis, et verbis suis per qualeslibet administrentur, et Sacramenta Dei ubique recta sunt*. Audis Confirmationem, quæ *olei* nomine significatur, vocari *Sacramentum*, sanctificari per ministrum homicidam et hæreticum, æquiparari Baptismo, et hæc duo, *Baptismum* scilicet et *oleum* declarari *Sacramenta Dei recta*, modò *verbis Dei per qualeslibet administrentur*.

Cyprianus quidem concedebat unctionem ab impio ministro factam in Ecclesiâ validam esse; sed aliud sentiebat de unctione ab hæretico et in ipsâ hæresi collatâ; quia *oleum, unde baptizati unguntur, in altari sanctificatur : sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec ecclesiam. Unde nec unctio Spiritûs apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari apud illos omninò non posse*. Respondet Augustinus, et simul urget eamdem utriusque rationem esse : *Cur*, inquit, *ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare, et in altari, quod hæretici posuerunt, non possit, nescio : nisi fortè* (Deum) *quem cor hominis fallaciter conversum intùs* (hoc est, in Ecclesiâ) *non impedit, lignum fallaciter positum* (hoc est, altare ab

hæreticis erectum) *impedit foris* (hoc est, extra Ecclesiam) *quominùs sacramentis suis adesse dignetur, nullis hominum falsitatibus impeditus?* Sentit igitur Augustinus unctionem sive ab impio, sive ab hæretico ministro factam, verum esse sacramentum, cui Deus adesse dignatur.

Cyprianus, ut suam de nullitate Baptismi, Chrismationis, et Eucharistiæ ab hæreticis et schismaticis in hæresi et schismate collatorum opinionem firmaret, illud adducebat : *Deus peccatorem non audit.* Respondet Augustinus, hoc testimonio nihil juvari Cypriani causam : eo enim contra ipsum concludi posset, irrita esse sacramenta, non solùm ab hæreticis et schismaticis, sed et ab impio intra Ecclesiam administrata. « Si ergo, inquit, ad hoc valet quod dictum est in « Evangelio : *Deus peccatorem non audit*, ut per pec- « catorem sacramenta non celebrentur : quomodò « exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam « Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, « vel super capita eorum, quibus manus imponitur? « quæ omnia tamen et fiunt et valent etiam per homi- « cidas..... in ipsâ intùs Ecclesiâ. » Ecce Augustinum præcipuè asserentem, *oleum*, quo nomine chrismationem seu Confirmationem intelligit, esse verum sacramentum : illudque in eâ sacramenti ratione comparantem Baptismo et Eucharistiæ, et fortè Sacramento Pœnitentiæ : dubitatur enim, utrùm hæc manûs impositio, de quâ ibi loquitur, ea sit quæ in reconciliatione, an ea quæ in ordinatione adhibebatur.

Quartus locus habetur lib. 15 de Trinitate, c. 6 : « Unxit (Christum) Deus Spiritu sancto, non utique « oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili signifi- « catur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. » Unguentum igitur visibile, quo Ecclesia baptizatos ungit, significat Spiritum sanctum seu gratiæ donum, quo Christus unctus est, non in Baptismo, sed in incarnatione, quando *Verbum caro factum est.*

Quintus locus habetur in sermone de Cataclysmo, c. 1 : « Baptizatus es, signatus es regio charactere, cœ- « pisti consequi annonam de mensâ regis tui. Noli « esse desertor, nec ut delicatus miles diffluas per « voluptates.....; sed ut fortis miles, quidquid po- « tes, age in hoc bello. » Et cap. 2 : « Baptizatus es, « mundatus, unctus oleo, restauratum est corpus « tuum ad priorem statum primi illius hominis ante « peccatum, » etc. In his duobus capitibus christianus recens baptizatus uti miles indutus ex alto virtute, et Sacramentis corroboratus, describitur : et in his duobus locis Baptismus primum, Confirmatio secundum, et Eucharistia tertium locum obtinet.

Sextus habetur initio enarrationis 2 in psalmum 26 : « Ad omnes christianos, inquit, pertinet unctio..... « Inde autem apparet Christi corpus nos esse, quia « omnes ungimur, et omnes in illo et Christi et Christus « sumus, quia quodammodò totus Christus caput et cor- « pus est. Unctio ista perficiet nos spiritaliter in illâ « vitâ quæ nobis promittitur... Ungimur modò in Sa- « cramento, et Sacramento ipso præfiguratur quiddam « quod futori sumus. » Quâ verò ratione à Baptismo diversâ, chrismatis unctio nos efficiat corpus Christi, exponet Augustinus in 9° textu sequenti.

Septimus habetur lib. 19 contra Faustum, c. 14, ubi veteris legis sacramenta cum nostris comparat : « Si ergo antiqui justi pro illis prænuntiativis sacra- « mentis, et rerum nondùm impletarum figuris, omnia « dura et horrenda perpeti parati fuerunt et plerique « perpessi sunt.....; quantò magis nunc pro Ba- « ptismo Christi, pro Eucharistiâ Christi, pro signo « Christi ad omnia perferenda paratior debet esse « christianus; cùm illa fuerint promissiones rerum « complendarum, hæc sint indicia completarum. » En Augustinum supponentem signum Christi, quibus verbis unctionem intelligit, esse novæ legis Sacramentum; illud à Baptismo et Eucharistiâ distinguentem; illud referentem post Eucharistiam; illud in ratione sacramenti novæ legis comparantem cum Baptismo et Eucharistiâ, et requirentem, ut pro illo, sicut et pro Baptismo et Eucharistiâ christianus ad omnia perferenda paratus sit.

Octavus habetur in psalm. 44, ad hæc verba : *Propterea unxit te Deus*, etc. « Oleum visibile in signo est; « oleum invisibile in sacramento est : oleum spirituale « intùs est, oleum visibile exteriùs est. »

Nonus habetur in serm. 227, aliàs 83 de Diversis : « Unus panis, unum corpus, inquit, multi sumus..... « Numquid panis ille de uno grano factus est? Non- « ne multa erant tritici grana? sed antequàm ad pa- « nem venirent, separata erant : per aquam conjuncta « sunt, et post quamdam contritionem : nisi enim mo- « latur triticum, et per aquam conspergatur, ad istam « formam minimè venit, quæ panis vocatur. Sic et vos « ante jejunii humiliatione et exorcismi sacramento « quasi molebamini. Accessit Baptismus, et aquâ « quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. « Sed nondùm est panis sine igne. Quid ergo signifi- « cat ignis? hoc est chrisma. Oleum etenim ignis no- « stri, Spiritûs sancti est Sacramentum. In Actibus « apostolorum advertite....., et videte, quia Spiritus « sanctus... in linguis igneis se ostendit : inspirat enim « charitatem, quâ ardeamus in Deum et contemnamus « mundum, et fenum nostrum exuratur, et cor quasi « aurum purgetur. Accedit ergo Spiritus sanctus, post « aquam ignis : et efficimini panis, quod est corpus « Christi. » Hæc si legisset Kemnitius, Catholicos in suo examine Trident. concilii non arguisset, quasi ineptè et absurdè dicant, oleum in Confirmatione correspondere igni, qui die Pentecostes super apostolos apparuit.

Decimus habetur homiliâ 266, aliàs 5, inter undecim è bibliothecâ Carthusiæ majoris desumptas, ubi Augustinus Donatistas refutat, quibus oleum Confirmationis susceptum in hæresi, irritum esse videbatur, propter illud psalmi 140 : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Augustinus verò probat oleum illud, licèt ab impio vel hæretico ministro collatum, non esse oleum peccatoris, vel oleum malum, sed oleum Christi, oleum bonum, verumque Sacramentum, quod à peccatoribus administrari potest, iisque solis nocet, qui illud indignè suscipiunt; quemadmo-

dùm Eucharistia, quam qui manducant indignè, judicium sibi manducant. *Oleum Christi*, inquit, *etsi per peccatorem ministretur, non est oleum peccatoris. Cùm tres considerandi animo occurrant, à quo datur, cui datur, per quem datur; non timeamus oleum peccatoris, quia non intercipit medius minister beneficium largitoris.* Et sub finem, Donatistam respondentem : (*Oleum illud*) *meum est, noli ab illo (impio) accipere, sed à me :* ita perstringit : *Ergo oleum tuum est. Si tuum est, nolo : si tuum est, malum est : si autem Dei est, et per te malum, bonum est. Cœnum non inquinat solis radium; et tu inquinas Dei oleum? Ideò autem malo tuo habes quia quod bonum est, malus habes : quod Dei est, malus accepisti, quia separatus, non collegisti, sed sparsistis. Qui manducant indignè, judicium sibi manducant et bibunt? Quia manducant indignè, non manducant? indigno buccellam Christus Judæ dedit, et ille hanc ad judicium accepit : numquid à malo accepit? numquid malum accepit? Sed ideò reus est, quia à bono bonum malus accepit. Non est ergo oleum peccatoris, oleum salutaris. Benè accipiatur, et bonum est : etsi malè accipiatur, bonum est. Væ hominibus bonum malè accipientibus.* Audis Augustinum oleum illud vocantem *oleum salutaris*, seu oleum salutis? Impius igitur Calvinus, cùm hæc ait lib. 4 Instit., c. 19, § 6 : *Qui oleum vocant oleum salutis, salutem, quæ in Christo est abjurant, Christum abnegant, partem in regno Dei non habent.*

Kemnitius in 2 parte examinis concilii Trident., p. 297, respondet unctionem ab Augustino vocari Sacramentum impropriè et largo modo, quia est quædam humana cæremonia in Baptismo adhiberi solita.

Eòdem recidunt Antonii de Dominis et Dallæi solutiones, quorum ille sic habet : *Quid sibi vult Augustinus illis dictis : Servat Ecclesia : ungit Ecclesia? an ideò diceret : baptizat Ecclesia? Nequaquàm profectò, non; sed intelligit hos esse ritus ecclesiasticos.* Et postea : *Præterea orare ut veniat Spiritus sanctus profectò non est ministrare Sacramentum.* Iste verò multis explicat et contendit (quæ tamen nihil probant, sed meræ sunt argutiæ) hanc unctionem esse partem Baptismi, non essentialem quidem, sed ritualem et cæremonialem, quæ Sacramentum ab Augustino dicitur, nomine *Sacramenti* latiùs usurpato (quod Patribus familiare est) pro signo rei sacræ ex humanâ etiam institutione.

Verùm ex ipsis textibus relatis apparet, unctionem, cujus meminit Augustinus, Sacramentum esse propriè dictum, et à Baptismo distinctum. 1° Quia Kemnitius, et alii id gratis asserunt. 2° Quia cæremonia non potest Sacramentum dici, nisi secundùm quid. Hæc autem unctio ab Augustino Sacramentum dicitur simpliciter, in textu 1, 2, 3, 6, 7, 8 et 9. 3° Cæremonia humanæ institutionis est. Atqui hæc unctio institutionis est divinæ : unde dicitur *Sacramentum Dei*, in 3 textu; *oleum Christi*, *oleum Dei*, *oleum salutaris*, non autem oleum hominis, in textu 10. 4° Cæremonia non confert gratiam sanctificantem. Atqui hæc unctio gratiam sanctificantem producit. Confert enim *invisibilem unctionem charitatis*, ex 1 textu : confert *Spiritum sanctum*, ex 2 textu : *perficit nos spiritaliter*, ex 6 textu : nos *Christi corpus* efficit, ex textu 6 et 9 : vim habet sanctificandi, quam ministri malitia impedire non potest, ex textu 3 et 10. 5° Si Augustinus existimâsset hanc unctionem fuisse meram Baptismi cæremoniam, non laborâsset in solvendo Petiliani argumento, quo hæreticus ille baptismum hæreticorum nullum et iterandum esse probabat, à simili videlicet, ex nullitate unctionis ab hæreticis collatæ, quam quidem apud ipsos nullam, adeòque iterabilem esse probabat, ex quibusdam Scripturæ locis in alienum sensum detortis. Facile enim fuisset Augustino respondere, latum esse discrimen : aliam rationem esse cæremoniæ, aliam verò sacramenti : cæremoniam ex se iterabilem esse; Baptismum verò ex se suâque naturâ non posse iterari : cæremoniam humanæ institutionis esse, atque ita posse ab Ecclesiâ inter hæreticos irritari; Baptismum verò, ut qui divinæ sit institutionis, ab hominibus irritari non posse. 6° Imperitus et stupidus sit oportet (qualis certè non erat Petilianus) qui ex nullitate et iteratione cæremoniæ cujusdam baptismalis concludat ipsum Baptismum, nullum et iterandum esse. 7° Quâ fronte Augustinus adversùs Petilianum propugnâsset, meram Baptismi cæremoniam ab hæreticis collatam, non posse ab Ecclesiâ irritari et iterari. 8° Augustinus dùm in 3 textu argumentis Cypriani ex unctionis nullitate petitis respondet, unctionem eodem sensu accipit, quo Cyprianus. Atqui Cyprianus unctionem intelligit, quæ Sacramentum est à Baptismo diversum, fatente vel ipso Kemnitio, qui in 2 parte examinis, pag. 298, Cyprianum in eo capite fuisse Montanistam asserit : catholicorum enim doctrinam de Sacramento Confirmationis à Montanistis adinventam fuisse sibi persuadet. 9° In textibus relatis multùm laborat Augustinus, ut ostendat unctionem illam posse dari et accipi à malis, ut ipsum etiam Baptismum. At quid opus erat hoc probare de humanâ et sterili cæremoniâ? quis enim de eo dubitare poterat? 10° Augustinus dicit, malos accipere Sacramentum unctionis visibile, sine invisibili gratiâ Spiritûs sancti, idque ad judicium; bonos verò suscipere utrumque. At certè non distingueret visibile Sacramentum ab invisibili gratiâ in malis neque ea in bonis conjungeret, nisi crederet unum per alterum dari. 11° Augustinus ait hanc unctionem à malis sumi ad judicium ex textu 10. Atverò ad judicium non sumitur cæremonia humana, etiamsi à malis sumatur. 12° Augustinus in primo textu relato dicit, hanc unctionem esse *Sacramentum in genere visibilium signaculorum sacrosanctùm, sicut ipse Baptismus.* At quanta blasphemia fuisset humanam cæremoniam æquare Sacramento Baptismi? 13° Vel ipse Calvinus agnoscit, improbum et sacrilegum esse, qui meram cæremoniam cum Baptismo conferat : libro si quidem 4 Instit., cap. 19, § 10, Melchiadem pontificem in epist. quæ sub ejus nomine circumfertur, asserentem, *utrumque* (Baptismum scilicet et manûs impositionem) *magnum esse Sacramentum*, ita refellit : *Os sacrilegum! tunc pinguedinem fetore duntaxat anhelitûs tui inquinatam, et verborum murmure incantatam, audes*

Christi Sacramento opponere, et conferre cum aquâ verbo Dei sanctificatâ? Atqui Augustinus chrismatis unctionem cum Baptismo confert ratione sanctificationis, initio 3 textûs, asserens oleum sicut et aquam Baptismi à Deo sanctificari, nihil impediente ministri malitiâ. Improbus ergo et sacrilegus fuit Augustinus, si olei unctionem credidit meram esse cæremoniam. 14° Augustinus initio 3 textûs conceptis terminis ait *aquam* et *oleum*, hoc est, Baptismum et unctionem, esse *recta Sacramenta Dei*, hoc est, vera et rata Sacramenta, quibus *Deus adest*, modò *verbis Dei per quaeslibet administrentur*. Quid plura desiderant adversarii? 15° Augustinus unctionem in ratione sacramenti non solùm cum Baptismo, sed etiam cum Eucharistiâ comparat in 3, 7 et 10 textu : hæc tria vocat sacramenta : hæc tria docet à Deo solo sanctificari : his tribus negat ministri malitiam nocere posse : in illis tribus distinguit sacramentum à virtute sacramenti : hæc tria docet in bonis reperiri ratione utriusque, in malis verò ratione Sacramenti, non autem ratione virtutis seu effectûs : subjicit unctionem, sicut et Eucharistiam, ab improbis sumi ad judicium et condemnationem. Hæc certè (si qua sint) signa sunt quibus verum ac propriè dictum Sacramentum dignoscitur, et à quâcumque cæremoniâ distinguitur. Plura ex relatis Augustini textibus argumenta depromi possent. Sed hæc sufficiant.

Objicit 1° Antonius de Dominis hæc verba Augustini, lib. 15 de Trinit., cap. 26, suprà : *Quem morem servat Ecclesia.* Mos igitur ille imponendi manus ab Ecclesiâ observatus, non autem à Christo institutus est.

Verùm quæ, amabo, consequentia! apostoli manus imponebant, et per hanc impositionem advocabant Spiritum sanctum : eumdem morem hodiè servat Ecclesia. Mos igitur ille à Christo institutus non fuit. Idem est ac si quis ita dissereret : apostoli baptizabant : eumdem morem hodiè servat Ecclesia. Mos igitur ille non fuit institutus à Christo.

Objicit 2° hæc verba Augustini, lib. 15 de Trinit. supra, *Visibili unguento baptizatos ungit Ecclesia.* Sed nemo dixerit, *baptizat Ecclesia.* Baptismus igitur, non autem unctio est Sacramentum propriè dictum.

Respondeo minorem falsam esse, idque probari ex Augustino dicente, Baptismum esse Ecclesiæ, lib. 2 contra Gaudentium, c. 10, initio : *Nec vos blandiamini, quia Baptismum non rescindimus vestrum : non est hoc vestrum, sed catholicæ Ecclesiæ, quam tenemus.* Lib. 1 de Baptismo, c. 14 : *Non est Baptismus ille hæreticorum, vel schismaticorum, sed Dei et Ecclesiæ.* Capite verò 10 et 15, ait *Ecclesiam, ut quæ sit sponsa Christi, per Baptismum generare fideles :* quod, quid aliud est, quàm fideles baptizare?

Objicit 3° : *Orare ut veniat Spiritus sanctus, profectò non est ministrare sacramentum.* Sed ex Augustino ministri orant, ut per manûs impositionem et unctionem chrismatis veniat Spiritus sanctus. Nullum igitur sacramentum conferunt.

Verùm huic objectioni jam satisfecimus supra, ubi de responsione Antonii de Dominis, et de responsione 5. Sanè Baptismi formula, quam Græci adhibent, deprecatoria est. Verba etiam, quibus Eucharistia conficitur, *preces et oratio sacerdotis* appellantur à Justino in Apolog. 2; ab Irenæo, lib. 4, cap. 34; ab Origine, lib. 8 contra Celsum; ab Optato, lib. 6; à Basilio, lib. de Spiritu sancto, c. 27; ab Ambrosio, lib. 4 de Fide, cap. 5; ab Hieronymo, epist. 85 ad Evagrium; ab Augustino, lib. 3 de Trinit., c. 4 : quæ tamen duo Sacramenta, quasi legitima ab omnibus habentur.

Objicit 4° Dallæus, quòd Augustinus scribens contra Petilianum, opus suum inscripsit de Baptismo. Quæcumque igitur in eo tractatu referuntur, pertinent ad Baptismum.

Quasi verò Augustinus in eo tractatu non edisserat de Eucharistiâ, et aliis multis, quæ à Baptismo distinguuntur.

Objicit 5° Dallæus, quòd neque Augustinus, neque alius veterum errores et schisma Donatistarum referens, dixit de chrismate fuisse aliquam inter catholicos et Donatistas controversiam. Maxima verò, imò tanta fuisset, quanta de Baptismo, si Augustinus et Petilianus existimassent unctionem esse sacramentum propriè dictum : Augustino asserente, Donatistis verò negantibus, unctionem ab hæreticis factam, verum ac legitimum esse sacramentum.

Verùm inprimis dissidium inter eos fuisse de oleo Confirmationis apparet non solùm ex Augustino, sed etiam ex Optato in textibus relatis. 2° Eadem objectio retorqueri potest adversùs Eucharistiam, quam Donatistæ in hæresi et schismate nullam esse credebant. Ideòne putabant illam esse meram cæremoniam; quòd Augustinus, aliique catholici nullum de hoc dissidio specialem tractatum ediderint? non ita sanè. Africani et Donatistæ dissidebant de validitate Sacramentorum omnium extra ecclesiam collatorum. Affirmabant Africani ea vera esse, à quocumque, etiam hæretico, administrarentur, modo id fieret verbis Dei : negabant Donatistæ. Concertatio tamen de Baptismo præcipuè instituta est, sive quia primum est Sacramentorum, sive quia communius et usitatius est cæteris, sive quia ejus et cæterorum eamdem in hoc capite rationem esse existimabant.

Objicit 6° Dallæus, quòd Augustinus, tract. 3 in 1 Joannis epist, meminit quidem unctionis visibilis, quam ait esse Sacramentum; et unctionis invisibilis, quam ait esse Spiritum sanctum seu charitatem. Sed ille non ait hanc invisibilem unctionem esse effectum unctionis visibilis.

Verùm hæc observatio futilis est. Virtus enim Sacramenti apud Augustinum est effectus Sacramenti. Distinguit enim in textibus sive pro manûs impositione, sive pro chrismate relatis, sacramentum ipsum à virtute Sacramenti. Utrumque ait à bonis suscipi; à malis verò concedit suscipi Sacramentum, non autem virtutem Sacramenti. *Si vis nôsse*, inquit tract. 6 in eamdem Joannis Epist., *quia accepisti Spiritum sanctum, interroga cor tuum, ne fortè Sacramentum habeas, et virtutem Sacramenti non habeas.* Per vir-

tutem igitur Sacramenti Augustinus intelligit effectum Sacramenti. Sed in ipso textu, cui Dallæus respondere conatur, unctio invisibilis dicitur virtus Sacramenti unctionis visibilis. Igitur effectus est ejusdem Sacramenti. Deinde dato, non concesso, quod Dallæus objicit, superest alia solutio : nec enim debuit aut potuit Augustinus omnia simul in uno eodemque textu complecti. Quòd autem in uno textu tacuit, in aliis explicuit.

§ 4. *Paulinus Nolanus.*

Paulinus, Nolanus episcopus, qui ferè octogenarius obiit anno 431, tria Baptismi, Confirmationis, et Eucharistiæ sacramenta hoc modo describit in epistolâ 10, aliàs 15, ad Delphinum, Burdegalensem episcopum, dùm se ab eo christianæ religionis sacris initiatum gratulatur. *Quæris, piissime pater, quid facias adhuc quod non feceris nobis? Cùm et plantaveris nos in domo Domini ; et plantati maceriam signaculi salutaris, quâ ab incursu sylvestris apri et depastione ferocis onagri muniremur, adstruxeris ; et torcular foderis*, etc.

§ 5. *Cyrillus Alexandrinus.*

Cyrillus, Alexandrinus patriarcha, qui Theophilo avunculo suo in sede Alexandrinâ successit, anno 412, tertiæ synodo œcumenicæ præfuit anno 431, et obiit anno 444, Commentario in Joel, ad hæc verba: *Replebuntur areæ tritico, et redundabunt torcularia vino et oleo:* hæc scribit: *Sciendum præterea etiam secundùm mysticum eventum promissionem veram esse. Data est nobis, ceu pluvia, aqua vivens sacri Baptismatis, et tanquàm in vino sanguis. Accessit usus olei, qui per sacrum Baptisma in Christo justificatis confert ad consummationem.* Usus olei justificatis confert ad consummationem. Gratiam igitur consummantem et perficientem producit. Illi, quibus olei usus hanc gratiam confert, per sacrum Baptisma in Christo jam justificati sunt. Hæc igitur unctio supponit Baptismum jam collatum; ab ipso distincta est, et diversum ab ipso effectum habet.

§ 6. *Concilium Arelatense III.*

Ravennius, archiepiscopus Arelatensis, concilium Arelatense ad annum 455 coegit in causâ Fausti abbatis insulæ Lirinensis, qui Theodori, episcopi Forojuliensis jurisdictionem declinare volebat. In hoc autem sancitum est, *ut chrisma nonnisi ab ipso Theodoro speraretur* (et monachi). *neophyti si fuerint, ab eodem confirmarentur.* Huic synodo præfuit Ravennius, qui cùm inierit pontificatum anno 449, et ante annum 461 obierit, consequens est, ut hoc concilium uno aliquo inter hos fines anno celebratum fuerit.

§ 7. *Leo Magnus.*

Leo Magnus, qui ad Petri sedem evectus anno 440, obiit anno 461, sermone 4 de nativitate Domini, ita loquitur : *Permanete stabiles in eâ fide, quam confessi estis coram multis testibus, et in quâ renati per aquam et Spiritum sanctum, accepistis chrisma salutis et signaculum vitæ æternæ.* En unctionem, quæ Baptismum sequitur, quæ dicitur *chrisma salutis*, quæ vocatur *signaculum vitæ æternæ*, quæque jam renatis novam gratiam confert. Et serm. 3 in anniversario Assumpt. : *Omnes in Christo regeneratos crucis signum efficit reges : sancti verò Spiritûs unctio consecrat sacerdotes.* Ubi sancti Spiritûs unctione Leo ait nos fieri sacerdotes : proinde chrismate, quo sacerdotes efficimur, dari Spiritum sanctum. Crucis autem signo dicit nos reges fieri; quia sicut regia Christi potestas cruce parta est, juxta illud : *Regnavit à ligno Deus;* ita potestatis illius communicatio crucis signo, quo unctio fieri solet, exprimitur.

In epistolâ verò 129, aliàs 79, quam ille anno 458 scripsit ad Nicetam, episcopum Aquileiensem, c. 7, sic habet : *Qui Baptismum ab hæreticis acceperunt, solâ invocatione Spiritûs sancti per impositionem manuum confirmandi sunt; quia formam tantùm Baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt...*, (lavacri) *ablutio nullâ iteratione temeranda est; sed, ut diximus, sola sanctificatio Spiritûs sancti invocanda est : ut quod ab hæreticis nemo accipit, à catholicis sacerdotibus consequatur.*

§ 8. *Theodoretus.*

Theodoretus, Chrysostomi discipulus, floruit ab anno 423, quo Cyrensis in Syriâ episcopus electus est, ad annum 453 et ultra. Manûs autem impositionis confirmatoriæ meminit in cap. 6 epist. ad Hebr. : *Qui crediderunt*, inquit, *accedunt ad divinum Baptismum; et per manum sacerdotalem, Spiritûs gratiam accipiunt; et in divino Baptismo resurrectionis figuram suscipientes exspectant communem omnium resurrectionem et futurum judicium.* Chrismatis verò mentionem facit lib. 4 in Cantica canticorum, ad hæc verba : *Unguentum effusum*, etc. : *Reminiscere*, inquit, *sacræ mystagogiæ, in quâ, qui initiantur, post tyranni abnegationem et regis confessionem, velut sigillum quoddam regium suscipiunt spiritalis unguenti chrisma, recipientes gratiam invisibilem sanctissimi Spiritûs unguento tanquàm in typo.* Quin etiam lib. 3 hæreticarum Fabul., cap. de Novato, seu potiùs de Novatiano, hanc Novatianis hæresim impingit, quòd chrismatis Sacramentum negarent, quâ de re supra disseruimus, sect. de Novatianis.

Ex primo loco manûs impositio confert gratiam Spiritûs sancti. Ex secundo gratia invisibilis sanctissimi Spiritûs confertur unguento tanquàm in typo, id est, tanquàm in signo et Sacramento. Ex tertio loco hæretici sunt, qui hoc chrismatis sacramentum negant. Denique ex eodem tertio loco chrismatis Sacramentum à Baptismo differt. Theodoretus enim Novatianos redarguit, quòd baptizatis non conferrent sacrum chrisma. Atqui ex Theodoreto Novatiani legitimum Baptismum administrabant.

§ 9. *Gennadius Constantinopolitanus.*

Gennadius, presbyter ecclesiæ Constantinopolitanæ, doctrinâ, et sanctitate atque catholicâ fide conspicuus, qui anno 458 ejusdem Ecclesiæ archiepiscopus creatus est, Commentariis in epistolam ad Hebr., qui injuriâ temporum periêre, in fragmento quod apud Œcumenium refertur in cap. 6 ad Hebr., ad hæc Pauli verba : *Quapropter omisso sermone*, etc. : *Vult autem dicere* (apostolus) *quod nunc primùm ad fidem accedentibus, harum rerum doctrinam, tanquàm fundamentum proponimus : meritò ipsos primùm adhortantes, ut à mortiferis operibus resipiscant, resipiscentes autem in*

Deum credant, credentes verò baptizentur, baptizati autem seipsos subjiciant impositioni manuum sacerdotum ad participationem Spiritûs. Et infra : *Impositio manuum per quam Spiritum accepistis.* Et paucis interjectis : *Vigilate : neque enim licitum est, ut si segniter vivas, rursùm baptizeris, et per manuum impositionem accipias Spiritûs sancti superventionem.*

§ 10. *Remigius Remensis.*

Remigius, Remensis archiepiscopus florebat ad annum 480, et obiit seculo VI ; quo autem anno incertum est. Ille verò in Testamento suo, quod exstat apud Flodoardum, lib. 1, cap. 18, hæc habet : *Generi tantùm regio, quod ad honorem sanctæ ecclesiæ et defensionem pauperum unà cum fratribus meis et coepiscopis omnibus Germaniæ, Galliæ, atque Neustriæ, in regiæ majestatis culmen perpetuò regnaturum statuens elegi, baptizavi, à fonte sacro suscepi, donoque septiformis Spiritûs consignavi*, etc. En Confirmationem, quâ confertur septiformis Spiritus, distinctam à Baptismate.

§ 11. *Avitus Viennensis.*

Avitus, archiepiscopus Viennensis, in epistolâ ad Clodovæum regem Francorum, quâ ipsi congratulatur de susceptâ Christi fide, de ejus Baptismo et Confirmatione sic loquitur : *Conferebamus nobiscum, quale esset illud, cùm adunatorum numerus pontificum, manus sancti ambitione servitii membra regia undis vitalibus confoverat : cùm se Dei servis inflecteret timendum gentibus caput : cum sub casside crines nutritos salutaris galea sacræ unctionis indueret.* Ubi unctionem confirmatoriam à Baptismo distinguit, eamque vocat *salutarem galeam*, quam neophytus induit, ut paratus sit ad pugnam. Baptizatus est Clodovæus anno regni sui 15, Christi verò 496, in natali Domini.

De Gennadio Massiliensi disseremus infra, ubi de auctoribus dubiis.

CAPUT V.

AUCTORES SECULI SEXTI.

§ 1. *Primasius.*

Primasius, episcopus Africanus (alii Uticensem, alii Adrumetinum antistitem fuisse volunt), qui floruit ab anno 504, quo exulavit in Sardiniam ad annum 553, quo quintæ synodo œcumenicæ interfuit, commentaria scripsit in omnes Pauli epistolas, in quibus ad hæc verba epist. 2 ad Corinth., cap. 1 : *Et qui unxit nos Deus*, hæc habet : « Unxit nos Deus Spiritu sancto « vel chrismate. Unctio igitur chrismatis divina est, « eâque confertur Spiritus sanctus. » Et in epistolam ad Hebr., c. 6, ad hæc verba : *Impositionis quoque manuum :* « Fundamentum, inquit, non debemus rursùm « jacere. Impositionem manuum appellat (Paulus) per « quam plenissimè creditur accipi donum Spiritûs « sancti, quod per baptismum ad Confirmationem uni- « tatis in Ecclesiâ à pontificibus fieri solet. » En manûs impositionem, quæ non debet iterari, quæ administratur à pontificibus, quæque post Baptismum plenissimè confert donum Spiritûs sancti. Et in fine commentariorum, ad postrema verba ejusdem Epistolæ ad Hebræos, *Gratia cum omnibus vobis, amen*, « gratia « dicitur gratis data, inquit; gratiæ autem nomine « debemus hic accipere fidem perfectam, cum execu- « tione bonorum operum ; remissionem quoque pec- « catorum, quam percipiunt fideles tempore Bapti- « smatis ; donum etiam Spiritûs sancti, quod datur in « Baptismate per impositionem manuum episcoporum ; « quæ omnia gratis à Deo dantur. » En donum Spiritûs sancti per impositionem manûs episcoporum concessum et distinctum ab effectu Baptismi, seu à remissione peccatorum. Neque Dallæo favent hæc verba, *quod datur in Baptismate;* hæc enim verba nihil aliud significant quàm tempore Baptismatis : 1° quia Primasius, in 2° textu, ait conceptis terminis donum illud conferri post Baptismum ; 2° quia donum illud distinguit ab effectu Baptismi, quod particula *etiam* apertè significat ; 3° quia huic dono ministrum assignat omninò diversum à ministro gratiæ baptismalis, nempe episcopum. Scripsit etiam Primasius Commentaria in Apocalypsim, quorum lib. 3, c. 6, ad hæc verba : *Vinum et oleum ne læseris*, de Eucharistiâ et Confirmatione ita disserit : *In vino et oleo vim Sacramentorum prohibet violari, utpotè unctionem pretiosumque cruorem.* Ac paulò post : *Illæsa servari voluit vini et olei Sacramenta.*

§ 2. *Gregorius Turonensis.*

Gregorius, qui Turonensis archiepiscopus electus est anno 574, et historiam suam ad annum 595 perduxit, lib. 2 ejusdem historiæ, c. 31, Clodovæi Baptismum ita refert. *Rex omnipotens, Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti, delibutusque sacro chrismate, cum signaculo crucis Christi.* Unctio chrismatis ibi refertur tanquàm à Baptismo diversa. Et, libro 1 de Gloriâ martyrum, c. 14, enarrans ingens miraculum, quod exstat etiam apud Prudentium in libro, seu carmine contra Judæos, refert historiam, quæ tempore ethnici imperatoris contigit, qui cùm victimarum intestina inspiceret, et inde per artes dæmonum responsa quæreret, nihil efficere potuit, quòd dæmones timuerint præsentiam adolescentis imperatorem comitantis, qui et Baptismo lotus, et balsamo seu chrismate in fronte delibutus fuerat. *Require nunc, sacratissime Auguste*, inquit sacerdos, *quis adstet ablutus, et balsamo unctus ; et abscedat protinùs, ut accedant dii, quos invocamus... . Tunc et ipse imperator ait : Quis est hic numinibus nostris contrarius, ac religionis christianæ socius, qui frontem chrismatis inscriptione signatam ferat, lignumque crucis adoret ?*

§ 3. *Gregorius Magnus.*

Gregorius, primus hujus nominis pontifex, qui in cathedrâ Petri sedit ab anno 590 ad annum 604, tribus aut quatuor locis meminit Confirmationis. Primus habetur in Expositione, cap. 1 Cantic., ad hæc verba : *Botrus Cypri*, etc., ubi ait chrisma, quo dona sancti Spiritûs exprimuntur, confici ex balsamo et oleo cum pontificali benedictione : *Balsamum cum oleo, pontificali benedictione, chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritûs exprimuntur.* Secundus habetur sub finem homil. 17 in Evangelia : *Per nos quidem*, inquit, *fideles ad sanctum Baptisma veniunt, nostris precibus benedicun-*

tur, et per impositionem nostrarum manuum à Deo Spiritum sanctum percipiunt. Tertius, qui sanè luculentus est, habetur lib. 12, epist. 31, ad Felicem episcopum Siciliæ. Sed hanc epistolam suppositam esse nonnulli contendunt; quâ de re infra, ubi de testimoniis dubiis. Quartus habetur in Sacramentario, quod alibi probavimus. Dallæus, lib. 3, cap. 6, fatetur primum hujus libri Sacramentorum auctorem fuisse Gregorium; existimat tamen illud minimè sincerum ac purum ad nos usque pervenisse, multis pro temporum varietate subinde additis, nonnullis fortè detractis, quod in hujusmodi ritualibus libris usu venire solet. Quâ de re alibi disseremus. Interim observâsse sufficiet, verba præfata excerpta fuisse ex codice manuscripto annorum et eo ampliùs octingentorum, quem Hugo Menardus Benedictinus in lucem emisit. Codici etiam Menardino consentiunt quotquot supersunt vestustiores et melioris notæ codices manuscripti.

§ 4. *Eulogius Alexandrinus.*

Eulogius, qui archiepiscopus Alexandrinus electus est anno 581, floruit imperante Mauritio, et obiit anno 608, libros quinque scripsit contra Novatianos, qui temporum injuriâ perière; sed quorum meminit Photius in bibliothecâ, cod. 289, ubi ex illis excerpta nonnulla refert. *In excerptis* verò ex libro 2, sic habetur: *Oportet accedentes ad Christum primùm peccatis renuntiare*, etc.; *secundò*, *redemptionem priorum peccatorum per Baptismum accipere; et hoc in fide recipientes doctrinam discere, quid nimirùm Judaicum fuerit, quid verò salutare. Deinde, progressione factâ, dignos reddi adventu Spiritûs sancti, qui per impositionem manuum apostolorum fiebat, docerique mortuorum resurrectionem ac futurum judicium.* Et postea: *Non potestis fundamentum fidei iterùm recipere, nec Baptisma secundum, neque manuum impositionem.* En manuum impositionem, quæ confert Spiritum sanctum, eadem est cum apostolicâ, differt à Baptismo, distinctum ab eo effectum habet, nec iterari potest, sicut nec Baptismus.

§ 5. *Job monachus.*

Jobius monachus, qui seculo sexto floruisse creditur (scripsit contra Severum, teste Photio), commentarium de Verbo incarnato, libris novem distinctum composuit, cujus meminit idem Photius codice 222, et ex quo plurima excerpsit. In excerptis autem ex libro 3, cap. 18, ait catechumenos, cùm in Ecclesiam admittuntur, tribus sacramentis initiari, Baptismo, Unctione et Eucharistiâ; eamque consecrationem in Mosaicâ consecratione adumbratam fuisse. *Primò*, inquit, *nunc baptizamur; deinde unguento ungimur; inde pretioso sanguine dignamur. Sic prorsùs et Moyses hæc adumbrans* (Levit. 8) *abluit primò aquâ eos, qui consecrabantur; mox induit et cingit; deinde confert olei unctionem, et tum sanauine aspergit, atque ad panis sumptionem adducit.*

CAPUT VI.

AUCTORES SECULI SEPTIMI.

§ 1. *Concilium Hispalense II.*

Concilium Hispalense anno Christi 619, ærâ verò Hispanicâ 657, sedente Bonifacio V coactum, recensens cap. 7, *quæ prohibentur presbyteris in ecclesiasticis Sacramentis*, ait, *eis non licere per impositionem manûs fidelibus baptizatis vel conversis ex hæresi paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare*, etc., quia pontificatûs apicem non habent.

§ 2. *Concilium Toletanum.*

Concilium Toletanum IV anno Christi 633, ærâ verò Hispanicâ 671, sub Honorio I celebratum, cap. 57 (præcipit), *Nemini* (*Judæorum*) *deinceps ad credendum vim inferre: Cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat*, etc., *qui autem jampridem ad christianitatem venire coacti sunt..., quia jam constat eos esse Sacramentis divinis associatos, et Baptismi gratiam percepisse, et chrismate unctos esse, et corporis Domini et sanguinis exstitisse participes, oportet ut fidem etiam quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen divinum blasphemetur.* Patres Toletani chrismationem, ut apparet, vocant *Sacramentum*, eamque in ratione Sacramenti conferunt cum Baptismo et Eucharistiâ.

§ 3. *Isodorus Hispalensis.*

Isidorus Junior, qui præfatis duabus synodis præfuit, et quem octavi Toletani concilii Patres *doctorem egregium, ac novissimum Ecclesiæ catholicæ decus* appellant, ad sedem Hispalensem evectus est anno 600, obiit autem anno 635. Ille verò de chrismate et manûs impositione, quibus Spiritus sanctus super neophytos advocatur, mentionem facit, lib. 2 de Offic. eccles., cap. 25 et 26: nimirùm cap. 25 observat, quòd in lege Mosaicâ soli pontifices et reges chrismate ungerentur. *Sed postquàm Dominus noster, verus rex et sacerdos æternus, à Deo Patre cœlesti mystico unguento est delibutus, jam non soli pontifices et reges, sed omnis Ecclesia unctione chrismatis consecratur, pro eo quòd membrum est æterni sacerdotis et regis. Ergo quia genus regale et sacerdotale sumus, ideò post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur.*

Capite autem 26 sic habet: *Post Baptismum per episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione: hoc in Actibus apostolorum fecisse meminimus apostolos.* Tum subjicit primùm quidem testimonia ex Actibus petita, deinde verò decretum Innocentii I in Epistolâ ad Decentium, quod supra descripsimus.

Dallæus adversùs hunc textum nihil objicit.

Objici tamen 1° potest beatum Ildephonsum, qui operum Isidori catalogum texuit in libro de Viris illustribus, nullam mentionem fecisse duorum libellorum de ecclesiasticis Officiis.

Verùm, qui vocantur in hodiernis editionibus libri de divinis Officiis, vocantur ab Ildephonso liber de Genere officiorum. Ipse quoque Isidorus in præfatione, quâ hos duos libellos Fulgentio episcopo dedicat, eos appellat libellum de Genere officiorum. Unde apparet, capita hujus opusculi, seculis retrò sequentibus in duos libellos distincta fuisse. Sed et Rabanus Maurus ex his duobus libellis plurima desumpsisse deprehenditur: eos etiam Patres, imperante Ludovico pio, in

synodo Aquisgrani coacti, cùm sibi canonicorum regulam scribendam sumpsissent, ad reformandos et instruendos ecclesiasticos viros valdè eos accommodatos cernentes, in suam illam regulam ferè transcripserunt.

Objici 2° potest hanc unctionem et manûs impositionem, de quâ Isidorus, meram fuisse cæremoniam. Ille si quidem, cap. 25 et 26 de Chrismate et manûs Impositione discursurus, præmittit in fine capitis 24 hoc esse discrimen inter Baptisma, et chrisma cum manûs impositione concessum, quòd istud, non illud iterari possit; quia illud non est hominis meritum, sed Christi. *Hæretici*, inquit..., *non iterùm sunt baptizandi, sed solo chrismate et manûs impositione purgandi : Baptismus enim non est hominis meritum, sed Christi : ideòque nihil interest, hæreticus an fidelis baptizet.* Isidorus igitur supponit unctionem et manûs impositionem, quâ hæretici in Ecclesiam tunc admittebantur, non esse Christi meritum, sed hominis. Alioquin ejus ratio nihil concluderet pro negatione iterationis Baptismi. His præmissis, de utrâque unctione scilicet et manûs impositione, quæ baptizatis confertur, seorsim edisserit, de unctione quidem cap. 25, de Impositione verò cap. 26, sub ejus finem. Utramque explicat et confirmat decreto Innocentii I, quod integrum refert. Unctio igitur et manûs impositio, de quâ Isidorus cap. 25 et 26, eadem est de quâ cap. 24, atque ita non est Sacramentum, cùm non sit Christi meritum, sed hominis.

Respondeo 1° objectionem supponere falsum, scilicet unctionem et manûs impositionem neophytis concessam iterari : aliud enim est, hæreticos in Ecclesiam admitti per chrismationem et manûs impositionem ; aliud eos suscipi per eamdem unctionem et manûs impositionem, quam post Baptismum in hæresi acceperant, quasi unctio et manûs impositio hæreticis recens baptizatis concessa, in ipsis ad Ecclesiam redeuntibus iteretur : prius non autem posterius docet Isidorus : prius concedunt omnes catholici ; de posteriori inter se dissident. 2° Utramque seu unctionem, seu impositionem, quâ hæretici suscipiebantur, merè reconciliatoriam, meramque ex Isidori mente cæremoniam fuisse ultrò, concedo ; sed illam ab unctione et manûs impositione neophytis concessâ diversam, ex mente ejusdem Isidori fuisse contendo. Posteriorem enim, non autem priorem, ait habere virtutem conferendi Spiritum sanctum : eamdem esse ac illam, quâ apostoli usi sunt : eamque à solis pontificibus fieri posse.

Isidorus mentem suam clariùs aperuit, lib. 6 Originum, cap. ultimo. *Sunt autem Sacramenta*, inquit, *Baptismum et Chrisma, corpus et sanguis Christi, quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretiùs salutem eorumdem Sacramentorum operatur. Unde et à secretis virtutibus vel sacris Sacramenta dicuntur : quæ ideò fructuosè penès Ecclesiam fiunt, quia sanctus in eâ manens Spiritus eorumdem latenter Sacramentorum operatur effectum.* Et infra : Chrisma *Græcè, Latinè* unctio *nominatur, ex cujus nomine et Christus dicitur, et homo post lavacrum sanctificatur ; nam sicut in Baptismo peccatorum remissio datur : ita per unctionem sanctificatio Spiritûs adhibetur.* Et posteà : *Manûs impositio ideò fit ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus sanctus ; tunc enim ille paracletus post mundata et benedicta corpora libens à Patre descendit*, etc., quæ postrema verba Isidorus accepit à Tertulliano in lib. de Baptismo. En unctionem, quæ conceptis terminis dicitur Sacramentum : quæ in ratione Sacramenti comparatur cum Baptismo et Eucharistiâ : quæ Sacramentum vocatur : quia sub ipsâ velut *sub tegumento corporalium rerum, virtus divina secretiùs salutem operatur : (cujus) sanctus in Ecclesiâ manens Spiritus latenter operatur effectum : (quâ) homo post lavacrum sanctificatur :* quæ diversum à Baptismo effectum habet ; *nam sicut in Baptismo peccatorum remissio datur ; ita per unctionem sanctificatio Spiritûs adhibetur.* Isidorus existimâsse videtur Spiritum sanctum remittere peccata in Baptismo, animam verò sanctificare in Confirmatione. En manûs quoque impositionem, quæ per benedictionem, hoc est, per orationes et preces sacramentales advocat Spiritum sanctum, quæque illum super neophytos advocat *post mundata et benedicta* eorum in Baptismo *corpora*.

Respondet Dallæus : Ut corpus et sanguis unius Sacramenti sunt partes diversæ, et non duo Sacramenta propriè dicta, ita Baptismus et chrisma sunt unius sacramenti duæ partes.

Refellitur. 1° Quia nemo dixerit meram cæremoniam constituere idem cum Baptismo Sacramentum, sicut corpus et sanguis Christi duæ sunt partes quæ idem Sacramentum constituunt. Atqui ex Dallæo, chrisma est merè cæremonia ab hominibus instituta. Ea igitur non est pars, quæ idem cum Baptismo Sacramentum constituat. 2° Ut corpus et sanguis, quia idem constituunt Sacramentum, sunt de institutione divinâ ; ita Baptismus et chrisma. Atqui si chrisma est de institutione divinâ, Sacramentum est à Baptismo diversum, tum quia in ipso contextu non pertinet ad Baptismi Sacramentum, sed illud supponit validè et integrè et efficaciter collatum ; dicitur enim dari post Baptismum, post lavacrum, post mundata et benedicta in Baptismo corpora : tum quia ex ipso contextu diversum habet à Baptismo effectum ; per eam enim unctionem homo non in lavacro, *sed post lavacrum sanctificatur : et sicut in Baptismo peccatorum remissio datur ; ita per unctionem sanctificatio Spiritûs adhibetur.* 3° Ut corpus et sanguis Christi dicuntur Sacramenta, quia suo modo, nempe ratione specierum distincta sunt ; ita Baptismus et chrisma sunt Sacramenta ratione specierum distincta : cum eo tamen discrimine, quòd corpus et sanguis signo solo differunt ; et chrisma differt à Baptismo, non solùm ratione signi, sed etiam ratione rei significatæ, et ratione effectûs. Ex quibus sic infero : Signa sensibilia, quæ gratiam sanctificantem conferunt, quæque differunt signo et effectu, Sacramenta sunt specie distincta. Atqui ex Isidoro Baptismus et chrisma conferunt gratiam sanctificantem, et diversum effectum habent. Sunt igitur Sacramenta omninò diversa. De his iterùm infra, ubi de mente Rabani.

Objicit Dallæus, ibidem. Ex eodem Isidoro, libro de Viris illustribus, cap. 45, Eutropius à Luciano per epistolam quæsivit : *Quare baptizatis infantibus chrismatis unctio tribuatur ?* Chrismatis igitur unctio tunc temporis non habebatur pro Sacramento : quia illud ignorâsse virum eruditum, qualis fuit Eutropius, absurdum videtur.

Respondeo 1° librum de Viris illustribus desiderari in catalogo operum beati Isidori, quem beatus Ildephonsus texuit in libro de Viris illustribus.

Respondeo 2°, hâc ætate in Hispaniâ episcopos fuisse, qui rerum ecclesiasticarum, earum etiam quæ omnibus hodiè perviæ sunt, periti non essent : quemadmodùm apparet ex capite 7 concilii Hispalensis II, cui præfuit Isidorus.

Respondeo 3°, Eutropium dubitâsse tantùm de necessitate unctionis.

Respondeo 4°, incertum esse de quâ unctione, baptismali, an confirmatoriâ, dubitaverit Eutropius. Triplex enim unctio adhibebatur, una in ipso Baptismo; altera post Baptismum in vertice; tertia post Baptismum in fronte. Potuit ille dubitare, utrùm unctio, quæ in Baptismo adhibebatur, necessaria esset. Potuit etiam dubitare, utrùm nencessaria esset unctio verticalis : hanc enim baptizatis necessariam esse aliqui existimârunt, qui tamen Confirmationis Sacramentum agnoscunt, ut Rabanus et Amalarius. Denique dato, non concesso, quòd Eutropius loquatur de unctione confirmatoriâ, potuit ille dubitare, utrùm hæc unctio necessaria esset, an sufficeret manûs impositio. Maximè cùm apostoli solam manûs impositionem adhibuerint. Dubiumenim est utrùm chrisma sit materia Confirmationis necessaria. Dato etiam, non concesso, quòd Eutropius existimaverit hanc unctionem Confirmationi essentialem esse, potuit ille dubitare, utrùm hæc unctio baptizatis infantibus necessaria esset; eam enim adultis solis concedendam esse Eutropius fortèsibi persuaserat.

§ 4. *Maximus Martyr.*

Maximus, monachus et abbas Constantinopolitanus, qui sedente Honorio primò floruit ad annum 630, et pro causâ fidei adversùs Monothelitas annos 75 natus, martyr occubuit, anno 657, in scholiis ad cap. 2 libri de Ecclesiasticâ hierarchiâ beati Dionysii, ad hæc verba, τῷ θεουργικωτάτῳ, tria docet : 1° eos qui recens illuminati sunt, post susceptum Baptismum ungi unguento, quod ipsos *maximè divinos efficit ;* 2° hanc unctionem fieri *in divinorum mysteriorum perfecto liturgiæ ministerio*, antequàm Christi corpus distribuatur; 3° post unguenti perfusionem, sanctæ communionis participationem fieri. Deinde modum exponit, quo baptizati unguntur, et Eucharistiâ donantur : *Descendit* episcopus *ad eum qui conversus est, et docet eum* (observa doctrinam post Baptismum tradi, antequàm unctio fieret; quod etiam ex citato Eulogii textu apparet) : *ungit et obsignat, eique donum*, id est, Eucharistiam, *impertit.* Et in fine ejusdem capitis : *Eximium unguentum et homines*, probos scilicet, *in suavitate monet, et sues* (peccatores intelligit) *interimit, quæ summam odoris suavitatem non ferant.... Est ergo Baptismus mortis Domini loco datus; aqua pro sepulturâ; oleum pro Spiritu sancto ; signaculum pro cruce ; unguentum est confessionis Confirmatio.* Quæ postrema verba desumpta sunt ex lib. 3° Constitutionum Apostolic., cap 17. Denique in Scholiis, ad cap. 4, ad hoc verbum episcopalium, unctionem illam cum Eucharistiâ confert ratione sanctificationis. *Perficit enim omnia divinum unguentum, cùm effunditur, quemadmodùm sumptio sancti corporis et sanguinis.*

§ 5. *Concilium Toletanum XI.*

Concilium Toletanum XI, sedente Adeodato papâ, celebratum anno 675, prohibet, cap. 8, ne quid etiam *voluntariè oblatum* accipiatur *pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut pro collatione chrismatis, vel promotionibus graduum ;* quia *quidquid invisibilis gratiæ collatione tribuitur, venumdari non debet.* Consignatio est Confirmatio, seu manûs impositio, quæ sicut et chrismatis unctio, Baptismati et Ordini comparatur quoad profanationem, et virtutem conferendi gratiam invisibilem.

CAPUT VII.

Auctores seculi octavi.

§ 1. *Beda.*

Beda, quem Benedictinum monachum vulgò existimant, natus est anno 670, sacerdos ordinatus est anno 701, historiam ecclesiæ Anglicanæ composuit anno 726, eamque produxit ad annum 731. Quo tempore obierit incertum est. Sigibertus anno 731, Trithemius anno 733, Baronius anno 776, illum obiisse existimat : idque probat ex ejus epistolâ de æquinoctio, in quâ ipse testatur scribere se anno 776. Quatuor verò aut quinque textus pro eâ quam versamus materiâ, ex ejus operibus colligi possunt : Primus habetur Commentariis in cap. 22 Lucæ, ad hæc verba : *Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Olivarum*, etc. « Pulchrè, inquit, sui corporis et sanguinis mysteriis « imbutos in montem Olivarum discipulos inducit, ut « omnes in morte suâ baptizatos, altissimo sancti « Spiritûs chrismate confirmandos esse designet, qui « dicere possint cum psalmistâ : *Signatum est super « nos lumen vultûs tui, Domine ; dedisti lætitiam in corde « meo.* Et de quibus ante subjungitur : *A tempore fru- « menti, vini et olei sui multiplicati sunt.* » En chrisma, quod dicitur *chrisma Spiritûs sancti*, quod vocatur *altissimum Spiritûs sancti chrisma*, et quo *altissimo Spiritûs sancti chrismate confirmandi sunt omnes* qui *in morte Christi baptizati sunt.* Quis, amabo, de simplici cæremoniâ ita loqueretur ? Secundus habetur Comment. in cap. 8 Act. Apost. ad hæc verba : *Miserunt ad illos Petrum et Joannem*, etc. « Notandum, inquit, « quòd Philippus, qui Samariæ evangelizabat, unus de « septem fuerit : si enim apostolus esset, ipse utique « manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum « sanctum. Hoc enim solis pontificibus debetur. Nam « presbyteris, sive extra episcopum, seu præsente « episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere li- « cet, sed quòd ab episcopo fuerit consecratum, non

« tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis « debetur episcopis, cùm tradunt Spiritum paracletum « baptizatis. » Quæ verba ferè integra ex decreto Innocentii I in epistolâ ad Decentium excerpta sunt.

Tertius habetur Comment. in cap. 2 Epist. 1 Joannis ad hæc verba : *Sed et vos unctionem habetis*, etc. « Unctio spiritalis, inquit, ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili. »

Quartus habetur Comment. in cap. 1 Cantic. ad hæc verba : *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi*, etc. « In vineis Engaddi, inquit, balsamum... gignitur quod « in chrismatis confectione, liquori olivæ admisceri, « ac pontificali benedictione consecrari, quatenùs fideles omnes cum impositione manûs sacerdotalis, « quâ Spiritus sanctus accipitur, hâc unctione signentur. » En Spiritum sanctum, qui per manûs impositionem confertur, dùm fideles chrismate pontificali benedictione consecrato unguntur, eâque unctione signantur.

Quintus habetur Homiliâ in octavam Epiphaniæ. *Ramum olivæ*, inquit, *columba corporalis ablutum diluvii aquis detulit in arcam. Spiritus sanctus in specie columbæ corporalis baptizatum aquâ Jordanis descendit in Dominum. Nos quoque Christi et Ecclesiæ membra, post acceptum undæ regenerationis lavacrum, per unctionem sacri chrismatis gratiâ Spiritûs sancti signamur.*

Sextus habetur cap. 29 Vitæ Cuthberti, episcopi Lindisfarnensis, quam Beda composuit. *Quâdam die, dùm parochiam suam*, Cuthbertus, *circuiens, monita salutis omnibus ruri casis et viculis largiretur, nec non etiam nuper baptizatis ad accipiendam Spiritûs sancti gratiam, manum imponeret*, etc.

Dallæus, lib. 3, c. 10 et 11, ut præfatis Bedæ auctoritatibus respondeat, supponit doctrinam ab eo traditam in Comment. in psal. 26. Beda enim ibi observat Davidem ter fuisse inunctum : 1° à Samuele, cùm adhuc puer esset; 2° à Nathan prophetâ, quando rex super Judam in Hebron constitutus est; 3° cùm rex constitutus est super Jerusalem et universum populum Israel : ita nos quoque ter inungendos esse; semel et iterùm dùm hìc vivimus; tertiò in vitâ æternâ, ubi erit plena et perfecta regni et sacerdotii nostri perfectio. Prophetam expressisse primam unctionem per illuminationem, cùm ait, *Dominus illuminatio mea :* secundam verò per salutem, cùm subjicit, *et salus mea;* addit et aliam interpretationem, quam his verbis explicat : *Potest quoque, si cui libuerit, illuminatio ad primam tantùm unctionem, in quâ simpliciter abrenuntiamus satanæ, referri : salus verò, ad secundam, in quâ magis firmamur, quia et nomen Christi in eâ profitemur.* Deinde verò sibi opponens tertiam adhuc esse in hâc vitâ unctionem ab aliis duabus diversam, nempè Confirmationem, subjicit : *Sciendum autem quòd illa unctio quæ fit per manûs impositionem ab episcopis, quasi alia à duabus prædictis, et vulgò Confirmatio dicitur, eadem est cum secundâ; propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus, sicut et multa alia.* Unde Dallæus concludit unctionem confirmatoriam et episcopalem, ut quæ eadem sit cum secundâ, ecclesiasticæ institutionis esse. Idem ex eodem textu ante Dallæum collegerat Sirmundus, in Antirrh. 2, cap. 7.

Ad primum igitur locum, respondet unctionem cujus in eo mentio fit, nullam ex iis esse quæ in terris administrantur, sed mysticam esse, quæ conferetur in cœlo; quam interpretationem veram esse, et montis Olivarum typus, et *altissimi* elogium, et laudatus è psalmo versiculus, et anteacta Eucharistiæ mysteria, videntur ostendere. Verùm nihil repugnat quominùs unctio, de quâ Beda eo loci, episcopalis et confirmatoria sit; nec obstat *mons olivarum*. Oliva enim unctionem confirmatoriam et episcopalem repræsentari asserit Beda in quinto textu citato. Præterea monte quidem Sion patriam cœlestem significari, sed monte Olivarum vitam beatam figurari non reperio. Nihil etiam obstat *altissimi* epithetum, aut versiculus, *Signatum est super nos*, etc.; simili siquidem elogio chrisma ornatur in concilio Laodiceno, can. 48, ubi *supercœleste* dicitur. Versiculus autem è psalmo 4 petitus, ab interpretibus de statu præsenti exponi solet. Denique nihil obstant anteacta Eucharistiæ mysteria. Descensus enim Spiritûs sancti super apostolos fuit Baptismus ignis, de quo Christus Act. 1, v. 5; et ex unanimi Patrum et theologorum consensu designabat futuram manûs impositionem super neophytos, licèt apostoli jampridem Eucharistiâ refecti essent, priusquàm Spiritus sanctus super eos descenderet.

Quod ad alios textus attinet, Dallæus concedit in eis mentionem fieri de unctione confirmatoriâ et episcopali; sed cùm eam Beda dixerit eamdem esse cum secundâ unctione baptismali, inde concludit illam ecclesiasticæ, non autem divinæ institutionis esse. Verùm unctionem quæ Baptismum subsequitur, quæ fit in fronte, et episcopo reservatur, Sacramentum esse à Baptismo ejusque cæremoniis distinctum colligi potest ex ipsis testibus citatis. Beda enim in 1° textu apertè innuit unctionem illam non esse meram cæremoniam; deinde, in 3° textu, conceptis terminis ait unctionem visibilem esse Sacramentum, quo Spiritus sanctus confertur. Accedit quòd Sacramentum nihil aliud est quàm signum divinum et efficax gratiæ sanctificantis. Atqui unctio, de quâ Beda, si modò cum manûs impositione conjunctim accipiatur, est signum gratiæ sanctificantis, divinum, efficax et distinctum, seu à Baptismo, seu à secundâ unctione baptismali. 1° Signum est gratiæ sanctificantis : dicitur enim *Sacramentum Spiritûs sancti*, in tertio textu. 2° Signum est divinum; tum quia, in 1° textu, hæc unctio vocatur *altissimum sancti Spiritûs chrisma*; quod epithetum non convenit simplici cæremoniæ; tum quia, in eodem textu, dicitur *altissimum sancti Spiritûs chrisma*, quo *confirmandi sunt omnes qui in morte Christi baptizati sunt;* cæremonia verò simplex non censetur omnibus necessaria; tum quia, in 2° textu, hæc unctio seu manûs impositio declaratur eadem esse, quæ ab apostolis usurpata est. Sed quæ ab apostolis usurpabatur, erat divina : tum quia in omnibus textibus hæc unctio non divisim, sed conjunctim, accepta cum ma-

nuum impositione, constanter asseritur gratiam conferre sanctificantem; quæ virtus humanæ cæremoniæ non convenit. 3° Signum est efficax: apparet enim ex omnibus textibus, per hanc unctionem conferri gratiam sanctificantem. 4° Signum est à Baptismo diversum: ritus enim est post integrum Baptismum concessus, quemadmodùm ex omnibus textibus apparet. 5° Effectum à Baptismo distinctum habet: gratiam enim Spiritûs sancti iis confert qui jam baptizati sunt, atque adeò qui gratiam baptismalem jam acceperunt. Quod etiam apparet ex omnibus textibus.

Dices: Quid igitur Beda sibi vult, cùm ait unctionem illam, quæ per manûs impositionem confertur, quæque dicitur Confirmatio, eamdem esse cum secundâ unctione, quæ in Baptismo administratur?

Respondet Petrus Aurelius in Orthodoxo, part. 1, cap. 7: *Locum esse corruptum et manifestè vitiosum.* — Respondeo 1° in sententiâ quæ totam Confirmationis materiam in solâ manûs impositione constituit, unctionem Confirmationis eamdem esse cum secundâ unctione baptismali, quòd utraque fiat ex eodem chrismate, et utraque sit institutionis ecclesiasticæ. Resp. 2° in eâ opinione quæ materiam Confirmationis in unctione simul et manûs impositione constituit, unctionem Confirmationis eamdem esse, si illa secundùm se seorsim et divisim à manûs impositione, veluti à suâ comparte accipiatur. Resp. 3° in eâ opinione quæ materiam Confirmationis in unctione tantùm constituit, unctionem Confirmationis eamdem esse, si illa materialiter, et secundùm se consideretur, quòd utraque unctio fiat ex eodem chrismate; sed diversam esse formaliter, quatenùs formulæ confirmatoriæ subjicitur, et per eam determinatur ad Sacramentum Confirmationis constituendum: eodem prorsùs modo, quo Baptismi ablutio eadem est materialiter ac alia quæcumque ablutio; diversa verò formaliter. Videsis Goffridum Vindocinensem infra citandum.

§ 2. *Gregorius II pontifex.*

Gregorius II, qui pontificatum iniit anno 714, consultus à Bonifacio, Germanorum apostolo, utrùm Confirmatio iterari posset, respondit: *De homine, qui à pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis reiteratio prohibenda est:* ita ille in cap. 4 epist. 13 ad Bonifacium scriptæ anno 726. Confirmatio igitur iterari non potest. Atqui mera cæremonia potest iterari.

§ 3. *Gregorius III pontifex.*

Gregorius III, qui sedere cœpit anno 731, consultus ab eodem Bonifacio, utrùm in iis iterandum esset Baptisma, qui gentilium ministerio et idiomate, in nomine tamen sanctæ Trinitatis, baptizati erant; respondit anno 740, eos solùm confirmandos esse per manuum impositionem et chrismatis unctionem. *Oportet eos per manûs impositionem, et sacri chrismatis unctionem confirmari.* Ita Gregorius in epist. 7 ad Bonifacium.

§ 4. *Concilium Germanicum I.*

Concilium Germanicum I, quod ejusdem Bonifacii auctoritate, Ratisbonæ vel Augustæ Vindelicorum, sedente Zachariâ pontifice anno 742 celebratum est, canone 3 decernit, *Ut quandocumque jure canonico episcopus circumierit parochiam ad confirmandos populos, presbyter semper paratus sit ad suscipiendum episcopum, cum collectione et adjutorio populi, qui ibi confirmari debet.*

§ 5. *Zacharias pontifex.*

Anno 748 idem Bonifacius, Burchardo episcopo Herbipolensi Romam proficiscenti litteras dedit ad Zachariam pontificem, quibus ex more de multis dubiis eum consuluit, monuitque *quemdam presbyterum esse, genere Scotum, nomine Sampson, qui affirmaret, sine mysticâ invocatione, aut lavacro regenerationis, posse fieri catholicum christianum per episcopalis manûs impositionem.* Ad quæ Zacharias rescribens epist. 10, jussit, ut illum presbyterum ab Ecclesiâ expelleret. Vide quanti hâc ætate fieret Confirmatio, ut presbyter Sampson inde occasionem habuerit falsò affirmandi solam episcopalis manûs impositionem satis esse ad salutem.

§ 6. *Stephanus III, et Romanum concilium.*

Stephanus, quem Anastasius tertium, Baronius verò quartum appellat, anno 768 electus est. Ipse verò in synodo Romanâ, ad quam Italiæ, Galliæque episcopi convenerant, decrevit, ut *Sacramenta ecclesiastica*, quæ Constantinus pseudopontifex administrâsset, iterarentur, *præter sacrum Baptisma, atque sanctum chrisma.* Ita refert Anastasius in ejus vitâ. En sanctum chrisma, quod inter Sacramenta numeratur, quod negatur iterari posse, et in eâ ratione cum Baptismo comparatur.

§ 7. *Ordo Romanus.*

Materia, forma et cæremoniæ sacramenti Confirmationis accuratè describuntur in ordine Romano, cap. de Ordine in nocte et die sabbati sancti, sub finem, ubi asseritur hoc Sacramentum, completo jam Baptismate, fusisque precibus plurimis, administrari per pontificem. *Pontifex*, inquit, *veniens ad infantes, tenente archidiacono chrisma, et impositâ manu super capita eorum, dicit orationem super eos, cum invocatione septiformis gratiæ Spiritûs sancti, oratione impletâ, interrogantibus diaconibus nomina singulorum, pontifex tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Amen.*

Quo sit auctore conscriptus hic libellus, difficile dictu est. Illum à magistro Romanæ Ecclesiæ tum esse conscriptum, cum Stephano pontifice et Pipino primùm, deinde Carolo Magno procurante, divina officia Romana cum Romano cantu in Galliâ introducta sunt, existimant Hilduinus abbas S. Dionysii, Walafridus Strabo, Sigibertus in Chronico, et ex hoc Leopoldus Bambergensis episcopus. Opus illud antiquissimum esse, neque inferiùs revocari posse, quàm ad seculum VIII, constat ex synodo Moguntinâ anno 813 coactâ, quæ, ut uniformitatem statuat, præcipit can. 4, Sacramenta Baptismatis in singulis parochiis secundùm ordinem celebrari; ex Amalario, qui ordinis Romani meminit, in libro de ecclesiastico Officio, quem ad annum 830 scripsit, cap. 11, 12, 13, 14, et alibi; et ex libro de divinis Officiis, qui nomine Alcuini cir-

cumfertur, quique nihil aliud est, quàm ordinis Romani expositio.

Cæterùm in cap. antepenult., quod est de festivitate omnium sanctorum, hæc verba *et per totum orbem* quibus asseritur, *hanc festivitatem per totum orbem celebrari, interpolata fuisse*, ex eo apparet, quòd hæc solemnitas in Galliâ et Germaniâ, anno duntaxat 835 celebrari cœperit : quâ de re infra, ubi de libro de divinis Officiis, qui Alcuino tribuitur.

§ 8. *Alcuinus.*

Alcuinus, qui et Albinus, cognomento Flaccus, Bedæ discipulus, qui claruit anno 780, regnante Carolo Magno, obiit autem anno 804, in epistolâ de Baptismi Cæremoniis, ad Oduinum presbyterum, *Ad cognoscendum rationabilem sacri Baptismatis ordinem*, inquit, *de ministeriis totius officii breviter scribere volui*, etc. *Primò catechumenus*, etc., *sic corpore et sanguine dominico confirmatur, ut illius sit capitis membrum, qui pro eo passus est et resurrexit. Novissimè per impositionem manuum à summo sacerdote septiformis gratiæ Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in Baptismo per gratiam vitæ donatus æternæ.* Alcuinus sibi proponit scribere de ministeriis totius officii, hoc est de Baptismo, Eucharistiâ et Confirmatione; hæc enim tria continuò administrabantur. Sed Alcuinus refert Confirmationem post Eucharistiam conferri; quod etiam narratur ab Aponio, lib. 1 Comment. in Cantica; et à Rabano, lib. 1 de Instit. cleric., cap. 29 et 30. Dallæus igitur, aut Eucharistiam Baptismi ritum esse doceat, aut Confirmationem à Baptismo diversam esse fateatur necesse est.

Scripsit et Alcuinus epistolam ad Carolum Magnum; de ratione septuagesimæ, sexagesimæ et quinquagesimæ, in quâ supponit Confirmationem conferri non modò post Eucharistiam, sed et octavo die post Baptismum, nempe dominicâ in albis, administrari. *Quo die clauditur Pascha, alba tolluntur vestimenta à nuper baptizatis*, etc. *Et tunc maximè cùm alba tolluntur vestimenta à baptizatis, per manûs impositionem à pontifice accipere Spiritum sanctum conveniens est, qui in Baptismo omnium receperunt remissionem peccatorum, et per septem dies in evangelico castitatis habitu et luminibus cœlestis claritatis, sanctis assistere solent sacrificiis.* Ecclesiarum igitur quarumdam saltem Gallicanarum ea tunc erat consuetudo, ut neophyti dominicâ in albis confirmarentur : quæ quidem consuetudo diù viguisse debuit; cùm Honorius Augustodunensis, qui seculo XII floruit, eam uti praxim ætate suâ communem referat, lib. de Gemma animæ, cap. 113 : quâ de re infra.

Citatur idem Alcuinus in lib. de divinis Officiis, sed illud opus Alcuino posterius esse, probabimus infra.

§ 9. *Theodulphus Aurelianensis.*

Theodulphus, ex abbate Floriacensi, episcopus Aurelianensis, quem ante synodum Francofordiensem, quæ anno 794 celebrata est, episcopum jam fuisse, Alcuini ad Carolum regem epistola quarta declarat, libro de Ordine Baptismi ad Magnum seu Magnonem, archiepiscopum Senonensem, cap. 16 : *Quibus etiam baptizatis*, inquit, *septiformis gratiæ Spiritûs per chrismatis unctionem conceditur, ut non solùm Spiritus, qui unius est cum Patre et Filio substantiæ, sed totius sanctæ Trinitatis habitaculum effici mereatur.* Et immediatè post, cap. 17 : *Quòd ergo presbyteris*, inquit, *baptizatos chrismate ungere licet, Spiritum verò sanctum per manûs impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab apostolis Ecclesiæ est traditus.* Tum post verba ex Actor., c. 8 et 19, allata subjicit : *Sicut cætera Baptismatis Sacramenta per sacerdotes visibiliter fiunt, per Deum invisibiliter consecrantur; ita nimirùm et Spiritûs gratia per impositionem manuum et ministerium episcoporum fidelibus traditur.* Post quæ describit Innocentii decretum de Confirmatione in epistolâ ad Decentium, de quo supra. Videsis et caput 18 ejusdem libri.

Scripsit etiam Theodulphus initio sui episcopatûs, pastoralem epistolam, seu capitulare ad parochos suæ diœceseos, in cujus capite 22 constituit, *ut nullus confirmetur, neque baptizetur, neque à lavacro fontis illius suscipiatur, neque coram episcopo ad confirmandum, quemlibet teneat, nisi symbolum et orationem dominicam memoriter tenuerit.* In utroque Baptismi et Confirmationis Sacramento symbolum et orationem dominicam exigit à susceptis et à susceptoribus.

Baronius, qui hæc Theodulphi capita in lucem edidit, cùm de tempore, quo scripta sunt, nihil haberet, in annum Christi 835 ea conjecit, serius omninò quàm par fuit; quia Theodulphum ad ea tempora non pervenisse ostendit Jonas in Aurelianensi cathedrâ ejus successor, qui à Ludovico Pio post synodum Parisiensem ad Eugenium II papam missus est anno 824. Præfata igitur capitula Theodulphus, ut ecclesiam suam reformaret, scripsit sub initium sui episcopatûs; quod contigisse ante annum 794 ex epistolâ quartâ Alcuini ad Carolum regem constat. In vivis adhuc erat anno 816, quo Stephano papæ IV Ludovicum pium Rhemis coronaturo obviam ivit; et anno 818, quo in synodo Aquisgranensi ipse (quamvis, ut putatur, minimè reus) aliique episcopi conjurationis contra imperatorem initæ accusati, condemnati sunt.

§ 10. *Magnus Senonensis.*

Magnus, seu Magno, Senonensis archiepiscopus, cum cæteris ejusdem provinciæ episcopis epistolam scripsit ad Carolum Magnum, quæ habetur in manuscripto Corbeiensi, et quam Sirmundus in notis ad Theodulphum monet se habere apud se. Ex eâ verò hunc locum refert in Antirrhetico : *Peractis omnibus Baptismatis sacramentis*, hoc est, cæremoniis, *novissimè per manûs impositionem à summo sacerdote septiformis gratiæ Spiritum accipiunt, ut corroborentur in fide rectâ per Spiritum sanctum.* Floruit ille seculo VIII desinente, et ineunte seculo IX obiit. Jeremias enim, ejus in Senonensi cathedrâ successor, à Ludovico et Lothario, unà cum Jonâ Aurelianensi ad Eugenium II missus est anno 824, et utriusque principis epistolam

ad eumdem pontificem cum actis conventûs Parisiensis detulit.

CAPUT VIII.

AUCTORES SECULI NONI.

§ 1. *Capitula Caroli Magni.*

Capitula ecclesiastica Caroli Magni, quæ ab eo, partim adhuc rege, partim imperatore, diversis temporibus edita sunt, et tomo 7 Concil. ad annum 801 à Labbæo referuntur, titulo 4, cap. 2 et 4, prohibent, « ut nullus chorepiscopus per manûs imposi-« tionem Spiritum sanctum tradere, aut sacerdotes, « vel levitas, aut subdiaconos sacrare, aut sanctum « chrisma conficere præsumat. Addunt ut hi, qui à « chorepiscopis sunt ordinati, vel confirmati..., pro « confirmatis, vel sacratis minimè habeantur; quia « hæc omnia à cathedralibus episcopis agenda sunt, « et non à presbyteris vel chorepiscopis, qui ambo « unius formæ esse videntur. Subjiciunt hæc à cathe-« dralibus episcopis reformanda esse. Inde tamen non « sequi ordinationem vel confirmationem, reiteratio-« nem esse; quia quod non ostenditur gestum, ratio « non sinit ut videatur iteratum. »

En Confirmationem, quæ tradit Spiritum sanctum; quæ ordinationi æquiparatur; quæ à solis episcopis conferri potest, quæ si ab aliis conferatur, nulla est; quæ iterari non potest; quæ seorsim à Baptismo, de quo ibi nulla mentio, explicatur.

§ 2. *Concilium Cabilonense II.*

Concilium Cabilonense II, quod anno 813 celebratum est, can. 27 Confirmationis Sacramentum comparat cum Baptismo, et utrumque negat iterari posse. *Dictum nobis est*, inquit, *quod quidam de plebe bis et ter ab episcopis, ignorantibus eisdem episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est, eamdem Confirmationem, sicut nec Baptismum, iterari minimè debere.*

§ 3. *Aponius.*

Aponius, vir eruditus, qui floruit ad annum circiter 812, scripsit Commentarios in Cantica sex libris distinctos, quorum primo, ante medium, sic habetur: *Quem cibum Ecclesiæ Dei supra dictis uberibus in Baptismatis suscipit Sacramento; ubi trinâ confessione Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, notitiæ odorem cognoscit, cùm ei sæpè dictum doctrinæ lac triformem contulerit redemptionis medullam, liquorem scilicet candidissimum, suavemque succum corporis Christi, et pinguissimum butyrum sacri chrismatis oleum, per quod Spiritus sanctus infunditur.* Confirmatio post Eucharistiam ibi recensetur, et per eam Spiritus sanctus infunditur.

§ 4. *Lucas.*

Aponio subjiciemus Lucam, abbatem montis sancti Cornelii, qui ejusdem Aponii commentarios in epitomen eodem seculo redegit. Ille verò post initium, ad hæc verba: *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ*, etc., asserit, *Quòd Ecclesia quotidiè concipit, quotidiè parit, quotidiè lactat, et virgo est:* hoc enim *Deus per Ecclesiam facit, quod fecit per Mariam virginem.* Ubera verò, quibus Ecclesia regeneratos lactat, episcopi sunt, *qui per invisibilis Spiritûs sancti unguenta infundunt credentibus spiritalia opera pietatis.* En unguentum; unguentum Spiritûs sancti; unguentum, per quod episcopi pietatem neophytis infundunt.

§ 5. *Jesse Ambianensis.*

Jesse, episcopus Ambianensis, qui concilio Noviomensi interfuit anno 814, in epistolâ de Baptismo: *Post hæc confirmet eum episcopus in fronte de chrismate; ideòque manûs impositio fit, ut per benedictionem advocatus et invitatus Spiritus sanctus super eos descendat juxta exemplum apostolorum.* Mox refert verba Actor. c. 8, et quibusdam interjectis, ita prosequitur: *Novissimè autem corpore et sanguine Christi confirmatur infans, ut ejus possit esse membrum, qui pro eo passus est, et resurrexit.* Refert quoque Innocentii decretum de Confirmatione in epistolâ ad Decentium, de quo supra, pag. 315.

§ 6. *Paschasius Ratbertus.*

Paschasius Ratbertus, abbas Corbeiensis, in libro de Corpore et Sanguine Domini, quem anno 810 composuit cap. 3: *Sacramentum igitur est*, inquit, *quidquid in aliquâ celebratione divinâ nobis quasi pignus salutis traditur, cùm res gesta visibilis, longè aliud invisibile intùs operatur, quod sanctè accipiendum sit. Unde et Sacramenta dicuntur, aut à secreto, eò quòd in re visibili divinitas intùs aliquid ultrà secretius efficit per speciem corporalem: aut à consecratione sanctificationis, quia Spiritus sanctus manens in corpore Christi latenter hæc omnia Sacramentorum mystica sub tegumento visibilium pro salute fidelium operatur. Sunt autem Sacramenta Christi in Ecclesiâ, Baptismus, et chrisma; corpus quoque Domini et sanguis.* Ubi ex septem Sacramentis Ecclesiæ tria tantùm enumerat Paschasius, exempli duntaxat causâ. Neque enim ex professo hic agit de numero Sacramentorum, sed ad institutum satis ei erat aliqua Sacramenta commemorâsse.

§ 7. *Rabanus Maurus.*

Rabanus Maurus, Alcuini discipulus, ex monacho Fuldensi abbas, et ex abbate Fuldensi archiepiscopus Moguntinus, libros tres de Institutione clericorum edidit anno 819, quemadmodùm ipse testatur in carminibus ad libri tertii finem adjectis, quibus opus illud, cùm adhuc esset monachus, Heistulpho archiepiscopo Moguntino, jussu abbatis sui consecravit.

Libro 1, cap. 24, describit Isidori verba supra relata: *Sunt autem Sacramenta, Baptismus et chrisma* (1) *corpus et sanguis, quæ ob id* (2) *Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, virtus divina secretiùs salutem eorumdem sacramentorum operatur: unde et à secretis virtutibus vel sacris, Sacramenta dicuntur: quæ ideò fructuosè penes Ecclesiam fiunt, quia sanctus in eâ manens Spiritus eorumdem Sacramentorum* (3) *latenter operatur effectum. Unde seu per bonos* (4), *seu per malos ministros intra Ecclesiam Dei dispensentur, nec bonorum meritis dispensatorum hæc dona, nec malorum attenuantur.* Hæc indicia sunt veri ac legitimi Sacramenti.

Capite 28, ait: *Primum Sacramentorum esse Baptismum; quia* (5) *confertur antequàm sancto chrismate ungatur aliquis, aut corpore et sanguine Christi reficia-*

tur. Supponit igitur chrismatis unctionem esse verum sacramentum à Baptismo diversum.

Capite 28, ait : *Quòd Baptismo* (6) *continuatur chrismatis unctio ; quia Spiritus sanctus, qui per illud chrisma, suæ virtutis admixtione sanctificat credentes, baptizato Jesu, statim super illum in columbæ specie descendit*. Addit, quòd hujusce per unctionem sanctificationis *typum præferebat columba illa, quæ in diluvio ad arcam reportavit ramum olivæ virentibus foliis, significans utique quòd Spiritus sanctus per chrismatis unctionem in Baptismate* (7) *virorem confert fidelibus cœlestis gratiæ*. Huic igitur unctioni effectum à baptismali diversum tribuit. Subjicit, quòd « Sylvester papa (8) « constituit, ut sicut potestas et privilegium apud so- « lum (9) episcopum constat, quòd sacrum chrisma « conficiat, et baptizatum (10) per manûs impositio- « nem cum ipso chrismate consignet propter hæreti- « cam (11) suasionem ; ita presbyter (12) eodem chri- « smate liniat baptizatum levatum ex aquâ, propter « occasionem (13) transitûs mortis, quia scriptum est (14) in apostolo : *Vos autem, fratres, in carne non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, etc. « Ac deinde profectò patet, quia quicum- « que non est Christi, regni sui particeps fieri nequit. « Ideòque (15) necessarium est, ut statim succurra- « tur baptizato cum chrismatis unctione, ut Spiritûs « sancti (16) participationem accipiens, alienus à « Christo non existat. » En duplicem unctionem, quæ Baptismum subsequitur, quæque fit ex eodem chrismate ; unam quæ fit ab episcopo solo, ea nempe, quâ baptizatus *per manûs impositionem cum ipso chrismate consignatur ;* alteram, quæ fit à sacerdote, quam Rabanus apertè innuit et supponit baptizato necessariam esse necessitate medii ; quia per eam confertur Spiritus sanctus, sine quo baptizatus alienus esset à Christo. Unde sequitur Spiritum sanctum non fuisse in Baptismo collatum. Mentem Rabani, quæ sequuntur, evidentiùs aperient.

Ille siquidem, postquàm cap. 29 dixit baptizatum indui veste candidâ, tum ungi in vertice capitis, « deinde (17) corpore et sanguine dominico refici : « statim subjicit initio capitis 30 : Novissimè (18) au- « tem à summo sacerdote per impositionem (19) ma- « nûs, paracletus traditur illi Spiritus sanctus, ut « roboretur (20) per Spiritum sanctum ad prædican- « dum aliis idem donum, quod ipse (21) in Baptismate « consecutus est, per gratiam (22) vitæ donatus æter- « næ. Signatur enim baptizatus (23) cum chrismate « per sacerdotem in capitis summitate, per pontificem « (24) verò in fronte : ut priori unctione (25) signifi- « cetur Spiritûs sancti super ipsum descensio ad ha- « bitationem Deo consecrandam : in secundâ quoque « (26), ut ejusdem Spiritûs sancti septiformis gratia « cum omni plenitudine sanctitatis et scientiæ et ve- « ritatis, venire in hominem declaretur. Tunc enim « (hoc est in priori unctione) ipse Spiritus (27) san- « ctus post mundata et benedicta corpora atque ani- « mas, libens à Patre descendit, ut vas suum suâ « visitatione sanctificaret, et illustraret : et nunc (hoc « est in posteriori unctione) in hominem (28) ad hoc « venit, ut signaculum fidei, quod in fronte suscepit, « faciat eum donis cœlestibus repletum, et suâ gratiâ « confortatum, intrepidè et audacter coram regibus « et potestatibus hujus seculi portare, ac nomen « Christi liberâ voce prædicare. Nec mirum si homo « (29) bis eodem chrismate ad accipiendum Spiritum « ungatur, cum idem Spiritus (30) bis sit ipsis apo- « stolis datus, id est, in terris semel, quando post re- « surrectionem suam Dominus insufflavit in eos, et « dixit : *Accipite Spiritum sanctum, quorum*, etc., et « de cœlis semel, quando post ascensionem Domini « in die Pentecostes in linguis ligneis super apostolos « venit, etc. Sicut autem per Baptismum (31) in Chri- « sto morimur et renascimur ; ita Spiritu sancto si- « gnamur, qui est digitus Dei et spiritale signaculum. « Benè quippe convenit, ut per sacrum chrisma (32) « et per pinguedinem olivæ gratia Spiritûs sancti tri- « buatur ; quia in psalmo scriptum est de ipso Salva- « tore, quòd *unxerit Deus pater oleo lætitiæ præ con- « sortibus suis ;* et item de nobis, quòd *exhilaret faciem « nostram in oleo*. Χρισμα Græcè, latinè *unctio* nomi- « natur, ex cujus nomine et Christus dicitur, et ex « ipso homo post lavacrum (33) sanctificatur. Nam « sicut in Baptismo (34) peccatorum remissio datur « ad veniam ; ita per unctionem sanctificatio Spiritûs « adhibetur ad gloriam, etc.; quod dùm carnaliter (35) « fit, spiritaliter proficit ; quomodò et ipsius Baptismi « (36) visibilis actus est, quòd in aquâ mergimur, « sed spiritalis effectus, quòd à delictis mundamur. » (Verba sunt Tertulliani ex libro de Baptismo, videsis pag. 92.) Posthæc nonnullis, quæ ad præsentem materiam nihil attinent, subjectis, caput 31 ita inchoat : *Sed quia de duobus* (37) *Sacramentis, id est, Baptismo et chrismate, jam supra disseruimus ; superest ut de reliquis duobus, id est, corpore et sanguine Domini etiam nunc diligentiùs investigemus.*

Hæc, prolixa licèt, referre oportuit, ut Rabani opinionem, quæ singularis est, consequamur. Duplicem ille distinguit unctionem Baptisma subsequentem; alteram, quæ præcedit Eucharistiæ susceptionem ; alteram quæ post ejus participationem administratur.

Prior unctio 1° fit ex eodem chrismate, quo posterior, ex num. 12 et 29. 3° Fieri potest à sacerdote, ex num. 12. 3° Fit in vertice capitis, non autem in fronte, ex num. 24. 4° Fit absque manûs impositione ; quia solus episcopus baptizatum per manûs impositionem cum ipso chrismate consignat, ex num. 9 et 10. 5° Baptismum et vestem albam sequitur, sed Eucharistiæ participationem præcedit ex num. 17 et 18. 6° Sanctificat ; per eam enim baptizatus Spiritûs sancti participationem accipit, ex num. 16. Per eam significatur Spiritûs sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam, ex num. 25. Per eam Spiritus sanctus post mundata et benedicta corpora atque animas, libens à Patre descendit, ut vas suum suâ visitatione sanctificet ex num. 27. Per eam baptizatus chrismate ad accipiendum Spiritum san-

ctum ungitur, ex num. 29. Per eam neophytis datur idem Spiritus, qui apostolis à Christo datus est octavâ die resurrectionis ex n. 30. 7° Hæc prior unctio effectum à baptismali diversum habet. Per eam enim Spiritus sanctus post mundata et benedicta in Baptismo corpora atque animas libens à Patre descendit, ut vas suum suâ visitatione sanctificet ex n. 27. 8° Baptizato necessaria est propter occasionem transitûs mortis ex n. 13 : et ut alienus à Christo non existat, ex n. 16 : quia per eam baptizatus Spiritûs sancti participationem accipit, sine quâ alienus esset à Christo ex n. 15 et 16. 9° Inde sequitur hanc priorem unctionem baptizato necessariam esse necessitate medii. 10° Hinc etiam sequitur, in Baptismo mundari quidem et benedici animas et corpora; in eo tamen non infundi Spiritum sanctum, sed in unctione verticali, quæ Baptismum sequitur. Hæc est genuina Rabani opinio, quæ in multis omninò singularis est. Quis enim præter ipsum sibi unquàm persuasit, cæremoniam, quam ipse à Sylvestro pontifice institutam fuisse credit, habere vim sanctificandi et conferendi Spiritum sanctum, eamque baptizato necessariam esse necessitate medii?

Posterior unctio : 1° Fit à solo episcopo, ex n. 9 et 10. 2° Fit per manûs impositionem, ex n. 10. 3° Fit in fronte, non in vertice, ex n. 24. 4° Baptismum, vestem albam, unctionem verticalem et Eucharistiæ participationem subsequitur ex n. 17 et 18 : adeòque à Baptismo omninò distinguitur. 5° Sanctificat, ex singulis ferè numeris. 6° Effectum à baptismali diversum habet; tum quia baptizatis virorem confert cœlestis gratiæ, ex n. 7; tum quia per eam traditur baptizato Spiritus sanctus, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in Baptismate consecutus est ex n. 20 et 21 ; tum quia per eam homo post lavacrum sanctificatur, ex n. 33; tum quia sicut per Baptismum in Christo morimur et renascimur; ita per unctionem Spiritu sancto signamur, qui est digitus Dei et spiritale signaculum ex n. 31; tum quia sicut in Baptismo peccatorum remissio datur ad veniam; ita per unctionem sanctificatio Spiritûs adhibetur ad gloriam ex n. 34. 7° Effectum à priori unctione diversum habet, ex n. 25, 26, 27 et 28. 8° Sacramentum appellatur, n. 1, 2, 5 et 37. 9° Signa veri ac legitimi Sacramenti habet, ex n. 2, 3, 4, 31, 32, 34, 35 et 36. 10° Baptismo in ratione Sacramenti comparatur, et in ratione Sacramenti ab eo distinguitur, num. 1, 2, 5, 15, 31, 33, 34, 35, 36 et 37.

§ 8. *Jonas Aurelianensis.*

Jonas, episcopus Aurelianensis, qui post synodum Parisiensem à Ludovico pio ad Eugenium II missus est anno 824, et conventui Wormatiensi interfuit anno 833, lib. 1, de Instit. clericorum c. 7 : *Perceptio sancti Spiritûs, inquit, per manûs impositionem ab episcopis tribuitur*, etc. *Quòd solius episcopi sit per manuum impositionem fidelibus tradere Spiritum sanctum, Acta docent Apostolorum.* Relatisque verbis Actorum 8 et 19, subjungit : *Notandum est, quòd in neminem baptizatorum venerit Spiritus sanctus, nisi per impositionem manuum Apostolorum. Credendum verò est, quòd sicut Baptismatis et corporis et sanguinis Dominici Sacramenta per sacerdotum ministeria visibiliter fiunt, et per Deum invisibiliter consecrantur; ita nimirùm Spiritûs sancti gratia per impositionem manuum ministerio administratam episcoporum, fidelibus invisibiliter tribuatur.* Nihil pro doctrinâ catholicâ brevius et luculentius dici poterat.

§ 9. *Concilium Parisiense VI*

Concilium Parisiense VI, quod anno 829 celebratum est, lib. 1, cap. 27, facultatem conferendi *Donum Spiritûs sancti per impositionem manuum convenire solis apostolis, eorumque successoribus episcopis*, non autem discipulis, eorumque successoribus chorepiscopis, probat ex Actis, c. 8 et 19. « Emersit, *inquit*, « quidam reprehensibilis, et valdè jam inolitus usus, « eò quòd quidam chorepiscopi ultra modum suum « progredientes et donum sancti Spiritûs per imposi- « tionem manuum tradant, et alia quæque, quæ solis « pontificibus debentur, contra fas peragant : præ- « sertim cùm nullus ex septuaginta discipulis, quo- « rum speciem in Ecclesiâ gerunt, legatur donum « sancti Spiritûs per manuum impositionem tradi- « disse. Quòd autem solis apostolis, eorumque suc- « cessoribus proprii sit officii tradere Spiritum san- « ctum, liber Actuum Apostolorum docet, in quo le- « gitur : *Cùm Apollo esset*, etc., Actor. 19, v. 1, 2, « 3, 4, 5, 6. Item in eodem : Cùm audissent apostoli, « etc., Actor. 8, v. 14, 15, 16 et 17. »

Capite verò 33 proximè sequenti præcipit episcopis, ut jejuni Confirmationem administrent, multaque alia docet observatu digna. « Perlatum est ad nos, « *inquit*, quòd in quibusdam provinciis plerique epi- « scopi post perceptionem cibi et potûs soleant per im- « positionem manuum tradere Spiritum sanctum : « quod tam excellenti ministerio prorsùs non conve- « nire, et ita deinceps fieri non debere, omnibus nobis « visum est. Quoniam credibile est, et auctoritas Ec- « clesiæ ita se habet, ut sicut apostoli unanimes exi- « stentes, Deumque collaudantes et benedicentes; ita « nimirùm jejunantes accipere meruerint paracletum « Spiritum sanctum : eosque non nisi jejunos, sicut « eorum Acta docent, aliis eum tradidisse manifestum « est. Sicut enim Baptismus exceptâ infirmorum « causâ, non nisi à jejunis celebratur sacerdotibus : « ita etiam traditio Spiritûs sancti, exceptâ præmissâ « causâ infirmorum, non nisi à jejunis celebranda est « pontificibus. Dignum quippe est, ut pontifices « Christi primùm jejunando et orando in cordibus « suis domum præparent Spiritui sancto, et sic per « impositionem manuum cæteris fidelibus eum tra- « dant orando. Sicut autem duobus temporibus, Pa- « schâ videlicet et Pentecoste, Baptismus; ita etiam « traditio sancti Spiritûs per impositionem manuum « fidelibus tradatur, exceptis videlicet, ut dictum est, « infirmis et morte periclitantibus, quibus sicut Ba- « ptismatis gratiâ succurrendum, ita incunctanter do- « num Spiritûs sancti est tradendum. » Vide quanti Confirmationem fecerint præsules Parisiis congregati

ex Belgicâ II, et Lugdunensi II, III et IV, id est, ex metropoli Rhemensi, Rothomagensi, Turonensi, et Senonensi. Ejus ministerium quasi excellentissimum admirantur : per eam aiunt conferri Spiritum sanctum : eam præcipiunt ab episcopis jejunis administrari : jubent præsulibus, ut ad ejus administrationem jejuniis et orationibus sese disponant : eam æquiparant Baptismo : eamdem in ejus ministro, quàm in Baptismi dispositionem requirunt : eamdem utriusque necessitatem asserere videntur.

Ejusdem Confirmationis meminerunt cap. 54, ubi de susceptoribus seu patrinis neophytorum in utroque Baptismi et Confirmationis Sacramento ita loquuntur : « Illi, qui alios de sacro fonte suscipiunt, « quique ad percipiendum sancti Spiritûs donum coram pontificibus pro aliis patroni existunt, intelligere debent, et vim tanti sacramenti, et quid pro « aliis spoponderint. Illos tamen specialiter ab iis « officiis removendos judicamus, qui propter reatum « suum publicâ sunt pœnitentiâ mulctati; videlicet, « ut nec alios de sacri fontis Baptismate suscipiant, « nec etiam ad percipiendum sancti Spiritûs donum, « aliorum patroni coram pontificibus existant, donec « per dignam pœnitentiæ satisfactionem, reconciliationem mereantur. » Confirmatio ibi dicitur magnum Sacramentum : pœnitens, qui Ecclesiæ nondùm reconciliatus est, susceptoris officio fungi non potest.

§ 10. *Amalarius Fortunatus.*

Amalarius Fortunatus, ex Alcuini discipulo episcopus Trevirensis, quem legatum à Carolo Magno Constantinopolim missum sub annum 813, ut cum Michaele imperatore pacem constitueret, historiæ testantur, libros quatuor de ecclesiasticis Officiis composuit, quorum libro 1, cap. 26, ait : *Clamante voce sacerdotis, ut descendat virtus Spiritûs sancti in aquam, cereos neophytorum deponi in aquam.* Deinde verò neophytis distribui, non tamen accendi, donec illi Spiritum sanctum per manûs impositionem acceperint, quia cerei accensio Spiritum sanctum designat. *Solemus*, inquit, *differre officium illuminandorum cereorum, usque ad missæ officium, ut prius accipiant neophyti impositionem manûs episcopi, et sic eos credamus illuminari Spiritu sancto.*

Capite verò 27, unctionem quæ Baptismum consequitur, duplicem ille distinguit, alteram in vertice capitis, alteram in fronte.

Priorem ait 1° fieri ex eodem chrismate, quo posterior. 2° A sacerdote Baptismum administrante fieri, sive absit, sive adsit episcopus. 3° Fieri in vertice capitis, non autem in fronte. 4° A Sylvestro pontifice institutam fuisse in subsidium unctionis frontalis, sine quâ ob episcoporum absentiam, aut negligentiam, neophyti plerùmque moriebantur. 5° Per eam conferri gratiam aliquam. 6° Eam administrari hâc verborum formulâ : *Deus omnipotens, parte Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aquâ et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse init te chrismate salutis in vitam æternam.*

Circa posteriorem docet 1° eam fieri in fronte. 2° Eam fieri à solis episcopis. 3° Per eam tradi Spiritum sanctum paracletum baptizatis. 4° Eam, ut quæ ditior et præstantior sit, ditiorem et præstantiorem effectum producere, puta septiformem Spiritum sanctum. 5° Eam administrari hâc verborum formulâ : *Emitte in eum* (neophytum) *septiformem Spiritum sanctum tuum paracletum de cœlis, Spiritum sapientiæ et intellectûs, Spiritum concilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, adimple eum Spiritu timoris Domini, et consigna eum signo crucis, in vitam propitiatus æternam.* 6° Spiritum sanctum ejusque dona esse *vestimenta, quibus ornari oportet filium regis, ut stare possit in aulâ cœlesti* : qui enim *baptizantur, filii sunt Dei. Episcopus* verò *deprecatur Deum, ut sicut lavare dignatus est hominem per Baptismum; ita dignetur per unctionem et manûs impositionem vestire regalibus vestibus, quibus indui oportet filios regis.* 7° Amalarius unctionem in fronte et episcopalis manûs impositionem confundit, alteram pro alterâ usurpat, et utrique eumdem effectum assignat. 8° Expendit, utrùm *sine impositione manûs episcopi possit neophytus possidere regnum cœlorum* : quâ de re nonnulli hâc ætate dubitabant. 9° Duplicem Baptismum distinguit : *Ipse enim*, inquit, Joannes apud Matthæum, *baptizabit vos Spiritu sancto et igne.* « Baptizamur Spiritu sancto et igne : « baptizamur Spiritu sancto, quando abluimur à peccatis : quam ablutionem significant albæ vestes in « Baptismate per totum corpus. Baptizamur igne, « quando ardorem Spiritûs accipimus, ut apostoli « acceperunt in die Pentecostes. Baptismum ignis accipimus per impositionem manûs episcoporum, qui « consumat ligna, fœnum, stipulam : *quia Deus ignis « consumens est...* Si quis sine isto Baptismate (puta « ignis) migraverit de seculo, periculosum iter accipit. « Hæc prævidens Sylvester papa, quantùm potuit, « subvenit : et propter absentiam episcoporum, necessitate addidit, ut à presbytero ungerentur. » 10° Ait « Timendum esse, ne illa differentia sit inter « illum, qui sine impositione manûs (episcopalis) « moritur, et inter illum, qui eam accipit, quæ est « inter stellarum claritudinem, hoc est, quamvis non « excludat à regno Dei propter cætera bona opera, « tamen non habeant illum locum, quem haberent, « si illam acciperent. » 11° De septem donis Spiritûs sancti, eorumque connexione fusè disserit, et postea subjicit : « Hæc sunt ornamenta vestis, quæ tribuit « Deus menti per impositionem manûs, sine quibus « periculosum est aliquem inveniri in convivio regis, « ne audiat vocem terribilem dicentis : *Amice, quomodò huc intràsti, non habens vestem nuptialem?* » 12° Ait Spiritum sanctum, quem neophytus per unctionem et manûs impositionem accipit, esse Dei *signaculum, quo spiritus noster et anima imprimuntur, et illam recipimus imaginem et similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculo sancti Spiritûs Deo patre imprimente, signamur. Hunc enim* (ait Paulus) *signavit pater Deus.... Idcircò verò signamur, ut servemus signaculum, et ostendamus illud in die redem-*

ptionis purum atque sincerum, et nullâ ex parte mutilatum, et ob id enumerari cum his valeamus, qui redempti sunt.

Denique capite 40, explicat, quanto tempore debeant esse sub disciplinâ chrismatis, qui manûs impositionem ab episcopo accipiunt post Baptisma jampridem susceptum : et quâ pietate ac devotione totum illud tempus transigere debeant.

Quo anno Amalarius libros istos scripserit, incertum est. Sigebertus illum anno 813 obiisse existimat. Sed ipsemet in antiphonario, c. 58, testatur se in vivis fuisse post annum 831. Nonnulli contra putant hos libros post annum 867 scriptos fuisse, quod initio capitis 27 libri 1 ex gestis pontificalibus referatur Sylvestri, decretum de unctione verticali. Liber verò pontificalis, seu liber de Vitis pontificum, compositus fuit ab Anastasio bibliothecario, qui eas ad Nicolaum I usque perduxit; obiit autem Nicolaus anno 867. Sed præterquàm quòd Amalarius ad annum 867 non pervenit, constat libros, de quibus agitur, longè ante ab ipso editos fuisse. Baronius igitur eorum editionem revocat ad annum 831. Certum est illos scriptos fuisse post annum 823. Amalarius enim in epistolâ huic operi præfixâ, quâ opus illud Ludovico Pio dedicat, acclamat Lotharium coronatum. Lotharius verò, Ludovici Pii filius, anno 823 coronatus est. Certum quoque mihi videtur, illos ante annum 831 scriptos fuisse, quia Amalarius initio secundæ præfationis huic operi præfixæ testatur, se opus de ecclesiastico Officio composuisse, antequàm Romam proficisceretur : se verò jam pervenisse Romam anno 831 asserit in Antiphonario, cap. 58. Denique initio ejusdem præfationis ait, *se venisse Romam, postquàm illud opus scripsit.* Illud igitur scriptum fuit ad annum 830.

Inde apparet, aut gesta pontificalia, de quibus Amalarius, opus esse diversum à libro de Vitis pontificum; aut Anastasium non fuisse auctorem hujus libri; aut vitas omnes (quod probabilius est), quæ in hoc libro referuntur, non fuisse scriptas ab Anastasio, sed earum aliquas ante seculum nonum compositas. Idem colligi potest tum ex Rabano, qui verba decreti ejusdem Sylvestri refert in textibus supra citatis ex libris de Institutione clericorum, quos ille anno 819 edidit; tum ex ordine Romano, cap. Ordo in purificatione sanctæ Mariæ, in quo gesta pontificalia laudantur et ex eis verba referuntur, quæ totidem terminis habentur in libro de Vitis pontificum.

Eumdem Amalarium consules lib. 4, cap. 29, *Baptismus* (1), inquit, *neophytorum quamvis in sabbato agatur, ad illum Baptismum pertinet, quem apostoli acceperunt in die Pentecostes. Hoc interest* (2) *inter nostrum Baptisma et apostolorum, quod illi primò aquâ baptizati sunt; deinde acceperunt semel per insufflationem Christi Spiritum sanctum, adhuc in terrâ Christo sistente; postremò de cœlo in die Pentecostes : nos verò præsente episcopo simul baptizamur, et per impositionem manûs episcopi* (3) *Spiritum sanctum accipimus. Imitando tamen Christi* (4) *mortem et ejus resurrectionem; debemus consummationem nostri Baptismatis* (hoc est, spiritualem nostram resurrectionem, cujus exemplar est Christi resurrectio, quæ die dominicâ contigit) *in die dominicâ cogitare, ne præcedant membra caput, et secundùm* (5) *modum primitivæ Ecclesiæ donationem Spiritûs sancti in eâdem die* dominicâ, *horâ tertiâ. Quamvis* (6) *enim non eisdem diebus vel horis, propter aliquas occasiones fluctuantis mundi, celebretur aliquando Baptismus vel impositio manûs : tamen propter Sacramentum* (7) *quod in se continent, eisdem horis deputantur.* Et quibusdam interjectis : *Sicut in Baptismate* (8) *conformamur Christi morti et sepulturæ : ita in acceptione Spiritûs sancti* quæ per manûs impositionem contingit, *conformamur Spiritui vivificanti, qui operatur in nobis rectum ordinem dilectionis. Propter mortem Christi* (9), *quæ memoratur horâ nonâ esse peracta, horâ nonâ baptizantur, qui in Christi morte baptizantur, propterque mysterium consepulturæ Christi, quæ recolitur in sabbato, baptizatur Christi corpus in sabbato, ut post hanc sepulturam in die dominicâ resurgat* (10). *Initium enim resurrectionis à dominicâ die debemus celebrare. Sed illa dominica dies initium novi hominis,* etc.

En manûs impositionem, quæ correspondet visibili descensui Spiritûs super apostolos, ex num. 1, 2 et 5, quæ confert Spiritum sanctum, ex n. 3; quæ sacramentum est, ex n. 7; quæ differt à Baptismo, ex num. 1, 2, 6 et 8; quæ Baptismo æquiparatur, ex n. 6, 7 et 8; quæ neophytum conformat Spiritui vivificanti, sicut Baptismus ipsum efficit conformem morti et sepulturæ Christi ex n. 8; ad quam Baptismus ordinatur, ex n. 1.

§ 11. *Walafridus Strabo.*

Walafridus Strabo, monachus, et abbas divitis Augiæ, qui floruit imperante Ludovico Pio, et obiit anno 849, in libro de Exordiis et Incrementis rerum ecclesiasticarum, quem abbati Regimberto dicavit, cap. 26 : « Addiderunt alii Baptismo, *inquit*, chrismatis unctio « nem, quam ex veteri sumptam consuetudine, ne« mo est qui dubitet : cùm primis temporibus imposi« tione manuum Baptismus confirmari soleret, quod « in Samariâ fecisse Petrum legitur et Joannem : quæ « Confirmatio et tunc ad primos Ecclesiæ pastores « pertinuit, et nunc pertinere non dubitatur. Unde in« canonibus sæpè interdicitur presbyteris, ne chrisma « conficiant, neque baptizatos in fronte consignent : « quod solis debetur episcopis. Testantur hoc decreta « Innocentii papæ, et statuta Sylvestri; quia et ipse « instituit, ut presbyter baptizatum chrismate liniat, « propter occasionem transitûs mortis. Quòd si à dia« cono, vel quolibet alio homine baptizatus, casu ante « Confirmationem transierit, credendum non est pe« rire propter hoc, quia sub fide, quâ credidit, poterit « esse salvus, si eum post commissa peccata non per« imant. Lege concilii Eliberitani decreta. *Et postea :* « Quicumque vel ab hæreticis in Trinitate baptizanti« bus, vel ab alio quolibet homine, sub appellatione « legitimâ ejusdem sanctæ Trinitatis fuerit baptizatus, « rebaptizari non debet, etc. ; sed chrismate et ma-

« nûs impositione, quòd imperfectum erat, perfici « debet. »

§ 12. *Liber de Officiis divinis*

Liber de divinis Officiis, qui Alcuino tribui solet, nihil aliud est, quàm expositio et commentarius ordinis Romani. In eo igitur idem asseritur, quod in ordine Romano; quis verò ejus auctor in dubium revocatur, de illo appositiùs agemus infra, ubi de operibus, quorum auctores dubii sunt.

§ 13. *Hincmarus Rhemensis.*

Hincmarus, qui Rhemensis archiepiscopus anno 845 creatus, obiit anno 882, in epistolâ ad Leonem IV queritur de chorepiscopali temeritate, quòd *Spiritum consignando tradere præsumebat.* Et in libro de variis Capitulis ecclesiasticis, c. 16, multiplicem manuum impositionem accuratè describit. « Non uno « modo, *inquit*, semper manûs impositio intelligitur, « sed pro diversitate locorum sub diversâ significa- « tione reperitur. Aliquando enim pro Confirmatione « neophytorum accipitur, ut in decretis apostolico- « rum virorum, Clementis, Urbani, Melchiadis ex- « pressum sæpenumerò reperitur. Nunc pro ordina- « tione sacerdotum, sive diaconorum, juxta illud « apostoli ad Timotheum : *Nemini citò manus impo-* « *sueris.* Quod et canones apertissimè præscribunt. Est « et reconciliatoria manûs impositio, per quam pœ- « nitentes hæretici, sive excommunicati sanctæ Ro- « manæ ecclesiæ reconciliantur, de quâ beatus Au- « gustinus in lib. 3 de Baptismo contra Donatistas « testatur, quod nihil sit, nisi oratio super hominem, « quæ et iterari possit. Fit etiam manûs impositio « super infirmos, etc., item super catechumenos et « energumenos pro expulsione diaboli, quæ speciali- « ter exorcistis in ordinatione conceditur. Item, et cùm « simpliciter aliquem benedicimus, manus ei antiquo « more imponimus : sic enim Jacob, cùm filios Joseph « benediceret, manus eis imposuit : et Dominus in « Evangelio, oblatos sibi parvulos per impositionem « manûs benedixisse legitur. Sive autem manûs impo- « sitio pro reconciliatione pœnitentium, sive pro de- « pulsione infirmitatis vel diaboli, sive pro sim- « plici benedictione impendatur, satis congruè juxta « Augustinum nihil aliud nisi oratio super hominem « intelligitur, unde et iterari, quoties opus fuerit, non « prohibetur. Cùm verò pro Confirmatione, sive ordi- « natione inpenditur, non jam pro solâ oratione, sed « etiam pro sacramento habenda est quam sancti Pa- « tres iterari prohibuerunt. »

§ 14. *Herardus Turonensis.*

Herardus, Turonensis archiepiscopus in capitulis ex corpore sanctorum canonum excerptis, quæ in synodo Turonensi anno 3 suæ ordinationis, Christi vero 858, promulgari, et ab omnibus sacerdotibus et clericis memoriter teneri voluit, cap. 75 præcipit. *Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, et moneantur confessiones dare priùs, ut mundi donum sancti Spiritûs; valeant accipere.* En ritum sacrum, qui vim habet conferendi donum sancti Spiritûs; ad quem suscipiendum præcedere jejunium, et confessio præmitti debet, ut qui eum suscipiunt, mundi sint et mundati effectum ejus accipere valeant.

§ 15. *Isaac Lingonensis.*

Isaac episcopus Lingonensis canones titulis undecim distinctos ad eumdem annum 858 edidit. Titulo verò 2, can. 1, sic habet : *Si quis filiastrum, aut filiastram ante episcopum ad Confirmationem tenuerit, separetur ab uxore suâ, et alteram non accipiat : similiter et mulier alterum non accipiat.* Can. 12 : *Omnes maximam curam habeant, ne sine Confirmatione episcopi quis vitam finiat, animaque periclitetur.* Quis verò dixerit animæ salutem periclitari defectu meræ cæremoniæ? Can. 30 et 31, Confirmationem à chorepiscopis *collatam declarat irritam esse;* quia *nullus chorepiscopus per manûs impositionem Spiritum sanctum tradere potest.*

§ 16. *Photius.*

Photius, qui anno 858 patriarcha Constantinopolitanus creatus est, Commentarios edidit in Epistolas Pauli, qui temporum injuriâ perierunt, sed quorum fragmenta referuntur apud Œcumenium, in cap. 6 ad Hebræos, ad hæc Pauli verba : *Quapropter omisso sermone initii ad Christum, ad perfectionem feramur, non rursùm jacientes fundamenta pœnitentiæ, ab operibus mortuis, et fidei in Deum, Baptismatum doctrinæ, ac manuum impositionis, et resurrectionis mortuorum, ac judicii æterni.* Quæ verba Photius ita interpretatur : *Omisso sermone initii ad Christum : quem sermonem? sermonem doctrinæ, quòd oporteat fundamentum jacere pœnitentiæ ab operibus mortuis; sermonem doctrinæ, quòd oporteat credere in Deum : sermonem doctrinæ, quòd oporteat baptizari; sermonem doctrinæ, quòd oporteat dignum se gerere Spiritu sancto; sermonem doctrinæ, quòd futura sit resurrectio ac judicium.* Et paucis interjectis : *Elementa initii eloquiorum Dei sunt, abrenuntiare Satanæ et omnibus operibus ejus, credere in Deum, baptizari, accipere Spiritum sanctum, scire mortuorum resurrectionem, ac credere futurum esse judicium.* Ubi Photius distinguit inter *baptizari* et *accipere Spiritum sanctum;* et quod Paulus vocat *manuum impositionem,* Photius interpretatur *accipere Spiritum sanctum.*

§ 17. *Concilium Wormatiense.*

Concilium Wormatiense, can. 8, *non liceat presbyteris,* inquit, *per impositionem manûs paracletum Spiritum tradere, nec chrismate baptizatorum frontem signare; quia pontificatûs apicem non habent.*

§ 18. *Joannes VIII.*

Joannes VIII, qui pontificatum suum anno 872 iniit, in epistolâ 232 ad Paulum, Regiensem episcopum, et in epistolâ 233 ad Joannem, episcopum Ticinensem, ait chrisma esse *totius christianitatis salutem et perfectionem veram :* quæ de ritu simplici nemo dixerit.

§ 19. *Refutantur Dallæi responsiones.*

Dallæus, lib. 3, c. 13 et 14, proponit quatuor discrimina quibus unctionem nono seculo usitatam ab hodiernâ distinguit : singula referemus et examinabimus.

Primum discrimen est quòd hæc unctio confirmatoria, quantùm fieri poterat, cum Baptismo conjunge-

retur; hodierna verò à Baptismate plenè penitùsque disjungatur, quasi ritus nihil ad Baptismum pertinens.

Verùm cui bono hæc differentia ad probandum Confirmationem non esse Sacramentum propriè dictum, à Baptismo diversum, sed meram esse cæremoniam quæ ad Baptismum, nono seculo, pertineret? Eucharistia, seculo nono, unà cum Baptismo conjungebatur, hodiè verò disjungitur; ideòne, seculo nono, non erat Sacramentum, sed mera Baptismi cæremonia? Hæc Dallæi ratiocinatio, si quidquam probaret, probaret certè Eucharistiam minùs distingui à Baptismo quàm Confirmationem. Eucharistia enim à Baptismo nunquàm separabatur; Confirmatio contra, præsente vel absente episcopo, modò conjungebatur, modò differebatur : quemadmodùm videre est in ordine Romano, et in libro de divinis Officiis, qui nomine Alcuini circumfertur.

Secundum discrimen est quòd, seculo nono, hæc chrismatio ab episcopo conjungeretur cum manûs impositione, quæ apud Latinos fieri jamdudùm desiit.

Verùm hæc quæstio, utrùm unctio confirmatoria hodiè conjuncta sit cum manûs impositione difficultas est, quæ nihil ad præsens, sed ad aliud institutum pertinet. Id unum modò quæritur, utrùm chrismatio, vel manûs impositio, quæ seculo nono neophytis ab episcopo fieri solebat, rationem habeat Sacramenti propriè dicti, à Baptismo diversi.

Tertium discrimen est quòd auctores seculi noni Confirmationem velut simplicem Baptismi cæremoniam habuerint; hodierni contra eam habeant velut Sacramentum à Baptismo distinctum.

Verùm auctores seculi noni aliud omninò sensisse, apparet ex testibus supra relatis. Præterea tantùm abest ut Confirmatio sit ritus ad Baptismum ordinatus; imò Baptismus ad Confirmationem ordinatur, ex Amalario supra : *Peractis omnibus Baptismatis Sacramentis, hoc est, cæremoniis, Spiritus septiformis gratiæ per manûs impositionem neophyto confertur, ut per eumdem Spiritum in rectâ fide corroboretur.* Ex Magno Senonensi. Manûs igitur impositio non pertinet ad Baptismi cæremonias, sed gratiam à Baptismali omninò diversam habet. 4° Confirmatio, seculis octavo et nono, non solùm post Baptisma, sed et post Eucharistiam in pluribus ecclesiis administrabatur, ex Alcuino, Aponio et Rabano. Ea igitur non pertinebat ad Baptismum. 5° Epistola de cæremoniis Baptismi ad Carolum Magnum, quæ sub Alcuini nomine inter ejus opera prodiit, sed quam ipsius non esse, ex hisce verbis quæ sub finem leguntur apparet : *Dixisti, serenissime Auguste, velle vos scire qualiter nos et nostri suffraganei doceremus populum Dei de Baptismatis Sacramento.* Nec enim Alcuinus episcopus fuit; auctor verò hujus epistolæ erat archiepiscopus, et codex Petavianus Amalarium hunc esse declarat : *Hæc,* inquam, *epistola, quæ tota est in describendis Baptismi cæremoniis, Eucharistiæ quidem meminit, non autem Confirmationis.* Eam igitur Amalarius non putavit unam esse ex Baptismi cæremoniis. Si Dallæus quamdam invenisset epistolam quæ tota esset in describendis Baptismi cæremoniis, quæque Confirmationis, non autem Eucharistiæ meminisset, confidenter ille quidem asseruisset Confirmationem esse meram Baptismi cæremoniam : ecce verò Amalarii epistolam, quæ tota est de cæremoniis Baptismi, quæque Eucharistiæ, non autem Confirmationis, meminit : ideòne Eucharistia ritus erit ad Baptismum pertinens? 6° Ritus ille non pertinet ad Baptisma, quem ordinarius minister Baptismi solemnis conferre non potest. Sacerdos verò minister ordinarius est Baptismi solemnis, neque Confirmationem conferre potest, ex auctoribus seculi noni. Igitur Confirmatio non est ritus Baptismi solemnis. 7° Levia sunt fundamenta quibus Dallæus innititur.

Primum est, quòd auctores isti de Confirmatione nusquàm ferè, nisi in iis locis et capitibus agant, in quibus ipsius Baptismi ritus tradunt, ut videre est apud eos omnes auctores, qui de Ecclesiasticis Officiis scripserunt. Theodulphi libri de Ordine Baptismi caput 17, de episcopali Confirmatione totum est; eadem est Alcuini ratio in epistolâ ad Odvinum : quorsùm, si ea nullus Baptismi ritus, nullaque pars est? Ille profectò vel stultus fuit, qui de Baptismi ordine ac ritibus dicturum se professus, de re à suo argumento alienâ temerè et absque ratione garrit : vel (quod verum, et ex toto libro manifestum est) hunc quoque Confirmationis ritum, perinde ut alios, quos diligentissimè enarrat, exorcismum, salem, sputum, unctionem ex oleo, albarum vestium amictum, presbyterale chrisma, mysticum capitis velamen, ad Baptismum pertinere, ejusque cæremoniam esse existimavit.

Verùm Dallæo ex auctoribus seculi noni opponimus capitula ecclesiastica Caroli Magni, concilium Cabilonense II, Aponium, Lucam, Jonam Aurelianensem, concilium Parisiense VI, Herardum Turonensem, Bertramnum, Joannem VIII, Œcumenium, et ipsum Theodulphum in suis capitularibus : qui auctores de Confirmatione scripserunt in locis, in quibus non agitur de recensendis Baptismi cæremoniis. Cæteri vero auctores ejusdem seculi post enumeratas Baptismi cæremonias, Confirmationis meminerunt, non quòd crediderint illam esse unam ex Baptismi cæremoniis, sed quia Confirmatio post illas continenter administrabatur. Sed age, Dallæum, vel ipsis auctoribus ab eo adductis, et in operibus ab ipso citatis perstringamus. Quemadmodùm enim libri de ordine Baptismi, quem Theodulphus ad Magnum Senonensem scripsit, caput 17 totum est de Confirmatione; ita caput 18 totum est de Eucharistiâ. Ideòne, quæso, Eucharistia ritus erit Baptismi, aut stultus fuit Theodulphus? Sicut etiam Alcuinus in epistolâ de Baptismo ad Odvinum, meminit Confirmationis, ita ille meminit Eucharistiæ; imò Eucharistiam Confirmationi præponit. Ideòne aut Eucharistia ad Baptismum pertinebit, aut Alcuinus de re à suo argumento alienâ temerè garrivit?

Secundum Dallæi fundamentum est, quòd, ut supra Isidorus, sic ipse quoque christianorum sacramenta

recensens Rabanus, lib. 1 de Instit. clericorum, c. 24 et 31, dicat Baptismum et chrisma esse duo Sacramenta, sicut corpus et sanguinem Christi.

Respondeo 1°, huic objectioni satisfactum fuisse, ubi de mente Isidori pag. 377 et seq.; 2° aliud est Baptismum et chrisma, corpus et sanguinem, esse Sacramenta; aliud etiam, Baptismum et chrisma esse duo sacramenta; item corpus et sanguinem esse duo sacramenta; aliud verò Baptismum et chrisma eodem sensu esse duo sacramenta, quo corpus et sanguis: prius, non autem posterius, dixêre Isidorus et Rabanus; 3° Rabanus, lib. 1, c. 25, ait, *Primum sacramentum esse Baptismum, quia confertur, antequàm sancto chrismate ungatur aliquis, aut corpore et sanguine Christi reficiatur.* Supponit igitur chrismationem, sicut et Eucharistiam, esse sacramenta à Baptismo omninò diversa. Deinde chrismationem in ratione Sacramenti ille comparat non soli corpori, neque soli sanguini, sed utrique simul; 4° ex Rabano, post Baptismum Eucharistia, et post Eucharistiam Confirmatio neophytis administrari debet. Quî igitur fieri potest, ut Baptismus et Confirmatio, veluti duæ compartes, idem constituant sacramentum? 5° hæc signa sunt sacramenta omninò diversa, quæ diversum ministrum habent, et diversam gratiam conferunt, adeòque diversa significant. Atqui ex Rabano Baptismus et Confirmatio sunt ejusmodi. Recole, quæ dicta sunt, pag. 406 et seq.

Tertium fundamentum est, quòd Primasius, quem post Blondellum in libro de Episcopis, pag. 72, opinatur Haymonem esse Alberstatensem, qui ex Baronio obiit anno 853, commentariis in epistolam ad Hebræos dixerit: *Donum Spiritûs sancti dari in Baptismate per impositionem manûs episcoporum.*

Quasi verò Primasius ibidem non dixerit: *Donum Spiritûs sancti, post Baptismum (à neophytis) plenissimè accipi per manûs impositionem;* neque ibi Confirmationis effectum ab effectu Baptismi apertè distinxerit. Recole quæ dicta sunt, ubi de mente Primasii, pag. 370. Vox igitur *in Baptismate* idem sonat, quòd in officio et in ministerio Baptismatis. Cùm enim Baptismus administrabatur, ipsa quoque Confirmationis et Eucharistiæ Sacramenta administrabantur.

Quartum fundamentum est, quòd cùm Baptismi non nisi unum vel sit, vel esse possit propriè dictum Sacramentum, et appellentur ab auctoribus istis *Baptismi Sacramenta* seu *mysteria* in plurali, necessariò confitendum sit eâ voce ritus illos involvi, qui unà cum Baptismo peragi soliti erant, inter quos locum habebat Confirmatio.

Verum Dallæus id supponit, quod ipsi probandum est, nimirùm Confirmationem esse unam ex cæremoniis Baptismi. Concedo Baptismum ejusque ritus accidentales, rectè dici *Sacramenta*: sic eos appellavit concilium Moguntinum anno 813 celebratum, canone 4. *Sacramenta Baptismatis* volumus, ut uniformiter in singulis parochiis secundùm Romanum ordinem celebrentur. Sic etiam Magnus, archiepiscopus Senonensis loco supra citato: *Peractis omnibus Baptismatis Sacramentis (hoc est, cæremoniis) novissimè per manûs impositionem à summo sacerdote septiformis gratiæ Spiritum accipiunt, ut corroborentur in fide rectâ per Spiritum sanctum.* Sed ex iisdem verbis apparet, Confirmationem non pertinere ad ritus Baptismi sacramentales, quandoquidem illa à summo sacerdote non conferatur, nisi *peractis omnibus Baptismatis Sacramentis.*

Quod verò Dallæus innuit, Baptismum secundùm se et seorsim à cæremoniis spectatum, dici quidem *mysterium* et *Sacramentum*, non autem *mysteria* et *Sacramenta*, omninò falsum est, 1° quia vox *mysteria*, propriè in plurali, in singulari verò nonnisi impropriè usurpatur. Sicut igitur mysteria, ita et sacramenta de Baptismo dici possunt; 2° quia Augustinus de solo Baptismo ita loquitur; lib. 1 Confess., cap. 11: *Ut Sacramentis salutaribus initiarer et abluerer;* 3° quia aqua et Spiritus, de quibus Christus, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu*, etc., sacramenta vocantur à Cypriano in epist. 72 et 73, et à Nemesiano à Thubunis in synodo Africanâ; 4° quia materia et forma Baptismi diversa significant; 5° vel ipsa Baptismi materia plura repræsentat: v. g., immersio mortem peccati, et emersio justificationem designat; immersio Christi mortem, emersio Christi resurrectionem exprimit; trina immersio explicat nos emundari à peccatis cordis, oris, et operis; aut à peccatis quæ suggestione, delectatione, et consensu committimus; trina verò emersio, baptizatum solvi à prævaricatione legis naturalis, legis scriptæ, et evangelii.

Quartum discrimen, quod Dallæus assignat, illud est, quòd auctores seculi noni arbitrarentur chrismationem episcopalem eamdem esse cum presbyterali.

Verùm utramque omninò diversam esse constat ex textibus supra relatis. Recole quæ dicta sunt, ubi de mente Rabani, Amalarii, et Walafridi Strabonis.

Objicit 1° Dallæus, lib. 4, c. 14: Walafridus Strabo ait, *Sylvestrum instituisse ut presbyter baptizatum chrismate liniat, propter occasionem transitûs mortis. Quod si à diacono, vel quolibet alio homine baptizatus, casu ante Confirmationem transierit, credendum non est perire propter hoc.* Ante Confirmationem transire non alios dicit, quàm qui à diacono, vel à quolibet alio homine baptizati, mortui fuerint ab episcopo non consignati. Inter istos non censet eos qui à presbytero baptizati, adeòque et uncti erant. Ergo hos quidem sine Confirmatione transire non putavit; quod falsum esset, nisi presbyteralis unctio Confirmatio fuisset.

Verùm, ex mente Walafridi, presbyteralem unctionem ab episcopali, quam ibidem Confirmationem appellat, omninò diversam esse, apparebit textum recolenti, quem integrum supra descripsi, Walafridus tria in eo distinguit: Baptismum, unctionem presbyteralem, et unctionem episcopalem. Presbyteralem ab episcopali, quam ibidem cum manûs episcopalis impositione permiscet, ille discernit, 1° ratione ministri: episcopalis enim à solo episcopo; presbyteralis contra, et ab episcopo, et à sacerdote administrari potest; 2° ratione loci:

presbyteralis enim in vertice; episcopalis in fronte fieri debet; 3° ratione institutionis : Sylvester enim presbyteralem instituit, sed episcopalis ex veteri consuetudine sumpta est, *quia primis* (Ecclesiæ) *temporibus impositione manuum Baptismus confirmari solebat; quod in Samariâ fecisse Petrum legitur et Joannem.* Hanc doctrinam ille confirmat decreto Innocentii ad Decentium Eugubinum supra relato, pag. 315, et Sylvestri statuto, quo *ipse instituit ut presbyter baptizatum chrismate liniat, propter occasionem transitûs mortis.* Quia verò illâ ætate nonnulli ob hoc Sylvestri decretum in dubium revocabant, utrùm Confirmatio, seu manuum episcopalium impositio, ad æternam salutem consequendam necessaria esset, ut videre est apud Amalarium, lib. 1 de eccles. Offic., cap. 27, (videsis pag. 419, num. 8) Walafridus huic dubitationi occurrit, eamque in antecessum refellit canone 77 Illiberitano, quo definitur, *Quod si quis*, à diacono baptizatus, *ante de seculo recesserit*, quàm episcopalem perfectionem acceperit, *sub fide, quâ credidit, poterit esse salvus.* Ea est, opinor, ratio, cur Walafridus Baptismi quidem à diacono, non autem à presbytero, collati mentionem fecerit; sive quia canon ille, quem adduxit, diaconi quidem, non autem presbyteri, meminit; sive quia ratio in hoc canone relata pari modo concludit Baptismum, seu à diacono, seu à presbytero collatum, satis esse ad salutem. Fortassis etiam in textu deest aliquid, et legendum est: *Quòd si à presbytero, vel à diacono*, etc. Ii si quidem auctores, quibus hoc dubium seculo nono in mentem venerat, dubitabant utrùm neophytus, sive à presbytero, sive à diacono baptizatus, vitam æternam absque manûs episcopalis impositione consequi posset. Forsitan quoque Walafridus utrique unctioni Confirmationis nomen attribuit, quia presbyteralem in subsidium episcopalis à Sylvestro institutam existimavit. Utut sit, certum est ex ejus mente unctionem presbyteralem ab episcopali omninò diversam esse. Cæterùm hìc non expendo utrùm episcopalis unctio juris sit divini, quod fortè Walafridus non concederet; mihi modò sufficit hanc unctionem ex Walafrido conjunctam esse cum manûs episcopalis unctione, quam ipse *Confirmationem* vocat, et eamdem asserit, ac illam quæ ab apostolis Petro et Joanne super Samaritanos à Philippo baptizatos facta est.

Objicit 2° : Walafridus, et Amalarius et Rabanus tradunt præceptam ideò esse à Sylvestro presbyteris chrismationem, ne quis sine Confirmatione moreretur; supponunt igitur unctionem presbyteralem esse veram Confirmationem. Imò Rabanus asserere videtur hanc unctionem presbyteralem neophytis necessariam esse necessitate medii. — Respondeo 1° hanc unctionem à Sylvestro institutam fuisse, ne quis moreretur sine Confirmatione in re vel in voto. 2° Auctores illi non aiunt hanc unctionem institutam esse, ne quis sine Confirmatione moreretur, sed eam aiunt institutam fuisse in subsidium unctionis episcopalis, sine quâ, ob episcoporum absentiam, aut negligentiam, neophyti plerùmque moriebantur. 3° Sylvestri decretum, quod ex ejus vitâ in libro pontificali pseudo Damasi excerptum est, supposititium esse probabimus infra. 4° Rabani opinio, quod ad unctionis presbyteralis necessitatem attinet, omninò singularis est : neque alius, quod sciam, scriptor præter ipsum ita sentit.

Objicit 3° : Utraque presbyteralis et episcopalis unctio fit ex eodem chrismate per episcopalem benedictionem consecrato. Utraque igitur eamdem habet materiam. Atqui si diversæ essent unctiones, diversam haberent materiam, diversâ saltem benedictione consecratam. Ergo. — Respondeo 1° nihil impedire quominùs diversæ unctiones eamdem habeant materiam, quia diversitas unctionum non solùm ex diversitate materiæ petitur, sed etiam ex diversitate formæ, ministri, loci, et effectûs. Atqui præfatæ unctiones diversas habent formas, à diversis ministris conferuntur, fiunt in diversis partibus, et diversos effectus producunt. 2° Dubium est utrùm proxima Confirmationis materia sit unctio sola, vel unctio cum impositione manuum conjunctim accepta, vel sola manuum impositio.

Objicit 4° : Unctiones illæ censentur ejusdem naturæ, quæ eumdem effectum habent. Atqui eumdem effectum per utramque unctionem conferri, fidem faciunt orationes quibus chrisma consecratur. Deus enim oratur, ut *quicumque exteriùs inde perunctus fuerit, interiùs liniatur; ut hæc* olei et balsami *commixtio fiat omnibus perunctis propitiatio; ut fiat custodia salutaris in secula seculorum; ut fiat omnibus qui ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum sanctum.* Videsis ordinem Romanum. — Respondeo 1° standum potiùs esse facto quàm argumento, quoties factum omninò certum est. Atqui Rabanus, Amalarius, aliique auctores seculi noni unctionem presbyteralem ab episcopali distinxerunt ratione formæ, ministri, institutionis, loci et effectûs. Frustra igitur Dallæus in contrarium argutatur. 2° Nego minorem : præfata siquidem verba generalia sunt, et diverso utriusque unctionis effectui accommodari possunt. 3° Hæc verba ex ordine Romano excerpta sunt. Atqui ordo Romanus utrique unctioni assignat diversam verborum formulam, diversum ministrum, diversam partem ungendam, et diversum effectum, nempè *septiformem Spiritum sanctum*, quem nec ille, nec alius auctor unctioni presbyterali unquàm tribuit. 4° Ut Sacramenta eumdem effectum habeant, non sufficit eadem materia, sed et eadem forma desideratur : materia enim ad speciem effectûs per formam determinatur. Atqui hæ duæ unctiones diversam formam habent.

CAPUT IX.

AUCTORES SECULI DECIMI.

Seculo X paucissimi fuêre scriptores ecclesiastici; ex iis qui hoc seculo scripserunt, paucissimi supersunt, quos inter nullus est, quod sciam, præter OEcumenium, qui de Confirmatione tractaverit. Laudant aliqui Stephanum, episcopum Eduensem, quem Joannes Garetius, in libro de Sacramento altaris, cen-

ten. 10, Bellarminus, in libro de Scriptoribus, et libro 2 de Eucharistiâ, c. 35, Possevinus, in apparatu sacro, Micæus et alii ad annum 950 revocant. Verùm ille ad seculum XII pertinet, creatus si quidem episcopus fuit anno 1113, ex Galliâ christianâ; interfuit coronationi Philippi, qui vivente patre Ludovico Crasso unctus est anno 1129, ex Historiâ Gallicanâ; et, abdicato episcopatu, monachus Cluniacensis factus, inter amplexus Petri Venerabilis obiit, ex eodem Petro Venerabili, lib. 5, epist. 6.

Œcumenius.

Œcumenius, scriptor Græcus, quem aliqui inter annum 800 et 900 non rectè collocant, cùm ille catenas in Acta et Epistolas Pauli composuerit ex Patribus, quos inter recenset Photium, qui anno 886 à Leone imperatore depositus est, cap. 10 Comment. in Acta Apost., sic habet : *Quid ergo? an à Philippo baptizati non acceperant Spiritum sanctum? Spiritum sanctum acceperant quidem, quoad peccatorum remissionem, sed non acceperant quantùm ad signorum editionem.* Et pluribus interjectis : *Philippus unus ex septem*, inquit, *cùm diaconus esset, potestatem non habebat ut ad manuum suarum impositionem daret Spiritum sanctum; hoc enim apostolis servatum erat.* En manûs impositionem, quæ à Baptismo diversa est ratione effectûs et ratione ministri.

Neque dicas effectum illum esse gratiam gratis datam. Œcumenius enim huic manuum impositioni gratiam sanctificantem alibi attribuit, videlicet capite 7 Comm. in Epist. ad Hebr., ad hæc verba : *Quapropter, omisso sermone initii ad Christum, ad perfectionem feramur; non rursùm jacientes fundamentum*, etc. « Meritò, inquit, ipsos primùm adhortantes ut à mortiferis operibus resipiscant, resipiscentes autem in Deum credant, credentes verò baptizentur, baptizati autem seipsos subjiciant impositioni manuum sacerdotum ad participationem Spiritûs; porrò hujus facti participes, de resurrectione ex mortuis deinceps non vacillent, etc. Per impositionem manuum Spiritum accepistis, etc. Vigilate : neque enim licitum est ut, si segniter vivas, rursùm baptizeris, et per manuum impositionem accipias Spiritûs sancti superventionem. » Deinde singula Pauli verba sic interpretatur. « *Impossibile enim est*, non dixit difficile, sed impossibile. *Gustaveruntque donum*, puta remissionis peccatorum, quæ fit in Baptismate : siquidem hoc donum cœleste est. *Et participes facti fuerunt Spiritûs sancti*, scilicet per manûs impositionem, sicut dixit superiùs. »

Manûs impositio duplicem effectum habebat apostolorum ætate, permanentem et transeuntem, primarium et secundarium. Permanentem et primarium ei tribuit Œcumenius, Comment. in Epist. ad Hebr.; transeuntem verò et secundarium, Comment. in Acta.

CAPUT X.

AUCTORES SECULI UNDECIMI.

§ 1. *Petrus Damiani.*

Petrus Damiani, qui, à Stephano papâ IX creatus anno 1057 cardinalis et episcopus Ostiensis, obiit anno 1072, sermone 1 de Dedicatione Ecclesiæ : « In Baptismate, inquit, Spiritus sanctus datur ad veniam; hìc (nimirùm in Confirmatione) ad pugnam : ibi mundamur ab iniquitatibus; hìc virtutibus præmunimur. Nonne in superliminari fronte domûs nostræ terrestris consecrata manus sacri chrismatis imprimit unctionem? Nec quilibet tanti mysterii legitur executor, sed solus episcopus. Baptismi gratiam omni homini vel omni sexui tradidit auctoritas antiquorum, Confirmationis autem insigne sola pontificalis persona suæ vindicat dignitati. Inde est, quòd decretales paginæ et sanctorum Patrum instituta decernunt non esse differendam post Baptismum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo unquàm nocendi inducias extorsit. » Huic textui Dallæus nihil habet quod opponat, nisi quod contra veterum disciplinam hodie decernimus, differendam esse infantibus Confirmationem in aliquot post Baptismum annos. Verùm si Calvinistis licet sacræ cœnæ participationem differre in plures ab infantium Baptismate suscepto annos, quidni orthodoxis licebit Confirmationem differre? Nonne utrumque veteri disciplinæ contrarium est? Cæterùm Calvinistas inter et nos illud interest, quòd nos Petri Damiani doctrinam de Confirmatione recipimus, illi è contrario rejiciunt.

§ 2. *Lanfrancus Cantuariensis.*

Lanfrancus, Benedictinus, primùm Beccensis, deinde Codomensis abbas, ac tandem archiepiscopus Cantuariensis anno 1069 electus, qui in synodo Romanâ, sedente Leone IX anno 1050, et in alterâ synodo Romanâ, sedente Nicolao II anno 1059, realitatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistiâ adversùs Berengarium propugnavit; ideòque floruit ab anno 1050 ad annum 1089, quo obiit, Comment. in cap. 6 Epist. ad Hebr., ad hæc Pauli verba : *Non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ*, etc., sic habet : « Quicumque doctor infideles ad fidem convertit, hic in primis fundamentum mentibus injicit, dicens oportere eos peccatorum suorum pœnitere, in Deum credere, in remissionem peccatorum baptizari, pro accipiendis sancti Spiritûs donis in impositione manuum episcopi consummari, resurrectionis et judicii diem præstolari. » En paucis terminis Confirmationem quæ Baptismum ejusque effectum præsupponit, quæ dicitur consummatio, cujus materia est manuum impositio, cujus minister est episcopus, et cujus effectus sunt dona Spiritûs sancti.

§ 3. *Concilium Rothomagense.*

Concilium Rothomagi, Willelmo Anglorum rege Normanniam gubernante, anno 1072 celebratum, canone 7, Confirmationem vocat donum Spiritûs sancti, eamque jejunis, à jejunis, et cum igne conferri præcipit « Donum sancti Spiritûs ut non detur nisi jejunis, et à jejunis, neque ipsa Confirmatio absque igne fiat, statutum est. »

§ 4. *Theophilactus.*

Theophilactus, Bulgarorum archiepiscopus, qui

floruit sedente Alexandro II et imperante Romano Diogene, circa annum 1071, ut Baronius ex ejus epistolis probat, Comment. in cap. 6 Epist. ad Hebræos, ait per *donum cœleste*, de quo Paulus, cùm ait, *Gustaverunt etiam donum cœleste*, intelligi *remissionem peccatorum*, quæ in Baptismo concessa fuit. Statimque verba quæ proximè sequuntur, *et participes facti sunt Spiritûs sancti*, interpretans, subjicit : « Post dimissionem pec- « catorum, sequitur participatio Spiritûs sancti ; non « enim habitat in corpore subdito peccatis ; per im- « positionem autem manuum dabatur, uti supra di- « ctum est. » Loquitur ergo de participatione Spiritûs sancti, quæ à remissione peccatorum distinguitur, quæque cum peccato simul stare non potest. Atqui participatio gratiarum gratis datarum esse potest in homine subdito peccatis. Quare cùm Theophilactus priùs dixit, *quòd primi per impositionem manuum Spiritum accipiebant, ut perpetrarent, et miracula ederent*, participationem ejusdem Spiritûs comparatè ad gratiam sanctificantem non exclusit

§ 5. *Yvo Carnutensis.*

Yvo, sancti Quintini Bellovacensis ecclesiæ prior, qui Carnutensis episcopus anno 1092 creatus, obiit anno 1115, sub finem sermonis de Sacramentis neophytorum, in synodo diœcesanâ habiti : « Hoc Sacra- « mento, inquit, post aquam perfectio fit, quando ad « invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infundi- « tur. » Non me latet nonnullos esse qui hæc postrema verba de unctione verticali, quam auctores noni et undecimi seculi, rituales, et canonistæ magni fecerunt, interpretentur, quòd Yvo ea protulerit, postquàm exposuit ritum unctionis verticalis, et antequàm ritum vestis candidæ et velaminis capitis explicet : Confirmatio enim post traditionem vestis candidæ et capitis velamen conferebatur. Accedit quòd Hugo Victorinus lib. 1, de Sacramentis, cap. 19, loquens de unctione verticali, verbis ferè similibus utatur : *Huic*, inquit, *Sacramento post aquam Baptismi Spiritus sanctus infunditur, ut sit renatus ex aquâ et Spiritu sancto, imò infusus ostenditur*, etc. Verùm nullus est, quod sciam, auctor, qui tanti fecerit unctionem verticalem, ut illam absolutè et simpliciter Baptismi perfectionem et Sacramentum, quo Baptismus perficitur, appellaverit. Yvo fortè de Confirmatione in antecessum locutus est, et unctionem frontalem verticali conjunxit. Utut sit, non desunt alii textus, quibus Yvonis mens aperiatur.

Primus refertur initio sermonis de Excellentiâ sacrorum ordinum, in synodo diœcesanâ habiti : « Quia « christianam militiam in Baptismate professi estis, « inquit, et arma spiritualia contra hostes invisibiles « per manûs impositionem accepistis, in castris Do- « mini tanquàm gregarii milites aliquamdiù militâ- « stis, » etc. Secundus refertur in sermone de Sacramentis dedicationis, ante medium, ubi portas ecclesiæ quæ in templi consecratione aperiuntur, ut pontifex introeat, ita mysticè interpretatur. « Sunt autem « portæ quæ elevantur in ecclesiâ, maximè tres, id est, « sacri verbi prædicatio, Baptismi gratia, chrismatis « unctio (alii legunt, chrismatis honor) ; per quas rex « gloriæ ad corda eorum qui ad fidem veniunt, intrat. » Tertius refertur in eodem sermone, sub finem, ubi ait altaria priùs lavari, deinde oleo ungi, quia fideles per aquam Baptismatis priùs sanctificari debent, quàm Spiritum sanctum per unctionem pontificalem accipiant. « Est quidem satis congruè ordo servatus, inquit, « ut post emundationem per aquam et reliqua quæ « dicta sunt, perfundatur oleo altare ; quia et sancta « ecclesia priùs aquâ mundatur in fronte Baptismatis, « et sic unctione insignitur per manus pontificis, ut « Spiritûs sancti in se mereatur adventum : nam oleum « gratiam significat Spiritûs sancti, » etc.

Quartus refertur in sermone seu opusculo de Convenientiâ novi et veteris Testamenti, post medium, ubi Mosaicum similaginis sacrificium christianis sic aptat : « Dùm catechizantur, inquit, quasi moluntur ; cùm « baptizantur, in unum corpus, ut unus panis fiant, « adunantur ; cùm ad agonem instruuntur, quasi cli- « bani decoctione roborantur. Tum verò iidem, quasi « panis oblationis oleo liniuntur, cùm per manûs im- « positionem sacro chrismate ad eumdem agonem « fortiter tolerandum contra spirituales nequitias con- « firmantur. » Citant aliqui Anselmum Cantuariensem archiepiscopum, qui undecimo et duodecimo seculo floruit, comment. in Pauli Epistolas. Verùm eorum auctor in dubium revocatur ; quâ de re infra, ubi de auctoribus dubiis.

§ 6. *Goffridus Vindocinensis.*

Goffridus, abbas Vindocinensis, quem Urbanus II cardinalem anno 1093 creavit, decem et octo scripsit opuscula, in quorum octavo exponit quid Baptismus, quid unctio in animâ christianâ operetur. « In Bapti- « smate, inquit, per Spiritum sanctum datur remissio « peccatorum ; in Confirmatione Spiritus sanctus in- « vitatur ut veniat, et domum ipsam quam sanctifica- « vit, inhabitet, muniat et defendat. Ipsi etiam apo- « stoli post Baptismum acceperunt Spiritum sanctum, « quem in ipso Baptismo jam acceperant in remissio- « nem peccatorum. Acceperunt iterùm Spiritum et in « die Pentecostes ad totius virtutis et scientiæ profes- « sionem. Hæc igitur ultima Confirmatio fieri jubetur « ab episcopis ad totius perfectionis similitudinem : « quæ idcircò jubetur fieri in fronte, quia perfecto- « rum est, non in occulto, sed in manifesto Christi « nomen semper habere. Apostoli utique antequàm « hâc unctione ungerentur, et sancto Spiritu confir- « marentur, nondùm perfecti erant, adhuc timebant, « et nondùm Christi nomen in fronte gerebant. » Opusculo verò nono explicat quid sit Sacramenti iteratio, et quomodò utrumque Baptismi et Confirmationis Sacramentum non iteretur, quamvis iteretur ablutio vel unctio. « Ibi reiteratur Sacramentum, ubi « idipsum iterùm datur ; quasi quod priùs datum est, « postea posse dari credatur ; verbi gratiâ, si aliquis « baptizatus, iterùm in aquis Baptismatis mergeretur « eâ intentione, ut ab originali et aliis peccatis solve- « retur : aliter enim non rebaptizatur, etiamsi multo- « ties aliquis aquis Baptismatis submergatur. Ubi verò « propter aliud et aliud datur, non iteratur Sacramen-

« tum, sed tribuitur ad virtutis augmentum. Quamvis « enim priùs in vertice, et postea in fronte homo « chrismate ungatur, non tamen iteratur chrismatis « Sacramentum, quia, ut superiùs diximus, propter « aliud et aliud fit : sicut et Baptismus minimè itera- « tur, etiamsi multoties post Baptismum aquis Bapti- « smatis aspergamur. »

Hos duos textus integros describi oportuit, ut Dallæi argutiis occurratur. Priori textui respondet, quòd in eo manûs impositio et chrismatis unctio appelletur *ultima Confirmatio*, quia ultima est Baptismi cæremonia.

Refellitur. Goffridus enim Confirmationem Baptismo, si non præfert, saltem æquiparat; utrumque vocat Sacramentum; utrumque distinguit iisdem notis quibus Sacramenta distinguuntur; utrique distinctos effectus attribuit; utrique distinctum ministrum assignat; utrumque negat iterari posse; utriusque exemplo probat, quo sensu dicatur Sacramentum iterari non posse; utrumque in ratione Sacramenti non posse iterari, eodem omninò sensu explicat; utrumque ait correspondere diversis Sacramentis, diversisque gratiis, quæ apostolis diverso tempore concessæ sunt. Confirmationem igitur existimavit esse verum ac legitimum Sacramentum, non autem Baptismi cæremoniam.

Quæres : Quid igitur sibi volunt hæc verba : *Hæc ultima Confirmatio fieri jubetur ab episcopis*, etc. — Respondeo 1° manûs impositionem chrismatisque unctionem fortè vocari *ultimam Confirmationem* comparatè ad Baptismum, quem nihil vetat Confirmationem appellari; in eo enim confertur Spiritus sanctus, quo catechumeni recens baptizati in proposito rectè vivendi confirmantur. Hinc Yvo Carnutensis, sub initium sermonis de Sacramentis dedicationis, loquens de Baptismo, ejusque cæremoniis : *His ergo Sacramentis initiati et confirmati facti estis templum Dei vivi*, etc. Respondeo 2° ultimam Confirmationem, de quâ Goffridus, ultimam esse descensionem Spiritûs sancti super apostolos, quæ contigit die Pentecostes, et cui respondet manuum impositio et chrismatis unctio, quæ à solis episcopis conferri potest.

Posteriori textui Dallæus respondet, hisce verbis, *quamvis priùs in vertice, et postea in fronte*, etc., clarissimè ostendi chrismationem episcopalem eamdem esse cum presbyterali. Verùm ludit, ni fallor, Dallæus. Eodem enim argumento probari posset aspersionem baptismalem eamdem esse cum quâcumque simplici aspersione. Frontalis enim unctio eodem modo cum verticali comparatur, quo aspersio baptismalis cum simplici aspersione; indeque Goffridus concludit multiplicatâ unctione, non ideò iterari et multiplicari chrismatis Sacramentum, sicut iteratâ aspersione, non idcircò Baptismus iteratur, quia sicut Baptismi Sacramentum non est constitutum in solâ aspersione, ita nec chrismatis Sacramentum in solâ unctione.

§ 7. *Simeon Thessalonicensis.*

Simeon, Thessalonicensis archiepiscopus, quem alii seculo undecimo, alii duodecimo collocant, in præfatione libri de divino Templo : « Christus, inquit, « baptismatis lavacro nos regenerat, suamque genera- « tionem ab omni affectatione segregatam nobis donat. « Per manuum verò impositionem et inspirationem « unguenti, gratiam impertitur.... Et nos ex suâ bo- « nitate ungens, suavè olentem et vivificam Spiritûs « gatiam elargitur. Quod autem tertium, et summum « est, nos sui participes efficit; accepit enim panem « et sacrificavit, etc.; nec sacrificavit modò, verùm « etiam ad ejus nos communionem vocavit, his verbis : « *Accipite et comedite*, et *bibite ex eo omnes.* » Christus igitur neophytis tria præstat : lavacro eos regenerat; per manuum impositionem et divinum unguentum vivificam Spiritûs gratiam eis impertitur; per Eucharistiam eos suî participes efficit.

Scripsit idem auctor librum integrum, eumque satis prolixum, de septem Ecclesiæ Sacramentis, in quo sic habet : « Septem sunt Ecclesiæ Sacramenta, « quæ à Spiritu sancto vim operandi habent, nimi- « rùm Baptisma, Chrisma, Communio, manûs Im- « positio, Matrimonium, Pœnitentia, et sanctum « Oleum. »

CAPUT XI.

AUCTORES SECULI DUODECIMI.

§ 1. *Malchus et Bernardus.*

Malchus, qui « senex plenus dierum et virtutum, » ex monacho in Angliâ Vintomiensi, episcopus Lesmoriensis ineunte seculo XII sacratus est, « pue- « rum mente captum ex his quos lunaticos vocant, « inter confirmandum sacrâ unctione sanavit, » ex Bernardo, in vitâ sancti Malachiæ, c. 4. En Confirmationis ritum à Malcho administratum, à Bernardo relatum, et miraculo divinitùs approbatum.

§ 2. *Rupertus*

Rupertus, abbas Tuitiensis, libros duodecim de divinis Officiis scripsit anno 1111; sicut ipsemet testatur lib. 8, cap. 4, quorum lib. 5, c. 16, quod totum est de Confirmatione, docet 1° quòd olim soli pontifices et reges ungerentur; nunc verò « omnis « Ecclesia unctione chrismatis per impositionem ma- « nuum consecratur; 2° quòd solis debeatur episco- « pis, ut consignent, et Spiritum paracletum tra- « dant; » quod ille probat exemplis apostolorum, Pauli, Act. 19, Petri et Joannis, Actor. 8, et consuetudine ecclesiasticâ. 3° « Quòd Sylvester papa consti- « tuit ut baptizatum liniat presbyter chrismate, pro- « pter occasionem transitûs mortis, ne propter ab- « sentiam episcopi, et difficultatem eum consequendi, « sine manûs impositione baptizati migrent. » Unde colligitur, Ruperti ætate unctioni verticali impositionem manuum in quibusdam saltem ecclesiis adjunctam fuisse. 4° Quòd « presbyteris ungere licet non « frontem (quod solis debetur episcopis), sed verticem. » 5° Quòd Confirmatio est Sacramentum et Sacramentum novi generis à Baptismo diversum. « Quid « mihi prodest, inquit, post baptismatis mysterium, « mysterium Confirmationis? Nam, si post fontem « adjectione novi generis indigemus, quantùm video,

« non totum de fonte suscepimus. » 6° Quòd Spiritus sanctus regeneratis per Confirmationem conferatur, ut eorum *custos*, *et consolator*, *et tutor*, ad æternam, quam in Baptismo consecuti sunt, hæreditatem eis conservandam. 7° Quòd « chrisma Spiritûs sancti « signum est, cujus et virtutem continet. » 8° Quòd « pulchrè Spiritui sancto per hanc speciem suam no- « bis complacuit dare gratiam; pinguedo enim oleæ « significat pinguedinem Spiritûs sancti, quâ impin- « guatur anima, juxta illud, *impinguâsti in oleo caput* « *meum;* olea, quæ pacis arbor est, significat fru- « ctum pacis; olea, quæ luminis ministra est, signi- « ficat donum intellectûs et sapientiæ; et balsami « odor in oleo suavitatem ejusdem Spiritus sancti « significat... Benè ergo Spiritus sanctus, qui propter « nos idcircò agit visibilia, quo per hæc faciliùs ca- « pere queamus invisibilia, per hoc simile suam no- « bis suavem et odoriferam infundit gratiam. »

Videsis eumdem auctorem, lib. 3 de Operibus Spiritûs sancti, c. 10: « Qui testis, inquit, in Ba- « ptismo, factus est Spiritus, idem fuit et tutor pupilli, « ubi per impositionem manuum, sacrique chrismatis « unctionem, secundam qui renatus est, gratiam acce- « pit. » Et postea. « Apostoli paracletum istum, id « est, datum hujus Spiritûs in remissionem peccato- « rum, ipsâ quidem dominicâ resurrectionis accepe- « runt, insufflante Domino ac dicente: *Accipite Spi-* « *ritum sanctum: quorum remiseritis*, etc. Sed secun- « dam gratiam ejusdem Spiritûs non ante diem quin- « quagesimum adepti sunt. Primo dato remissionem « peccatorum acceperunt; secundo, fortes et zelo « bono ferventes, scientes atque sapientes, eloquen- « tes et mirabilium potentes effecti sunt, » Et post hæc: « Primò dato Spiritu per Baptismum scribun- « tur in cœlo nomina electorum, et inde est gauden- « dum. Secundo dato, etc.

§ 3. *Stephanus Eduensis.*

Stephanus, qui anno 1113 creatus episcopus Eduensis, obiit post annum 1130 (videsis quæ supra dicta sunt, ubi de auctoribus seculi X) in prologo tractatûs de sacramento altaris, disserens de Sacramentis, quæ Christus ad salutem nostram instituit, affert in exempla, Baptismum, matrimonium et Confirmationem. « Dei Filius, inquit, expletâ dispensatione à Patre « sibi creditâ, volens nobis relinquere omnia saluti « necessaria, visibili materiâ ordinavit et fieri præ- « cepit invisibilia Sacramenta. Quomodò enim posset « homo intelligere dona spiritualia, nisi aliquo visibili « moveretur ad ea percipienda? Virtus enim Sacra- « mentorum invisibilem operatur effectum, quod « exemplorum documentis liquidò apparebit. Sacra- « mentum Baptismi ordinatur in aquis regenerativis; « quia sicut aquâ sordes exteriores abluuntur, ita spi- « ritali gratiâ in lavacro regenerationis datâ mun- « dantur interiora inquinamenta. Item in copulâ maris « et feminæ, quâ conjugium dicitur, unitas capitis et « membrorum, id est, Christi et Ecclesiæ, intelligitur. « Item olei unctione figuratur operatio divinæ mise- « ricordiæ. Oleum enim sanat, reficit, et supernatat, « etc. Hoc modo in ecclesiasticis Sacramentis Spi- « ritu sancto cooperante ordinatis, invisibiliter opera- « tur gratia septiformis. »

Et capite 9 ejusdem tractatûs: « Presbyteri, nostri « coadjutores, baptizando, rudes populos instruendo, « communicando, et cætera Sacramenta dispensando, « nostras vices supplere debent. Excipiuntur illa, qui- « bus quâdam prærogativâ fulget et præeminet episco- « palis dignitas; quæ sunt quinque, basilicarum dedi- « catio, chrismatis unctio, manuum impositio, clerico- « rum ordinatio, super populum benedictio. »

§ 4. *Algerus.*

Algerus, canonicus et scholasticus Leodicensis, postea monachus Cluniacensis, qui ad annum 1130 obiit, lib. 3 de Sacramento Corporis et Sanguinis Domini, c. 4, docet: 1° Quòd *omnia Sacramenta solius Dei credantur esse.* 2° Quòd Sacramenta in rebus *nullâ suâ venalitate pretiosis*, v. g. aquâ, oleo, pane, et vino *constituta sint.* 3° Quòd Baptismus in aquâ, Confirmatio in oleo chrismatis, et Eucharistia in pane et vino. 4° Quòd Baptismo *peccatorum tam originalium*, *quàm actualium labes abluatur*: Confirmatione *contra spirituales nequitias humana fragilitas fortiùs muniatur;* et Eucharistiâ *Christus nobis tanquàm caput membris incorporetur.* 5° Quòd *his tribus Sacramentis* (regeneratione scilicet spiritali, Eucharistiâ et Confirmatione) *Baptismus* (quo nomine universum initiationis ministerium, hoc est, non modò Baptismum, et ejus cæremonias, sed et cætera, quæ cum ipsis continenter peragebantur, intelligit) *ritè perficitur: ut quia in Trinitatis nomine celebratur, Trinitatis etiam fidem suo ministerio attestans, per aquam Deo Patri nos regeneret, per corporis et sanguinis Christi communionem Filio Dei ad vitam nos concorporet, per olei unctionem nos Spiritûs sancti virtute confirmet.* 6° Duplicem chrismatis unctionem distinguit, alteram in Baptismo, nempe verticalem, et alteram in Confirmatione, nempe frontalem. *Oleo chrismatis*, inquit, *et in Baptismo et in Confirmatione perungitur*, etc. Confirmationem igitur à Baptismo, ejusque cæremoniis distinguit: etenim si eam Baptismi cæremoniam credidisset, dicere debuisset: *Oleo chrismatis bis perungitur*: non autem, *oleo chrismatis et in Baptismate et in Confirmatione perungitur.*

En Confirmationem, quæ Sacramentum est, ex n. 5 et 6; quæ unum est ex Sacramentis, quæ solius Dei creduntur esse, ex n. 1; quæ à Baptismo ejusque cæremoniis distinguitur, ex n. 6; quæ tertium Sacramentum cum Baptismo et Eucharistiâ constituit, ex n. 5; quæ diversam materiam et diversum effectum habet, ex n. 3 et 4.

§ 5. *Honorius Augustodunensis.*

Honorius, Augustodunensis Ecclesiæ presbyter et scholasticus, qui ex Trithemio claruit sub Henrico quinto imperatore, anno Domini 1120, libros quatuor de divinis Officiis composuit, quibus *nomen*, gemma animæ, *indidit, quia videlicet velut aurum gemma ornatur: sic anima divino officio decoratur.*

Libro verò 3 de chrismate, unctione, et Confirmatione pluribus in locis disserit.

Capite 80 ait, quòd *per chrisma fideles à Christo christiani, id est, uncti denominantur, et cohæredes regni ejus assignantur.*

Capite 81 ait, quòd *oleo* ut *reges et sacerdotes ungimur : chrismate* verò tanquàm *templa Deo dedicamur, et hoc in frontibus regno ejus assignamur. Balsamum benè redolet, oleum verò lucet : his nos uncti debemus fide redolere, bonis actibus lucere.*

Capite 83 ritum solemnem describit, quo ampulla chrismatis ad altare deferebatur : eaque omnia mysticè interpretatur.

Descriptis capite 3 et 112 Baptismi cæremoniis, ipsâque Eucharistiæ participatione relatâ, quâ neophyti *ad ultimum corpore Christi confirmantur, ut sic Christo incorporantur*, pergit ad Confirmationem, quam c. 113 sic explicat. « In octavâ die (observa quâ die Confirmatio tunc conferretur) baptizati mitras deponunt, « (eorum enim capiti mitra imponebatur, quæ regiam « dignitatem, sicut et vestis alba sacerdotalem dignitatem significabat) et ab episcopo in fronte per chrisma signantur, et per hoc per septiformem Spiritum « ad regnum Dei confirmantur. Unctio Confirmationis « est nuptialis vestis : quam unctionem iterùm per octo « dies in albis servant, in octavâ die lavant, » etc. Ejusdem Confirmationis explicationem ita prosequitur, capite 114 : « Bis baptizati chrismate liniuntur ; semel « à presbytero in Baptismo et in capite, secundò ab « episcopo in Confirmatione et in fronte. Hoc ideò, quia « bis Spiritus sanctus datur Ecclesiæ, semel in terrâ, « secundò in cœlo. Per presbyteri unctionem animæ « Christo desponsantur, per episcopi Confirmationem « regno Christi dotantur. Ideò autem cum oleo christiani signantur, quia per oleum Spiritus sanctus designatur. Oleum namque ardens illuminat, medicans « sanat, aquis infusum eas perspicuas reddit, et superenatat. Ita Spiritus sanctus flammâ charitatis et « splendore sapientiæ animas illustrat, medicamine « clementiæ per veniam peccatorum vulnera sanat, etc. « Hanc Confirmationem fecerunt olim apostoli per manûs tantum impositionem ; illorum posteri, eis tamen « tradentibus, per chrismatis consecrationem. »

Capite 115, sicut in Baptismo, ita et in Confirmatione patrinum requirit, eâ tamen lege, *ut qui infantem de Baptismo suscepit, idem etiam ad Confirmatiotionem tenere possit.*

Capite 116, asserit, quòd parvulus imminente morte à laico baptizatus, *si supervixerit, à sacerdote catechizetur, oleo ungatur, chrismetur, non denuò baptizetur, sed ab episcopo confirmetur.*

§ 6. *Hugo Victorinus.*

Hugo à S. Victore, qui theologiam professus est ab anno 1130 ad annum 1140 ; quo annos 43 natus obiit, lib. 1 de Sacram., c. 22, quærit, « cùm in Baptismo « plena sit facta peccatorum remissio, quid confert « Confirmatio? Et respondet : In Baptismo datur Spiritus ad remissionem, hìc verò ad robur : per hanc « enim contra hostes invisibiles armamur. Sine hoc Sacramento potest homo salvari, si non ex contemptu « dimiserit. Est autem adeò necessarium, et efficax, ut « episcopali dignitati ministratio ejus reservata sit, « et ut ab alio traditum habeatur irritum. » Eumdem consules, c. 12, ubi Confirmationem inter *septem principalia Sacramenta, quæ in Ecclesiâ ministrantur*, recenset : sed præsertim, l. 2, de Sacra., parte 7, c. 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7, ubi docet : 1° quòd « chrisma ex oleo et balsamo « conficitur. 2° Quòd manûs impositio, quæ usitato « nomine Confirmatio vocatur, quâ christianus unctione chrismatis per impositionem manûs in fronte « signatur, solis episcopis apostolorum vicariis debetur, ut christianum consignent, et Spiritum paracletum tradant, sicut in primitivâ Ecclesiâ Spiritum « sanctum per impositionem manuum dandi soli apostoli potestatem habuisse leguntur. 3° Quòd Sylvester papa constituit, ut baptizatum presbyter in « vertice chrismate liniat propter occasionem quidem « transitûs mortis : ne fortè per absentiam episcopi, « sine manûs impositione baptizatum ab hâc vitâ migrare contingeret ; quod quidem omninò periculosum esset : quia sicut in Baptismo remissio peccatorum accipitur, ita per manûs impositionem Spiritus paracletus datur. Illic gratia tribuitur ad remissionem peccatorum : hìc gratia datur ad Confirmationem. Quid autem prodest, si à lapsu erigeris, « nisi etiam ad standum confirmeris? propterea timendum est iis, qui per negligentiam non suscipiunt « manûs impositionem, ne fortè propterea damnentur ; « quia festinare debuerunt, dùm potuerunt. Propter « eos enim, qui articulo temporis præveniuntur, instituta est illa, quâ sacerdos baptizatum statim in « vertice linit, sacri chrismatis unctio, ut in hoc ipso « ostendatur, quantùm sacramentum istud necessarium sit ad salutem, cùm tam sollicitè universis caveatur; ne fortè sine ipso ab hâc vitâ subtrahantur. « 4° Manifestum esse, quòd primis temporibus omnis « unctio chrismatis per solos pontifices fiebat. Sed et « posteaquàm institutum est, ut baptizatum sacerdos « in vertice liniat, consignatio tamen frontis solis « pontificibus reservatur. 5° Quòd Sacramentum Confirmationis, id est, impositionis manuum majus sit « Sacramentum, quàm Baptismus....., in eo quòd à « solis pontificibus celebratur. 6° Quòd hæc duo Sacramenta ita conjuncta sunt in operatione salutis, ut « nisi morte interveniente omninò separari non possint. 7° Utrumque Sacramentum iterari non posse. « 8° Statutum esse, ut impositionis manuum Sacramentum, nonnisi à jejunis detur, vel accipiatur..., « exceptis infirmis et morte periclitantibus. 9° Explicat, « quomodò septem diebus debeant esse sub disciplinâ « chrismatis, qui manûs impositionem acceperunt. »

§ 7. *Petrus Lombardus.*

Petrus Lombardus, cognomento Magister, qui floruit ab anno 1150 ad annum 1164, lib. 4 Sent., dist. 7, Confirmationem enumerat inter septem Ecclesiæ Sacramenta. Supervacaneum esset textum ejus describere, cùm Dallæus, lib. 3, c. 16, eum ita sensisse non inficietur : *Hanc*, inquit, *definitionem* (de septem novæ legis sacramentis, inter quæ Confirmatio secundum locum obtinet) *et qui Hugone haud multùm junior*

fuisse videtur, sententiarum magister Petrus Lombardus tradit, et omnis ex eo latinorum schola secuta est. Hic igitur supersedebo, cùm auctores magistro posteriores idem cum eo putâsse Dallæus ultrò concedat.

Hucusque proposuimus, et accuratè (quantùm nobis licuit) expendimus sincera scriptorum testimonia qui primis duodecim Ecclesiæ seculis floruerunt, quibus invictè probavimus Confirmationem esse verum novæ legis sacramentum; non pauca adhuc supersunt aliorum auctorum scripta quibus idem vulgò probatur; sed quoniam de illorum antiquitate et auctoritate apud eruditos disceptatur, ideò ad calcem operis amandanda ea esse judicavimus, ubi quid certi ex iis elici possit discutiemus.

Refutavimus quoque aut solvimus supra post unumquemque textum quæcumque in contrarium responderi vel objici poterant; reliquum est ut generales quasdam hæreticorum solutiones et objectiones referamus.

Expenduntur generales Calvini, etc., *responsiones.*

Ad Patrum et auctorum testimonia Calvinus tria generatim respondet.

Primum est, quòd apud veteres Confirmatio fuerit tantùm examen, quo pueri qui in infantiâ baptizati fuerant, *sub finem pueritiæ aut ineunte adolescentiâ ab episcopo examinabantur secundùm formulam catechismi, quam tunc habebant certam et communem.* Ita Calvinus, lib. 4 Instit., cap. 19, § 4, cujus mentem fusiùs aperuimus supra.

Refellitur 1°, quia dicuntur quidem apostoli, Actorum 8 et 19, orâsse et imposuisse manus, eoque modo contulisse Spiritum sanctum; sed Scriptura sacra nec eò loci, nec alibi meminit hujus examinis. 2° Quia nullus est veterum, qui ritum Confirmationis in hoc examine constituerit, et per illud dixerit conferri Spiritum sanctum. 3° Ne unus quidem veterum est, qui hujus examinis mentionem fecerit. Calvinus quidem citat Leonem Magnum in epistolâ 35 et 77, et Hieronymum in Dialogo advers. Lucifer. Quâ verò fronte, ipse viderit. Leo enim in his duabus epistolis loquitur de reconciliatione hæreticorum, non autem de quodam puerorum examine, quod universa antiquitas ignoravit. Nihil etiam, quod ad illud examen referatur, Hieronymus docet in Dialogo. 4° Hæc responsio usui et praxi veterum repugnat, qui Confirmationem per unctionem et manûs impositionem etiam infantibus conferebant, ex Innocentio I, in epist. 1 ad Decentium, cap. 3; ex Augustino, tractatu 6 in 1 Joannis Epistolam; ex Gennadio in libro de Eccles. Dogmat., cap. 52; ex Ordine Romano, cap. *Hic deponitur cereus*, et cap. *Oratio post Confirmationem;* ex Jesse Ambianensi in epistolâ de Baptismo, ex libro de divinis Officiis, qui Alcuino tribuitur, cap. *de Sabbato sancti paschæ;* ex Honorio Augustodunensi, lib. 3 de Gemmâ animæ, c. 115. Accedit quòd Eucharistia et Confirmatio neophytis simul conferrentur. Sed Eucharistia infantibus recens baptizatis administrabatur, ex Cypriano in tractatu de Lapsis, ex ordine Romano, cap. *oratio post Confirmationem*, et ex libro de divinis Officiis, loco citato. Igitur et Confirmatio. Atqui infantes non sunt capaces examinis et catechismi; neque illud examen Calvinus exigit ab infantibus, sed à pueris jam adultis. Ergo.

Ex his etiam apparet falsam esse Melancthonis responsionem asserentis quòd ritus Confirmationis apud veteres esset professio fidei et doctrinæ catholicæ.

1° Quia hæc professio Baptismum præcedebat; Confirmatio verò Baptismum semper secuta est. 2° Quia neque Actorum 8 vel 19, neque apud veteres ulla mentio fit professionis doctrinæ catholicæ, quæ Baptismum subsecuta fuerit, et manûs impositionem præcesserit. 3° Quia nullus veterum ritum Confirmationis in hâc professione constituit, aut asseruit per illam conferri Spiritum sanctum. 4° Ritus Confirmationis infantibus conferebatur, qui tamen nullam fidei professionem emittere poterant.

Chrysostomus quidem, homiliâ 9 in cap. 6 ad Hebr., ad hæc Pauli verba: *Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*, tria distinguit, Baptismum, doctrinam, et manuum impositionem. Verùm doctrina de quâ Chrysostomus, non ea erat quæ ad fidem catholicam, sed quæ ad mores pertineret. Doctrina enim erat, quâ neophyti, antequàm manuum impositionem acciperent, *docebantur, quid agere deberent, et quid non deberent.* Præterea Chrysostomus ritum Confirmationis ibi statuit, non in hâc morum doctrinâ, sed in manuum impositione, per quam ait conferri Spiritum sanctum. Eodem modo exponi debent Eulogius Alexandrinus, et Maximus Martyr, locis supra citatis.

Secundum Calvini responsum est, nullum esse veterum, qui ritum illum dixerit sacramentum esse. Quam solutionem ille nobis objicit, velut arcem inexpugnabilem. *Si ab hominibus*, inquit, ibid. § 12, *petendum esset fidei nostræ præsidium, habemus arcem inexpugnabilem, nunquàm veteribus agnita fuisse pro Sacramentis quæ isti Sacramenta ementiuntur. De manuum impositione loquuntur veteres. Sed an Sacramentum vocant? Augustinus apertè affirmat lib. 3 de Baptismo, cap. 16, nihil aliud esse quàm orationem.* Addit Kemnitius in 2 parte exam. concil. Trid. pag. 319, Gratiani auctoritatem, qui, causâ 1, quæst. 1, can. *Arianos*, seu cap. 75, ex hoc loco Augustini colligit, manûs impositionem non esse Sacramentum, quia iterari potest, cùm nihil aliud sit quàm oratio quædam.

De mente Augustini in hoc textu disseruimus supra, iterùmque disseremus, ubi de Confirmatione hæreticorum. Quæ à Calvino et Kemnitio asseruntur, expendamus modò.

Calvinus ait nullum esse veterum, qui ritum illum dixerit Sacramentum. Verùm inprimis contrarium omninò constat ex auctoribus citatis. Manuum enim impositionem et chrismatis unctionem vocant Sacramentum, aut eam in ratione Sacramenti cum Baptismo, vel cum Eucharistiâ vel cum utroque conferunt, Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, Optatus, Pacianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Augustinus, Primasius, Job monachus, concilium Toletanum IV, Isidorus Hispalensis, Maximus Martyr, Beda, Theodul-

phus Aurelianensis, Paschasius, Rabanus, Jonas Aurelianensis, concilium, Parisiense VI, Amalarius, Hinemarus, Petrus Damiani, Yvo Carnutensis, Goffridus Vindocinensis, Simeon Thessalonicensis, Rupertus, Stephanus Eduensis, Algerus, Robertus Pullus, Hugo Victorinus, Petrus Lombardus. Ex auctoribus verò dubiis, quorum tamen opera certa et antiqua sunt, Dionysius, auctor 50 Homiliarum, auctor Operum cardinalium, et auctor Epistolarum pontificibus ad Siricium usque suppositarum. Recole testimonia quæ supra descripsimus : ea præsertim quæ retulimus ex Augustino, ut vel inde appareat quàm inconsultò Calvinus in suæ hæreseos confirmationem adduxerit auctoritatem Augustini. 2° Esto, nullus veterum ritum hujusmodi appellaverit Sacramentum, quid inde, modò huic ritui ratio sacramenti et singulæ ejus proprietates ex antiquis auctoribus conveniant?

Quod ad Gratiani auctoritatem attinet, Kemnitius in eâ producendâ multùm errat. 1° Gratianus, cùm ait : *Ex eo autem, quòd manûs impositio iterari præcipitur, Sacramentum non esse ostenditur :* id non colligit ex Augustino, sed ex Innocentio I, in epist. 18 ad Alexandrum, cap. 3. 2° Gratianus loquitur tantùm de manûs impositione ab hæreticis administratâ et ab hæreticis susceptâ, quam Innocentius in Arianis ad fidem redeuntibus iterari jubet, et quam inde Gratianus meritò colligit non fuisse verum Sacramentum. 3° Gratianus, de Consecr., dist. 5, clarissimè docet Confirmationem esse Sacramentum, quod in manuum impositione consistit, nec tamen iterari potest ; cap. 1, probat auctoritate Urbani I, *post Baptisma Confirmationis sacramentum præstandum esse ;* capite 2 ostendit ex Melchiade, *quid conferat Spiritus sanctus in Baptismate, quid in Confirmatione ;* capite 3 ejusdem Melchiadis auctoritate probat, *manûs impositionis Sacramentum dignius esse Sacramento Baptismi;* capite 4 ostendit auctoritate Eusebii papæ, *non ab aliis quàm ab episcopis impositionis Sacramentum perfici posse ;* capite 5 rationem affert ex Rabano, *quare Confirmationis Sacramentum baptizato tradatur ;* capite 8 probat ex concilio Tarraconensi, *Confirmationem sicut nec Baptisma, iteterari minimè debere.* Idem astruit cap. 9.

Tertium Calvini responsum est : *Etiamsi verum esset, vetustissimam esse hanc observationem, et multorum seculorum consensu firmatam, nihil tamen effici : quia non è terrâ est Sacramentum, sed è cœlo; non ex hominibus, sed ab uno Deo.*

Quasi verò afferamus Patres, ut Sacramentum Confirmationis ab iis institutum doceamus. Fatemur quæcumque novæ legis Sacramenta è cœlo esse, non è terrâ ; ab uno Deo, non ex hominibus ; sed tamen ad id probandum testes Patres adhibemus. Non enim hoc testimonium ex capite suo ipsi confingunt, sed ex Scripturis sacris, ex Apostolorum doctrinâ et traditione deducunt. Atqui Patres supra laudati asserunt ritum Confirmationis è cœlo esse, non è terrâ. Ea enim à Theophilo Antiocheno vocatur *oleum divinum ;* à Tertulliano *oleum Creatoris, quo* Christus *suos ungit,* sicut et Baptismus dicitur *aqua Creatoris,* quâ Christus *suos abluit ;* à concilio Laodiceno *Chrisma supercæleste,* quo *regni Christi participes efficimur ;* ab Ambrosio, *Unctio per quam Christus dat Spiritum sanctum ;* ab Augustino, *Sacramentum Dei, Oleum Christi, Oleum Dei, Oleum salutaris,* non autem *Oleum hominis* seu *peccatoris :* à Primasio, Unctio *quâ ungit nos Deus Spiritu sancto,* et *per quam plenissimè creditur accipi donum Spiritûs sancti ;* à Bedâ *altissimum sancti Spiritûs chrisma ;* et à concilo Rothomagensi *donum sancti Spiritûs.* Basilius Magnus ait eam esse traditionis apostolicæ. Hieronymus, Augustinus, Eulogius Alexandrinus, Isidorus Hispalensis, Beda, Theodulphus Aurelianensis, Walafridus, concilium Parisiense VI, Amalarius, Bertramus, Goffridus Vindocinensis, et auctor 50 Homiliarum, eam asserunt ejusdem originis et sanctificationis esse, quàm descensus Spiritûs sancti die Pentecostes. Denique omnes citati auctores docent per eam conferri Spiritum sanctum et gratiam sanctificantem. Calvinus igitur temerè dixit eam *otiosam esse cæremoniam ;* et impiè asseruit *eam inter maximè exitiales Satanæ præstigias* à se *numerari.*

Expenduntur generales Kemnitii solutiones.

Kemnitius, in 2 parte Examinis, pag. 297, 298, etc., quinque solutiones affert.

Prima est, multos auctores, qui pro asserendâ Confirmationis doctrinâ citantur, apocryphos et suppositos esse.

Verùm, si qui sint auctores dubii, alii sunt benè multi, omninò certi, quorum auctoritas in dubium revocari non potest. 2° Dubios auctores, seorsim ad calcem operis proponimus et exponimus. 3° Aliud est, auctores esse dubios; aliud, opera quæ eorum nomine circumferuntur, esse dubia. Atqui opera quæ seorsim expendemus, certa et antiqua sunt, licèt non sit certum an sint illorum auctorum, quorum nomina præferunt.

Secunda solutio est, alios auctores, qui de chrismate agunt, certos quidem esse, sed ex scholâ Montani prodiisse, quia Tertullianus, qui fuit Montanista, unctionis, per quam Spiritus sanctus confertur, mentionem fecit; quem in hoc secuti sunt Cornelius, Cyprianus et alii, præter Hieronymum, qui hunc errorem refellit in Dialogo contra Lucifer.

Refellitur. 1° Quia ipse Kemnitius, in eodem Examine, parte 2, pag. 317, ait hunc errorem confictum fuisse à Tertulliano, Cornelio et Cypriano. Eum igitur ipsi à Montano non acceperunt. 2° Quæ, quæso, consequentia? Tertullianus, qui fuit Montanista, scripsit Spiritum sanctum baptizatis conferri per chrismatis unctionem. Hic igitur error fuit Montani. Quasi verò quæcumque scripsit Tertullianus, ad errores Montani pertineant. An Deum esse unum et trinum, Verbum fuisse incarnatum, Christum esse Filium Dei, Baptismo remitti peccata, et alia id genus, quæ Tertullianus asseruit, Montanistica sunt? 3° Tertullianus hæc scripsit, antequàm fieret Montanista ; hæc enim docuit etiam in libro de Baptismo, quem contra Montanistas edidit. 4° Ante Tertullianum Irenæus memi

nit impositionis manuum, per quam Spiritus sanctus confertur Neophytis, et ante Irenæum Theophylus Antiochenus meminit *Olei divini*, quo neophiti perfunduntur. 5° Quis auctor unquàm prodidit hanc fuisse Montani hæresim, quòd Spiritus sanctus neophytis per manûs impositionem vel per chrismatis unctionem conferretur? De Montani erroribus scripserunt Tertullianus in libro de Præscript.; Clemens Alexandrinus, lib. 4 Strom.; Eusebius, lib. 4 Hist., cap. 14, Epiphanius hæresi 48; Philastrius in libro de Hæresibus; Hieronymus in epist. 54 ad Marcellam, Augustinus hæresi 26; Theodoretus lib. 3 de Fabulis hæreticorum; Damascenus in libro de centum hæresibus. Atqui nullus est qui hanc doctrinam quasi erroneam Montano tribuat. 6° Quanta temeritas, Cornelium, Cyprianum, Optatum, Basilium, Cyrillum, etc., quasi Montanistas traducere! 7° Hieronymus Tertulliani quidem, Irenæi, et aliorum qui negaverunt Spiritum sanctum in Baptismo conferri, opinionem rejicit, prætermissis auctorum nominibus; sed nullibi contradicit sententiæ quæ Spiritum sanctum per manûs impositionem vel chrismatis unctionem specialiori modo conferri affirmat.

Tertia solutio est, ritum Confirmationis à Patribus vocari Sacramentum impropriè et lato modo. Sed ritum illum esse Sacramentum propriè dictum, ostendimus totâ quæstione 1.

Quarta est, etiamsi veteres variè loquantur de ritu Confirmationis, nullum tamen esse qui Baptismo detrahat suos effectus, ut eos chrismati tribuat, sicut modò faciunt Pontificii. Verùm nec orthodoxi Baptismo suos effectus detrahunt, ut eos Confirmationi tribuant, sed utrique Sacramento assignant effectus proprios. Quâ de re patet ex totâ quæst. 1, iterùmque patebit infra.

Quinta est, veterum doctrinam à Pontificiorum doctrinâ omninò diversam esse. Veteres enim 1° frequentem mentionem faciunt impositionis manuum, quæ tamen nunc exolevit. 2° Meminerunt olei, sed nullus addit mixtionem cum balsamo, sicut modò addunt omnes recentiores. 3° Veteres Baptismo tribuunt eos effectus quos recentiores Confirmationi adscribunt, ut dare gratiam, conferre Spiritum sanctum, perficere, armare ad pugnam, etc. 4° Veteres confirmationem Baptismo conjungunt, recentiores separant. Quibus respondetur:

Ad primum, respondeo: Manûs impositio non fuit abolita, sed adhuc observatur, quâ de re infra. Qui verò ex Catholicis eam desiisse concedunt, respondent ei, ex auctoritate Ecclesiæ à Christo traditâ, successisse chrismatis unctionem, per quam eadem gratia confertur, quæ primis seculis per manûs impositionem conferebatur.

Ad secundum, respondeo 1°: Dubitatur apud orthodoxos utrùm mixtio balsami sit materia necessaria Confirmationis. 2° Mixtionis balsami mentionem facit Gregorius Magnus. 3° Ante Gregorium meminerunt Irenæus et alii fortè, de quibus infra.

Ad tertium respondeo: Ex omnibus ferè auctoribus hucusque citatis apparet utrumque Sacramentum diversos habere effectus. Quo verò sensu, largiri gratiam, conferre Spiritum sanctum, perficere, munire ad pugnam, et alia id genus, utrique Sacramento diversimodè conveniant, explicabitur, ubi de Confirmationis effectu.

Ad quartum, respondeo 1°: Licèt veteres Eucharistiam Baptismo in parvulis conjungerent, eam tamen Calvinistæ separant. Quidni licebit orthodoxis separare Confirmationem? 2° Veteres Confirmationem à Baptismo plerùmque sejungebant in clinicis ex Cornelio papâ; in navigaturis, ex concilio Illiberitano; in iis qui absente episcopo baptizantur à presbyteris vel à diaconibus, ex Hieronymo et aliis. 3° Hæc conjunctio vel separatio ad disciplinam, nihil verò ad fidem attinet.

Solvuntur generales Dallæi objectiones.

Dallæus, lib. 1, cap. 2, objicit 1° Sacramentum nostrum Confirmationis planè abhorrere à cæteris Sacramentis novæ legis: 1° quidem quoad materiam, quæ non est quid simplex, sicut materia Baptismi et Eucharistiæ, sed quid mixtum ex oleo et balsamo, multiplici prece, signo crucis, et salutatione inauguratum: quæque non est quid ubique obvium, sicut aqua, panis, et vinum: sed quid rarum, quod difficile comparari potest. 2° Quoad ministrum, qui solus est episcopus: cùm è contra Baptismus et Eucharistia possint à quolibet presbytero administrari. 3° Quoad formam, cujus nullum extat in Scripturis sacris vestigium. — Respondeo 1°: argumentum nullum esse in eorum opinione, qui existimant materiam essentialem esse solam manûs impositionem, juxta illud Actorum 8, v. 17: *Tunc imponebant* Petrus et Joannes *manus super illos*, etc.; et formam esse orationem, juxta illud Actorum 8, v. 15: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*. Habes enim hìc materiam simplicem, nempe manûs impositionem: formam, nempe orationem: et ministrum, nempe apostolos, quibus episcopi successerunt. — Respondeo 2° objectionem constare tribus membris.

Respondeo 2° objectionem constare tribus membris.

Ad primum, respondeo 1° in rebus, quæ sunt ex instituto, totam rationem esse voluntatem instituentis. Christus autem quædam Sacramenta ex materiâ simplici, quædam verò ex materiâ mixtâ coalescere voluit. 2° Controvertitur apud orthodoxos, utrùm materia Confirmationis simplex, an mixta sit. Plures enim existimant eam esse solam manuum impositionem; alii oleum solum, alii manuum impositionem et oleum; alii balsamum addunt; alii aiunt mixtionem ejus esse de necessitate præcepti, non autem Sacramenti; alii de necessitate præcepti divini; alii de necessitate præcepti duntaxat ecclesiastici. 3° Dubitatur, utrùm benedictio seu consecratio chrismatis sit de necessitate Sacramenti, an de necessitate præcepti, seu divini, seu ecclesiastici. 4° Non magis repugnat chrisma benedici, quàm aquam Baptismatis, de cujus benedictione meminerunt Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 4; Cyprianus epist. 70 ad Januarium

rium; Ambrosius, lib. 1, de Sacramentis, cap. 5; Augustinus, lib. 3 de unico Baptismo, tract. 18, in Joannem, et serm. 181 de Tempore; Gregorius Magnus in Sacramentario; Gregorius Turonensis, lib. 1 de Miraculis, cap. 24; Carolus Magnus, lib. 6 Capitularium, titulo 77; ordo Romanus, et pontificalia quæque vetustissima.

Ad secundum respondeo 1° in Sacramentis totam eorum rationem esse voluntatem Christi, qui voluit Sacramenta quædam ab episcopis, alia à solis sacerdotibus, alia ab aliis posse confici. 2° Si Eucharistiæ consecratio reservatur presbyteris, quidni Confirmationis administratio reservari potuit episcopis? 3° Licèt episcopus sit minister Confirmationis ordinarius, presbyter tamen potestate extraordinariâ sibique commissâ ejus minister esse potest, ex plurium theologorum sententiâ.

Ad tertium respondeo 1° sufficere, si formæ Sacramentorum habeantur ex traditione, quâ solâ docemur Baptismum his aut similibus verbis administrari: *Ego te baptizo in nomine Patris*, etc.; et Eucharistiam his verbis confici: *Hoc est corpus meum*. Christus quidem Matth. 28, v. 19, præcepit apostolis, ut gentes baptizarent *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* sed nullibi præcepit, ut baptizando dicerent, *in nomine Patris*, etc. Christus etiam conficiendo Eucharistiam dixit: *Hoc est corpus meum;* sed nullibi jussit apostolis, ut Eucharistiam conficiendo dicerent: *Hoc est corpus meum*. Atqui traditio docet in confirmandis neophytis utendum esse quibusdam verbis, quibus Spiritus sanctus invocetur et attrahatur. 2° Formulæ seu orationis in confirmatione adhibendæ vestigium exstat Actorum 8, v. 15: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*. 3° In Scripturis sacris majus exstat fundamentum formulæ in confirmatione, quàm in Baptismo adhibendæ. Certum enim est ex Actis, apostolos, cùm manus neophytis imponerent, verba quædam adhibuisse, quibus invocarent et advocarent Spiritum sanctum. Sed nullum in iisdem Scripturis vestigium exstat, quòd apostoli, cùm baptizarent, verbis quibusdam uterentur.

Objicit 2°: Quos effectus Confirmationi tribuimus, eos antiqui Baptismo et Eucharistiæ adscribunt. Verùm hac de re infra, ubi de effectu Confirmationis.

Objicit 3°: Confirmationem non fuisse olim habitam pro Sacramento, docere videtur cæterorum christianorum à Latinis diversa prorsùs opinio. Constat enim illud ignotum esse apud Æthiopes, Armenos, Chaldæos, per Arabiam, Mesopotomiam, Chaldæam, Syriam, Persidem, ipsamque Ægyptum diffusos, atque apud Indos imò apud Græcos ritus Confirmationis alius est à ritu Latinorum. Atqui credibile non est tam multas gentes, tam inter se et locis et linguâ et moribus dissitas, Sacramentum illud ignorâsse, si id erat ab initio christianismi traditum. Sed quia Latinorum fuit inventum, quominùs id ipsis innotesceret, effecit terrarum, in quibus illi populi degunt, à nostris valdè remotarum situs: maximè verò eorum ab Ecclesiâ Romanâ dissidium, quod à multis seculis cœptum ad nostra tempora perseverat. — Respondeo in hâc objectione plura supponi, quæ vel falsa, vel incerta sunt. Supponitur enim 1° à Græcis non admitti Sacramentum Confirmationis. Verùm id omninò falsum esse apparet, tum ex Græcorum unione cum Latinis in concilio Florentino, in quo nihil prorsùs de Sacramento Confirmationis cum Græcis actum est, licèt in eo doctrinæ capita, quibus utraque occidentalis et orientalis ecclesia dissidet, agitata fuerint. Tum ex ipsis auctoribus Græcis, qui confirmationem inter septem Ecclesiæ Sacramenta enumerant: Simeone archiepiscopo Thessalonicensi, qui librum integrum, eumque satis prolixum de septem Ecclesiæ Sacramentis edidit. *Septem sunt Ecclesiæ Sacramenta, quæ à Spiritu sancto vim operandi habent, nimirùm, Baptisma, Chrisma, Communio*, etc. Gregorio Protosyncello, qui fuit à confessionibus imperatori Joanni Paleologo, interfuit synodo Florentinæ, et Constantinopolitanus patriarcha deinde creatus est, in Apologiâ adversùs Marcum Ephesinum. *Latini*, inquit, *etiam baptizatos ungunt unguento; et æquè ac nos credunt unctionem unguenti esse unum ex septem Sacramentis Ecclesiæ*. Hieremiâ patriarchâ Constantinopolitano, in suâ censurâ adversùs Augustanam confessionem, lib. 1, cap. 7: *Quæ in eâ ipsâ catholicâ rectè sentientium christianorum Ecclesiâ tradita sunt nobis mysteria, septem sunt, videlicet, Baptisma, chrisma divini unguenti, sacrosancta Communio*, etc. Idem legere est apud Job, antiquum monachum, cognomento *peccatorem*, in Explanatoriâ contemplatione septem Ecclesiæ mysteriorum; apud Germanum Amathus episcopum in actis suis synodalibus in euchologio manuscripto Allatiano repertis; apud Nicolaum Cabasilam in libro de tribus Sacramentis, Baptismo, Unctione et Eucharistiâ; et in 3 et 4 oratione de Vita in Christo; apud Gabrielem Philadelphiensem in tractatu de Sacramentis; Marcum Ephesinum; Matthæum Blastarem in nomocanone; Catum Syritum in Elenchis adversùs Arcudium; Neophytum Rhodinum in Synopsi doctrinæ christianæ; Cartophyllum, et alios licèt schismaticos, quorum testimonia legi multa possunt à clarissimo viro Eusebio Renaudotio nuper edita tomis 4 et 5 egregii operis de fidei Perpetuitate. Denique vel ipsi theologi seu Lutherani Wittembergenses in primo responso ad responsum ejusdem Hieremiæ, hoc ipsum testantur his verbis: *Sacramenta septem numerant Græcorum ecclesiæ*. Quid igitur sibi vult Kemnitius, cùm ait in 2 parte examinis, *Septenarium numerum Sacramentorum apud Græcos à Latinis in synodo Florentinâ tentatum fuisse?*

Supponitur 2°, quòd neque Armeni illud Sacramentum agnoscant. Verùm id falsum esse constat 1° ex epist. Gregorii VII ad Synnadensem archiepiscopum, anno 1080, ubi errores referens, quos ab Armenis rejici cupit, non meminit omissæ ab ipsis Confirmationis, sed in iis quæ ad Confirmationem attinent, id unum in Armenis reprehendit, quòd *contra morem* (antiquum scilicet) *sanctæ ecclesiæ Armenorum, non ex*

balsamo sanctum chrisma, sed ex butyro conficiant. 2° Ex Jacobo cardinale à Vitriaco, qui in catalogo errorum, pravarumque consuetudinum Armenorum, quas in historiâ suâ describit, eis minimè impingit, quòd nullum Confirmationis Sacramentum agnoscant. 3° Ex unione Armenorum cum romanis pontificibus, quæ subinde renovata et confirmata est, sub Eugenio III anno 1145, sub Innocentio III anno 1199, sub Joanne XXII anno 1318. 4° Ex epistolâ Joannis XXII ad Offinium regem Armenorum, etc. Videsis Reynaldum ad annum 1318, n. 8, 9, etc. 5° Ex epistolâ Benedicti XII ad regem et patriarcham Armenorum, etc. Videsis Reynaldum ad annum 1341, n. 118. 6° Ex responsione Uscani, natione Armeni, et episcopi sancti Sergii in majori Armeniâ, qui cùm Amstelodami versaretur anno 1667, inter alia interrogatus, *An non Armeni christiani damnent eorum sententiam, qui negant per chrismatis unctionem et manùs impositionem conferri baptizatis Spiritum sanctum, tanquàm per propriè dictum Sacramentum:* Respondit die 21 Februarii ejusdem anni: *Damnant quamvis apud ipsos administratio istius Sacramenti sit infrequens; quod factum per varios motus et tempestates, quibus Ecclesia fuit jactata.* Extat integra hujus episcopi responsio ad finem tomi 1 perpetuitatis fidei circa mysterium Eucharistiæ. 7° Ex responso Jacobi, omnium Armenorum patriarchæ, qui à nobilissimo viro Carolo Olier, Marchione de Nointel, tunc legatione pro christianissimo rege Constantinopoli fungente, consultus, quid ipse, cæterique Armeni sentirent de decem et novem propositionibus Calvinisticis, quarùm ista est quarta et decima: *In Ecclesiâ non sunt septem, sed duo tantùm Sacramenta:* respondit anno 1669, *hanc esse doctrinam, à Domino nostro Jesu Christo receptam, à sanctis apostolis traditam, à sacris conciliis confirmatam, et à seipso, suâque universali Ecclesiâ semper creditam, non modò septem esse sacramenta, sed etiam*, etc. Cui responso subscripserunt Onufrius, archiepiscopus Hametensis (*de Hamet*), Simon episcopus, et alii tres ecclesiastici, qui diœceses sibi commissas regebant. 8° Ex responso archiepiscopi Armenorum Constantinopolitanorum, qui ab eodem Marchione interrogatus, idem omninò, eodem anno, iisdemque verbis respondit, suumque responsum subscribendum curavit à Joanne archiepiscopo Amaseæ, et à Joanne archiepiscopo Andrinopolitano. Extat utraque responsio in bibliothecâ Sangermanâ Parisiensi.

Inde apparet, quàm temerè Kemnitius loco supra citato dixerit, Armenis in synodo Florentinâ obtrusum fuisse septenarium numerum sacramentorum, cùm eum ignorâssent per annos mille et ampliùs. Innocentius enim III, Gregorius VII, cardinalis à Vitriaco, Joannes XXII et Benedictus XII, pluribus annis præcesserunt synodum Florentinam. Uscanus verò, Jacobus patriarcha, cæterique archiepiscopi et episcopi citati, Armenorum schismaticorum partibus adhærent.

Supponitur 3° ab Arabibus, Syris, et Ægyptiis illud Sacramentum non agnosci. Quod falsum esse probatur 1° Ex enchiridio Nicolai Spadarii Moldavi, Baronis, ac olim generalis præpositi Wallachiæ, conscripto Holmiæ anno 1667, mense Februario. « Quò verò « pleniùs cognoscas ecclesiæ orientalis (quo nomine « Russos, Moscovitas, Moldavos, Wallachos, Georgia- « nos, Mingrelos, Circassas, Arabes, et sexcentos « alios comprehendit, licèt Russi, aliæque gentes « græco non utantur idiomate) septem Sacramenta, « ecce et ista tibi exhibeo. Sunt autem ista, Baptismus, « Eucharistia, Sacordotium sive Ordo, Pœnitentia, « Matrimonium, Extrema-Unctio, Confirmatio. Quæ « omnia, præter Ordinem et Confirmationem, à sa- « cerdote conferuntur. Hinc omnes, qui hæc septem « Sacramenta non agnoscunt, ecclesia orientalis tan- « quàm hæreticos censet et anathematizat. » Exstat ad calcem Perpetuitatis fidei. 2° Ex concilio in Cypri insulæ metropoli coacto, sexto idus Aprilis, anno 1668, capite 5 de sacro Chrismate: « Si quis sacratissi- « mum chrisma non unum propriè fateatur ex septem « Sacramentis per traditionem apostolorum ab ipso- « met omnium rege Christo institutis, novamque gra- « tiam ac sanctificationem propriam ex hoc iis, qui « inunguntur, præstari per Spiritum sanctum, veluti « characterem regalis spiritualis dignitatis consignan- « tem in hæreditatem regni cœlestis, itemque robur « ac fortitudinem adversùs visibiles, invisibilesque « hostes, et odorem suavitatis ad Deum in bonis ope- « ribus, is integritatem ecclesiasticæ tollit pulchritu- « dinis, quam ædificans suam domum sapientia per « septem columnas prænotavit. » Et post alia: « Hæc « est orthodoxa ecclesiæ orientalis fides. Hanc tuen- « tur quatuor sanctissimorum patriarcharum oriental- « lium, venerabilium fratrum nostrorum et comminis- « strorum sedes, Constantinopolitana videlicet, Ale- « xandrina, Antiochena et Hierosolymitana. Hanc « cæteræ quæque nationes nobis ritu et communione « conjunctæ profitentur, inprimis amplissimum Mo- « schorum imperium, Russorum longè latèque sparsi « populi, itemque Bulgariæ, Serviæ, superioris et in- « ferioris Mysiæ, tum Epirotæ, Arabes, Ægyptii, et « ne cæteras Asiæ et Europæ gentes enumeremus, « quicumque septimam œcumenicam synodum acce- « ptant et venerantur. » Extat ad calcem *Perpetuitatis fidei*, et in bibliothecâ Sangermanâ Parisiensi asservatur.

Supponitur 4°, quòd Latini post utriusque occidentalis et orientalis ecclesiæ discessionem, quæ contigit ad annum 860, huic Confirmationis ritui, sacramenti nomen indiderint.

Quasi verò ante illud tempus, hunc ritum non vocaverint Sacramentum, aut eum in ratione Sacramenti cum Baptismo, vel cum Eucharistiâ, vel cum utroque non contulerint, Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Augustinus, concilium Toletanum IV, Isidorus Hispalensis, Beda, Theodulphus Aurelianensis, Rabanus, Jonas Aurelianensis, concilium Parisiense VI et Amalarius.

Supponitur 5° schisma, quod inter Latinos et Græcos seculo IX contigit, impedivisse, ne Latinorum

doctrina, quæ Confirmationem asserit esse Sacramentum, ad Græcos transierit. Verùm Simeon Thessalonicensis, Job peccator, Nicolaus Cabasilas, Gregorius protosyncellus, Marcus Ephesinus, Gabriel Philadelphiensis, et Hieremias Constantinopolitanus, qui pluribus seculis post schisma exortum scripserunt, Confirmationem enumeraverunt inter septem sacramenta.

Supponitur 6° regionum, in quibus Æthiopes, Chaldæi, et Armeni degunt, à nostris distantiam impedivisse, ne illi doctrinam à Latinis inventam receperint. Populi quidem hujusmodi à nobis dissiti sunt, verùm à Græcis non adeò distant, qui tamen Græci septenarium Sacramentorum numerum agnoscunt.

Supponitur 7°, quòd Æthiopes, et Chaldæi christiani, longè latèque per Arabiam, Mesopotamiam, Chaldæam, Assyriam, Persidem, ipsamque etiam Ægyptum, diffusi, quorum patriarcha in urbe Mesopotamiæ Mousoul sedet, non agnoscunt Sacramentum Confirmationis. De Æthiopibus testatur Alvarez, Hispanus monachus in suo Æthiopiæ itinerario : de Chaldæis Antonius de Gouvea, monachus Lusitanus Augustinianus, lib. 3 de Rebus Persic. De utrisque historici quidam Calvinistæ. Verùm illis auctoribus opponimus Enchiridion Nicolai Spadarii, anno 1667, et synodum Cypriam, anno 1668, de quibus supra. Calvinistæ verò, qui hæc referunt, nobis meritò suspecti sunt. Quâ enim fronte hactenùs affirmârunt et realitatem carnis et sanguinis Christi in Eucharistiâ, et panis, vinique transsubstantiationem ab omnibus christianis societatibus Orientis negari? quas tamen utramque doctrinam confiteri certissimum est.

Denique si Æthiopes et Chaldæi, aliique schismatici, non idem sentiunt de Sacramento Confirmationis, quod Latini, in errore versantur. Nec mirum; schismata enim in hæreses non rarò desinunt.

Objicit 4° : Latinorum inter se multa et antiqua de Confirmatione certamina docere videntur, illam non esse Sacramentum novæ legis. Et quidem de materiâ est multiplex controversia. Canonistæ quippe nolunt sitam esse in unctione, quibus subscribit Aureolus, asserens unctionem non aliter esse de substantiâ Sacramenti, quàm manus est de substantiâ hominis. Scholastici contra communiter in unctione reponunt vel olei solius, vel solius balsami, vel utriusque permixti. Mixtionem hanc de necessitate Sacramenti quidam existimant, alii de præcepto tantùm Christi, alii de ordinatione solius Ecclesiæ. De benedictione materiæ similiter controvertitur : Paludano negante, esse de necessitate Sacramenti, vel præcepti divini, ut aliqua determinata benedictio adhibeatur per episcopum : Cajetano opinante, sufficere simplicis presbyteri benedictionem : Conincho defendente, benedictionem chrismatis factam ab episcopo esse de essentiâ hujus Sacramenti : Estio de necessitate præcepti. Similiter disputant, utrùm unctio in formâ crucis adhibenda, de necessitate sit Sacramenti, quod asserit Soto, negat Aureolus. Pari modo chrisma in fronte applicandum, de necessitate Sacramenti esse contendit Gregorius de Valentiâ : negat Franciscus Victoria. De ipsâ quoque formâ litigant; ut enim missa fiat jam antiquata opinio Armachani, dubitatur, utrùm includat invocationem sanctissimæ Trinitatis, ut vult Aureolus, repugnante Petro de Alliaco; et utrùm hanc includat explicitè, quod vult Soto, contradicente Estio. Circa ministrum quoque rixantur. Armachanus olim asseruit presbyteros et diaconos jure divino ordinario hujus Sacramenti ministros esse, adversùs quem Soto exardescit. Alii censent ex commissione Papæ id juris concedi posse simplici sacerdoti, sine quâ careret ad illud potestate. Negant id muneris posse committi simplici presbytero per summum Pontificem, Albertus, Bonaventura, et maximè Durandus, qui clamat opinionem adversariorum videri non falsam solùm, sed etiam fidei et Ecclesiæ valdè periculosam. His accedunt Major et Hadrianus, qui post Eugenium IV scripsêre. Circa suscipientes, in Latinorum quoque scholis litigatum. Petrus de Alliaco sustinet fluminis Baptismum non necessariò debere præsupponi : sed æquivalens aliquid sufficere. Soto amentes ab hujus Sacramenti participatione excludit : eos Conink admittit. De ætate dissidium est. Glossa super canonem, Ut jejuni, de Consecr., dist. 5, præscribebat, ne pueri ante annum 12 confirmarentur; alii septimum definiunt; quidam post septem dies à Baptismate susceptò; alii statim ab ejus susceptione, etiam ante usum rationis. Circa necessitatem sua quoque est diversitas. Hugo videtur existimâsse hoc Sacramentum ad salutem quadamtenùs necessarium esse, cui concinunt de Alliaco, Major, Estius, et Aurelius. Alii contra sufficere, si non contemnatur. Denique Gabriel putat ejus effectum esse remissionem peccatorum, quod negant cæteri.

Respondeo 1°, hanc variarum opinionum enarrationem, quæ à Dallæo describitur, nihil ad præsentem quæstionem attinere. Non enim hic quærimus, quæ sit materia, quæ forma, quis minister, quæ necessitas, et quis effectus hujus Sacramenti. Expendimus utrùm ritus Confirmationis verum sit novæ legis Sacramentum, et veram Sacramenti rationem habeat. Negant hæretici, affirmant catholici omnes, neque ullus auctorum, quos Dallæus laudavit, contrarium asserit.

2° Dissidia quæ Dallæus refert, nihil spectant ad fidem, sed ex illis sunt, quæ salvâ fide et pace, in scholis agitantur; et de quibus dici potest, quod olim Augustinus de origine animæ et peccato originali, in epistolâ 157 : *Si origo animæ lateat, dùm tamen redemptio clareat, periculum non est.* Pari jure dico, si determinatio materiæ Sacramenti Confirmationis lateat (idem dicendum de formâ, ministro, necessitate, et effectu) dùm tamen clareat, quòd Sacramenti ratio ei conveniat, periculum non est.

3° Controversiæ istæ à temporibus scholasticorum exortæ sunt : ante quas veteres, non ita, ut illi, minutias sectantes, ea tantùm docebant quæ satis erant ad fidem Sacramenti.

4° Similes, imò et graviores sunt apud Græcos controversiæ de materiâ, formâ, ministro, et iteratione hujus Sacramenti. Chrysostomus, aliique veteres pro

materiâ vel impositionem solam, vel impositionem et unctionem assignant: recentiores Græci solam chrismatis unctionem referunt: et Rutheni, antequàm ad Romanam Ecclesiam, sedente Clemente VIII redirent, oleo tantùm utebantur. Neogræci præter oleum et balsamum, triginta quinque genera aromatum permiscent: quæ mixtio antiquis incognita fuit. Arcudius, aliique consecrationem affirmant esse de essentiâ materiæ, alii negant. Gabriel Philadelphiensis formam in verbis quæ à pontifice dicuntur super unguentum, statuit: alii in verbis, quæ super unctum proferuntur. Alii simplicem sacerdotem aiunt esse ministrum ordinarium, quam opinionem Arcudius, Photio et Joanni Nathanaeli tribuit: alii, ut Gabriel Philadelphiensis, volunt esse ministrum duntaxat extraordinarium. Cabasilas illud discrimen inter Baptismum et Confirmationem statuit, quòd ista, non ille, iterari possit. Photius contra absolutè negat Confirmationem iterari posse. Cabasilam omnes ferè Græci, Photium pauci sequuntur. Atqui Græci Confirmationem habent pro vero Sacramento.

5° Eâdem argumentandi ratione conclúdi posset, nullum esse apud Latinos Baptismi Sacramentum. De eo enim non minores sunt controversiæ, quàm de Confirmatione. Disputatur de tempore institutionis: quibusdam placet institutum esse, quando Christus à Joanne baptizatus est: aliis, quando Christus Nicodemum allocutus est: aliis, quando elegit apostolos: aliis post resurrectionem, quando Christus dixit apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Disputatum etiam est de materiâ, utrùm Baptismus per aspersionem valeret, asserente Cypriano, negante Magno: item utrùm adhiberi deberet trina immersio, an una sufficeret, ex Gregorio Magno lib. 1, epist. 41. De formâ quoque multiplex est disputatio. Disputatum est seculo XII utrùm legitima esset sub his verbis, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* an verò necesse esset uti verbo *baptizo*, vel æquivalenti. Disputatur modò, utrùm distincta nominatio trium personarum Trinitatis sub distinctis nominibus sit de essentiâ formæ. Volunt enim non pauci sufficere, si una explicitè, et aliæ duæ exprimantur implicitè. Disputatur etiam de Baptismo collato his verbis: *Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti et ab utroque procedentis, seu in nomine ingeniti, et verbi, et doni.* Disputatur de intentione ministri, utrùm interior requiratur, an exterior sufficiat. De effectu verò, disputatum est olim, utrùm pueri in ipso Baptismo non solùm characterem, sed et gratiam, et virtutes infusas consequantur; an characterem solùm in ipso Baptismo; et cùm ad ætatem adultam pervenerint, gratiam sanctificantem, et virtutes infusas obtineant. Videsis D. Thomam, 3 parte, quæst. 69. De suscipientibus olim disputatum est, utrùm vivi pro mortuis baptizari possint. Hodiè verò disputatur, utrùm pueri infidelium baptizandi sint invitis parentibus: utrùm in adulto, ut validè baptizetur, requiratur voluntas suscipiendi Sacramentum, aliis affirmantibus, contendentibus aliis posse Baptismum valide suscipi cum actu opposito; aliis opinantibus requiri saltem quòd non habeat dissensum, et sufficere si habeat se negativè. Disputatur denique, an susceptio Baptismi tantæ sit necessitatis, ut infantes in utero materno morientes salutem æternam consequi non possint fide et voto parentum, adhibito quodam signo exteriori, quo votum istud et fides illis applicetur.

6° Eodem argumentandi genere ostendi posset, Baptismum apud hæreticos postremi seculi nullum esse sacramentum. Irrident enim ritum benedictionis et consecrationis aquæ, quem tamen ab Ecclesiâ veteri usurpatum fuisse non inficiantur. Inter se verò non conveniunt, 1° circa materiam, quam Lutherus per vinum et lac, Beza verò per quemvis alium liquorem ait suppleri posse. Baptismum enim, aquâ deficiente, per vinum et lac administrari posse docuit Lutherus in Symposiacis colloquiis, cap. 17, et per quemvis alium liquorem, Beza in epistolâ 2 ad Thomam Tilium. 2° Circa formam: Calvinus enim, lib. 4 Instit., cap. 15, § 16, requirit, ut quis baptizetur *In nomen Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Lutherus ait sufficere, si quis Baptismum recipiat in nomine Domini. Brentius ait satis esse, si minister auditâ catechumeni professione, quâ Trinitatem professus est, dicat: *In hanc confessionem intingo te in aquam, ut hoc signaculo certus sis te esse insertum Christo: vade in pace.* Zuinglius nullam certam formam requirit ad Baptismi substantiam. 3° Circa ministrum Baptismi, quem Calvinus, imminente licèt mortis periculo, negat à laicis, mulieribus, et obstetricibus sine professione conferri posse; putat enim neminem privatum habere jus baptizandi, etiam in necessitate, sed solum ministrum publicum et ab Ecclesiâ institutum ad Sacramentorum dispensationem et verbi prædicationem, Calvino adhæret Beza; sed adversùs utrumque non pauci reclamant, qui parvulo in necessitate domi baptizant. 4° Circa operationem ministri, quam, licèt exteriùs ludicram et mimicam, satis esse docet Lutherus; Calvinus contra et Kemnitius actionem exteriùs seriam requirunt. 5° Circa necessitatem Baptismi, quem ad salutem assequendam necessarium esse negant Calvinus, Zuinglius, et alii; affirmant contra quicumque religionem Anglicanam sequuntur: imò Philippus Melanchton, Petrus Martyr, et Martinus Bucerus necessitatem Baptismi tantam esse volunt, ut ab hæreticis peti possit, si aliter haberi non valeat. 6° Circa Baptismi susceptionem, à quâ removent Anabaptistæ, ad quem verò admittunt Calvinistæ parvulos. 7° Circa effectum Baptismi, quo Lutherus et Calvinus aiunt peccata remitti, non deleri; Kemnitius è contrario fatetur non solùm remitti, sed et tolli ac deleri peccata, et solùm restare reliquias quasdam peccati originalis.

7° Eodem modo posset quis alius argumentari, probaturus pariter Eucharistiam non esse Sacramentum, sive respiciat ad controversias, quæ in scholis hæreticorum agitantur; sive ad eas, quæ nostras occupant.

Multiplex enim est controversia inter novatores

istos, ac primum quidem de materiâ. Beza enim, epist. 1 ad Tilem, et alii putant, deficiente pane et vino, licere in cœnæ administratione iis uti, quibus pro cibo et potu communiter utimur : cæteri adversantur. 2° De formâ : Kemnitius enim in examine, cap. 1, et can. 1, de Eucharistiâ, statuit non prece hominis, sed verbo institutionis sanctificari et consecrari Eucharistiam : Scarpius in contrarium reclamat de sacrâ Cœnâ, controv. 2, quæst. 4 : *Nos ergo*, inquit, *preces et totam institutionem cum precibus ad consecrationem pertinere probamus*. 3° De sensu horum verborum, *hoc est corpus meum*, quæ Lutherani de reali præsentiâ, Calvinistæ verò de figurâ interpretantur. 4° De ipso sensu figurativo. Lutherus enim in libro, Quòd verba cœnæ adhuc firmiter stent, scribit decem fermè suo tempore fuisse Sacramentariorum opiniones. Prodiit etiam libellus anno 1577, in quo ducentæ numerantur hæreticorum vel expositiones, vel depravationes horum pancorum verborum. 5° De reali præsentiâ corporis Christi in Eucharistiâ. Quæsivit enim Lutherus, utrùm in usu sita sit, an aliquid permanens : posteriorem sententiam amplexus est in epistolâ ad Valdenses : ab eâ verò recessit anno 1536. 6° Posito quòd in usu sita sit, disputant in scholis suis Lutherani, an duratio ejus coarctetur ad durationem solius cæremoniæ, quæ fit in Ecclesiâ; an extendatur ad tempus, quod subsequitur, et intra eumdem diem includitur, aut protendatur ad biduum vel triduum quo reservatur pro infirmis : aut etiam ad totum tempus, quo mittitur vel defertur ad communicandum, qualecumque illud sit. 7° Disputant de concomitantiâ, quam docet Lutherus in assertione articuli 16, et in respons. ad schedulam inhibitionis episcopi Misnensis : impugnat autem in informatione ad quemdam amicum de communione sub utrâque specie : dissimulat verò velut quæstionem inanem in libro ad Valdenses de Eucharistiâ, ubi ait quosdam se torquere inanibus quæstionibus, quomodò anima Christi et divinitas sit in Eucharistiâ. Hinc Lutherani tripliciter divisi sunt. Quidam negant concomitantiam, ut Tillemannus Heshusius, in libro de sexcentis erroribus pontificiorum, titulo 17, errore 4 et 18, Hormannus Hamelmannus, in libro de Communione sub utrâque specie, et Mathias Illyricus in libro contra Sacramentarios, parte 2, argumento 25, et parte 3, in solutione 3 objectionis. Alii verò eam admittunt, ut Joannes Brentius, in confessione Vittembergensi, articulo de Eucharistiâ, et Kemnitius, in fine disputat. de utrâque specie. Denique alii quæstionem istam dissimulant, ut Melanchton, in apologiâ, art. 10, confessionis Augustanæ. 8° Inter se dissident de communione sub utrâque specie. Alteram enim speciem sufficere docuit Lutherus in responsione ad schedulam inhibitionis episcopi Misnensis, et initio libri de Captivitate Babylonicâ : licet postea in eodem libro pro utrâque specie scripserit. 9° De adoratione inter se dissident seu Calvinistæ, seu Lutherani. Calvinus enim libro 4 Instit., cap. 17, catholicos, etsi realem præsentiam agnoscant, redarguit, quòd Christum in hoc Sacramento adorent. Clebitius è converso in libro de Victoriâ veritatis, et ruinâ papatûs Saxonici, 3 parte, arg. 9, docet ex Lutheranorum sententiâ, qui agnoscunt in Eucharistiâ verum Christi corpus, adorationem esse concedendam, et ministri Tigurini in apologiâ editâ anno 1545, contra ultimam Lutheri confessionem, apertè fatentur, se cum catholicis fideliter adoraturos Sacramentum, si crederent ibi esse verum Domini corpus. Lutherani verò distinguunt de adoratione. Vel enim fit adoratio in usu cœnæ Domini, vel extra eum, ut cùm defertur Eucharistia honoris gratiâ per plateas cum facibus et hymnis. Et quidem extra usum omnes ferè clamant illam adorationem esse idololatriam. Unde Lutherus in lib. ad Valdenses vehementer agit contra processionem, quæ fit in festo Corporis Christi : de adoratione autem in usu non eodem modo loquuntur omnes. Alii enim eam damnant, etiamsi credant ibi esse corpus Christi, ut Lutherus in libro de Eucharistiâ ad Valdenses, Melanchton in Judicio de Cœnâ Domini, quod edidit anno 1559, et Mathias Illyricus in confessione Antuerpiensi. Alii verò eam admittunt, ut idem Lutherus in formulâ missæ, Bucerus in actis colloquii Ratisbonensis, Brentius in apologiâ pro confessione Vittembergensi, Kemnitius in 2 parte, examinis concilii Tridentini, sess. 13, can. 5, ubi ait nullum esse qui dubitet, an Christi corpus in cœnâ sit adorandum, nisi qui cum Sacramentariis aut neget, aut dubitet in cœnâ verè Christum esse præsentem.

In nostris quoque scholis plurima sunt dissidia circa Sacramentum Eucharistiæ. Et de materiâ quidem quærimus utrùm ex quolibet frumento, an ex solo tritico confici possit panis consecrandus : utrùm ad illum panem conficiendum aqua naturalis necessaria sit, vel sufficiat aqua rosacea, lac, aut alius similis liquor, quod volunt Cajetanus et Victoria : item utrùm massa triticea, cruda quidem, seu minimè cocta, sit materia sufficiens consecrationis : quod vult Major adversùs S. Thomam. Quæritur etiam, quo jure aqua vino admisceatur, et utrùm transmutetur mediatè vel immediatè in Christi sanguinem. 3° De formâ similiter controvertitur, eane sita sit in precibus Ecclesiæ, an in verbis, quibus usus est Christus, et quibus. 4° Circa explicationem transsubstantiationis pariter divisi sunt theologi; aliis post Scotum volentibus esse actionem adductivam, quæ pro formali termino præsentiam corporis et sanguinis sub speciebus habeat : aliis esse actionem unitivam corporis et sanguinis cum accidentibus panis et vini : aliis esse actionem, quæ virtutem habet producendi corpus et sanguinem, si jam non existerent; quæ tamen ea non producit, quia jam existunt : aliis esse actionem conservativam corporis et sanguinis sub speciebus : aliis denique esse actionem reproductivam. 5° Circa adorationem Eucharistiæ quæritur inter catholicos, utrùm species conjunctæ sint objectum terminativum adorationis, an corpus duntaxat et sanguis Christi. 6° Circa communionem sub utrâque specie controvertitur, utrùm plus gratiæ sumenti utramque speciem conferatur ex

opere operato, quàm percipienti unicam : taceo controversias, quæ circa suscipientes, effectus, et ministrum agitantur. Ex quibus omnibus facilè intelligitur argumentum Dallæi petitum ex nostris circa Confirmationem dissidiis æquè valere contra Baptismum et Eucharistiam.

Objicit 5° plures è scholasticis asseruisse Confirmationem non fuisse à Christo institutam. — Respondeo nullum esse, qui non dixerit illam à Christo immediatè vel mediatè institutam esse quique negaverit illam esse Sacramentum propriè dictum.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE MATERIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ERRORIBUS CIRCA MATERIAM.

Waldenses, Wicleffitæ, et Hussitæ, de quibus supra, quæst. 1, art. 1, sect. 2, 3 et 4, chrismatis benedictionem ejusque usum improbabant. Quid verò Lutherani et Calvinistæ senserint, fusiùs inquirendum est.

SECTIO PRIMA.

Lutherani.

Kemnitius in examine concilii Trid. Lutheranorum mentem explicat propositionibus quæ sequuntur. Prima est, materia Confirmationis nullum in Scripturis habet fundamentum. Secunda, Pontificii in suâ Confirmatione non adhibent manuum impositionem, quæ tamen à veteribus usurpata, adhuc in usu erat ætate Hieronymi et Augustini. Tertia, si pontificii in Confirmatione vel ignem adhiberent, vel manuum impositionem retinerent, quædam esset externa convenientiæ species, licèt conjuncta κακοζηλία quia destitueretur mandato Dei. Quarta, divinitùs factum est, quòd in pontificiâ Confirmatione manuum impositio non est retenta, sed chrismatio substituta est; ut Ecclesia, animadversâ palpabili differentiâ inter impositionem manuum et chrismationem in fronte, non tam facilè seduci posset allegatione historiæ quæ in Actis apostolorum, cap. 1, 8 et 19 refertur. Quinta, ex probatis veterum scriptis de mixtione balsami nihil proferri potest. Nativum balsamum jam defecisse constat. Factitium verò balsamum nativi locum non potest magis implere, quàm aqua factitia possit esse materia Baptismi. Sexta, consecratio chrismatis est incantatio, cujus ne ulla quidem syllaba continetur in Scripturis. Septima, halitum pontificis in chrisma non tantùm esse quid ridiculum, sed magicum, superstitiosum, et blasphemum.

SECTIO II.

Calvinistæ

Calvinus, lib. 4 Institut., cap. 19, § 6, docet, 1° manuum impositionem non esse modò adhibendam, cùm gratiæ visibiles Spiritûs sancti jam desierint. 2° Ait, § 7, manuum impositionem, quæ nunc adhibetur, esse *vacuum et frigidum signum, mimicè tantùm ei sine re effictum :* eamque nihil habere simile cùm eâ, quam apostoli usurpabant *præter nescio quam præposteram* κακοζηλίαν. 3° Ait § 7, chrismationem neque esse à Christo, neque ab apostolis : sed illos, qui oleum vocant oleum salutis, salutem, quæ in Christo est, abjurare. *Hoc*, inquit, *non à me, sed à Domino audacter pronuntio, qui oleum vocant oleum salutis, salutem quæ in Christo est abjurant, Christum abnegant, partem in regno Dei non habent.* Quo fit ut, § 8, Confirmationem definierit, *insignem Baptismi contumeliam, quæ usum ipsius obscurat, imò abolet; falsam diaboli pollicitationem, quæ nos à veritate Dei abstrahit; aut, si mavis, oleum diaboli mendacio pollutum, quod, velut offusis tenebris, simplicium mentes fallit.* 4° Chrismatis consecrationem appellat, § 10, pinguedinem fetore anhelitûs inquinatam et verborum murmure incantatam. Denique in Antidoto canonis 2, sess. 7, de Confirmat., sic habet : *Quæstio est, an ab hominum arbitrio novam et arcanam Spiritûs virtutem oleum accipiat, simul atque illis placuerit vocari chrisma? Olei enim qui faciat mentionem, nemo est ex veteribus, imò nec ex mediâ illâ ætate, quæ vitiis multis abundabat.*

SECTIO III.

Antonius de Dominis et Dallæus.

Antonius de Dominis, lib. 5 de Republicâ ecclesiast., cap. 5, n. 16, scribit Confirmationem non habere certam, fixam, et firmam rem sensibilem, quam nostri vocant materiam Sacramenti. Sola enim manuum impositio aliquando adhibita est, aliquando chrismatis unctio : eaque modò in vertice capitis, modò in fronte, modò in omnibus membris et toto corpore, modò puro oleo, modò oleo et balsamo, modò odoriferis unguenti absque oleo.

Dallæi verò doctrina potest ad hæc capita revocari. Primum est, manuum impositio non est materia Confirmationis, nec ullius Sacramenti esse potest, ex lib. 1 de Confirmat., cap. ultimo. Secundum, impositio manuum et unctio fuerunt Baptismi cæremoniæ post annum Domini 160 inventæ, et usurpari cœptæ, ex lib. 2, cap. 3. Tertium, hæc unctio ex oleo simplici facta est, ad quintum usque seculum, ex lib. 2, cap. 2. Quartum, post quarti seculi initia, oleo balsamum addi placuit ex Mosaico typo, quòd hujusmodi unguentum significandæ regiæ ac sacerdotali dignitati (in quam per Baptismum inaugurentur credentes) aptiùs quam simplex oleum videretur, ex lib. 2, cap. 2. Quintum, mixta hæc atque ex duabus speciebus distinctis, oleo et balsamo, concreta materia, magnâ priùs pompâ ab episcopo ad hunc usum dedicata, multiplici tum prece, tum signaculo, denique et salutatione inaugurata, peregrinum quidpiam est, atque in religione christianâ inusitatum, ex lib. 1, cap. 2. Sextum, cùm Christus eas res adhibuerit in materiâ Sacramentorum, quæ ferè ubique sunt obviæ et facilè à quibusvis comparari possunt, balsamum, quòd rarum est in rerum naturâ, et ingentis pretii, et exigui in vitâ communi usûs, materia Confirmationis dici non potest, ibidem. Septimum, cùm ante annos 300, Aureolo teste in 4, dist. 7, quæst. 1, nondùm esset constitutum, in quo sita sit materia Confirmationis,

alienum censeri debet à ratione Sacramenti novæ legis, de cujuss materiâ, adeòque essentiâ mille et trecentis post Christum annis non constitit, ex lib. 1, cap. 3.

ECTIO IV.

Armeni.

Theologi vulgò referunt, ex Gregorio VII, Armenos, desinente seculo undecimo, chrisma ex butyro confecisse. Verùm Gregorius VII, lib. 8, epist. 1 ad Synnad. archiep. anno 1080, illum duntaxat consulit, utrùm, quod ipse audiverat, verum sit, *quòd Armenorum ecclesia, contra morem sanctæ ecclesiæ Synnadensis, non ex balsamo sanctum chrisma, sed ex butyro conficiat.* Licèt enim Joannes presbyter, ejusdem archiepiscopi legatus ad Gregorium VII coram ipso negavisset hæc esse vera, Pontifex tamen certior fieri voluit.

Theorianus in dialogo, quem à Manuele Comneno ad Armenorum generalem, seu principem missus, ut eorum errores corrigeret, cum ipso habuit anno 1170, hoc inter alia redarguit, quòd Armeni, *Ex iis oleis olerum, quæ Græci σάσαμον, vocant, unguentum sacrum conficerent, non ex olivarum arboribus.* Cùmque generalis respondisset : *Causam rei hanc esse, quòd in Armeniorum regione non sunt oliveta propter aeris frigus; itaque necesse esse, ut oleum illud, quod in ipsâ regione reperitur, ad usum unguenti adhiberetur : sicut vinum quodlibet sanguinis Christi materia est, sive nigrum, sive rubrum, sive album fuerit;* respondit Theorianus: « Exemplum hoc ad ipsam rem nihil pertinere : non « enim, inquit, de coloribus nobis est quæstio, sed de « materiâ, seu subjecto. Nôsti enim ex diversis arbo- « ribus vinum fieri. Nam ex pomis et cerasis, et aliis « fructibus et herbis quoque conficitur; sed ad hoc « sacrificium non adhibetur nisi duntaxat ex vite fa- « ctum : sic et de oleo, fit ex lauro, junco odorato et « aliis : sed sanctis Patribus oleum olivæ cæteris est « prælatum. »

ARTICULUS II.

QUID DOCEAT FIDES CATHOLICA.

Materia Confirmationis consistit in manuum impositione, vel in unctione chrismatis, vel in utroque simul. De manuum impositione nihil definit concilium Tridentinum; de chrismate autem sic habet sess. 7, can. 2, de Confirm.: *Si quis dixerit injuriosos esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.*

Quæ quidem definitio probata manet ex auctoribus totâ quæstione 1 citatis. Chrisma enim, quo baptizatus inungitur, à Dionysio Areopagitâ vocatur *divinitùs sacratum oleum, et consummans unctio, quæ divini Spiritûs illapsum elargitur.* A Theophilo Antiocheno *oleum, Dei et oleum divinum.* A Tertulliano, *unctio, quâ caro ungitur, ut anima consecretur : benedicta unctio, quâ egressi de lavacro perungimur.* Unctio, quæ *in nobis carnaliter currit, sed spiritualiter proficit : oleum Creatoris, quo Christus suos ungit;* sicut et Baptismus dicitur *aqua Creatoris,* quâ *Christus suos abluit.* A Cornelio, *signaculum sine quo Spiritus sanctus accipi non potest. Signaculum chrismatis sine quo nec Spiritum sanctum poterit quis unquàm promereri.* A Cypriano, *unctio spiritalis.* Unctio quâ neophytus *est unctus Dei, et habet in se gratiam Christi. Oleum* quod, sicut et Eucharistia, *in altari sanctificatur.* A concilio Laodiceno, *sanctum chrisma, chrisma supercœleste, et chrisma Ecclesiæ,* quo *regni Christi participes efficimur.* Ab Optato, *sacrosanctum chrisma,* cujus venerati sunt angeli sanctitatem, eamque Deus miraculo testatus est : *liquor, qui ex nomine Christi conditur : quod chrisma, postquàm* ex nomine Christi *conditum est, nominatur.* Oleum, *quod conficitur in nomine Christi.* Oleum, quod *suavitatem ex nomine christi accipit.* Oleum, quod suavitate nominis Christi, *aurem conscientiæ mollit, exclusâ duritie peccatorum, animum innovat lenem, sedem Spiritui sancto parat,* etc. Oleum, cujus profanatio *est peccatum quod non habet indulgentiam :* quia peccatum est *in Spiritum sanctum,* quod *non remittetur, nec hìc, nec in futuro seculo.* A concilio II œcumenico, *sanctum chrisma, et signaculum doni Spiritûs sancti.* A Paciano, *sancti Spiritûs unguentum,* Chrisma, cujus conficiendi *potestas* à Christo *descendit : chrismatis Sacramentum, quo Spiritus sanctus superfunditur.* A Cyrillo Hierosolymitano, *sanctum unguentum, quod non ampliùs est unguentum nudum, posteaquàm consecratum est, sed chrisma Christi, quod adventu Spiritûs sancti per ipsius divinitatem energiam habet.* A Basilio Magno, *oleum unctionis* cujus *consecratio* emanat *à tacità secretâque traditione.* Ab Ambrosio, *unctio per quam Christus dat Spiritum sanctum,* et quâ *Deus ipse nos ungit in vitam æternam.* Ab Innocentio I, *chrisma ab episcopo consecratum,* quo soli episcopi frontem signant, *cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Ab Augustino, *signum Christi, sacramentum Dei, oleum Christi, oleum Dei, oleum salutaris,* non autem *oleum hominis,* seu *peccatoris. Oleum* denique, quod *Spiritûs sancti est sacramentum,* et quo significatur *ignis,* sub cujus figurâ Spiritus sanctus die Pentecostes descendit. A Paulino Nolano, *materia signaculi spiritalis.* A Cyrillo Alexandrino, *oleum,* cujus *usus iis qui per sacrum Baptisma in Christo jam justificati sunt, confert ad consummationem.* A Leone magno, *chrisma salutis, et signaculum vitæ æternæ.* A Theodoreto, *spiritualis unguenti chrisma,* quod est *velut sigillum regium : et unguentum, quo tanquàm in typo* neophyti *recipiunt gratiam invisibilem sanctissimi Spiritûs.* Ab Avito Viennensi, *sacra unctio, et salutaris galea,* quam neophytus induit, ut paratus sit ad pugnam. A Primasio, *unctio, quâ ungit nos Deus Spiritu sancto, et per quam plenissimè creditur accipi donum Spiritûs sancti.* A Gregorio Turonensi, *sacrum chrisma.* A Gregorio magno, *chrisma, quo dona sancti Spiritûs exprimuntur.* Ab Isidoro Hispalensi, *cœleste mysticum unguentum, quo omnis Ecclesia consecratur;* et *chrisma, quo homo post lavacrum sanctificatur. Nam sicut in Baptismo peccatorum remissio datur : ita per unctionem sanctificatio Spiritûs adhibetur.* A Maximo Martyre, *unguentum, quod* neophytos *maximè divinos efficit :*

divinum unguentum quod omnia perficit, et *eximium unguentum*, quo Spiritus sanctus significatur, sicut Baptismate Christi mors exhibetur. A Beda, *altissimum sancti Spiritûs chrisma; chrisma*, quo *frontem* soli pontifices *signant, cùm tradunt Spiritum Paracletum baptizatis; unctio visibilis, quæ Sacramentum est unctionis invisibilis seu ipsius Spiritûs sancti;* et *unctio sacri chrismatis*, per quam *gratiâ Spiritûs sancti signamur*. A Theodulpho Aurelianensi, *chrismatis unctio, per quam* baptizatis *septiformis gratiæ Spiritus conceditur*. Ab auctore operum cardinalium, quæ exstant inter opera Cypriani, *unctio divinitùs instituta*, et *unguentum, quod ad sanctificationem paratur*. Ab Aponio, *sacri chrismatis oleum; per quod Spiritus sanctus infunditur*. A Lucâ, *invisibilis Spiritûs sancti unguentum, per quod* episcopi *infundunt credentibus spiritalia opera pietatis*. A Paschasio Ratberto, *unum è Sacramentis Christi*. A Rabano, *sanctum chrisma. Chrisma, per quod Spiritus sanctus suâ virtutis admixtione sanctificat credentes. Chrismatis unctio, per quam ejusdem Spiritûs sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et scientiæ et veritatis, venire in hominem declaratur. Sacrum chrisma, per quod gratia Spiritûs sancti tribuitur*, et *per quod homo post lavacrum sanctificatur. Nam sicut in Baptismo peccatorum remissio datur ad veniam; ita per unctionem sanctificatio Spiritûs adhibetur ad gloriam*. Ab Amalario, *unctio per quam traditur Spiritus sanctus Paracletus baptizatis*. A Ratramno, *chrisma sanctum, unctio frontis ex chrismate, per quam Spiritûs sancti gratia ab episcopo donatur*. A Joanne VIII, *salus et perfectio vera totius christianitatis*. A Petro Damiani, *sacri chrismatis unctio*, per quam *Spiritus sanctus datur ad pugnam*, et *virtutibus præmunimur*. Ab Yvone Carnutensi, *unctio pontificalis*, per quam fideles Spiritum sanctum accipiunt. A Goffrido Vindocinensi, unctio quâ uncti sunt apostoli, *qui antequàm hâc unctione ungerentur, et Spiritu sancto confirmarentur*, nondùm perfecti erant, *adhuc timebant*, etc. A Simeone Thessalonicensi, *unguenti effusio per quam* Christus *gratiam nobis impertitur, et vivificam Spiritûs gratiam elargitur*. A Bernardo, *sacra unctio, quâ puerum mente captum* Malchus episcopus *inter confirmandum sanavit*. A Ruperto, *unctio chrismatis, quâ omnis Ecclesia* (id est quilibet fidelis) *consecratur: chrisma, quod Spiritûs sancti signum est, cujus et virtutem continet: chrisma, per quod Spiritui sancto complacuit nobis dare gratiam. Si quidem Spiritus sanctus, qui propter nos idcircò agit visibilia, quò per hæc faciliùs capere queamus invisibilia, per hoc simile suam nobis suavem et odoriferam infundit gratiam*. A Stephano Eduensi, *olei unctio, quâ figuratur operatio divinæ misericordiæ*. Ab Algero, *Sacramentum, quod solius Dei creditur esse*. Ab Honorio Augustodunensi, *chrisma per quod fideles à Christo christiani, id est, uncti denominantur, et cohæredes regni ejus assignantur: quo tanquàm templa Deo dedicantur: per quod ad regnum Dei confirmantur: per quod regno Christi detentur: per quod Spiritus sanctus designatur:* quod manuum impositioni apostolorum, *cis tamen tradentibus*, successit.

Kemnitius igitur impiè dixit, consecrationem chrismatis esse incantationem. Calvinus etiam temerè ac impiè asseruit, 1° chrisma esse *insignem Baptismi contumeliam, falsam diaboli pollicitationem, oleum diaboli mendacio pollutum;* 2° chrisma consecratum esse *pinguedinem fetore anhelitûs inquinatam, et verborum murmure incantatam;* 3° illos, *qui oleum vocant oleum salutis, salutem, quæ in Christo est abjurare, Christum abnegare, partem in regno Dei non habere;* 4° *olei qui faciat mentionem, neminem esse ex veteribus, imò nec ex mediâ illâ ætate, quæ vitiis multis abundabat.*

Utrùm verò sit de fide, chrisma esse materiam Confirmationis, affirmant multi theologi. « Extra controversiam est, inquit Gregorius de Valentiâ, in 4, « parte 3, disp. 5, q. 1, punct. 2, de substantiâ materiæ Confirmationis esse unctionem aliquam, sic « planè, ut erronea jam reputetur opinio, quam Aureolus apud Marsilium indicat fuisse quorumdam « canonistarum, quibus videbatur Sacramentum hoc « etiam sine ullâ unctione ministrari: quod esse planè erroneum et hæreticum rectè ostendit Sotus, qui « etiam dubitat, an ulli omninò extent jam canonistæ, « qui id senserint. » Suares etiam, in 3 part., quæst. 72, art. 4, disp. 33, sect. 1: *Dicendum est*, inquit, *chrisma esse materiam simpliciter necessariam ad essentiam et substantiam hujus Sacramenti conficiendam. Hæc assertio nunc est de fide.* Bellarminus, lib. de Confirm., cap. 8, prop. 1: *Chrisma, sive unctio, materia est Sacramenti Confirmationis. Hæc certissima est Catholicis ex concilio Florentino in instructione Armenorum et concilio Tridentino*, sess. 7, can. 2, de Confirmatione. *Probatur ex communi consensu pontificum, conciliorum, et Patrum Græcorum et Latinorum.* Et cap. 9, resp. ad 2 object. Kemnitii, *institutionem chrismatis dicimus haberi ex traditione non scriptâ, et tamen certissimâ; et cui fides habenda est, ut ipsi verbo scripto, ut, ibidem, scribit Basilius, libro videlicet de Spiritu sancto*, cap. 27. Vincentius Fillucius, collegii Romani professor, tractatu 3, cap. 1, n. 9: *Quòd chrisma sit materia simpliciter necessaria, si sumatur pro quâcumque unctione, est de fide.* Ægidius Coninck, quæst. 72, de Confirm., art. 3, dub. 1, conc. 1: *Materia remota essentialis hujus Sacramenti est chrisma. Ita expressè Florentinum in decreto de Armenis; quare videtur de fide, nec eam jam ullus catholicus negat.* Adamus Tannerus, tom. 4, disp. 4, quæst. 4, dub. 1, ait hoc *esse extra controversiam et de fide.*

Iis accedit Franciscus Sylvius, in 3 partem, quæst. 72, art. 2: *Materiam Confirmationis esse chrisma, doctrina est fidei definitæ in concilio Florentino et Tridentino.* Idem aiunt communiter Thomistæ et Scotistæ. Idem Petrus Aurelius in Anæretico adversùs primum Sirmondi antirrheticum, et in Orthodoxo adversùs secundum ejusdem Sirmondi antirrheticum. Quod utrumque opus à clero Gallicano approbatum, et ejus auctoritate ac sumptibus editum est, una cum cæteris ejusdem Aurelii operibus anno 1646.

Sed reclamant canonistæ, et nonnulli theologi, qui materiam essentialem Confirmationis in solâ manuum impositione constituunt.

Auctores prioris sententiæ objiciunt, 1° concilium Florentinum in decreto Armenorum, ubi sic habetur : *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma ex oleo et balsamo per episcopum benedicto.* Verùm ex auctoribus posterioris opinionis respondent aliqui, ut Sirmondus, hoc decretum post absolutam synodum Florentinam, factum fuisse. Alii respondent quod respondet Martinus Becanus de materiâ Ordinis, 3 parte, tract. 2, cap. 26, quæst. 4, scilicet Eugenium in suo decreto loqui duntaxat de materiâ accidentali, et ab Ecclesiâ institutâ, non autem substantiali. Alii respondent in eodem Eugenii decreto asseri, actus pœnitentis esse materiam pœnitentiæ, et sub iis comprehendi satisfactionem, quæ tamen non est de essentiâ Sacramenti. Quidquid igitur in hoc decreto assignatur pro materiâ Sacramenti, non est materia essentialis. Alii aiunt Eugenium de materiâ Confirmationis eodem modo locutum esse, quo inferiùs de materiâ Ordinis, quam declaravit esse porrectionem instrumentorum. Hæc verò non est materia ordinationi essentialis secundùm cardinalem Hosium, Joannem Morinum, aliosque plures theologos, qui post Eugenii tempora floruerunt. Alii denique respondent in ipsismet verbis objectis asseri materiam Confirmationis esse chrisma confectum ex oleo et balsamo per episcopum benedicto : quamvis post illud decretum theologi quidam, ut Melchior Canus, docuerint unctionem Confirmationi essentialem posse fieri vel solo oleo olivarum, vel solo balsamo : alii verò, ut Cajetanus, solum oleum esse materiam essentialem, mixtionem autem balsami solùm esse materiam necessitate præcepti : alii, ut Estius, benedictionem esse duntaxat necessariam necessitate præcepti existimaverint.

Objiciunt 2° hæc verba synodi Tridentinæ, sess. 7, can. 2, de Confirmatione : *Si quis dixerit injuriosos esse Spiritui sancto, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.* Chrisma igitur virtutem aliquam habet. Sed nullam haberet, nisi materia essentialis esset.

Verùm nihil in hoc canone definitur circa materiam Confirmationi essentialem, aut circa quæstiones apud theologos controversas. Sola ibi definitur controversia, quâ Lutherani, Calvinistæ, aliique id genus hæretici dissidebant ab omnibus catholicis, scilicet, utrùm injuriosi sint Spiritui sancto, qui virtutem aliquam chrismati tribuunt; non autem, utrùm chrisma re ipsâ virtutem aliquam habeat. Quamvis enim orthodoxi postremo seculo inter se disputarent, utrùm materia Confirmationis in chrismate sita sit necne, in eo tamen omnes conveniebant eos, qui materiam Confirmationis in chrismate reponunt, eique virtutem aliquam tribuunt, non esse injuriosos Spiritui sancto. Quod autem apud theologos certum erat, definivit synodus; quod verò incertum erat, indefinitum reliquit.

ARTICULUS III.

DE CONTROVERSIIS ORTHODOXORUM CIRCA MATERIAM CONFIRMATIONIS.

Variæ sunt theologorum et canonistarum opiniones, quæ omnes ad tres præcipuas revocari possunt, quarum una materiam huic Sacramento essentialem constituit in solâ manuum impositione, ita Burchardus, aliique veteres canonistæ : è theologis verò antiquis Petrus Aureolus, cardinalis et archiepiscopus Aquensis, qui initio seculi XIV floruit, lib. 4 Sent., dist. 7, q. 1; et ex recentioribus, Isaac Habertus, Vabrensis episcopus, in notis ad Euchologium Græcorum; Jacobus Sirmondus, in utroque antirrhetico; Matthæus Galenus, catech. 116, pag. 376; Nicolaus Rigaltius, in notis ad epistolam 59 Cypriani; D. de Sainte-Beuve, in tractatu de Confirm. jam sæpiùs laudato, et alii : eamque opinionem veram esse Petavius supponit, lib. 2 de eccles. Hierarch., c. 6, n. 12. Secunda statuit in solâ unctione chrismatis : ita S. Thomas, Durandus, Sotus, Petrus de Alliaco et communiter theologi, quibus favet Honorius Augustodunensis. Tertia in utrâque simul; ita Guillelmus Arvernus, episcopus Parisiensis, Thomas Waldensis, Bellarminus, Maldonatus, Yzambertus, Petrus Aurelius, Joannes Cabassutius, et Petrus de Marcâ.

SECTIO PRIMA.

Explicatur prima opinio.

Qui primam opinionem sequuntur, non excludunt unctionem, sed eam admittunt, tanquàm à Christo, vel ab apostolis vel ab Ecclesiâ institutam ad majorem significationem effectûs sacramentalis. Hanc verò sententiam pluribus modis tuentur; nonnulli enim, ut Sirmondus, per impositionem manuum, eam intelligunt, quæ ab unctione chrismatis sejungitur : alii eam, quæ unctioni frontis necessariò conjungitur, et in eâ continetur; qui enim frontem ungit, capiti manum statim imponit : alii alterutram. Dissident etiam circa unctionem; aliqui enim aiunt eam esse conditionem, sine quâ non, quo ferè modo theologi vulgò docent solemnitatem esse conditionem, sine quâ matrimonium irritum esset : alii partem accidentalem : alii partem integrantem, quæ sit de substantiâ, non autem de essentiâ Sacramenti, minimè tamen necessariam. *Aliquid enim*, inquit Aureolus, *potest esse dupliciter de substantiâ alterius, uno modo de necessitate intrinsecè, quo corrupto, aliud necesse est corrumpi : alio modo quoad benè esse, quo corrupto non necesse est totum corrumpi, licèt removeat imperfectum : primo modo, cor est de substantiâ hominis, secundo modo manus.* Denique dissident circa institutionem hujus unctionis; alii enim institutam volunt à Christo, alii ab apostolis, alii ab Ecclesiâ.

Quidam recentiores theologi in scriptis suis aiunt, unctionem frontis ab Ecclesiâ quidem institutam, eam tamen modò conditionem esse necessariam ad valorem Sacramenti.

Aureolus ait « Chrisma esse de substantiâ hujus Sa-« cramenti tantùm secundo modo, sicut manus est de

« substantiâ hominis. Nam sicut homo carens manu « est quidem homo, tamen non integer; sic in Confir- « matione, si non adhibeatur chrisma, est quidem Sa- « cramentum, non tamen integrum; ideò ad integri- « tatem Sacramenti oportet, quòd suppleatur chrisma. « Quod benè videtur Innocentius sentire in illâ decre- « tali, *Veniet*, ubi ponitur casus de episcopo super « cujus caput non erat positum chrisma, et dicit ibi « Innocentius papa quòd erat reungendus. » Paucis verò interjectis, subjicit : « Magis esse verisimile quòd « fuerit institutum à Christo, vel apostolis, quàm à « posterioribus conciliis, sicut expressè haberi potest « à Dionysio, cap. 4 de eccles. Hierarch., ubi dicit : « Duces nostri hoc docuerunt nos, et tradiderunt « verbis. »

Sirmondus contra vult unctionem frontis esse partem duntaxat accidentalem, nec à Christo, nec ab apostolis, sed ab Ecclesiâ postmodùm institutam, eamque ut Confirmationis sacramentum valeat, minimè necessariam esse. Hinc ille docet 1° sine chrismatione illâ administratum pluribus olim seculis vulgò à sanctis Patribus Confirmationis Sacramentum solâ manuum impositione, ex Antirrhetico 2, pag. 19, 26 et 46. 2° Frontis unctionem, quæ in Confirmatione fit, ad Baptismi cæremonias olim pertinuisse, ibid., pag. 26 et 76. 3° Eam chrismationem Sacramento Confirmationis ab Ecclesiâ annexam fuisse ornatûs solemniorisque pompæ gratiâ, ibid., pag. 63. 4° In eâ chrismatione situm non esse Sacramentum Confirmationis, sed in solâ manuum impositione ibid., pag. 42, 45 et 46, et in Antirrhetico 1, p. 69 et 70. 5° Eâ chrismatione non tribui Spiritum sanctum, sed solâ manuum impositione, ibid., pag. 23, 55, 56 et 58. 6° Confirmationis Sacramentum sine chrismate consistere posse, more antiquo, ibid., pag. 72. 7° In Confirmatione Spiritum sanctum manuum impositione, etiam nunc dari, more antiquo, id est, solâ manuum impositione, non chrismate, quemadmodùm olim factum censet, ibid., pag. 71 et 75. 8° Græcos, quia unâ manûs impositione carebant, tametsi chrismationem haberent, Confirmationis Sacramentum non habuisse. Quod ille Guidonis Carmelitæ nomine asserit, ibid., pag. 51. 9° Pervicacem tergiversationem, cavillationemque esse, quod omnes theologi docent, sanctos Patres, dùm manûs impositionem nominant, non excludere chrismatis unctionem : sicut dùm chrisma memorant, non excludere manûs impositionem, ibid., pag. 46 et 49. 10° Nihil fingi posse absurdius, ridiculum denique somnium esse dicere, ungendo manum imponi et manûs impositionem in unctione ipsâ inesse, ibid., pag. 58 et 59. 11° Quodvis Sacramentum deberi totum divinæ auctoritati, eosque ariolari, qui partem ejus aliquam ab Ecclesiâ institutam dicunt. Unde liquet chrisma, quod ipse ab Ecclesiâ institutum censet, verè ab eo non haberi Confirmationis partem, ibid., pag. 74. 12° Formam, quâ Ecclesia utitur in hoc Sacramento, *signo te signo*, etc., non videri antiquissimam, ibid., pag. 64. 13° Formam illam, si propiùs inspiciatur, nihil habere quod Spiritûs sancti donationem significet, ibid., pag. 65. 14° Formâ illâ Spiritum sanctum conferri non posse, quòd enunciationis absolutæ, non orationis, speciem præferat; Cyprianus autem et Augustinus testentur Spiritum sanctum per episcopi orationem et manûs impositionem dari, ibid., pag. 65.

Cæterùm argumenta quibus hæc prima opinio inniti potest, hæc sunt :

1° Quia nihil nos cogit admittere chrismatis unctionem esse materiam Confirmationis essentialem : non Scriptura sacra, quæ ne illius quidem meminit; non traditio, quia hæc solummodò nos docet unctionem semper usurpatam fuisse, ex quo neophyti ab Ecclesiâ chrismari cœperunt; sed illa minime docet quo tempore inungi cœperint. Deinde potest hæc unctio admitti tanquàm necessaria necessitate præcepti divini vel ecclesiastici, et non admitti tanquàm necessaria necessitate Sacramenti. Non cogit etiam Eugenii IV decretum pro instructione Armenorum, sive quia non distinguit inter materiam essentialem et integrantem, substantialem et accidentalem. Hæc enim sunt Eugenii verba : *Cujus materia est chrisma confectum ex oleo et balsamo per episcopum benedictum.* Quibus verbis inferri nequit materia essentialis Confirmationis, nisi pari jure statuatur, quòd admixtio balsami et benedictio chrismatis ad ejus essentiam requirantur. Et tamen plerique theologi propugnant hæc duo non esse de necessitate Sacramenti, sive quia Eugenius de materiâ Confirmationis ibi pronuntiavit eodem modo quo inferiùs de materiâ Ordinis, quam declaravit esse porrectionem instrumentorum. Hæc verò materia non est essentialis secundùm Martinum Becanum, 3 p., q. 4, c. 26 de Sacramento Ordinis, et plures theologos, qui post Eugenii tempora floruerunt. Non etiam cogit synodus Tridentina, quæ, sess. 7, can. 2, anathema dicit asserentibus *injuriosos esse Spiritui sancto, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt.* Verùm enim hujusce canonis sensum exposuimus supra, art. 2. Non cogit denique multitudo theologorum, qui unctionem esse materiam essentialem et adæquatam existimavorunt. Nec enim eorum opinio majoris est momenti quàm fundamenta quibus innititur. Hæc autem vel certa, vel falsa sunt; cujusmodi sunt epistolæ Fabiani et Melchiadis; vel falsum supponunt, ut cùm adversarii supponentes quidquid in Eugenii decreto continetur, pertinere ad fidem, inde concludunt esse de fide, chrismatis unctionem esse materiam Confirmationis : vel nihil faciunt ad institutam quæstionem, ut auctoritas concilii Tridentini, quod ne controversiam quidem attingit. Testimonium verò libri de ecclesiasticâ Hierarchiâ, non est ejus auctoritatis ut aliquid de fide possit efficere. Verbo dicam, ut aliquid sit de fide, debet esse clarè et apertè expressum in Scripturâ, aut in traditione, atque ab Ecclesiâ definitum. Sed nihil tale dici potest de Chrismatis unctione. Denique, si Cajetano et Dominico Soto licuit, contra communem theologorum sententiam sui temporis, docere balsamum non esse necessarium necessitate

sacramenti, quia, ut ait Soto in 4, dist. 7, art. 2, *contrarium non est hactenùs ab Ecclesiâ tanquàm catholicum definitum;* licebit pari ratione contra communem eorumdem theologorum opinionem docere chrisma non esse necessarium necessitate Sacramenti.

2° Quia ex concilio Moguntino, anno 1569, cap. 17, *hoc Sacramentum ab initio solâ manus impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus apostolorum, ex eorumdem traditione, adhibitâ chrismatis unctione cœpit conferri.* Si solâ manuum impositione ab initio collatum fuit, quod igitur huic manuum impositioni additum fuit, ad materiam accidentalem pertineat necesse est.

3° Quia essentiali materiæ sua forma correspondere debet; atqui obtinuit per multum temporis in Ecclesiâ Romanâ ut fideles in Confirmatione ungerentur, quin forma quædam unctioni congruens adhiberetur. Nulla enim refertur in Sacramentario Gregoriano. In ordine autem Romano forma quidem præscribitur, sed quæ unctioni minimè consentiat : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* sicut ex Amalario planum est, et ex libro de divinis Officiis, qui Alcuini nomine circumfertur.

4° Quia materia Sacramenti Confirmationis, quæ essentialis est, ejusdem est speciei in utrâque ecclesiâ. Sed unctio quam Orientales adhibent, specie differt ab unctione Occidentalium. Græci enim suum chrisma componunt ex tringinta quidem speciebus aromatum, seu fragrantium herbarum, cum oleo, et non modicâ vini quantitate, iisque omnibus simul concoctis. Occidentales verò suum chrisma conficiunt ex oleo tantùm et balsamo, iisque minimè coctis.

5° Qui materiam essentialem et adæquatam Confirmationis in solâ chrismatione constituunt, vix probabunt Calvinistis et Lutheranis, Confirmationem esse Sacramentum novæ legis; quod tamen ex apostolorum Actis invictissimè probant, quicumque manuum impositionem Confirmationi essentialem esse docent. *Laborant*, inquit Sirmondus, *in explicandâ Confirmationis origine theologi, si chrisma secernas, et hanc in manuum impositione colloces; quam à Christo didicerint apostoli, nulla erit dubitatio, nec opus erit Sacramenti, quod totum divinæ auctoritati debetur, partem aliquam ab Ecclesiâ institutam augurari.*

SECTIO II.

Explicatur secunda opinio.

Qui verò secundam opinionem amplectuntur, quinque, ut eam propugnent vias ineunt, quarum tres priores supponunt materiam hujus Sacramenti in solâ chrismatis unctione semper constitutam fuisse; duæ verò posteriores eam constituisse, primùm quidem in manuum impositione, deindè verò in chrismatis unctione.

Quidam enim cum sancto Thomâ, 3 parte, q. 72, art. 2, ad 1, dicunt « Christum ex potestate excellentiæ, quam habet in Sacramentis, contulisse apostolis rem hujus Sacramenti, id est, plenitudinem Spiritûs sancti sine Sacramento. » Quod etiam præstiterunt apostoli, « quando ad impositionem manûs eorum, et etiam ad eorum prædicationem, descendebat plenitudo Spiritûs sancti super fideles sub visibilibus signis..... Et ideò non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculosè exhibebantur divinitùs. Utebantur tamen apostoli communiter chrismate in exhibitione Sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur; dicit enim Dionysius, initio capitis 4 ecclesiasticæ Hierarchiæ : *Est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri (id est, apostoli) chrismatis hostiam nominant.* » Et art. 4, ad 1 : « Per ministerium apostolorum quandoque dabatur effectus hujus Sacramenti, scilicet plenitudo Spiritûs sancti, quibusdam visibilibus signis miraculosè à Deo effectis, qui potest effectum Sacramenti sine Sacramento conferre. Et tunc non erat necessaria nec materia nec forma hujus Sacramenti. Quandoque autem tanquàm ministri Sacramentorum, hoc Sacramentum præbebant : et tunc sicut materiâ, ita et formâ ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant apostoli in Sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita. Unde Dionysius dicit, in fine ecclesiasticæ Hierarchiæ, cap. 7, parte 3, § 10 : *Consummativas invocationes* (id est, verba quibus perficiuntur Sacramenta) *non est justum Scripturas interpretantibus, mysticum earum sensum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere; sed nostra sacra traditio sine pompâ, id est, occultè, eas edocet, unde et Apostolus dicit loquens de celebratione Eucharistiæ, 1 ad Cor. 11 :* « *Cætera, cùm venero, disponam.* »

Alii, ut Alexander Alensis, et sanctus Bonaventura, dicunt Christum neque contulisse, neque instituisse immediatè hoc Sacramentum quantùm ad materiam et formam. Apostolos die Pentecostes à Spiritu sancto immediatè confirmatos fuisse sine ministerio et Sacramento. Eos verò post Christi ascensionem confirmando, neque materiâ neque formâ usos esse, sed rem hujus Sacramenti fidelibus contulisse sine elemento, seu materiâ; quâ minimè opus erat; *quia*, ut ait sanctus Bonaventura in 4, dist. 7, art. 1, q. 2, in c. : *In donatione Spiritûs sancti signa visibilia apparebant; et ideò non erat opus elemento. Sed postea, successoribus institutis, dandus erat Spiritus vi verborum, et invisibiliter; ideò oportuit institui sensibile elementum.* Ubi verò, quando, et à quibus chrisma pro materiâ institutum sit, ab invicem dissident. Bonaventura ibidem ait illud *institutum fuisse, Spiritu sancto dictante, ab ipsis Ecclesiæ rectoribus :* quibus verbis primos apostolorum successores intelligit; Alensis institutum credidit in concilio Meldensi; Joannes de Bacone in concilio Aurelianensi.

Alii docent apostolos utrâque simul, et manuum impositione et unctione chrismatis semper usos esse, ita tamen ut manuum impositio mera cæremonia fuerit, et unctio sola formæ rationem habuerit : ita Gregorius à Valentiâ, tom. 4 in D. Thom., disp. 5, q. 1, punct. 1, ubi ait *apostolos per illam manuum imposi-*

tionem Spiritum sanctum nunquàm dedisse, nisi adhibità simul substantiali materià hujus Sacramenti, nempe unctione chrismatis. Mox apostolos impositionem manuum adhibuisse, tanquàm cæremoniam; Sacramentum autem quoad substantiam administràsse in eàdem materià et formà quæ est perpetuò deinde usurpata in Ecclesià.

Alii verò aiunt apostolos vario modo ministràsse hoc Sacramentum; ac primis quidem temporibus, quia visibiliter descendebat Spiritus sanctus, non usos fuisse eos ullà unctione, sed simplici manûs impositione; siquidem effectum internum satis testabatur externus ille ignis, qui divinitùs apparebat; at postea, cùm formæ illæ visibiles cessâssent, tum adhibere eos cœpisse unctionem, ut per eam significarent id quod antea visibili specie divinitùs apparente significabatur. Si objicias non potuisse apostolos instituere materiam sacramenti, respondent eos non instituisse, sed à Christo id mandatum accepisse, ut modò uterentur manûs impositione, modò chrismate, prout opportunum esse judicarent. Hanc opinionem probabilem existimat Bellarminus, lib. de Confirm., cap. 9, respons. ad primum Kemnitii argumentum, eamque ante Bellarminum docuerat Ruardus Tapper, decanus facultatis Lovaniensis, art. 12: *Apostoli*, inquit, *primùm vel suo Spiritu apostolico, vel Christi suggestione, utebantur manuum impositione tanquàm hujus Sacramenti materià.* Et postea: *Quando linguæ vel cætera miracula cessàrunt, oportebat ob confusam, incertam et indistinctam manûs impositionis significationem, proprium et determinatum signum institui atque assumi: ad varios namque effectus apostoli manum imponebant.*

Alii denique volunt Confirmationis Sacramentum à Christo in genere duntaxat institutum esse, hoc est, ut sub signo aliquo sensibili vagè et indeterminatè gratia corroborans baptizatis conferatur; determinationem autem materiæ et formæ, hoc est, certi ac determinati signi sensibilis, sub quo Spiritus sanctus daretur, Christum apostolis suæ Ecclesiæ præpositis reliquisse; qui quidem apostoli primùm utebantur manûs impositione tanquàm hujus Sacramenti materià. Deinde verò, vel ipsi vel eorum successores, reprobatà priore hàc materià, aliam in unctione positam determinaverunt, quà effectus Confirmationis expressiùs significaretur. Peculiare id non esse Confirmationi, sed illi commune, seu cum ordinibus presbyteratûs et diaconatûs, qui olim conferebantur solà manuum impositione; seu cum Matrimonii Sacramento, cujus instituta à Christo materia, est mutuus utriusque partis consensus, abstrahendo à clandestino et publico; et tamen Ecclesia declaravit hæc matrimonia irrita, quorum consensus coram paroeho et duobus aut tribus testibus præbitus non esset. Juvat Estium audire super hoc argumentum ratiocinantem, lib. 4, dist. 7, § 7: Dato, inquit, quæ communior sententia est, apostolos initio prædicationis non usos fuisse chrismate in administratione hujus Sacramenti, probabile quoque videtur, quòd eodem tempore manûs impositio locum materiæ tenuerit, sicut et oratio locum formæ, ita videlicet ut utraque tunc necessariò adhiberetur ad tradendum humano ministerio Spiritum sanctum, donec introducto chrismatis usu, simul cum formâ illi materiæ accommodatâ, quæ solæ sunt hujus Sacramenti partes essentiales, necessitas impositionis manuum cessaret, quantùm quidem ad essentiam vel integritatem attinet Sacramenti, cùm jam neque forma ejus sit, neque materia, neque formæ vel materiæ pars, sed tantùm cæremonia quædam sacramentalis, ex apostolicâ traditione accepta, et ideò nequaquàm omittenda, utpote necessitatem adhuc retinens præceptî, etsi non Sacramenti. Quæ doctrina conformis est decreto Florentino de Sacramentis, in quo legitur, quod loco illius manûs impositionis, per quam apostoli dabant Spiritum sanctum, in Ecclesiâ datur confirmatio, cujus materia est chrisma, » etc. « Ex quibus verbis utrumque colligitur, et initio necessariam fuisse manuum impositionem Sacramenti necessitate, et eamdem ejus necessitatem, signaculo chrismatis introducto, cessâsse. » Estio præiverat Jacobus cardinalis à Vitriaco, Hist. Occid., c. 37, de quo infra, ubi de institutione hujus Sacramenti, et utrique Simeon archiepiscopus Thessalonicensis, in manuscripto bibliothecæ Vaticanæ, p. 129 et 130: « Quos baptizari necesse est, necesse quoque est chrismate inungi. Hujus rei causâ, Petrus et Joannes baptizatis à Philippo, ut qui solum Baptismum susceperant, manus imposuerunt, et acceperunt Spiritum sanctum. Hoc verò chrisma est; manûs enim impositio chrisma præbet, sicut in apostolis factum est, et per eos multis aliis. Tunc erat manûs impositio; nunc verò manuum impositionis vicem gerit ipsum sanctificatum et vocatum magnum chrisma, sanctificatum quidem non à presbyteris, sed ab ipsis patriarchis et episcopis, sacris precibus et benedictionibus Petri et Joannis virtutem ditantibus. Missum autem ad fines usque terræ impositionis manuum virtute potitur. Necesse verò est in Baptismate eo sigillari omnem fidelem, ut omnis baptizatus divinissimum Baptisma perfectè in se ipso possideat. » Ita ex hoc libro manuscripto refert Joannes Morinus, lib. 8 de Pœnit., c. 17. n. 4.

SECTIO III.

Explicatur tertia opinio.

Denique auctores, qui materiam confirmationis essentialem in manuum impositione et unctione frontis assignant, triplicem viam ineunt circa manuum impositionem, duplicem verò circa unctionem. Nonnulli enim requirunt manuum impositionem, quæ à chrismate diversa est, et cui oratio tanquàm forma deprecatoria respondet; alii sufficere aiunt eam manuum impositionem, quæ chrismationi necessariò annectitur, et in eà comprehenditur; pontifex enim, qui frontem chrismat, capiti manum simul imponit. Ita Bellarminus. Alii hanc ultimam impositionem manuum requirunt, eamque solam confirmationi essentialem, primam verò merè cæremonialem esse docent. Ita Petrus Aurelius, in Orthodoxo, part. 1, c. 7. Postremam quidem manûs impositionem, quasi *ridiculum*

somnium, Sirmondus rejicit; eam tamen propugnant eruditi theologi. Sic Thomas Waldensis, t. 2 de Sacramentis, c. 113, ait : *Manum imponi ungendo.* Sic Yzambertus, in 3 part., q. 12, disp. 1, art. 4, scribit : « Ipsa quoque inunctio episcopali manu facta in « fronte, est quædam manûs impositio. » Sic Cabassutius, in Notitiâ ecclesiasticâ, ad 2 canonem concilii primi Arausicani : « Ipsa episcopi actio, quâ frontem « manu suâ illinit, est ipsa illa manûs impositio quâ, « juxta Actus apostolorum, c. 8, conferebatur per « apostolos Spiritus sanctus. » Sic Bellarminus, lib. de Confirmatione, c. 2, in fine : « Falsum est reje- « ctam esse manûs impositionem. Bis enim episcopus « manus imponit confirmandis, ut ex Pontificali Ro- « mano intelligi potest : semel, cùm super eos manus « extendit, atque orat; et rursùm, cùm signat in « fronte, atque ungit; ipsa enim unctio et signatio, « cùm manu fiat, manûs impositio rectissimè dicitur, « ut docet Hugo, lib. 2 de Sacramentis, parte 7, c. 2; « unde etiam, Marci 7, cùm postulâssent quidam ut « Dominus manus imponeret lunatico, ille id fecit; « nam digito tetigit linguam et aures ejus. » Et c. 9, respons. 2, ad 1 arg. Kemnitii : « Est alia solutio, quæ « longè mihi probabilior videtur, Thomæ Waldensis, « et Hugonis de sancto Victore, qui dicunt idem esse « unctionem chrismatis et manûs impositionem : qui « enim inungit, manus imponit : et idcircò utrumque « significari, etiamsi alterum tantùm exprimi videa- « tur. » Sic Petrus Aurelius, in Orthodoxo, parte 1, c. 7, cujus mentem paulò fusiùs hìc referamus necesse est: « De manûs impositione sic loquuntur Patres tertiæ « tuæ ætatis (alludit ad tres Sirmondi ætates, de qui- « bus infra, Bedamque intelligit et alios, qui seculis 8, « 9, 10, 11, 12 et 13 floruerunt), ut non tantùm chri- « smationem non excludant, quod de superiorum æta- « tum Patribus diximus, sed etiam eodem nomine « illam complectantur. Non enim manûs impositionem « et chrismationem in Confirmationis Sacramento tan- « tùm conjunctas esse voluerunt, sed in unam singu- « laremque actionem conclusas. Quare non dicunt « præberi unctionem et manûs impositionem, sed « unctionem manûs impositione, vel manûs imposi- « tionem unctione. » Tum recenset Bedæ et aliorum testimonia, et sic concludit : « Ex quibus prorsùs « liquet, horum Patrum ætate non conjunctionem « tantùm chrismationis et manûs impositionis in Con- « firmationis Sacramento, sed etiam unitatem factam. « Unde, dùm dicunt Spiritum sanctum dari manûs « impositione, chrismate dari dicunt; dùm rursùs « eam vim tribuunt chrismati, manûs impositioni « largiuntur; nec aliam manûs impositionem agno- « scunt, nisi eam quæ ipsâ chrismatione continetur. « Atque hoc illud erat, in quo (Sirmondum) dicere « oportuit tertiam hanc ætatem, nonnihil deflexisse « à superiorum consuetudine, in modo videlicet ac « ritu administrandæ Confirmationis, etsi in re man- « serit summa consensio. Quæ enim duæ partes simul, « sed seorsùm, vicissimque olim præbebantur, eæ « postea in unam collectæ, unumque effectæ sunt. « Nec hoc singulare est in Sacramento Confirmatio- « nis, sed in aliis quoque usu venit : ita in Baptismo « triplex mersio ad unam redacta, hæc ipsa rursùs ad « aspersionem; in Eucharistiâ corporis et sanguinis « Christi binæ species in unam contractæ. Atque hinc « factum est ut posterioribus hisce ætatibus decretum « sit chrismationem ab episcopo pollice faciendam, « ut uno tempore et chrismate ungatur frons, et ma- « nus capiti apertiùs imponatur; quod prioribus æta- « tibus minùs expressum erat, cùm chrisma et manûs « impositio binis actionibus adhibebantur. Atque hæc « jam consuetudo omnibus deinceps seculis accepta, « et perpetuo Ecclesiæ usu ad nos perducta est : ut « non tertiæ illius ætatis, sed totius Ecclesiæ sensus « ac ritus dicendus sit, à quo ne primis quidem secu- « lis alienæ fuisse videntur Orientis ecclesiæ, de qui- « bus suo loco plurâ. »

Tres Aurelius ætates cum Sirmondo supponit, quarum primam ab apostolis ad Constantinum protendit, secundam verò et tertiam nullis definit limitibus. Primâ et secundâ ætate manuum impositio et unctio *simul* quidem, *seorsùm* tamen, *vicissim*, *et binis actionibus* administrabantur. Sed tertiâ ætate, seculis saltem 7, 8, 9, 10, 11, 12 et 13 in unam singularemque actionem conclusæ sunt, ita ut « uno tempore, unâ « et eâdem actione, et chrismate ungatur frons, « et manus capiti imponatur... Hæc jam consuetudo « omnibus deinceps seculis, et perpetuo Ecclesiæ usu « ad nos perducta est; quin etiam ab eo ritu ne pri- « mis quidem seculis alienæ fuisse videntur Orientis « ecclesiæ. » Cæterùm in hâc tertiâ ætate Aurelius absolutè non excludit manûs impositionem, quæ chrismationem olim præcedebat, sed eam censet, *cæremoniam esse Sacramento Confirmationis præviam, quâ neophyti præparentur ad suscipiendam Spiritûs sancti gratiam, manuum impositionibus similem, quæ ante Baptismum jam olim fiunt*

Circa unctionem verò auctores hujusce tertiæ opinionis, duplicem viam ineunt. Alii enim existimant apostolos et manuum impositione et chrismatis unctione in hujus Sacramenti administratione semper usos esse; alii verò eos primùm quidem simplici manuum impositione usos, cùm Spiritus sanctus sub visibili specie ignis descendebat; si quidem internum hujus Sacramenti effectum satis testabatur externus ille ignis qui divinitùs apparebat, satisque determinabat manuum impositionem; at postea cùm formæ illæ visibiles cessâssent, tunc cum manuum impositione adhibere apostolos cœpisse unctionem, ut per eam significarent id quod antea visibili specie ignis significabatur, et confusam, incertam, et indistinctam manûs impositionis significationem determinarent per proprium et determinatum signum; ad varios enim effectus apostoli manus imponebant. Posteriori huic expositioni apertè favet concilium Moguntinum, anno 1549 coactum, c. 17 et 18; quâ de re infra, sect. 6, § 1.

SECTIO IV.

Sententia D. Thomæ.

Quæritur, cui opinioni D. Thomas faveat. — Respondeo sanctum doctorem aliud sentire in Commentariis ad Hebræos, aliud verò in Commentariis super Magistrum, et in Summâ theologicâ. Ille siquidem, lectione 1 in caput 6 ad Hebræos, manuum impositionis duntaxat meminit. « Impositio manuum, inquit, est duplex. Una est miracula faciens, sicut « quandò Christus per manûs impositionem curabat « infirmos, Lucæ 4, et hæc non est sacramentalis. « Alia est sacramentalis, et hæc est duplex. Una in « sacramento Ordinis, 1 ad Tim. 5, *manus nemini citò « imposueris*. Alia est in sacramento Confirmationis « ad renovationem ; ad Tit. 3, *per lavacrum regenera- « tionis et renovationis Spiritûs sancti*, etc. In Confir- « matione enim datur Spiritus sanctus ad robur, ut « scilicet audacter homo confiteatur nomen Christi « coram hominibus. Sicut enim in esse naturæ priùs « generatur homo, et postea augetur et roboratur : ita « in esse gratiæ. » Alibi verò chrisma solum assignat pro materiâ : imò, 3 parte, quæst. 72, art. 2, ad 1, et art. 4, ad 1, apertè supponit manuum impositionem nunquàm fuisse materiam hujus Sacramenti.

SECTIO V.

De manuum impositione.

Circa manuum impositionem quæri potest, 1° utrùm hæc ab apostolis ad nos usque in Ecclesiâ, præsertim occidentali, inter confirmandum adhibita fuerit ; 2° utrùm manûs impositio essentialis olim esset Confirmationi ; 3° utrùm antiqui præter manuum impositionem à chrismatione diversam aliam agnoverint, quæ unâ eâdemque actione cum frontis chrismatione administraretur ; 4° utrùm seculis 7, 8, 9, 10, 11, 12 et 13, manuum impositio, quæ chrismationem præcedit, fuerit mera cæremonia ; 5° utrùm hodiè in Occidente utraque manuum impositio in Confirmatione adhibeatur, et utraque, vel alterutra essentialis sit ; 6° an utriusque manûs impositio requiratur, an unius sufficiat ; 7° dexteræne manûs an sinistræ ; 8° utrùm Græci veteres in hoc Sacramento manuum impositionem adhibuerint ; 9° utrùm hæc manuum impositio prioris vel posterioris generis esset ; 10° utrùm hodie in Oriente utraque manûs impositio adhibeatur, et utraque essentialis sit, vel alterutra sufficiat.

§ 1. *Utrùm manuum impositio ab apostolis ad nos usque in Ecclesiâ, præsertim occidentali, inter confirmandum adhibita fuerit.*

Nostra propositio est affirmans. Hanc enim manuum impositionem seculo I in Confirmatione adhibitam fuisse ab apostolis, testantur Lucas, Actuum 8 et 19, et Paulus ad Hebr., cap 6. Eam etiam in eodem Sacramento usurpatam fuisse testantur, seculo II, Irenæus et Tertullianus ; seculo III, Origenes, Cyprianus, Firmilianus, auctor anonymus, qui scripsit adversùs Cyprianum, et concilium Illiberitanum ; seculo IV, concilium Arelatense I, concilium Nicænum I, Siricius, Chrysostomus, et Ambrosiaster ; seculo V, Hieronymus, Augustinus, Leo Magnus, Theodoretus, Gennadius archiepiscopus Constantinopolitanus, Gennadius presbyter Massiliensis et auctor 50 Homiliarum, quæ sub Eusebii Emisseni nomine circumferuntur ; seculo VI, Primasius, Gregorius Magnus, et Eulogius Alexandrinus ; seculo VII, concilium Hispalense II, et Isidorus Hispalensis ; seculo VIII, Beda, Gregorius III, Zacharias pontifex, Ordo Romanus, Alcuinus, Theodulphus Aurelianensis, et Magnus Senonensis ; seculo IX, Capitula ecclesiastica Caroli Magni, Jesse Ambianensis, Rabanus, Jonas Aurelianensis, concilium Parisiense VI, Amalarius, Walafridus Strabo, liber de Officiis divinis, Alcuino adscriptus, Hincmarus Rhemensis, Isaac Lingonensis, et Ratramnus ; seculo X, Œcumenius ; seculo XI, Lanfrancus, Theophylactus, Yvo Carnutensis, Simeon Thessalonicensis ; seculo XII, Rupertus, Robertus Pullus, et Hugo Victorinus ; quorum omnium auctorum textus supra descripsimus. Idem testati sunt, seculo XIII, Innocentius III, lib. 1 Decret., tit. 4, cap. *Quanto :* « Pervenit ad audientiam nostram, quòd quidam « simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea Sa- « cramenta præsumunt fidelibus exhibere quæ ab « Apostolorum tempore fuerunt solis pontificibus re- « servata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod « chrismando renatos soli debent episcopi per manûs « impositionem conferre. » Et tit. 15, cap. *Cùm venisset*, « Per frontis chrismationem manûs im- « positio designatur, quæ alio nomine dicitur Con- « firmatio, quia per eam Spiritus sanctus datur ad « robur. Undè cùm cæteras unctiones simplex sa- « cerdos valeat exhibere, hanc nonnisi summus sa- « cerdos (id est episcopus) debet conferre ; quia de « solis apostolis legitur (quorum vicarii sunt epi- « scopi) quòd per manûs impositionem Spiritum « sanctum dabant, quemadmodùm Actuum Apostolo- « rum lectio manifestat. » Guillelmus Arvernus episcopus Parisiensis, cap. de Confirmat., in fine : « Ad « impositionem manuum apostolorum solebat dari « Spiritus sanctus, et datur modò ad impositionem « manuum episcoporum. « Synodus Sarumensis, seu Constitutiones Richardi Proore Sarum in Angliâ episcopi, ad annum 1230, cap. 13 : *Secundum Sacramentum est impositio manûs, quæ fit ab episcopo, quæ Confirmatio dicitur*, etc. Concilium Dunelmense, seu constitutiones Richardi Dunelmensis in Angliâ episcopi, sub idem tempus promulgatæ, idem habent. S. Thomas, Comment. in cap. 6 ad Hebr., meminit sacramentalis manuum impositionis confirmatoriæ. Textum retulimus sect. 4 præcedenti. Gregorius X, in epistolâ Michaelis Palæologi ad eumdem pontificem in concilio Lugdunensi II relatâ : *Aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt chrismando renatos.*

Mitto auctores seculi 14, 15, 16 et 17. Sed prætermitti non debet concilium Coloniense, anno 1536, parte 7, cap. 8 : « Omnes fideles per manûs imposi- « tionem episcoporum, Spiritum sanctum post Bapti- « smum accipere debent, ut pleni christiani invenian- « tur, » etc. Concilium Moguntinum, anno 1547, parte 1,

cap. 17 : « Sacramentum Confirmationis ex institu-« tione Christi, et apostolorum praxi, Ecclesiæ reli-« ctum esse, in quo Spiritum sanctum, quo in Ba-« ptismo ad peccati emundationem signati sumus, « cum novo gratiæ suæ munere accipimus ad confes-« sionem Christi, fiduciam, etc., Actus ipsorum satis « testantur. Unde Ecclesia catholica Spiritum sanctum « per manus episcoporum fidelibus tradendi normam « accepit. » Concilium Rhemense, anno 1583, cap. de Confirmat. : « Quamvis unusquisque per Baptismum « catalogo fidelium sit adscriptus, ad diaboli tamen, « carnis, mundique tentationes perferendas ac supe-« randas, nonnisi per impositionem manuum episcopi « plus roboris et gratiæ recipit. » Concilium Narbonense, anno 1609, cap. 15 : « Sanctorum Patrum in-« stitutionibus constat, nos in Baptismo regenerari ad « vitam; et post Baptismum in hoc Sacramento, quo « per impositionem manuum episcopi Spiritus sanctus « diffunditur in corda fidelium, robur atque fortitudi-« nem dari. » Et Pontificale Romanum, in quo bis episcopus manum imponit confirmandis : semel, cùm super eos manus extendit et orat; et rursùm, cùm signat in fronte atque ungit.

§ 2. *Utrùm apostoli Spiritum sanctum per manuum impositionem neophytis conferendo, non modò rem Sacramenti, sed et et ipsum Confirmationis Sacramentum contulerint.*

Negant Alexander Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, et alii auctores secundæ sententiæ, qui primam et secundam viam ineunt. Affirmant cæteri.

Nostra propositio est affirmans, eaque probatur, 1° ratiociniis, quibus manuum impositionem, quam apostoli super neophytos adhibuerunt, Act. 9 et 19, et ad Hebr., cap. 6, verum esse novæ legis Sacramentum ostendimus supra, disput. 1, quæst. 1, art. 2, sect. 1; 2° auctoritate Cypriani, epist. 73 ad Jubaianum : « Quod deerat, inquit, id à Joanne et Petro « factum est, ut oratione pro eis habitâ et manu impo-« sitâ invocaretur et infunderetur super eos Spiritus « sanctus; quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui « in Ecclesiâ baptizantur, præpositis Ecclesiæ offe-« rantur, et per nostram orationem ac manuum im-« positionem Spiritum sanctum consequantur, et si-« gnaculo Dominico consummentur. » Quibus Cyprianus ait idem factitatum fuisse ab Apostolis, quod ætate suâ fiebat ab Ecclesiæ præpositis, dùm Confirmationis Sacramentum administrabant; neque tantummodò idem quoad effectum, sed etiam quoad Sacramentum, sicut evincunt hæc verba : « Et per nostram « orationem ac manûs impositionem Spiritum sanctum « consequantur, ac signaculo Dominico consummen-« tur. » 3° Auctoritate anonymi, qui scripsit adversùs Cyprianum. « Per manûs impositionem episcopi, datur « unicuique credenti Spiritus sanctus, sicut apostoli « circa Samaritanos, post Philippi baptisma, manum « eis imponendo fecerunt, et hâc ratione Spiritum san-« ctum in eos contulerunt. » Non alio igitur modo apostoli Spiritum sanctum contulêre, quàm episcopi; nque alio modo episcopi, quàm apostoli; sed episcopi ætate hujus auctoris conferebant per verum Sacramentum.

4° Auctoritate Chrysostomi, ad caput 8 Actuum, asserentis hoc nunc facere episcopos, quod apostoli manuum impositione et oratione super neophytos faciebant; sed impositio manuum et oratio, quas ætate Joannis episcopi adhibebant, erant verum novæ legis Sacramentum.

5° Auctoritate Hieronymi, in dialogo, dicentis : « An « nescis ecclesiarum esse morem, ut baptizatis postea « manus imponantur, et ita invocetur Spiritus san-« ctus? Exigis ubi scriptum sit? in Actibus Aposto-« lorum. »

Et infra : « Quòd si quæris, quare in Ecclesiâ ba-« ptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spi-« ritum sanctum, disce hanc observationem ex eâ « auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini « Spiritus sanctus ad apostolos descendit. » Eadem igitur erat manuum impositio, quâ apostoli et antistites Hieronymi ætate conferebant Spiritum sanctum. Atqui manuum impositio, de quâ Hieronymus, Sacramentalis erat, et de ipsâ loquitur tanquàm de sacramento.

6° Auctoritate Augustini, lib. 15 de Trinitate, cap. 26 : « Orabant Apostoli ut Spiritus sanctus veniret « in eos quibus manus imponebant. Quem morem in « suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. » Ætate igitur Augustini religiosè observabatur hæc ipsa manuum impositio, quâ apostoli usi fuerant. Sed hæc manuum impositio, de quâ Augustinus, erat sacramentalis.

7° Auctoritate Isidori Hispalensis, Bedæ, Jesse Ambianensis, Theodulphi Aurelianensis, Amalarii Fortunati, Walafridi Strabonis, concilii Parisiensis VI, Jonæ Aurelianensis, auctoris libri de divinis Officiis, Alcuino adscripti, et Bertramni. Hi si quidem auctores, quorum testimonia descripsimus, disp. 1, quæst. 1, art. 2, sect 1, utramque manuum impositionem ab apostolis adhibitam, et ab episcopis adhiberi solitam, eamdem omninò faciunt : sed quæ ab apostolis adhiberi solebat, sacramentalis erat ex iisdem auctoribus.

8° Auctoritate Innocentii III, cujus textum descripsimus § præcedenti.

9° Auctoritate concilii Parisiensis, quod vulgò Senonense dicitur, anno 1528 celebrati, titulo de Decretis fidei, cap. de Sacramento Confirmationis : « Sacra-« mentum Confirmationis Christus instituit, quod, ex « Actis Apostolorum, apud Ephesios, à Paulo, et ex « Dionysio, Clemente, et Fabiano pontificibus, à pri-« mitivâ quondàm Ecclesiâ legimus observatum. Unde « et tunc impositionis manuum, nunc Confirmationis « appellatum est Sacramentum. »

10° Auctoritate concilii Moguntini, anno 1547, cap. 17 : « Sacramentum Confirmationis ex institutione « Christi, et apostolorum praxi, Ecclesiæ relictum « esse, etc., Actus ipsorum satis testantur. Unde Ec-« clesia catholica Spiritum sanctum per manus epi-« scoporum fidelibus tradendi normam accepit. » Hoc igitur Sacramentum à Christo institutum est, ab apostolis administratum, et ex apostolorum praxi Eccle-

sia catholica Spiritum sanctum per manûs impositionem tradendi normam accepit.

His accedit testimonium epistolæ 3, sub Eusebii nomine, ad episcopos Tusciæ et Campaniæ, seculo VIII confictæ, et apud Gregorium presbyterum in suo Polycarpo relatæ, lib. 3, tit. 10, Buchardum, lib. 4, cap. 63, Yvonem, parte 1, cap. 257, et 277, et apud Gratianum, in Decreto etiam Gregorii XIII auctoritate castigato, de Consecrat., dist. 5, cap. 4 : « Manûs quo- « que impositionis Sacramentum magnâ veneratione « tenendum est : quod ab aliis perfici non potest, « nisi à summis sacerdotibus, nec tempore apostolo- « rum ab aliis, quàm ab ipsis apostolis legitur, aut « scitur peractum esse, etc. »

§ 3. *Utrùm manuum impositio, cujus veteres et recentiores mentionem faciunt, essentialis sit Confirmationi.*

Negant auctores secundæ opinionis : affirmant cæteri, et meritò.

1° Ritus ille Sacramento essentialis est, cui tribuitur virtus sanctificandi simpliciter. Atqui manuum impositioni Patres tribuunt hanc virtutem. Item ritus ille sacramento Confirmationis essentialis est, cui tribuitur proprius Confirmationis effectus. Atqui Patres manuum impositioni tribuunt proprium Confirmationis effectum. Utraque propositio probata manet testimoniis disp. 1, quæst. 1, art. 2, sect. 1 et 2, relatis; quæ, quantùm fieri poterit, contrahemus. Tertullianus, lib. de Resurrectione, cap. 8 : *Caro abluitur, ut anima emaculetur : caro manûs impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur.* Et lib. de Baptismo : *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum*, etc. Cyprianus in epistolâ 73 : *Qui in Ecclesiâ baptizantur, per nostram orationem, ac manûs impositionem, Spiritum sanctum consequuntur.* Et in epist. 74 : *In Christi nomine manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum.* Et postea : *Per manûs impositionem* fidelis *Spiritum sanctum jam natus accipit.* Firmilianus in epistolâ ad Cyprianum : *Ad accipiendum Spiritum sanctum manus imponitur*, etc. *Valet manûs impositio ad accipiendum Spiritum sanctum.* Auctor anonymus, qui scripsit adversùs Cyprianum, de quo § 2 præcedenti. Concilium Illiberitanum, can. 38 : *Si baptizatus in necessitate supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manûs impositionem verfici possit.* Hieronymus in Dialogo : *In Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi non accipit Spiritum sanctum.* Augustinus, tract. 6 in 1 Epist. Joannis : *Infantibus* baptizatis *imponitur manus, ut accipiant Spiritum sanctum.* Theodoretus, in cap. 6 ad Hebr. : *Per manum sacerdotalem, Spiritûs gratiam accipiunt.* Gennadius Constantinopolitanus in idem caput : *Baptizati seipsos subjiciunt impositioni manuum sacerdotum ad participationem Spiritûs sancti.* Gennadius Massiliensis : *Baptizatus manûs impositione pontificis accipit Spiritum sanctum.* Auctor 50 homiliarum, quæ sub Eusebii Emisseni nomine circumferuntur : *Quod nunc in confirmandis neophytis, manûs impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritûs sancti descensio in credentium populos donavit universis.* Primasius in cap. 6 ad Hebr. : *Per impositionem manuum plenissimè creditur accipi donum Spiritûs sancti.* Gregorius Magnus, hom. 17 in Evang. : *Per impositionem nostrarum manuum à Deo Spiritum sanctum accipiunt.* Infinitum esset omnia recensere. Recole testimonia quæ tota sectione 2, art. 2, quæst. 1, descripsimus : seculo VII, ex concilio Hispalensi II, et Isidoro Hispalensi : seculo VIII, ex Bedâ, Gregorio III, Zachariâ pontifice, Ordine Romano, Alcuino, Theodulpho Aurelianensi et Magno-Senonensi : seculo IX, ex capitulis ecclesiasticis Caroli Magni, Jesse Ambianensi, Rabano, Jona Aurelianensi, concilio Parisiensi VI, Amalario, Walafrido, libro de divinis Officiis, Hincmaro, Isaaco Lingonensi, et Ratramno : seculo X, ex Œcumenio : seculo XI, ex Lanfranco, Theophilacto, Yvone Carnutensi : et Simeone Thessalonicensi : seculo XII, ex Ruperto, Roberto Pullo, et Hugone Victorino.

Eamdem virtutem confirmatoriæ manuum impositioni tribuunt seculis retrò sequentibus Innocentius III, Guillelmus Arvernus, episcopus Parisiensis, synodus Sarumensis, synodus Dunelmensis, Gregorius X, synodus Coloniensis, Moguntina, Rhemensis, et Narbonensis, de quibus § 1 et 2 præcedentibus.

2° Quia ex præfatis auctoribus plures hanc manuum impositionem aiunt eamdem esse, quæ ab apostolis adhibita fuit, et ejusdem esse virtutis; ita Cyprianus, auctor anonymus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, auctor 50 homiliarum, Isidorus Hispalensis, aliique auctores relati vel citati § 2 præcedenti. Atqui hæc manuum impositio, quam apostoli adhibuerunt, essentialis erat Confirmationi; quandoquidem per eam administrârint Sacramentum Confirmationis, et Spiritum sanctum contulerint, ex eodem § 2.

3° Quia ex citatis auctoribus aliqui non solùm huic manuum impositioni tribuunt virtutem sanctificandi, et conferendi Spiritum sanctum, sed etiam aiunt hanc veritatem esse de fide, et unum ex primariis fidei catholicæ fundamentis, quibus instrui debent catechumeni : ita Gennadius Constantinopolitanus seculo 5, Primasius seculo 6, Eulogius Alexandrinus seculo 7, Photius seculo 9, Œcumenius seculo 10, Lanfrancus seculo 11, et Anselmus seculo 12 : quæ quidem hi septem auctores asserunt, cùm verba initio capitis 6 ad Hebr. relata interpretantur. Paulus enim eò loci apertè docet, hæc esse religionis fundamenta, *pœnitentiam ab operibus mortuis, fidem ad Deum, Baptisma, impositionem manuum, resurrectionem et judicium æternum.*

4° Quia omnes ferè auctores citati Confirmationis Sacramentum in manuum impositione apertè constituunt. Recole præ cæteris Cyprianum, auctorem anonymum, Hieronymum, Augustinum, Leonem Magnum, Gennadium Constantinopolitanum, Gennadium Massiliensem, Primasium, Gregorium Magnum, concilium Hispalense II, Bedam, Gregorium III, Zachariam pontificem, Ordinem Romanum, Alcuinum, Theodulphum Aurelianensem, Magnum Senonensem,

Capitula Caroli Magni, Jesse Ambianensem, Jonam Aurelianensem, concilium Parisiense VI, Walafridum Strabonem, Hincmarum Rhemensem, Photium, qui *manum imponi*, et *accipere Spiritum sanctum*, pro eodem habet, Ratramnum, Œcumenium, Lanfrancum, Simeonem Thessalonicensem, Hugonem Victorinum, Innocentium III, Gregorium X, synodos Sarumensem, Dunelmensem, Coloniensem, Moguntinam, Rhemensem, et Narbonensem.

5° Quia ex citatis auctoribus plures et manuum impositionis et unctionis simul mentionem faciunt, ita ut vel utrique, vel soli manuum impositioni tribuant virtutem conferendi Spiritum sanctum : ita Cyprianus in epistolà 73 : *Qui baptizantur per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequuntur, et signaculo dominico*, id est, unctione *consummantur*. Ita Augustinus lib. 15 de Trinitate, cap. 26, concilium Hispalense II, Isidorus Hispalensis, Beda Comment. in cap. 1 Cantic., Ordo Romanus, Theodulphus Aurelianensis, Jesse Ambianensis, Rabanus Maurus, Amalarius, Bertramnus, concilium Vormatiense anno 868, Simeon Thessalonicensis, Rupertus, et Hugo Victorinus.

6° Quia plures ex præfatis auctoribus modum recensentes, quo Confirmatio administrari debet, manuum impositionem requirunt : ita Tertullianus, Leo Magnus, Gregorius Magnus, Gregorius III, Ordo Romanus, Alcuinus, Theodulphus Aurelianensis, Magnus Senonensis, Capitula Caroli Magni, concilium Parisiense VI, Amalarius, Rabanus, liber de divinis Officiis, Innocentius III, Gregorius X, synodus Coloniensis, Moguntina, Rhemensis, Narbonensis, pontificale Romanum.

7° Quia plures ex citatis auctoribus hanc manuum impositionem vocant Sacramentum, eique rationem et virtutem Sacramenti assignant. Ita auctor anonymus, col. 623 et seq.; Augustinus, col. 687 et seq., et 691, n. 4 et 5; Jonas Aurelianensis, col. 721 et 722; concilium Parisiense VI, col. 722 et seq.; Amalarius, col. 723 et seq.; Rupertus, Hugo Victorinus, Innocentius III, synodus Sarumensis, et Dunelmensis, Gregorius X, synodus Moguntina, Rhemensis, et Narbonensis.

8° Quia plures ex citatis auctoribus hanc manuum impositionem in ratione Sacramenti comparant cum Baptismo, vel cum Eucharistià, vel cum Ordinatione. Ita Tertullianus, col. 584 et seq.; Cyprianus, 609 et 610, etc.; Firmilianus, col. 613 et seq., et 617, n. 8 et 10; auctor anonymus, col. 625 et seq.; Augustinus, Gennadius Constantinopolitanus, Alcuinus, Theodulphus, Capitula Caroli Magni, Jonas, concilium Pariense VI, Amalarius, Œcumenius, Goffridus Vindocinensis, Rupertus et Hugo Victorinus.

9° Quia plures ex citatis auctoribus aiunt hanc manuum impositionem iterari non posse. Ita Augustinus, col. 689, textu 3; Gennadius Constantinopolitanus, Primasius, Eulogius Alexandrinus, Capitula Caroli Magni, Œcumenius, et Anselmus.

Illis addes argumenta petita ex Tertulliano, col. 586 et 587, arg. 3, 4, 5 et 6; ex Cypriano et Firmiliano, col. 617, arg. præsertim 8 et 10; ex Augustino, col. 691, arg. 3, 4, 5 et 6; quibus probatur hanc manuum impositionem non esse meram cæremoniam, sed verum Sacramentum.

Denique in Scripturis pro symbolo externo Confirmationis, traditur manuum impositio, ut patet ex Actis, c. 8, v. 14, et cap. 19, v. 6, et ad Hebr., c. 6, v. 1 et 2.

Respondet Gregorius de Valentià impositionem manuum, de quà in Scripturis sacris, non esse de essentià sed meram fuisse cæremoniam.

Verùm, si ita est, non possumus Scripturis sacris convincere hæreticos Confirmationem esse Sacramentum, quia nullum aliud hujus Sacramenti symbolum exteriùs in Scripturis sacris demonstrari potest. Deinde, si ita licet exponere, poterimus negare materias omnium Sacramentorum : dicam enim aquam non esse de essentià in Baptismo secundùm Scripturas, nec vinum in Eucharistià, nec oleum in Extremâ Unctione. Præterea Scriptura non solet in aliis Sacramentis tradere nisi essentiali cæremonias, et vix etiam illas integrè. Quis ergo sibi persuadeat in hoc Sacramento semper nominari ritum accidentalem, omisso essentiali? Denique Lucas refert per manuum impositionem dari Spiritum sanctum. Ergo manûs impositio est pars Sacramenti essentialis; nec enim gratiæ promissio cæremoniis accidentalibus, sed essentialibus facta est.

§ 4. *Solvuntur objectiones adversùs tres paragraphos præcedentes.*

Ex primo et tertio paragrapho præcedenti apparet falli auctores secundæ opinionis, sive illi velint manuum impositionem penitùs abolitam, unctionemque in ejus locum suffectam fuisse; sive illi existiment, manuum impositionem de materià essentiali factam esse ritum Sacramenti accidentalem. Prior sensus toto § 1 refellitur, et posterior toto § 3.

Quinque tamen objici possunt adversùs doctrinam tribus paragraphis præcedentibus traditam.

Prima objectio petitur ex decreto Eugenii IV, in quo pontifex pro materià Confirmationis chrisma solum assignat : *Secundum*, inquit, *Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum*, etc.

Verùm in præsenti materià responderi potest, quod respondent Bellarminus in libro de Sacramento Ordinis, cap. 9; Meratius, disp. 7, sect, 2; Gammachæus, 3 p. de Sacramento Ordinis, c. 4, § 2; Ysambertus de Sacramento Ordinis, disp. 2, art. 3; Hallerius de sacris Electionibus, pag. 441, et alii, qui Ordinum materiam in manuum impositione, non in porrectione instrumentorum constituunt. Etenim, si Bellarmino dicere licuit : « Concilium Florentinum « non explicuisse totum ritum, sed solùm unam par- « tem....Cur autem ex duabus partibus magis expri- « mere voluerit porrectionem instrumentorum quàm « impositionem manuum, duplicem rationem esse « potuisse. Unam, quia intendebat assignare pro ma-

« terià rem aliquam subsistentem, sicut fecit in Ba-« ptismo, Confirmatione, Eucharistià, et Extremâ « Unctione : res autem subsistens non est impositio « manuum, sed et calix et patena.... Alteram, quia « fortassè Armeni, qui à concilio instruebantur, in « hâc re errabant, et non in aliâ. » Si Meratio respondere licuit : « Concilium non suscepisse ex pro-« fesso declarandam accuratè singulorum ordinum « materiam et formam totalem ac integram ; » Gammachæo : « Concilium meminisse solùm porrectionis « instrumentorum, quia altera (manuum impositio) « satis erat per se nota ex Scripturis sacris ; » et Hallerio : « Concilium Florentinum non omnem ordina-« tionis materiam attulisse, sed eam solam, quæ ex-« pressiùs effectum ordinum explicaret, etc. » Quidni licebit idem respondere in eâ materiâ Confirmationis ?

Secunda objectio petitur ex eodem Eugenii decreto, in quo pontifex postquàm de apostolicâ manuum impositione locutus est, quæ Actorum 8 refertur, subjicit : *Loco autem illius manûs impositionis datur in Ecclesiâ Confirmatio.* Cui textui duplex sensus, qui auctoribus secundæ opinionis faveat, adhiberi potest. Primus est, loco apostolicæ manuum impositionis datur in Ecclesiâ Confirmatio, hoc est, Confirmationis sacramentum ; quasi apostolicæ manuum impositioni successerit Confirmationis sacramentum. Secundus est, loco apostolicæ manuum impositionis, datur in Ecclesiâ Confirmatio, hoc est, unctio Confirmationis ; quasi apostolicæ manuum impositioni successerit unctio, quæ modo Confirmationi essentialis est. Prior sensus favet auctoribus secundæ opinionis, qui primam et secundam viam ineunt : posterior autem aliis, qui volunt manuum impositionem penitùs abolitam, unctionemque in ejus locum suffectam fuisse ; vel qui existimant manuum impositionem, non fuisse quidem abolitam, sed de materiâ essentiali factam fuisse ritum accidentalem.

Auctores verò primæ et tertiæ opinionis, ut ab hoc textu sese expediant, varias solutiones adhibent.

Ægidius Conink, in 3, quæst. 72, art. 3, dub. 2, sub finem, respondet hoc decreto *indicari, non rem rei, sed nomen nomini successisse ;* quasi illud, quod prius dicebatur manuum impositio, nunc appelletur Confirmatio : quam quidem interpretationem plures theologi hodiè sequuntur, et ad eam confirmandam adducunt auctoritatem concilii Parisiensis, quod vulgò Senonense dicitur, cujus textum descripsimus § 2 præcedenti. Verùm hæc interpretatio textui vim facit : neque concilium Parisiense meminit decreti Eugenii, aut ad illud alludit.

Ysambertus, in 3 part., quæst. 72, disp. 1, art. 4, respondet, decretum Eugenii *velle tantùm episcopos per Confirmationem nunc id agere in Ecclesiâ, quod ipsi apostoli agebant per manuum impositionem, quòd scilicet dent Spiritum sanctum, quem tunc dabant apostoli, ut patet ex antecedentibus.*

Suarez, in 3 partem, quæst. 72, art. 4, disp. 33, sect. 4, respondet illis verbis non significari diversa esse hæc sacramenta, aut diversos illorum ritus : sed solùm, hoc facere episcopos nunc confirmando, quod apostoli faciebant manus imponendo : et idem nunc significari nomine Confirmationis, quod tunc manûs impositionis.

Bellarminus, lib. de Confirm., cap. 9, duas solutiones affert. Prima est, *non omnia quæ habentur in decretis aut conciliis, ad fidem pertinere, sed solùm ea quæ definiuntur : hoc autem de quo agimus, non definitur, sed tantùm obiter dicitur ad rem explicandam.* Secunda Innocentium et concilium (nempe Florentinum) « Non velle dicere, chrisma esse loco impositionis « manuum, quasi apostoli non uterentur chrismate « et nos non utamur impositione manûs : sed velle « dicere : id ipsum quod apostoli faciebant, cùm di-« cebantur imponere manus, facere nunc episcopos, « cùm dicuntur confirmare vel chrismare. Distingui-« tur enim in his locis (decretum intelligit Eugenii, et « textum Innocentii III, de quo infra, object. 3) non « ritus à ritu, sed modus loquendi à modo loquendi, « et personæ à personis, et denique illa particularis « impositio manuum ab istâ, quæ modò est : siquidem « tunc communiter dicebatur hoc Sacramentum, im-« positio manûs nunc dicitur communiter Confirma-« tio ; præterea illam dabant apostoli, istam episcopi : « denique illa erat efficacior, quia cum effectu interno « dabat etiam externum, et cum gratiâ gratum fa-« ciente dabat etiam dona gratis data linguarum et « miraculorum, etc. Hâc ergo ratione dici potest, id « quod nunc fit, esse loco ejus, quod tunc fiebat, licet « sit idem quoad substantiam. Et quòd hic sit sensus « eorum locorum, probatur dupliciter. 1° Quia conci-« lium et Innocentius non dicunt, chrisma esse loco « impositionis manuum (fallitur quoad Innocentium), « sed Sacramentum Confirmationis esse loco imposi-« tionis manuum. At certè apostoli omnium consensu « dabant Sacramentum Confirmationis (Alensis tamen « et Bonaventura id absolutè negant : id etiam negat « D. Thomas, cùm apostoli solâ manuum impositione « usi sunt), sive adhibuerint chrisma sive non. 2° Quia « concilium et Innocentius ibidem dicunt, episcopos « esse in Ecclesiâ loco seu vice apostolorum. At certè « apostoli veri episcopi erant, licèt aliquid etiam am-« pliùs haberent. »

Meratius, tract. de Confirm., disp. 2, sect. 2, explosâ responsione 2 Bellarmini, respondet, « Conce-« dendum esse Innocentium et Eugenium favere ei « sententiæ, quæ asserit apostolos aliquando sine « chrismatis unctione per manûs impositionem Con-« firmationis Sacramentum administrâsse : quo non « obstante, licet contrariæ sententiæ tanquàm pro-« babiliori adhærere, cùm quod ab illis dictum est, « non fuerit ab iis tanquàm dogma fidei definitum, « sed ad uberiorem doctrinæ, quam de Sacramento « Confirmationis tenebant, explicationem obiter et ex « occasione insertum. »

Certum mihi videtur 1° hunc non esse Eugenii sensum, quòd apostolicæ manuum impositioni successerit Confirmationis sacramentum; alioqui apostoli manum imponendo baptizatis Sacramentum minimè contulis-

sent, quod falsum esse probavimus § 2, et ipsa apostolica manuum impositio non fuisset essentialis, sed diversæ prorsùs rationis à Confirmationis sacramento, quod falsum esse ostendimus § 3 : neque sacramentum Confirmationis ab apostolorum tempore complecteretur manuum impositionem ; quæ enim res succedit alteri, ipsam excludit : quod etiam falsum esse probavimus eodem § 3.

2° Hunc non esse Eugenii sensum, quòd apostolicæ manuum impositioni successerit unctio, quasi hæc manuum impositio abrogata fuerit : hanc enim adhuc in Ecclesiâ, præsertim occidentali, observari ostendimus, § 1.

3° Hunc non esse Eugenii sensum, quòd apostolicæ manuum impositioni successerit unctio, quasi hæc manuum impositio de materiâ essentiali facta fuerit ritus accidentalis : hanc enim Sacramento essentialem esse ostendimus, § 3.

4° Eugenii verbis non indicari, quòd Confirmatio successerit episcopali manuum impositioni, sed apostolicæ, hoc est, ab ipsis apostolis administratæ : quod discrimen observari debet.

Verus igitur sensus repeti debet ex ipsis decreti verbis, quibus Eugenius postquàm dixit, *apostolorum vicem tenent episcopi*, paucis interjectis subjicit, loco illius apostolicæ *manûs impositionis datur in Ecclesiâ Confirmatio*. Utrobique eadem ferè phrasis : utrobique sicut apostolorum vicem tenent episcopi, ita apostolicæ manûs impositionis vicem tenet Confirmatio. Sicut igitur episcopi successerunt apostolis, qui tamen ipsi erant episcopi ; ita Confirmatio successisse dicitur apostolicæ manuum impositioni, quæ tamen ipsa verum erat Confirmationis Sacramentum. Et sicut apostolis successerunt episcopi, neque episcopi diversam ab apostolicâ auctoritatem habent ; ita apostolicæ manuum impositioni successit Confirmatio, quin diversam ab apostolicâ manuum impositione virtutem et efficaciam habeat. Eadem igitur est apostolorum et episcoporum auctoritas, eadem est apostolicæ manuum impositionis et Confirmationis efficacia. Episcopi tamen dicuntur successisse apostolis, quia apostoli id ipsum poterant, quod hodiè possunt episcopi ; non tamen hodiè possunt episcopi quidquid poterant apostoli ; nec enim signa facere et variis linguis loqui possunt, quemadmodùm olim apostoli : ita Confirmatio dicitur successisse apostolicæ manuum impositioni, quia hæc manuum impositio eamdem virtutem habebat, quam hodierna Confirmatio ; non tamen hodierna Confirmatio eam omnem virtutem habet, quam apostolica manuum impositio ; nec enim episcopi confirmando, licèt conferant Spiritum sanctum, eum hodiè conferunt modo visibili, aut præter gratiam sanctificantem conferunt gratias gratis datas : quæ duo tamen apostoli, neophytos confirmando, eis conferebant.

Tertia objectio petitur ex verbis Innocentii III, relatis lib. 1 Decretalium, tit. 15, cap. *Cùm venisset*, et descriptis § 1 præcedenti : *Per frontis chrismationem manûs impositio designatur*. Cui textui adversarii eamdem interpretationem ; Conink verò, Ysambertus, Suares, Bellarminus, et Meratius eamdem responsionem afferunt, quam Eugenii decreto.

Verùm Innocentii textus nihil favet adversariis. Hunc enim textum expendenti apparebit, 1° manuum impositionem, quam Innocentius ait per frontis chrismationem designari, eam esse, quæ ab episcopis quotidiè adhibetur, non autem eam, quæ Samaritanis, aliisque neophytis ab apostolis solemni apparatu adhibita fuit : 2° hanc manuum impositionem, ipsum esse Confirmationis Sacramentum : 3° hanc manuum impositionem dici Confirmationis Sacramentum, quia per eam Spiritus sanctus datur ad robur : 4° per frontis chrismationem ita designari manuum impositionem, ut frontis chrismatio manuum impositionem non excludat, sed eam includat, vel saltem admittat, et secum patiatur. *Per frontis chrismationem*, inquit, *manûs impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus datur ad robur*. Et alibi : *Sacramentum Confirmationis, chrismando renatos, soli debent episcopi per manûs impositionem conferre*. Quid igitur sibi volunt adversarii, cùm Innocentium nobis opponunt ?

Eodem modo solvi debet quarta objectio petita ex Innocentio IV, in epistolâ 10, ad Ottonem cardinalem, cap. 4. *Soli apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manûs impositionem, quam Confirmatio vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur*. Repræsentare enim idem est, ac præsentem sistere. Frontis autem chrismatio manuum impositionem præsentem sistit, quia ipsam complectitur. Quâ de re infra, § 5.

Quinta objectio petitur ex praxi Græcorum, qui nullam in Confirmatione manuum impositionem ab omni ævo adhibent. Verùm id falsum esse probaturi sumus infra.

§ 5. *Utrùm antiqui, præter manuum impositionem à chrismatione diversam, aliam agnoverint quæ in ipsâ chrismatione includatur*.

Negat Sirmondus in Antirrhetico 2, pag. 58 et 59, ubi ait manûs impositionem et chrismationem *diversas semper habitas esse ;* Thomam Waldensem redarguit, quia dixerit, *manum imponi ungendo :* subjicitque *ridiculum esse, impositionem manûs in frontis unctione quærere : nihil fingi potuisse absurdius*, denique *ridiculum somnium* esse : affirmant tamen gravissimi theologi, de quibus supra, art. 3 præcedenti, eorumque assertio verbis ipsis probari potest antiquorum, qui eodem ferè modo loquuntur, et idipsum, quod Thomas Waldensis, asserunt. Sic Beda in psalmum 26 : *Illa unctio, quæ per manûs impositionem ab episcopis fit, et vulgò Confirmatio dicitur*, etc. Et in caput 1 Canticorum, *Fideles omnes cum impositione manûs sacerdotalis, quâ Spiritus sanctus accipitur, hâc unctione signantur*. Sic Carolus Magnus, lib. 7 Capitularium, cap. 18 : *Ne quis à chorepiscopis per manûs impositionem consignari, vel confirmari usquàm velit*. Sic Rabanus, lib. 1 de Instit. cleric., cap. 28, *Episcopus baptizatum per manûs impositionem cum ipso chrismate consignat*. Sic Amalarius, lib. 1 de Officiis ecclesiasticis, cap. 27 : *Ut ab*

episcopis solis inungatur per manûs impositionem, ab apostolis assumptum est. Sic Ratramnus, lib. 4 contra opposita Græcorum : *Gratia Spiritûs sancti per impositionem manuum tribuitur ab episcopis : quod tunc fit, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur ab episcopis.* Et paulò post : *Donum Spiritûs sancti tribuitur per impositionem manuum, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur.* Sic Yvo Carnutensis in opusculo de Convenientiâ novi et veteris Testamenti : *Per manûs impositionem sacro chrismate contra spirituales nequitias confirmantur.* Sic Edmerus, in vitâ Beati Anselmi Cantuariensis, scribit quosdam adiisse S. Anselmum, ut eorum liberos, *per impositionem manûs suæ sacri chrismatis unctione signaret.* Sic Rupertus, lib. 5 de divinis Officiis, cap. 16 : *Omnis ecclesia unctione chrismatis per impositionem manuum consecratur.* Sic Hugo Victorinus, lib. 2 de Sacramentis, parte 7, cap. 2 : *Christianus unctione chrismatis per impositionem manûs in fronte signatur.* Et parte 15, cap. 1 : *Pontifex per manûs impositionem confirmandos ungit in fronte.* Sic Innocentius III, lib. 1 Decretalium, tit. 4, cap. *Quanto : Sacramentum Confirmationis, chrismando renatos, soli debent episcopi per manûs impositionem conferre.* Et tit. 15, cap. *Cùm venisset : Per frontis chrismationem manûs impositio designatur.* Denique Gregorius X, in epistolâ Michaelis Palæologi ad eumdem pontificem, in concilio Lugdunensi II relatâ : *Sacramentum Confirmationis per manuum impositionem episcopi conferunt chrismando renatos.*

Inde tamen non inferas, seculis, quibus hi auctores floruerunt, abrogatam fuisse manuum impositionem, quæ chrismationem præcedit, et distinctam formam habet : illam enim eorum ætate fuisse in usu, apparet ex antiquis ritualibus.

Objicit Sirmondus, *ridiculum esse impositionem manûs in frontis unctione quærere, cùm in verticis unctione, quod multò verisimilius foret, nemo usquàm somniârit.*

Verùm si diligenter quæsiisset, reperisset non somniâsse, sed ita locutum esse Rupertum, qui, lib. 5 de divinis Officiis, c. 16 : *Sylvester papa,* inquit, *constituit, ut baptizatum liniat presbyter chrismate, propter occasionem transitûs mortis, ne propter absentiam episcopi, et difficultatem eum consequendi, sine manûs impositione baptizati migrent.* Et Hugonem Victorinum qui, lib. 2 de Sacramentis, parte 7, c. 3, ait : *Sylvester papa constituit, ut baptizatum presbyter in vertice chrismate liniat, propter occasionem transitûs mortis, ne fortè propter absentiam episcopi, et difficultatem eum consequendi, sine manûs impositione baptizatum ab hâc vitâ migrare contingeret.* Cùm enim aiunt verticis unctionem à Sylvestro institutam, ne baptizatus sine manûs impositione decederet, planè dicunt manûs impositionem in verticis unctione inesse, eamque manûs impositionem, quæ impositionis manûs episcopalis imaginem aliquam præstat, ne baptizati eâ penitùs careant, dùm eam penitùs assequi non possunt. Addit Petrus Aurelius in suo Orthodoxo, parte 1, c. 7, *Inter frontis ac verticis unctionem plurimùm differre. Nam manûs impositio frontis unctioni admixta, in eam quodammodo transit : unde minimè mirum, si nomen ei suum conferat, quæ illi se ipsam contulit : quod cùm de verticis unctione dici nequeat, malè paria fecit* (Sirmondus) *quæ longè disparia sunt.*

§ 6. *Utrùm manuum impositio, quæ chrismationem præcedit, desierit essentialis esse seculis VI, VII et VIII ac retrò sequentibus.*

Constat ex Tertulliano, Cypriano, etc., manuum impositionem à chrismatione diversam, Sacramento Confirmationis essentialem fuisse. Quæritur utrùm seculis VI, VII et VIII, ac retrò sequentibus desierit essentialis esse, et mera evaserit cæremonia, quâ neophyti præpararentur ad suscipiendam Confirmationis gratiam. Hæc enim manûs impositio, quæ singulis neophytis confirmandis adhibebatur, deinde omnibus generatim adhiberi cœpit, desinente saltem seculo VI, uti constat ex Sacramentario Gregorii Magni ; unde Petrus Aurelius conjicit illam jam tum meram fuisse cæremoniam.

Affirmat igitur Aurelius, cujus mentem aperuimus supra, sect. 3, sed opposita sententia longè probabilior mihi videtur, eaque probatur ex administratione hujus Sacramenti, quæ in antiquis ritualibus describitur.

Sacramentarium Gregorii Magni : « Pontifex veniens « ad infantes, tenentē archidiacono chrisma, involu « tis scapulis et brachiis ex panno lineo, elevatâ ma- « nu suâ super capita omnium, dicit : Omnipotens « sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos « famulos tuos, ex aquâ et Spiritu sancto, quique de- « disti eis remissionem omnium peccatorum, emitte « in eos septiformem Spiritum tuum sanctum para- « cletum de cœlis, Spiritum sapientiæ et intellectûs, « Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ « et pietatis : adimple eos Spiritu timoris tui, et con- « signa eos signo crucis in vitam propitiatus æter- « nam : per Dominum nostrum Jesum Christum, Fi- « lium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in uni- « tate ejusdem Spiritûs sancti. ℟. Amen.

« Et interrogantibus diaconis nomina singulorum, « pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in « fronte unius, similiter per omnes sigillatim : qui- « bus expletis, jussi incipiunt in ecclesiâ litaniam « ternam, » etc. Ita editiones vulgatæ, quæ nullam, ut apparet, specialem formulam chrismationi correspondentem assignant. Nihil etiam prorsùs habet Gregorii Sacramentarium Romæ inter sancti istius opera editum ; nec aliud à Pamelio editum : nec illud antiquissimum Corbeiensis bibliothecæ à Menardo luce donatum : nec aliud, cujus idem Menardus mentionem facit. Atqui præfata oratio chrismationem præcedit, et manuum impositioni chrismationem præcedenti correspondet. Hæc igitur manuum impositio ætate Gregorii magni essentialis erat Confirmationi.

Concilium II Hispalense, anno 619, can. 7 : *Nec licet presbyteris per impositionem manûs fidelibus baptizatis paracletum Spiritum tradere, nec chrismate baptizatorum frontem signare, quia pontificatûs apicem non habent.* Idem habet concilium Wormatiense, anno

868, *can.* 8 : *Non licet presbyteris per impositionem manûs paracletum Spiritum tradere, nec chrismate baptizatorum frontem signare.* Utrobique manuum impositio, per quam traditur Spiritus sanctus, à chrismatione frontis distinguitur.

Ordo Romanus, qui VIII seculo compositus est : *Pontifex veniens ad infantes, tenente archidiacono chrisma, involutis scapulis et brachiis ex panno lineo, elevatâ et impositâ manu super capita eorum, det orationem super eos, cum invocatione septiformis gratiæ Spiritûs sancti. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus*, etc., *ut in Sacramentario. Oratione expletâ interrogantibus diaconis nomina singulorum, pontifex tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo : confirmo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* ℟. *Amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Ubi verbum, *confirmo*, ab aliquo interpolatum mihi videtur, sive quia deest in libro de divinis Officiis qui Ordinis Romani commentarius est; sive quia deest apud Amalarium ipsa Ordinis Romani verba referentem, lib. 1 de Officiis eccles., cap. 27, in fine : « Dicit Romanus libellus, de quo sæpè commemora- « vimus : Oratione expletâ, facit crucem cum pollice « ex chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo : « In nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti. Pax « tibi. Et cum spiritu tuo. »

Idem habet liber de divinis Officiis, qui seculo IX scriptus est : « Postquàm induti fuerint (infantes), dat « Pontifex super eos orationem, impositâ scilicet ma- « nu super capita eorum, cum invocatione septifor- « mis gratiæ Spiritûs sancti. Oratio : Omnipotens « sempiterne Deus, etc., ut supra. Hâc finitâ, facit « crucem de chrismate cum pollice in singulorum « frontibus, ita dicendo : In nomine Patris et Filii et « Spiritûs sancti. Pax tibi. Respondebant omnes : « Et cum spiritu tuo. »

Hanc verò posteriorem formulam, *in nomine Patris*, etc., quam nonnullis episcopis visum est in chrismationis unctione, dùm crux illa ab episcopo formaretur, pronuntiare, accidentalem prorsùs, et nullo modo Confirmationi essentialem esse, Amalarius, qui seculo IX scripsit, apertè innuit, lib. 1 de divinis Officiis eccles., cap. 27, ubi virtutem ac dignitatem confirmatoriæ manuum impositionis et unctionis frontalis expendens, illam repetit ex priori oratione, *Omnipotens sempiterne, Deus*, etc. Nec ullam aliam formam agnoscit. Multis verò interjectis, subjicit hanc formulam correspondere et similem esse orationi quâ primis Ecclesiæ temporibus apostoli et Augustini ætate episcopi utebantur. « Omnia, inquit, verba superiùs « memorata, orationis verba sunt; quoniam non ab « illis datur Spiritus, qui manus imponunt. Unde Au- « gustinus, in lib. 15 de Trinitate, titulo 24 : *Nullus « enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum san- « ctum : orabant quippe ut veniret in eos quibus manus « imponebant, non ipsi eum dabant, quem morem in suis « præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* » Tum postrema hujusce formulæ verba sic interpretatur. « Eum, « quem superiùs precatus est pontifex, ut mitteret « Spiritum sanctum, in sequentibus petit, ut susci- « pientem dignetur consignare in vitam æternam, id « est, ut eumdem Spiritum non amittat suscipiens, « usque dum perducat hospitem suum in vitam æter- « nam. » Formulæ verò, *in nomine Patris*, etc., nullam virtutem tribuit, nec ex illâ energiam impositionis manuum aut unctionis repetit; sed illius obiter tantùm meminit in fine capitis, illam leviter præterit, nec de illâ quidquam aliud in toto hoc prolixo capite asserit, nisi quod ab episcopis, dùm crucem frontibus imprimerent, diversa proferretur. « Solent, inquit, diverso modo orationem proferre ma- « gistri simul cum cruce, quam faciunt pollice in « frontibus infantium. » Alii quippè, ut ex ritualibus seculi IX constat, dicebant : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* alii : *Signum Christi in vitam æternam;* alii, aliter. Ex quibus sic argumentor : Formula ex quâ manuum impositio et unctio suam virtutem repetunt, Confirmationi essentialis est. Atqui ex Amalario eam repetunt ex priori oratione. Item, formula quæ correspondet orationi quâ primis Ecclesiæ temporibus apostoli, et Augustini ætate episcopi, *orabant ut Spiritus sanctus veniret in eos quibus manus imponebant*, pertinet ad Confirmationis essentiam. Atqui ex Amalario id priori tantùm orationi convenit. Prior igitur oratio essentialis erat. Sed ex Ordine Romano, et ex libro de divinis Officiis, prior oratio cum manuum impositione proferebatur, antequàm fieret chrismatio. Manuum igitur impositio chrismationi prævia, seculis VIII et IX essentialis erat Confirmationi.

Id etiam colligi potest ex omnium antiquissimo Petaviano codice, in Officio sabbati sancti. « Postea, cùm « ascenderit à fonte infans, signatur à presbytero in « cerebro de chrismate, his verbis : Deus omnipotens, « Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit « ex aquâ, » etc., « ut in Ordine Romano. Deinde ab « episcopo datur eis Spiritus septiformis ad consignan- « dum; imponit eis manum in his verbis : Deus omni- « potens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui rege- « nerâsti famulos tuos, » etc., « ut in Ordine Romano. « Postea (id est, factâ per impositionem manuum et « orationem invocatione Spiritûs sancti) signat eos in « fronte de chrismate dicens : Signum Christi in vitam « æternam. ℟. Amen. Inde verò cum letaniâ ascendit « ad sedem suam, et dicit : Gloria in excelsis. » Ex hoc rituali apparet dari Spiritum septiformem per orationem cum manuum impositione, antequàm fieret chrismatio. Hæc igitur oratio, eaque manuum impositio chrismationem præcedens, essentialis erat Confirmationi : præterea posterior formula chrismationi respondens, merè accidentalis erat seculis VI, VII, VIII et IX in ecclesiâ occidentali. Nulla enim erat ætate Gregorii Magni. Postea verò nonnulla ab episcopis adhibita est, non ratione chrismatis, sed ratione crucis, quæ in chrismatione frontibus imprimebatur, quemadmodùm ex citatis Amalarii verbis apparet; ne videlicet signum crucis, quod in aliis ritibus cum invocatione Trinitatis aut Christi imprimi solebat, nullam invocationem in unctione comitem haberet. De-

nique diversa erat hæc formula, prout episcopis æquum videbatur. Superest igitur ut prior oratio per manuum impositionem concessa, essentialis fuerit.

Ex his sequitur Aurelium falli, cùm in Orthodoxo, parte 1, cap. 7, asserit orationem quæ in Ordine Romano describitur, quæque super neophytos *impositâ manu super capita eorum* proferebatur *cum invocatione septiformis gratiæ Spiritûs sancti*, cæremoniam esse Sacramento præviam; formulam verò essentialem in his posterioribus verbis sitam esse : *Confirmo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Verbum enim, *confirmo*, temporum serie additum est in Ordine Romano; eaque formula ætate, quâ Romanus Ordo compositus est, merè accidentalis erat.

Objicit Aurelius : Hæc oratio, eaque manuum impositio, cujus præfata ritualia mentionem faciunt, non singulis seorsim, sed omnibus generatim impertitur. Ab eâ igitur omninò differt, quæ temporibus Tertulliani, Cypriani, etc., super singulos neophytos fieri solebat. — Quasi verò, si quis sacerdos plures catechumenos simul baptizaret, tunc formula Baptismi ab eâ differret quâ plures seorsim baptizantur.

§ 7. *Utrùm hodie in Occidente utraque manuum impositio in Confirmatione adhibeatur, et utraque essentialis sit.*

Utramque manuum impositionem in Occidente nunc adhiberi apparet ex Romano, aliisque Pontificalibus. « Pontifex, inquit, Pontificale Romanum, ex« tensis versùs confirmandos manibus, dicit : Omnipo« tens sempiterne Deus, » etc. En manûs impositionem chrismationi præviam.

Dallæus quidem observat, lib. 2, cap. 6, in Pontificali Romano non haberi *impositis*, sed *extensis super confirmandos manibus;* quæ duo contendit ille distingui. Accepit ille hanc observationem à Blondello, lib. de Episcopatu, pag. 214, scribente, quòd olim elevabatur et imponebatur manus super capita confirmandorum, ex Ordine Romano, cap. de Sabbato sancto. In Sacramentario autem Gregorii magni, manus *elevata* dicitur, non autem *imposita*, super capita eorum. Denique utroque ritu antiquato, manus *extensa* legitur in Pontificali Romano, non *elevata*, neque *imposita*.

Verùm ex eodem Pontificali Romano, ubi de ordinatione diaconi et presbyteri, apparet, *manum extendere* et *manum imponere* pro eodem usurpari. Blondellus verò observatione suâ ridiculum se præbet. Quod enim Gregorii Sacramentarium his verbis exprimit : *Elevatâ manu suâ super capita omnium, dicit : Omnipotens sempiterne Deus*, etc., idipsum Ordo Romanus sic explicat : *Elevatâ et impositâ manu super capita omnium, det orationem super eos : Omnipotens sempiterne Deus*, etc. Et liber de divinis Officiis, qui Ordinis Romani commentarius est : *Dat Pontifex super eos orationem, impositâ scilicet manu super capita eorum : Omnipotens sempiterne Deus*, etc. Ubi *elevatâ* manu, *impositâ* manu, *elevatâ et impositâ* manu pro eodem usurpantur; alioquin utramque cæremoniam Ordinis Romani et libri de divinis Officiis diversam esse, eodem argumento liceret inferre, quo Blondellus utramque sacramentarii et Ordinis Romani cæremoniam distinguit. Accedit, quòd auctor Ordinis Romani non modò cæremonias, quas ipse refert, sed et ipsa verba quibus eas explicat, ex Gregoriano Sacramentario deprompserit. Recole utrumque textum citatum § 6 præcedenti.

Utrùm verò hæc manuum impositio, quæ chrismationem præcedit, eique correspondens formula, etiamnùm in ecclesiâ occidentali ad Confirmationis essentiam pertineat, major est difficultas.

Neganti opinioni favet concilium Bituricense, anno 1584 coactum et anno 1585 à Sixto V approbatum, quod tit. 20 de Confirm. Sacram., can. 3, nullam aliam in administratione hujus Sacramenti formulam præscribit præter istam : *Consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris*, etc. Hæc autem formula unctioni, non autem præviæ manuum impositioni, correspondet. Verùm in hâc causâ responderi potest quod in aliâ Bellarminus respondet auctoritati concilii Florentini, seu decreti pro instructione Armenorum, in quo pro materiâ ordinis sola instrumenta proponuntur, nullâ factâ mentione impositionis manuum; videlicet, Patres et concilia non consuevisse explicare totum ritum Sacramentorum, non enim scribebant libros rituales; sed solùm attigisse unam partem essentialem, ex quâ cætera omnia intelligerentur; erant enim ritus ejusmodi notissimi omnibus ex frequenti usu.

Favet etiam huic opinioni Pontificale Romanum, cap. de Confirmandis. « Tunc pontifex, inquit, exten« sis versùs confirmandos manibus, dicit : Omnipotens « sempiterne Deus, » etc., ut in ordine Romano. « Pon« tifex, sedens super faldistorium, vel etiam, si mul« titudo confirmandorum id exegerit, dispositis illis « per ordinem super gradus presbyterii, vel alibi, « Pontifex stans cum mitrâ, illos confirmet per ordi« nem genuflexos, et uno ordine confirmato, illi sur« gunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic « usque in finem. Et Pontifex inquirit sigillatim de « nomine cujuslibet confirmandi, sibi per patrinum « vel matrinam flexis genibus præsentati; et summi« tate pollicis dextræ manûs chrismate intinctâ, dicit: « Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salu« tis, in nomine Patris, » etc. Peractâ manuum impositione chrismationi prævia, prolatâque ei correspondente formulâ, Pontificale indicat procedendum esse ad Sacramentum confirmandis administrandum. Supponit igitur præviam impositionem esse ritum duntaxat accidentalem, qui ad Confirmationis sacramentum disponit.

Verùm huic difficultati responderi potest, 1° in hoc textu non haberi procedendum esse ad Sacramentum confirmandis administrandum, sed ad Confirmationem, id est, unctionem exhibendam : Confirmatio enim idem plerùmque sonat quod unctio, sicut in Eugenii IV decreto, ubi loco manûs impositionis *dari* dicitur, *in Ecclesiâ Confirmatio*, id est, unctio. 2° In rituatibus aliud est ritus observari solitos describi, aliud illos

exponi : rituum enim descriptio, non expositio, ad ritualia pertinet. In Pontificali Romano præscribitur ut Pontifex manum imponat confirmandis, et super eos oret, eoque ritu facto ad unctionem procedat. Utrùm autem hæc unctio sit ex toto, vel ex parte materia Confirmationis, difficultas est, cujus expositio ad theologiam, non ad ritualia, pertinet.

Affirmanti autem opinioni favet concilium Coloniense, anno 1536, can. 8, ubi eamdem manuum impositionem requirit quàm auctor epistolæ, nomine Urbani I confictæ, cap. 7. Favet etiam concilium Moguntinum, anno 1549, cap. 17 et 18, ubi docet, 1° *Sacramentum Confirmationis ex institutione Christi, et apostolorum praxi, Ecclesiæ relictum esse;* 2° *inde Ecclesiam catholicam Spiritum sanctum per manus episcoporum fidelibus tradendi normam accepisse;* 3° *hoc Sacramentum ab initio solâ manuum impositione exhibitum fuisse;* 4° *sub ipsis temporibus apostolorum, ex eorum traditione, adhibitâ chrismatis unctione cœpisse conferri.* Requirit illud concilium manuum impositionem, qualem apostoli adhibuerunt. Atqui ex eodem concilio apostoli confirmârunt solâ manuum impositione. Requirit igitur manuum impositionem à chrismatione prorsùs diversam. Favet denique concilium Rhemense, anno 1583, capite de Confirmatione, ubi ait effectum hujus Sacramenti *non nisi per impositionem manuum episcopi* conferri, nullâ chrismatis mentione factâ.

Objicit 1°: Aurelius adversùs hanc posteriorem sententiam : « Sacramenta ministrorum mens efficit ac « voluntas. Sed Ecclesia Sacramentum per istam ma- « nuum impositionem chrismationi præviam conficere « nec vult, nec cogitat. Hæc igitur Sacramentum esse « non potest. »

Verùm Aurelius minorem quidem affirmat, non probat.

Objicit 2°: Ecclesia Sacramenta non *confusè universis, sed propriè singulis, ministrat. Atqui manuum impositio chrismationi prævia, cujus antiqua et recentia ritualia mentionem faciunt,* non singulis seorsim, sed omnibus generatim impertitur.

Verùm quid impedit quominùs episcopus manum imponendo non singulis seorsim, sed omnibus generatim subdiaconis, adhibitâ formulâ ordinariâ, cæterisque necessariis conditionibus ritè observatis, ipsos ad diaconatum promoveat? Nonne Baptismi et absolutionis Sacramenta, quamvis pluribus simul concessa, valerent?

Objicit 3° : « Si quis post manûs impositionem istam « discederet, priùsquàm frontis unctionem ab episcopo « accepisset, nemo eum vel Sacramentum Confirma- « tionis, vel Spiritum sanctum assecutum arbitraretur ; « nec dubium foret quin ei ad episcopum primo quo- « que tempore redeundum esset, ut utrumque perci- « peret. Contra multi, post peractam ejusmodi manûs « impositionem, vulgò accedunt, chrismatis unctionem « percepturi ; quibus Confirmationis Sacramentum solâ « illâ unctione tribui nemo dubitat, nec dubitare po- « test, nisi damnatâ episcoporum omnium, Eccle- « siæque totius consuetudine ac sententiâ. »

Verùm, qui primam sententiam amplectuntur, et Confirmationis essentiam in solâ manuum impositione chrismationi prævià constituunt, apertè negant Sacramentum solâ illâ unctione tribui. Qui verò eam in manuum impositione chrismationi prævià, et in ipsâ chrismatione constituunt, facilè respondebunt, ex hoc ratiocinio sequi duntaxat, illam manuum impositionem esse materiam inadæquatam, non autem eam minimè essentialem esse.

§ 8. *Utrùm Græci veteres in hoc Sacramento manuum impositionem admiserint, et recentiores admittant.*

Ex catholicis Jacobus Goarius, in Notis ad Euchologium, pag. 366, ex Calvinistis verò Blondellus, lib. de Episcopis, pag. 213, quos plerique alii sequuntur, docent manuum impositionem in Græcorum cæterorumque Orientalium praxi nec esse, nec unquàm fuisse. Unde Goarius concludit Confirmationem in solâ unctione reponendam esse.

Assertio prima. — Græci veteres manuum impositionem in sacramento Confirmationis admiserunt. Probatur vel ipsâ Græcorum auctoritate. Dionysius Alexandrinus, qui floruit seculo III, apud Eusebium, lib. 7, cap. 2, referens controversiam inter Cyprianum et Stephanum papam, nullius unctionis mentionem facit, sed solius Baptismi et manuum impositionis. « Quæstio, inquit, non modica tunc temporis mo- « ta est : an debeant, qui ex quâvis hæresi convertun- « tur, Baptismate repurgari ; cùm priscus mos esset, « solâ oratione erga illos cum impositione manuum « uti. »

Firmilianus, qui eodem seculo III floruit, in suâ epistolâ ad Cyprianum, solius manuum impositionis « meminit. « Omnis potestas et gratia constituta est, « ubi præsident majores natu, qui et baptizandi et ma- « num imponendi, et ordinandi possident potesta- « tem. » Et postea : « Sic eis manus imposuit, ut acci- « perent Spiritum sanctum. »

Synodus Nicæna I, quæ seculo IV coacta est, can. 8, Novatianos suscipi jubet per manûs impositionem, quam confirmatoriam esse ostendimus supra.

Auctor constitutionum Clementinarum, qui floruit seculo IV, lib. 7, cap. 44 et 45 : *Postquàm verò baptizaverit, ungat eum unguento chrismatis, inquiens : Domine Deus ingenite*, etc. *Hæc est enim virtus impositionûs manui in unoquoque qui baptizatur.*

Chrysostomus, qui floruit desinente seculo IV, ejusdem manuum impositionis meminit in caput 19 Actorum, et in caput 6 ad Hebræos.

Theodoretus, qui floruit seculo V, in caput 6 ad Hebr. *Per manuum sacerdotalem impositionem, Spiritûs gratiam accipiunt.*

Gennadius Constantinopolitanus, qui floruit eodem seculo V, in caput 6 ad Hebr. : « Baptizati seipsos « subjiciant impositioni manuum sacerdotum ad par « ticipationem Spiritûs. »

Eulogius Alexandrinus ; qui seculo VI floruit, lib. 2 contra Novatianos : « Oportet eos dignos reddi ad-

« ventûs Spiritûs sancti, qui per impositionem « manuum apostolorum fiebat. » Et infra: « Non « potestis fundamentum fidei iterùm recipere, « nec Baptisma secundum, nec manuum impositio- « nes. »

Photius, qui seculo IX floruit, in caput 6 ad Hebr., Confirmationem explicat per manuum impositionem, et manum imponi, ac Spiritum sanctum accipere, pro eodem habet.

Tria extant antiquissima Græcorum euchologia seu sacramentaria. Primum est Barberinum, quod *annorum octingentorum canitie venerandum* esse testatur Morinus, lib. 9 de Pœnitentiâ, cap. 9, n. 9 (scribebat hæc Morinus anno 1651). Secundum est Cryptæ Ferratæ prope Romam, quod *quingentorum annorum ætatem excedit*, ex Morino, ibidem, n. 16. Tertium est bibliothecæ regiæ, ex quo, quæ ad hanc causam pertinent, evulgavit et latina fecit Petrus de Marcâ, in Dissertatione de Primatu Lugdunensi et cæteris primatibus, quam ille ad episcopatum Consoranensem nominatus, anno circiter 1643 composuit; et quod in eâdem dissertatione *ante annos octingentos* manuscriptum asserit. Primum, quod de hæreditate Nicolai de Nicolis provenit, datum fuit monasterio Florentino sancti Marci Prædicatorum ordinis: exinde translatum in instructissimam cardinalis Francisci Barberini bibliothecam; quo fit, ut Morinus illud simpliciter appellet Barberinum, Goarius verò Barberinum sancti Marci. Secundum illud idem est: *Euchologium patriarchale, quod* (ut scribit Arcudius, lib. 6 Concordiæ, c. 5) *in concilio Florentino Georgius Vari Cretensis presbyter Græcus Juliano presbytero cardinali sanctæ Sabinæ donavit, ut in calce manu ipsiusmet cardinalis notatum est.* Quo donatus deinde Bessarion cardinalis, Cryptæ Ferratæ factus abbas, illud eidem monasterio post obitum legavit asservandum. Tertium è celeberrimâ ducum Florentinorum bibliothecâ Parisios in regiam delatum est.

In iis verò tribus euchologiis eadem suscipiendorum hæreticorum formula describitur, juxta discrimen annotatum in synodo II œcumenicâ, can. 7, cujus verba referuntur; iisque subjicitur hæresis ejurandæ modus, sacerdote conceptis verbis præeunte. Quo peracto, sacerdos manus habens super caput hæretici conversi, fundit orationem quâ invocat Spiritûs sancti adventum: *Deus, salvator noster*, etc., *dignare illum sigillo divini unguenti et adventu Spiritûs sancti*, etc. *Posthæc ungit eum sacerdos unguento, sicut neophytos, eamdemque formulam super eo recitat.* Quid apertius proferri potest ad duo illa demonttranda: consignationem scilicet Græcorum constitisse, et manûs impositione, et chrismatis unctione; tum verò impositionem manuum, quæ resipiscentibus hæreticis quibusdam adhibebatur, ipsum fuisse Confirmationis Sacramentum, non autem meram cæremoniam?

Œcumenius, qui seculo X floruit, id caput 6 ad Hebr.: *Neque enim licitum est ut rursùm baptizeris, et per manuum impositionem accipias Spiritûs sancti superventionem.*

Theophylactus, qui seculo XI floruit, in caput 6 ad Hebr.: *Sequitur participatio Spiritûs sancti*, etc., *per impositionem autem manuum dabatur*, etc.

Simeon Thessalonicensis, qui seculo XI, vel XII floruit, in lib. de Templo: *Christus per manuum impositionem et inspirationem unguenti, gratiam* (baptizatis) *impertitur.*

Michael Palæologus, qui Græcis imperabat anno 1274, in suâ ad Gregorium X epistolâ, in concilio Lugdunensi II relatâ: *Sacramentum Confirmationis per manûs impositionem episcopi conferunt chrismando renatos.*

Accedit Siricii papæ testimonium in epistolâ ad Himerium, *Arianos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritûs episcopalis manûs impositione, catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus oriens, occidensque custodit.* Synodus, de quâ loquitur, Nicæna est.

Attamen adversûs ea, quæ breviter probavi, objici potest Gregorii Magni epistola, quæ extat, lib. 9, n. 61. Consultus enim à Quirino, cæterisque episcopis catholicis Iberiæ juxta Pontum inter Colchida et Armeniam, quomodò Nestoriani, ad veram fidem redeuntes, suscipiendi essent, ita respondet, ut orientis morem erga hæreticorum susceptionem diversum ab occidentis consuetudine significet. Duo quippe genera hæreticorum ponit, quorum alii baptizati fuerunt in nomine Trinitatis, ut Ariani, alii verò non, ut Cataphrygæ. Posteriores iterùm tingindi sunt: ex prioribus verò alii, ut Ariani, in occidente per manûs impositionem, et in oriente per chrismatis unctionem, suscipiuntur: alii verò per solam fidei confessionem. « Ab antiquâ Patrum institutione didicimus, ut qui « apud hæresim in Trinitatis nomine paptizantur, « cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione « chrismatis aut impositione manûs, aut solâ pro- « fessione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. « Unde Arianos per impositionem manûs Occidens, « per unctionem verò sancti chrismatis ad ingressum « sanctæ Ecclesiæ catholicæ Oriens reformat. Mono- « physitas verò et alios ex solâ verâ confessione re- « cipit: quia sanctum Baptisma, quod sunt apud hæ- « reticos consecuti, tunc in eis vires emundationis « recipit, cùm vel illi per impositionem manûs Spiri- « tum sanctum acceperint, vel isti propter professio- « nem veræ fidei, sanctæ et universalis Ecclesiæ « visceribus fuerint uniti. Ili verò hæretici qui in « Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt « Bonosiani et Cataphrygæ, etc. » Gregorius, ut apparet, orientalem chrismatis unctionem opponi occidentali manuum impositioni. Illa igitur unctio manuum impositionem excludit.

Vulgò respondetur unctionem, de quâ Gregorius cæremoniam merè reconciliatoriam esse, non autem sacramentalem et confirmatoriam. Verùm, si hæc unctio usurpata in admissionem hæreticorum, mera fuit cæremonia; cur eam Patres erga Monophysitas seu Eutychianos adhiberi prohibuerunt?

Petrus de Marca in notis ad canonem 28 Claromontanum, subindicat oppositionem esse nominis, non rei, quatenùs ritus, qui in occidente et oriente unus et idem erat, ab occidentalibus manuum impositio, et ab orientalibus chrismatio frequentiùs dicebatur.

Certum mihi videtur, manûs impositionem occidentis, de quâ Gregorius, opponi quidem chrismation. orientis, ita tamen, ut ritum chrismationis absolutè non excludat. 1° Quia Gregorius de orientis chrismatione, et de manûs impositione occidentis initio locutus, et de fidei professione ab hæreticis exigendâ, in fine loci laudati verba sua colligens, ait *per impositionem manûs, et professionem fidei*, Baptismi vires in hæreticis conversis suscitari, omissâ mentione chrismatis, utpote quæ comprehensa esset in impositione manûs. 2° Quia concilio Arausicano I, anno 441, cap. 2, *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit episcopus, à presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placet.* 3° Idem placet concilio Epaonensi, can. 16. 4° Concilium Arelatense II, anno 452, c. 17, Arianos et Bonosiacos *cum chrismate et manûs impositione in Ecclesiâ recipi jubet.* 5° Faustus episcopus Regiensis, lib. 1 de libero Arbitrio, cap. 15: *Hæretico in nomine Trinitatis baptizato tantùm per se virtus ipsa mysterii confert, ut Baptismatis iteratione non egeat, sed ut tantùm benedictione chrismatis induatur.* 6° Gennadius Massiliensis, lib. de eccles. Dogmat., cap. 52, *et sic manûs impositione et chrismate communiti Eucharistiæ mysteriis admittantur.* 7° Isidorus Hispalensis Gregorii papæ amicus, lib. 2 de divinis Officiis, cap. 24: *Hæretici, si tamen in Patris, et Filii, et Spiritûs sancti attestatione docentur Baptisma suscepisse, non iterùm baptizandi sed solo chrismate et manûs impositione purgandi sunt.* 8° Gregorius Turonensis, Gregorio Magno æqualis et amicus, plura, eaque illustria conversionis Arianorum ad fidem exempla refert, sed quæ omnia cum chrismatis unctione facta sunt. Videsis ejus historiam, lib. 2, cap. 31 et 34; lib. 4, cap. 27 et 28; lib. 5, cap. 38, et lib. 9, cap. 15. 9° Recaredus rex, in eâ oratione quam habuit ad concilium III Toletanum anno 589, in quo cum Gothorum gente Arianismum abjuravit, rogans Patres, ut scriptam fidei suæ et primorum gentis professionem, syngraphis omnium consignatam, ad futuram rei memoriam conservent, sic habet: *Ut hæ gentes, quas in Dei nomine regiâ potestate præcellimus, et quæ deterso antiquo errore per unctionem sacrosancti chrismatis, vel manûs impositionem paracletum intra Dei Ecclesiam perceperunt Spiritum*, etc. Ubi conjunctio *vel* non est eo loco disjunctiva, sed copulativa, quod sæpè contingit in auctoribus seculorum VI, VII et VIII. Sic Gregorius Turonensis, lib. 1 Mirac., cap. 11: *Hujus beatæ Virginis reliquias cum sanctorum apostolorum vel beati Martini quâdam vice super me in cruce aureâ positas exhibebam.* 10° Walafridus Strabo, lib. de Rebus ecclesiast., cap. 26, ait, *hoc in canonibus et decretis Patrum frequens haberi, ut quicumque ab hæreticis in Trinitate fuerit baptizatus, rebaptizari non debeat, sed chrismate et manûs impositione perfici.*

Certum quoque mihi videtur, orientis chrismationem, de quâ Gregorius, ita manuum impositioni occidentis opponi, ut ritum impositionis manuum absolutè non excludat. 1° Quia ille chrismationem orientis, et manuum impositionem occidentis æqualiter opponit. Sed impositio manuum occidentis non excludit chrismationem orientis, ut jam probavimus. 2° Quia orientis et occidentis similem fuisse ritum in Arianis per manuum impositionem admittendis, didicimus ex Siricio. 3° Quia ipsimet auctores græci *supra* citati, quorum alii priores, alii æquales, alii Gregorio Magno posteriores, fidem faciunt manuum impositionem in confirmandis, seu catholicis seu hæreticis adhibitam fuisse. 4° Quia de Arianorum susceptione idipsum speciatim testantur tria euchologia superiùs laudata. *Arianos* quidem, inquiunt, *et Macedonianos*, etc.

Dices: Si unctio orientis non excludit impositionem manuum, nec impositio manuum occidentis excludit unctionem, sed idem ritus fuerit utriusque ecclesiæ. Quorsùm igitur Gregorius utrumque ritum opponit? — Respondeo: Idem erat Gregorii ætate ritus utriusque ecclesiæ in Arianis admittendis, utraque in hoc ritu et manuum impositionem et chrismatis unctionem complectebatur, cum eo tamen discrimine, ut in hoc ritu apud occidentales manuum impositio, apud orientales autem chrismatis unctio potior esse videretur; quo fit, ut illi manuum impositione, isti verò chrismatis unctione hoc mysterium frequentiùs significarent.

Dices iterùm: Concilium II œcumenicum, can. 7, modum præscribens, quo Ariani, Macedoniani, etc., per Confirmationem in Ecclesiam admitti debent, solius unctionis meminit. — Respondeo in hoc canone omnia recensita non fuisse, sed quædam prætermissa ut quæ Græcis illo tempore essent in usu. Id certum videtur ex tribus ritualibus Græcis supra citatis, qui canonis ipsius verba referentes, manuum impositionem et unctionem præscribunt. Liceat enim hìc proferre, quod Bellarminus in aliâ causâ protulit, lib. de Ordine, cap. 9, *Patres et concilia non consuevisse explicare totum ritum Sacramentorum, non enim scribebant libros rituales, sed solùm attigisse unam partem essentialem, ex quâ cætera omnia intelligerentur, erant enim ritus hujusmodi notissimi omnibus ex frequenti usu.*

Non desunt tamen argumenta, quibus probari posset, diù esse, cùm in Ecclesiâ orientali cessavit manuum impositio in Confirmatione neophytis recens baptizatis administrandâ. Rituale Severi patriarchæ meminit quidem manuum impositionis in Baptismo adhibendæ, sed nullam ejus mentionem facit, ubi de ritibus Confirmationis, nullam etiam mentionem faciunt tria euchologia superiùs citata, ubi de ritibus hujus Sacramenti, quamvis ejus meminerint, ubi de ritibus in Ecclesiam admittendi Arianos, Macedonianos, etc. Quo fit ut Græci seculis illis, quibus hæc tria euchologia descripta sunt, vel Confirmationem alio modo hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, et alio neophytis recens baptizatis administrarent: vel certe

manuum impositionem in Arianis ad Ecclesiam redeuntibus adhiberet propter reconciliationem, non autem propter Confirmationem. Simeon quoque Thessalonicensis in libro manuscripto bibliothecæ Vaticanæ, de quo supra, innuit unctionem solam à Græcis adhiberi, unctionem successisse manuum impositioni, eamque mutationem factam fuisse ab Ecclesiâ post apostolorum ætatem, quæ quomodò sibi cohæreant cum textu relato superiùs, ex libro de Templo, non video.

Assertio II. — Manuum impositio quam Græci veteres admiserunt, erat chrismationi prævia.

Probatur 1° ex Firmiliano, qui de eâdem manuum impositione loquitur, de quâ Cyprianus. Constat autem ex epistolâ 73 ad Jubaianum, manuum impositionem, de quâ Cyprianus, præcessisse chrismationem. Textum descripsimus § 2 præcedenti. 2° Ex Siricio, qui asserit eumdem fuisse ritum utriusque ecclesiæ in hæreticis per manuum impositionem admittendis. Sed ritus Occidentis erat manuum impositio à chrismatis unctionè omninò dissimilis, ut constat ex concilio Arelatensi II, Gennadio, Isidoro Hispalensi et Walafrido mox citatis. 3° Ex tribus euchologiis supra laudatis.

Utrùm verò Græci manuum impositionem unctioni præviam etiamnùm adhibeant, incertum est. Negant plurimi, quòd in hodierno euchologio nulla mentio fiat hujusmodi manuum impositionis. Affirmant aliqui, eâ innixi conjecturâ quòd in eodem euchologio referatur oratio chrismationi prævia, quâ sacerdos Deum invocat, ut neophyto *signaculum doni sancti Spiritûs largiatur*. Ubi autem est oratio, ibi subintelligitur manuum impositio, quæ, ut loquitur Augustinus, lib. 3 de Baptismo, cap. 16 : *Nihil est aliud, nisi oratio super hominem.*

Verùm huic argumento tria responderi possunt. 1° Aliud est manuum impositionem esse orationem super hominem : aliud, orationem esse manuum impositionem. Oratio enim pro aliquo fundi potest sine manuum impositione super ejus caput. 2° Hæc oratio ab eâ prorsùs dissimilis est quæ in Romano pontificali refertur. Latini enim per istam orationem postulant septiformem Spiritum : Græci verò petunt ut Deus largiatur *signaculum doni sancti Spiritûs*, id est, chrismationis unctionem, quæ in eodem euchologio *signaculum doni Spiritûs sancti* appellatur. 3° Hanc Græcorum orationem merè cæremoniam esse, quâ neophytus ad utrumque Confirmationis et Eucharistiæ Sacramentum præparatur, apparebit eam legenti. Sacerdos enim per eam Deum deprecatur, ut *signaculum doni sancti Spiritûs et sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi sui communionem* confirmando *largiatur*. Nullam igitur manuum impositionem chrismationi præviam Græci hodierni admittere videntur. Sufficit ad orientalis Confirmationis valorem, ut eam Græci manuum impositionem adhibeant, quæ uno et eodem actu cum unctione confertur, et à frontis chrismatione minimè divelli potest. Quamvis enim manuum impositio generatim spectata, ex instituto Christi ad Confirmationis essentiam pertineat, nihilominùs penès Ecclesiæ arbitrium est, eam determinare ad manuum impositionem ab unctione divulsam, vel indivulsam : sicut ablutio generatim, ex instituto Christi ad essentiam Baptismi pertinet, sed in Ecclesiæ potestate est eam determinare ad immersionem, eamque trinam, vel unicam, aut ad infusionem, aut ad aspersionem; sicut etiam formulæ quædam generatim, ex Christi præcepto, ad Confirmationis, Pœnitentiæ, et Extremæ Unctionis essentiam pertinent; sed penès Ecclesiæ potestatem est, has et illas peculiares formulas ministris suis præscribere, quibus omissis, nulla sunt hæc Sacramenta.

§ 9. *Solvuntur leviores quædam difficultates.*

Quæritur an utraque manus imponenda sit, vel una sufficiat?

Respondeo satis esse, si una imponatur. 1° Quia Scripturæ sacræ numero singulari vel plurali in eodem etiam loco promiscuè utuntur. Actorum 8, v. 17 et 18 : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Cùm vidisset autem Simon quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus sanctus*, etc. Actorum 19, v. 6 : *Cùm imposuisset illis manus Paulus.* Et v. 11 : *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli.* Ita Vulgata editio, Græca tamen pluralem numerum ubique habet. Matthæi 9, v. 18 : *Impone manum tuam* (τὴν χεῖρα) *super eam.* Et Marci 5 : *Impone manum tuam* (*Græcè* τὰς χεῖρας) *super eam.* Verùm ibi agitur de sanatione filiæ Jairi. 2° Quia ex auctoribus totâ quæstione 1, sect. 2 citatis alii numero singulari, alii plurali, alii utroque usi sunt.

Quæritur iterùm an dextera manus necessariò imponenda sit, an alterutra sufficiat. — Respondeo, auctores qui singulari numero utuntur non indicare quòd una potiùs quàm altera requiratur. Alterutra igitur sufficit. Chrismationem tamen, atque adeò manuum impositionem ab eâ indivulsam, manu dexterâ faciendam esse, ordinat pontificale Romanum.

Quæritur 3° quare manuum impositio adhibeatur in Confirmatione. — Respondeo quia manuum impositione significatur descensus Spiritûs sancti; hinc sacerdos, antequàm consecret, manus super oblata imponit, ut Spiritus sanctus ad consecrationem descendat; hinc confessor, antequàm pœnitentem absolvat, manum ei imponit, ut Spiritus sanctus descendat ad peccatorum remissionem : hinc episcopus in Confirmatione manum imponit, ut Spiritus sanctus super neophytum descendere dignetur ad ipsum illuminandum et in fidei professione corroborandum. Manuum igitur impositione significatur descensus Spiritûs sancti, per quem anima illustratur : *Caro*, inquit Tertullianus, *manûs impositione adumbratur, ut et anima illuminetur :* vel etiam designatur virtus quâ quis in Confirmatione protegitur atque firmatur adversùs hostes fidei : proprium enim est Spiritûs sancti obumbrare suâ virtute, unde illud angeli ad beatam Virginem : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

SECTIO VI.

De unctione

Unctio de quâ nunc agitur fit ex chrismate, chrisma verò ex oleo et balsamo permixtis, et ab episcopo benedictis.

Circa unctionem quæri potest, 1° utrùm illa ad Confirmationis essentiam pertineat; 2° utrùm Apostoli unctionem aliquam adhibuerint; 3° utrùm hæc unctio primis Ecclesiæ temporibus fieret in fronte; 4° quæ fuerit origo unctionis verticalis, quis progressus, etc., ubi de opinione Sirmondi circa duplicem unctionem; 5° quæ fuerit conjunctio, et quis ordo unctionis frontis et impositionis manuum : ubi de Sirmondi sententiâ circa unionem, separationem, et iteratam adunationem unctionis et impositionis manuum.

Plures etiam quæstiones circa chrisma fieri possunt, quarum aliæ ad oleum, aliæ ad balsamum, aliæ ad utriusque mixtionem, aliæ ad benedictionem attinent : de singulis ordine agendum est.

§ 1. *Utrùm unctio ad Confirmationis essentiam pertineat.*

Negant auctores qui primam, affirmant contra qui secundam et tertiam opinionem sequuntur. Celebris erat hæc controversia theologos inter et canonistas Aureoli ætate. Sic enim ille in 4, dist. 7, quæst. 1 : « Tenent theologi quòd chrisma est de essentiâ Sacramenti, sicut aqua est de essentiâ Baptismi; et tunc dicunt consequenter quòd Papa non potest immutare, faciendo quòd hoc Sacramentum fieret in aliâ materiâ. Burchardus autem, et alii doctores canonici tenent oppositum, et quòd Papa similiter posset dispensare; et eorum motivum est, quia quòd in tali materiâ fieret Sacramentum Confirmationis non fuit traditum à Christo nec ab Apostolis præceptum observari, sed statutum fuit in antiquis conciliis : talia autem immutari possunt auctoritate Papæ. » Sententia verò quæ docet chrismatis unctionem essentialem, hodiè apud theologos ita communis est, ut eorum plurimi eam esse de fide existiment : quâ de re supra, quæst. 2, art. 2.

ASSERTIO. — Unctio pertinet ad Confirmationis essentiam.

Probatur 1° ex tribus Scripturæ locis, quibus vel expressè fit mentio hujus unctionis, vel certè ad eam alluditur. Prior est 2 Corinth., cap. 1, v. 21 et 22 : *Qui confirmat nos in Christo, et qui unxit nos Deus : qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Quem locum de Sacramento Confirmationis exponunt Ambrosius, lib. de Initiandis, cap. 7; Theodoretus, Primasius, et Anselmus Commentariis in hunc locum : et verba ipsa satis apertè hoc significant. Nam inprimis verbum *confirmat* proprium est hujus Sacramenti, in quo robur datur. Deinde *unxit nos* refertur ad unctionem externam; vel, si ad internam referatur, fit allusio ad externam : interior enim unctio per exteriorem dari et significari solet. Illud autem, *signavit nos*, referri potest vel ad interiorem characteris obsignationem, vel ad exterius crucis signaculum, quod in fronte imprimitur. Hæc denique verba, *dedit pignus Spiritûs in cordibus*, significant præcipuum hujus Sacramenti effectum, qui est donum Spiritûs sancti, quo neophyti *per episcopi Confirmationem regno Christi dotantur*, inquit Honorius Augustodunensis. Secundus est Joannis cap. 2, v. 22 : *Sed vos unctionem habetis à sancto*, etc. Quem Augustinus, tract. 3 in 1 Joannis Epist., de Sacramento Confirmationis intelligit. Subjicit enim : *Unctio spiritalis, ipse Spiritûs sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili.* Tertius est ibidem, v. 27 : *Et vos unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis*, etc. Quem locum de eodem Sacramento interpretantur Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 3 mystag., et Augustinus ibidem. Subjicit enim Augustinus : *Unctionis sacramentum est virtus ipsa invisibilis; unctio invisibilis Spiritus sanctus*, etc.

2° Hæc tria loca de sacramento Confirmationis exponunt Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Primasius et Anselmus. Agnoscunt igitur hanc unctionem à Deo institutam, ab Apostolis observatam, et Sacramento essentialem esse.

3° Ritus ille Sacramento essentialis est, cui tribuitur simpliciter virtus sanctificandi. Atqui chrismatis unctioni hanc virtutem Patres attribuunt. Item ritus ille sacramento Confirmationis essentialis est, cui tribuitur proprius Confirmationis effectus. Atqui Patres unctioni tribuunt proprium Confirmationis effectum. Utraque minor propositio iisdem probari potest testimoniis, quibus supra, art. 2, p. 512 et seq. Tridentinam de chrismate definitionem vindicavimus adversùs hæreticos. His addes Innocentium III, ut Gregorium X supra citatos sect, 3 præcedenti, § 1, et Innocentium IV infra citandum, ratione 7.

4° Quia omnes ferè auctores totâ quæst. 1 citati sacramentum Confirmationis in unctione apertè constituunt. Ita Dionysius Areopagita, Theophilus Antiochenus, Tertullianus, Cyprianus, concilium Laodicenum, Optatus, concilium II œcumenicum, Pacianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Innocentius, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus, Theodoretus, Gennadius Massiliensis, Primasius, Gregorius Magnus, Gregorius Turonensis, Job monachus, Isidorus Hispalensis, Maximus martyr, Beda Gregorius III, ordo Romanus, Theodulphus, et Aurelianensis, auctor operum cardinalium, Aponius, Paschasius, Rabanus, Amalarius, liber de divinis Officiis, Ratramnus, Petrus Damiani, Yvo Carnutensis, Goffridus Vindocinensis, Simeon Thessalonicensis, Bernardus, Rupertus, Stephanus Eduensis, Algerus, et Honorius Augustodunensis, quibus addes Innocentium III, sect. 5 superiori, § 1 citatum, Gregorium X ibidem relatum, Eugenium IV in decreto pro instructione Armenorum et Gregorium protosyncellum supra citatum.

5° Quia plures ex citatis auctoribus modum recensentes, quo Confirmationis sacramentum administrari debet, unctionem requirunt. Ita Dionysius Areopagita, Tertullianus, concilium œcumenicum II, Ambrosius,

Gregorius Magnus, Maximus martyr, ordo Romanus, liber de divinis Officiis, euchologia, regium, Barberinianum et Cryptæ Ferratæ. Quin etiam ex illis Dionysius, concilium œcumenicum II, Ambrosius, et Maximus Martyr unctionem requirunt, nullâ factâ mentione impositionis manuum.

6° Quia ex citatis auctoribus plures et manuum impositionis et unctionis simul mentionem ita faciunt, ut vel utrique, vel unctioni tantùm tribuant virtutem conferendi Spiritum sanctum. Ita Tertullianus, Innocentius, Augustinus Theodoretus, Primasius, Gregorius Magnus, Isidorus Hispalensis, Beda, ordo Romanus, Theodulphus Aurelianensis, Rabanus, Amalarius, liber de divinis Officiis, Ratramnus, Yvo Carnutensis, Simeon Thessalonicensis et Rupertus.

7° Quia plures ex citatis auctoribus huic unctioni ita tribuunt virtutem conferendi Spiritum sanctum, ut eâ prætermissâ negent Spiritum sanctum conferri posse. Ita Cornelius Papa, et Pacianus.

8° Quia plures ex citatis auctoribus hanc unctionem apostolicæ manuum impositioni æquiparant; ita Innocentius I, Isidorus Hispalensis, Beda, ordo Romanus, Theodulphus Aurelianensis, Walafridus Strabo, Bertramnus, et Honorius Augustodunensis; quibus addes Innocentium III loco supra citato, et Innocentium IV in epist. 10 ad Otthonem cardinalem, cap. 4 et 5 : « Soli, inquit, episcopi consignent chrismate in fron- « tibus baptizatos : quia hujus unctio non debet nisi « per episcopos exhiberi : quoniam soli Apostoli, « quorum vices gerunt episcopi, per manûs imposi- « tionem, quam Confirmatio vel frontis, chrismatio « repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur. « Nam Spiritûs sancti donum in chrismatis unctione « confertur. »

9° Quia plures ex citatis auctoribus effectum hujus unctionis æquiparant descensui super Apostolos die Pentecostes. Ita Augustinus, sermone 83, de Diversis, Rabanus Maurus, Goffridus Vindocinensis.

10° Quia plures ex citatis auctoribus hanc unctionem conceptis terminis vocant *Sacramentum*, voce sacramenti propriè usurpatâ. Ita Dionysius Areopagita, lib. de Eccles. Hierarch., cap. 4, initio, ubi hoc unguentum ait esse Sacramentum, quod Eucharistiæ affine est. « Verùmtamen, inquit, est et alia huic (Eu- « charistiæ sacramento) coordinata consecratio, quam « unguenti mysterium (hoc est, Sacramentum ; nec « enim Græci aliâ voce utuntur, ut Sacramentum ex- « primant) præceptores nostri appellant. » Quæ verba Pachymerus ita interpretatur : « Verumtamen est et « aliud illi affine Sacramentum unguenti : nam et hoc « quoque divinâ consecratione conficitur. » Ita etiam Pacianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Augustinus, Primasius, concilium Toletanum IV, Isidorus Hispalensis, Beda, auctor operum cardinalium, Theodulphus Aurelianensis, Pascasius, Rabanus, Petrus Damiani, Yvo Carnutensis, Goffridus Vindocinensis, Rupertus, Stephanus Eduensis, et Algerus : quibus addes è Græcis Gregorium protosyncellum, et è Latinis Innocentium III et Gregorium X.

11° Quia plures ex citatis auctoribus hanc unctionem in ratione Sacramenti comparant cum Baptismo vel cum Eucharistiâ, vel cum utroque. Ita Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Optatus, Pacianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Primasius, Job monachus, concilium Toletanum IV, Isidorus Hispalensis, auctor operum cardinalium, Theodulphus Aurelianensis, Aponius, Pascasius Rabanus, Amalarius, Petrus Damiani, Yvo Carnutensis, Goffridus Vindocinensis. Simeon Thessalonicensis, Rupertus, Stephanus Eduensis, Algerus.

12° Quia plures ex citatis auctoribus aiunt, et probant hanc unctionem sicut et Baptismum, iterari non posse. Videsis præsertim Optatum, et Goffridum Vindocinensem.

13° Quia concilium Bituricense, quod Reginaldus de Beaulne ex universâ metropoli anno 1584 congregavit, Sixtus verò quintus anno sequenti *examinavit, atque ubi oportuit emendavit*, brevique tandem apostolico approbavit die 5 octobris : hoc, inquam, concilium cap. de Confirmationis sacramento, definit 1° apostolos die Pentecostes visibili Spiritûs sancti descensu ad pugnam confirmatos fuisse. 2° « Pro igne visibili, « qui die Pentecostes super Apostolos apparuit, oleum « sanctum ex Apostolorum traditione adhiberi, etc. « 3° Chrisma ad sacramentum Confirmationis neces- « sarium esse. » 4° Prohibet canone 2 : « Ne quis « dicat chrismatis confectionem ab alio, quàm à Chri- « sto institutam esse. » Denique canone 3 nullam aliam « in administratione hujus sacramenti » formam agnoscit præter istam : *Consigno te signo crucis; et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris*, etc.

14° Universa occidentalis Ecclesia hodiè agnoscit hanc formulam Confirmationi essentialem esse : *Consigno te signo crucis, confirmo te chrismate salutis*, etc. Atqui hæc formula unctioni correspondet, idque apparet tum ex ipsis verbis : *Consigno te signo crucis*, crucis enim signum inter ungendum imprimitur : tum ex verbis sequentibus : *Confirmo te chrismate salutis :* tum ex Romano pontificali, quod hanc formulam, cùm fit unctio, pronuntiari ordinat.

15° Quia hodiernum Græcorum euchologium, ritum administrandæ Confirmationis referens, requirit unctionem, eamque solam præscribit, nullâ manuum impositionis mentione factâ. Fierine potest ut rituale modum administrandi cujusdam Sacramenti præscribens, prætermissâ essentiali materiâ, meram cæremoniam præcipiat?

16° Quia Græci omnes hanc formulam *signaculum doni Spiritûs sancti*, huic Sacramento essentialem esse agnoscunt. Sed Græci eamdem formulam inter ungendum proferunt. Unctionem igitur essentialem esse agnoscunt.

His addes argumenta petita ex Tertulliano, col. 587, ratione 12 et 13, ex Optato, et ex Augustino.

§ 2. *Solvuntur objectiones.*

Ut nonnullis objectionibus occurras, notes velim, auctores, qui unctionem Confirmationi essentialem esse existimant, in quatuor partes dividi. Quidam

enim docent nullam aliam materiam huic Sacramento essentialem hodiè, aut aliàs fuisse præter unctionem; unde concludunt Apostolos, cùm per solam manuum impositionem darent Spiritum sanctum, rem quidem Sacramenti, non autem ipsum Sacramentum contulisse. Ita auctores secundæ sententiæ, qui primam et secundam viam ineunt. Alii aiunt hoc Sacramentum simplici manuum impositione primùm quidem administratum fuisse; postea verò solâ chrismatis unctione, quæ manuum impositioni successit, ita ut hæc manuum impositio, vel fuerit abrogata, vel essentialis esse desierit : ita auctores secundæ sententiæ, qui quartam et quintam viam ineunt. Alii materiam consecrationis in utrâque simul et manuum impositione et chrismatis unctione constituunt, ita ut Apostoli in administratione hujus Sacramenti utramque materiam semper adhibuerint : ita plures ex auctoribus, qui tertiam opinionem defendunt. Alii concedunt Apostolos primùm simplici manuum impositione confirmâsse, cùm Spiritus sanctus sub visibili specie ignis descendebat; si quidem internum hujus Sacramenti effectum satis testabatur externus ille ignis, qui divinitùs apparebat : satisque determinabat manuum impositionem. At postea cùm formæ illæ visibiles cessâssent, tum manuum impositioni addere Apostolos cœpisse unctionem, ut per eam significarent, id, quod antea visibili specie ignis significabatur : et ut confusam, incertam, et indistinctam manûs impositionis significationem determinarent per proprium et determinatum signum; ad varios enim effectus Apostoli manus imponebant. Posteriori huic expositioni apertè favet concilium Moguntinum anno 1549 coactum. « Sacramentum, inquit cap. 17, ex institutione Christi, et « Apostolorum praxi, Ecclesiæ relictum esse, actus ipsorum satis testantur. Unde Ecclesia catholica Spiritum sanctum per manus episcoporum fidelibus tradendi normam accepit. Et cap. 18 : « Diligenter etiam populum instruant, cur hoc Sacramentum, ab initio solâ « manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum, ex eorumdem traditione, « adhibitâ chrismatis unctione, cœperit conferri. Nam « cùm initio Spiritus sanctus, ad evidentiorem recentis adhuc fidei commendationem, signo visibili influeret confirmatis, externâ unctione, quæ illam « internam designaret, tunc non erat opus : postea « verò adultâ Ecclesiâ, et stabilitâ fide, cùm signa « externa apparere cessaverunt, nec jam ampliùs « Spiritus sanctus visibiliter descenderet, mox in locum visibilis signi unctio chrismatis adhiberi cœpit, « quæ his, qui confirmarentur, internam et spiritalem unctionem repræsentaret, ut quid intùs agatur « per gratiam, foris aliquo visibili signo innotescat, « et verbi fidem externi elementi similitudo confirmet. » Hanc quidem rationem, quâ docetur Apostolos manuum impositioni unctionem addidisse, ut per eam significarent id, quod antea visibili specie ignis divinitùs apparente significabatur, his verbis Kemnitius irridet in Examine concilii Tridentini, pag. 286 : « Arrige aures, optime lector, magnum enim et insigne audies acumen, etc., miraberis, scio, ubi audieris. Igni in Pentecoste respondet in pontificiâ « Confirmatione oleum. Quâ ratione? quia oleum nutrit ignem. Sed idem facit baculus quercineus fumo « benè induratus. » Verùm Kemnitius minimè nugaretur, si legisset aut observâsset, eam ipsam rationem, quam irridet, ab Augustino traditam fuisse sermone 83 de Diversis. Textum integrum supra descripsimus, col. 696. At non mirum, si ridiculus, absurdus homo, ridiculè, absurdè intellexit, quæ benè ab Augustino, Honorio Augustodunensi, S. Thomâ, art 3, ad 1; cardinale Aureolo, lib. 4 Sentent., dist. 7, q. 1; Patribus Moguntinis, et Bituricensibus, aliisque viris eruditis dicta et scripta sunt. Non enim dicimus unctionem seu oleum respondere igni, quia nutrit ignem : sed aliis de causis ex Scripturâ sacrâ petitis. Sicut enim ignis Deum significat ad Hebr. 12 : *Deus noster ignis consumens est :* ita unctio significat divinitatis, et Spiritûs sancti infusionem; hinc Christus divinitate unctus dicitur psal. 44 : *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis :* et Spiritu sancto, Act. 10 : *Unxit eum Spiritu sancto.* Sicut ignis charitatem designat Lucæ 12 : *Ignem veni mittere in terram;* ita unctio exterior designat interiorem unctionem, quæ nihil aliud est quàm charitatis infusio. Sicut ignis visibilis, qui die Pentecostes apparuit, virtutem quâ Apostoli induti sunt, significat Lucæ 24 : *Induemini virtute ex alto :* ita unctio significat virtutem et robur, Act. 10 : *Unxit eum Spiritu sancto et virtute.* Sicut ignis lumen designat : ita unctio illustrationem 1 Joan. cap. 2 : *Unctio docebit vos de omnibus.* Videsis auctores, quæst. 1 citatos, Augustinum præsertim et Honorium Augustodunensem.

His præmissis, facilè quoque diluuntur objecta petita ex Innocentio III, lib. 1 Decretalium, tit. 15, *Cùm venisset :* « Per frontis chrismationem manûs impositio designatur; » ex Innocentio IV, in epistolâ 10 ad Otthonem cardinalem, cap. 4 : *Manûs impositionem Confirmatio vel frontis chrismatio repræsentat;* et ex Eugenio IV, in Armenorum Instructione : « Loco apostolicæ manûs impositionis datur in Ecclesiâ Confirmatio. » Unde adversarii colligunt unctionem successisse manuum impositioni, câque posteriorem esse, atque adeò nihil ad Confirmationis essentiam pertinere.

Primo siquidem et secundo textu, frontis chrismatio designat et repræsentat manuum impositionem, quia illam complectitur : tertio verò textu, Confirmatio, non autem frontis chrismatio dicitur locum tenere apostolicæ manuum impositionis. Quâ de re supra, sect. 5, § 4, col. 784 et seq. Verùm dato, non concesso, quod adversarii contendunt, ex his tribus locis apertè colligi, unctionem apostolicâ manuum impositione posteriorem esse : inde tamen non sequitur, illam Confirmationi accidentalem esse. Auctores enim primæ classis docent quidem rem Sacramenti ab Apostolis concessam fuisse, sed negant ipsum Sacramentum ab illis administratum fuisse, cùm solam manuum impositionem adhiberent. Auctores verò se-

eundæ classis unctionem quidem essentiali manuum impositioni successisse, et in ejus locum suffectam fuisse concedunt, sed hanc mutationem divinâ contendunt auctoritate contigisse, quæ manuum impositionem irritam et accidentalem, unctionem verò essentialem fecit. Denique auctores quartæ classis id unum concedunt, videlicet manuum impositioni additam fuisse unctionem, eamque additionem divinâ auctoritate factam fuisse.

Objicit etiam Sirmondus in utroque Antirrhetico, unctionem frontis et manûs impositionem seculis IV et sequentibus ita divisas fuisse, ut illa à presbyteris, ista ab episcopis adhiberetur, adeòque Confirmationem his seculis solâ manuum impositione administratam fuisse.

Verùm hanc unctionis et manuum impositionis divisionem, merum esse Sirmondi figmentum, probaturi sumus infra, § 6 et 7.

Objicit quoque recentior. Materiæ, quæ Sacramento essentialis est, sua forma congruere et correspondere debet. Sed mos diu obtinuit in Ecclesiâ Romanâ, ut fideles in fronte ungerentur in Confirmatione, et forma nulla huic unctioni consentiens pronuntiaretur. In Sacramentario Gregorii Magni pontifex signat frontem chrismate, et signando nullam formam adhibet. In ordine Romano, et libro de Divinis Officiis, formula quidem inter ungendum pronuntiatur, quâ Trinitas his verbis invocatur : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, amen.* Sed verba, quæ formæ rationem habent in Sacramento Confirmationis, alia esse debent ab invocatione nudâ et simplici personarum sanctissimæ Trinitatis. Adde quòd hanc formulam seculis VI, VII, VIII et IX, in Ecclesiâ Occidentis accidentalem fuisse, probavimus supra, sect. 5, § 6.

Verùm formula quæ in Gregorii Sacramentario, in ordine Romano, et in libro de Divinis Officiis, manuum impositioni correspondet, expendenti apparebit ipsam quoque unctioni, quæ proximè sequitur, correspondere. Neque refert quòd hujus formulæ pronuntiatio quibusdam instantibus unctionem proximè futuram præcedat : quia in Sacramentorum administratione moralis præsentia sufficit. Hinc Ambrosii ætate in ecclesiâ Mediolanensi formula Baptismi post trinam immersionem proferebatur. Quâ de re alibi.

§ 3. *A quo hæc unctio instituta fuerit, et quando cœperit in hoc Sacramento adhiberi.*

Burchardus et alii doctores canonici, referente Aureolo, chrisma fuisse statutum in antiquis conciliis docuerunt. Alexander Alensis illud institutum existimat in concilio quodam Meldensi : nullum autem Meldense concilium exstat ante seculum IX; Joannes de Bacone in concilio quodam Aurelianensi : conciliorum verò Aurelianensium primum anno 511 celebratum est. Recentiores quidam initio seculi III, quia Tertullianus unctionis mentionem facit. S. Bonaventura docet illud *Institutum fuisse Spiritu sancto dictante, ab ipsis Ecclesiæ rectoribus* : quibus verbis primos Apostolorum successores intelligit. Honorius Augustodunensis traditum voluit ab ipsis Apostolis, qui tamen unctione minimè usi sint, sed eorum posteri. « Hanc, « inquit, Confirmationem fecerunt olim Apostoli per « manûs tantùm impositionem, illorum posteri eis « tamen tradentibus, per chrismatis consecrationem. » Patres Moguntini anno 1549 congregati, traditum illud ab Apostolis asserunt, et sub ipsis Apostolorum temporibus observari cœptum. « Hoc, inquiunt, Sacra- « mentum, ab initio solâ manuum impositione exhi- « bitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex « eorumdem traditione, adhibitâ chrismatis unctione, « cœpit conferri, etc. » S. Thomas illud à Christo institutum, et ab Apostolis observatum asserit, qui aliquando utebantur solâ manuum impositione et tunc rem Sacramenti conferebant : communiter verò chrismatis unctione, et tunc ipsum Sacramentum administrabant. Bellarminus, aliique plures auctores tertiæ sententiæ, illud aiunt à Christo institutum, et ab Apostolis observatum, qui et manuum impositionem et unctionem simul et semper adhibuerunt.

ASSERTIO. — Unctio Confirmationis præcessit Tertulliani tempora, tradita fuit ab Apostolis, et à Christo instituta.

Probatur 1°, quia Dionysius Areopagita hujus unctionis, quasi ab Apostolis acceptæ, et Sacramenti nomine ab ipsis appellatæ meminit, lib. de ecclesiast. Hierarch., cap. 4, initio : « Est et alia huic (Euchari- « stiæ Sacramento) coordinata consecratio, quam « unguenti mysterium seu Sacramentum præceptores « nostri (hoc est Apostoli) appellant. » Citat. aliter D. Thomas, quæst. 72, art. 2, ad 1 : « Est quædam « perfectiva operatio, quam duces nostri (id est, Apo- « stoli) chrismatis hostiam nominant. » Quo textu sanctus doctor utitur, ut inde probet Apostolos communiter usos esse chrismate in exhibitione Sacramenti. Non me fugit litem esse de antiquitate hujusmodi operum; sed præterquàm quod ea Dionysii Areopagitæ infra in appendice vindicamus, extra controversiam est, ea saltem circa initium seculi V scripta fuisse. Atqui in eis asseritur unctio chrismatis, quatenùs ab Apostolis tradita et usurpata.

2° Quia Theophilus, qui Antiochenus patriarcha electus est anno 170, testatur fideles omnes ungi, et christianos inde vocari. *Certè*, inquit, *nullâ aliâ ex re Christianorum nomen traximus, quam quod vino oleo perfundimur.* Sic ille respondet Autolico ipsum derisoriè nuncupanti Christianum seu unctum.

3° Quia referente Irenæo, Gnostici et Valentiniani, quorum illi seculo I, isti verò seculo II, sub Antonino Pio ad annum Christi 145, exorti sunt, *eum, qui Baptismo initiatus erat, inungebant.* Sed hæretici hanc unctionem à catholicis acceperant, quemadmodùm probavimus ex Irenæo, supra. Confirmatur ex Tertulliano, qui Irenæo æqualis fuit. Ille si quidem de Præscr., cap. 40, Baptismum, *signaculum in frontibus*, et Eucharistiæ oblationem refert inter *divina sacramenta*, quæ hæretici in catholicis æmulabantur. Hæc verò tria hæretici à catholicis accipere non potuerunt, nisi prius hæc observârint catholici. Et sanè si Ecclesia baptizatos ungere cœpisset incunte seculo III, hanc

unctionem hæretici non accepissent à catholicis, sed catholici ab hæreticis.

4° Referente Tertulliano, lib. 3 adversùs Marcionem, cap. 22, in fine, Marcion signaculum frontium, aliaque ecclesiarum sacramenta in Ecclesiâ catholicâ susceperat. Sic enim ipsum alloquitur : « Quæ omnia, « cùm in te quoque deprehendantur, et signaculum « frontium, et Ecclesiarum Sacramentum, etc. » Signaculo autem frontium designari unctionem chrismatis in frontibus signatam, apparet ex Cornelio papâ in epistolâ ad Fabium Antiochenum, relatâ apud Eusebium, lib. 6 Historiæ, ubi de Novatiano ita loquitur : « Neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem si- « gnaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiri- « tum sanctum potuit accipere? » seu, ut Ruffinus vertit : « Nec signaculo chrismatis consummatus est; « unde nec Spiritum sanctum unquàm potuit prome- « reri. » Ex Cypriano, epistolâ 73 ad Jubaianum : « Qui in Ecclesiâ baptizantur, præpositis Ecclesiæ « offeruntur, ut per nostram orationem ac manûs im- « positionem, Spiritum sanctum consequantur, et « signaculo dominico consummentur. » Ex Prudentio in Psychomachiâ.

Post inscripta oleo fronti signacula, per quæ
Unguentum regale datum est et chrisma perenne.

Atqui Marcionem sub Antonino Pio ad annum Christi 146, docere cœpisse, omnes conveniunt. Tertullianus enim, lib. 1 contra Marcionem, cap. 19, id accidisse ponit post Christum passum annis centum quindecim cum dimidio. Tertullianus verò existimavit Christum passum anno ætatis suæ trigesimo. Qui triginta quidem anni, unà cum annis centum quindecim cum dimidio, numerum 146 efficiunt. Præterea Marcion filius erat episcopi pietate illustris, qui primâ suâ ætate virginitatem exercens, progressu temporis cum virgine corruptus est; quâ de causâ à proprio patre Ecclesiâ pulsus est. Parvulus igitur erat Marcion, dum frontis chrismationem accepit, quod fieri debuit circa initium seculi II, cùm hæresim suam spargere cœperit anno Christi 146.

5° Quia Tertullianus in sex locis supra citatis, pag. 86 et seq., hujus unctionis meminit quasi antiquæ, à Christo institutæ, et ubi receptæ. Ex primo loco apparet Tertullianum in eâ fuisse sententiâ; lotionem aquæ, unctionem olei, et Eucharistiam à Christo institutas fuisse; prætereaque Christum esse, qui abluit, ungit et consecrat, quoties ministri in Ecclesiâ catechumenos abluunt, ablutos ungunt, et panem consecrant. Secundo verò loco Tertullianus asserit *signaculum frontium et ecclesiarum sacramenta* in Marcione et Marcionitis, perinde ac in christianis deprehendi. 3° Loco enarrat carnis ablutionem in Baptismo, carnis unctionem in Confirmatione, et carnis nutritionem in Eucharistiâ quasi tres ritus pariter antiquos, et eodem modo ubique receptos. 4° Loco refert, quòd Ecclesia romana neminem ad suam communionem reciperet, qui non profiteretur fideles aquâ tingendos in Baptismo, sancto Spiritu vestiendos in Confirmatione, et Eucharistiâ pascendos. Ipse verò Confirmationem alibi describens, inter ejus ritus recenset unctionem. 5° Loco ait, quod diabolus : *Ut ipsas quoque res divinorum Sacramentorum æmularetur, tingeret et ipse suos credentes, signaret illos in frontibus, et panis oblationem celebraret.* Ubi Tertulliani signaculum in frontibus inter divina refert Sacramenta, quæ hæretici æmulabantur, ut christiani viderentur. 6° Loco ablutionem, unctionem et manûs impositionem describit, quasi tres ritus pariter et ubique in ecclesiis receptos.

6° Pacianus sub finem epistolæ 1, probat in Ecclesiâ superesse potestatem remittendi peccata, quia Christus dixit apostolis, Matth. 16 : *Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt in cœlis*, etc. Novatianis verò respondentibus hæc dicta fuisse solis apostolis; ideòque hanc potestatem solis apostolis concessam fuisse, et in eis desiisse, probat ille hanc consequentiam nullam esse, alioquin pari modo concludi posset, quòd solis apostolis liceret baptizare, et dare Spiritum sanctum; quia totum hoc non aliis quàm apostolis imperatum est. *An tantùm ligare ac solvere solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis quàm apostolis imperatum est.* Quòd si lavacri et chrismatis potestas, licèt solis apostolis concessa, per eos tamen descendit ad episcopos, quantò magis ligandi et solvendi potestas : quia posse baptizare et chrismate ungere, potestas est majorum charismatum, quàm posse ligare et solvere. *Si ergo*, inquit, *et lavacri et chrismatis potestas majorum longè charismatum, ad episcopos inde descendit : et ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi.* Unde colligit baptizandi, chrismandi et peccata remittendi potestatem non fuisse ab hominibus indultam episcopis, neque ab episcopis usurpatam, sed apostolis à Christo concessam, et per apostolos defluxisse ad episcopos. *Ergo*, inquit, *nec chrisma, nec Baptisma, nec criminum remissio sanctæ potestati ejus* (scilicet episcopi) *indulta est. Quia nihil propriâ usurpatione mandatum est. Totumque id ex apostolico jure defluxit.* Pacianus igitur ungendi sive chrismandi potestatem in episcopo agnoscit : eam distinguit à potestate baptizandi : ei concedit virtutem dandi Spiritum sanctum : eam æquiparat utrique facultati baptizandi, et peccata remittendi : eam asserit à Christo institutam, à Christo concessam et impetratam apostolis, et per eos ad episcopos defluxisse.

7° Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 3 mystagog., hunc Joannis locum epistolæ 1, cap. 2, v. 27, *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis*, etc., interpretatur de unctione Confirmationis. Putavit igitur hanc unctionem à Christo institutam, et ab apostolis adhibitam fuisse.

8° Basilius Magnus consecrationis olei, et ejus unctionis meminit, eamque ad traditiones apostolorum asserendas adducit, lib. de Spiritu sancto, cap. 27, *Consecramus aquam Baptismatis*, inquit, *et oleum unctionis. Ex quibus scriptis? nonne à tacitâ, secretâque traditione? Ipsam porrò olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit?* Unctio igitur chrismatis ex

traditione apostolorum minimè scripta descendit.

9° Ambrosius, lib. de Initiandis, cap. 7, hunc Pauli locum, 2 Corinth., v. 21 et 22, *Qui confirmat nos in Christo, et qui unxit nos Deus*, etc., explicat de confirmatoriâ chrismatis unctione. Hoc igitur chrisma à Christo institutum, et ab apostolis adhibitum credidit.

10° Hæc duo loca 1 Joannis epist., cap. 2, v. 22, *Sed vos unctionem habetis à sancto*, etc. Et v. 27, *Vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis*, etc. Augustinus, tract. 3 in eamdem epistolam, de Sacramento Confirmationis intelligit. Hanc igitur unctionem existimavit à Christo institutam, et ab apostolis observatam.

11° Idem sensêre Theodoretus seculo V, Primasius seculo VI, et Anselmus seculis XI et XII, qui, Comment. in cap. 1 epist. 2 ad Corinth., hæc Pauli verba, *Qui confirmat nos in Christo, et qui unxit nos Deus*, etc., de unctione Confirmationis exponunt.

12° Auctor operum cardinalium, qui seculum IX et VIII fortè præcessit, cùm Cypriani nomine laudatus reperiatur ineunte seculo IX, serm. 8 de Unctione chrismatis et aliis Sacramentis die cœnæ institutis, docet hanc unctionem à Christo, pridiè quàm pateretur, institutam, et ex antiquis legis Mosaicæ sacramentis unctionem solam ab Ecclesiâ retentam fuisse: *Nec tamen*, inquit, *cessantibus his, quæ ritu antiquo inoleverant, unctionis mysterium religio christiana contempsit, sed cæteris generali sanctorum consensu damnatis, non solum in regibus et sacerdotibus unctionis honor permansit, sed in omnem populum catholicum effusa est hujus gratiæ plenitudo.*

13° Concilium Moguntinum anno 1549 tradit, parte 1, cap. 17: *Hoc Sacramentum ab initio solâ manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus apostolorum ex eorumdem traditione adhibitâ chrismatis unctione cœpisse conferri.*

14° Concilium Bituricense anno 1584 celebratum et anno sequenti à Sixto V approbatum, tit. 2 de Confirm., initio, sic habet: *Oleum sanctum ex apostolorum traditione ad confirmandum adhibemus.* Et can. 2: *Nemo dicat chrismatis confectionem ab alio quàm à Christo institutam esse.*

15° Ipsimet auctores, qui unctionem in locum impositionis manuum suffectam esse volunt, ut Honorius Augustodunensis et S. Thomas, fatentur id esse factum ex traditione apostolorum.

Denique certissima est Augustini regula, lib. 4 de Baptismo, cap. 24: *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Sed universa tenet Ecclesia unctionem chrismatis in Confirmatione adhibendam, neque ullum concilium assignari potest, quo instituta fuerit. Hæc igitur non nisi ex auctoritate apostolorum tradita rectissimè creditur.

Ex his apparet chrismatis unctionem à Christo institutam, ab apostolis traditam, et ab illis usurpatam fuisse.

Utrùm verò eam apostoli toties adhibuerint, quoties manus imposuerunt, quæstio difficilior est.

Nulla quidem difficultas est in eorum sententiâ, qui docent manuum impositionem, quæ Act. 8 et 19 refertur, eam ipsam esse quæ in frontis chrismatione includitur. Cui opinioni favet Amalarius, lib. 1 de Officiis Eccles., c. 27, in fine: *Ut ab episcopis solis inungatur per manûs impositionem ab apostolis acceptum est.* Quibus Amalarius, inquit Cabassutius, in can. 2 concilii 1 Arausicani, *Perspicuè declarat ipsam episcopi actionem, quâ frontem manu suâ illinit, esse ipsam illam manûs impositionem, quâ juxta Act. apostol. cap. 8, conferebatur per apostolos Spiritus sanctus.* Verùm hæc interpretatio probabilitate caret. Quæstio igitur est de manuum impositione, quæ ab unctione omninò separata est. Quæritur utrùm apostoli huic manuum impositioni unctionem semper addiderint. Negat D. Thomas, negant et Patres Moguntini supra citati. Affirmat Bellarminus, cap. 9.

Si quis autem objiciat: Lucas meminit impositionis manuum, et non meminit chrismatis.

Respondet Bellarminus nihil impedire, quominùs in verbis Lucæ etiam chrisma intelligamus, idque multis modis probari posse.

Apostolos igitur semper manus imponendo, signâsse chrismate, ac proinde Lucam ritum illum compendio perstrinxisse, et ex unâ parte rem totam intellexisse, sic ille probat.

1° Quia Patres, qui uno in loco dicunt per impositionem manûs dari Spiritum sanctum, iidem in alio loco dicunt dari per unctionem chrismatis, et aliquando utrumque simul conjungunt. Ex quo apparet utrumque ad ritum hunc pertinere, et illis perinde esse, sive unum, sive alterum exprimatur. Tertullianus, lib. de Resur. carnis, cap. 8, tractans hunc ritum, dicit, carnem ungi, signari, et manûs impositione obumbrari. Et tamen, lib. de Præscrip., cap. 4, solùm exprimit signari in fronte: et lib. 1 in Marcion, cap. 14, solùm exprimit unctionem. Libro verò de Baptismo exprimit unctionem et manûs impositionem. Ita videmus unum auctorem modò unam partem, modò duas, modò tres ejusdem ritûs exprimere; et tamen semper rem eamdem significare. Cyprianus epist. 70, solùm meminit unctionis; epist. 74, solùm meminit manûs impositionis, cùm de unâ re et eâdem loquatur; in epist. verò 73 ad Jubaianum, cum manûs impositione addit signaculum dominicum, de quo nihil dixerat in prioribus duabus epistolis. Sic etiam concilium I Arelatense, can. 8, tantùm nominat manûs impositionem; et tamen concilium II Arelatense paulò post celebratum, et eamdem rem tractans, can. 17, nominat unctionem chrismatis. Sic et Amalarius, l. 1 de Eccles. Officiis, cap. 27, unctionem frontis et manûs impositionem confundit, alteram pro alterâ usurpat, et utrique eumdem effectum assignat. Plura ejusmodi exempla possent afferri. Quid igitur mirum, si sanctus Lucas ex unâ parte totum ritum significârit? Ita ferè Bellarminus: quem si legisset, vel expendisset Sirmondus, nunquàm dixisset in Antirrhetico 2, pag. 46 et 49, pervicacem tergiversationem, cavillationemque esse, quòd theologi docent sanctos Patres,

dùm manûs impositionem nominant, non excludere chrismatis unctionem; sicut dùm chrisma memorant, non excludere manûs impositionem.

2° Quia Patres, ut probent unctionem chrismatis, per quam datur Spiritus sanctus, ad solos episcopos pertinere, semper allegant verba Lucæ, Act. 8, ut patet ex Innocentio I, Isidoro Hispalensi, Beda, Ordine Romano, Theodulpho Aurelianensi, Walafrido Strabone, Bertramno, Innocentio III, etc. Ergo aut apostoli, Act. 8, manus imponendo, ungebant chrismate, aut isti omnes Patres malè argumentantur.

Dices: Benè illi argumentantur, quia licèt apostoli, Act. 8, non uterentur chrismate; tamen chrisma successit in locum manûs impositionis, quâ illi utebantur.

Sed contra: nam si ita esset, saltem aliquis Patrum aliquando id significâsset, ut intelligeremus vim argumenti ipsorum. Contra Innocentius I apertè innuit hanc unctionem à Petro et Joanne, cùm Spiritum sanctum Samaritanis tradiderunt, usurpatam, et Lucæ verbis significatam fuisse. *Hæc*, inquit, *pontificibus solis deberi, ut vel consignent* (particula *vel* utrobique conjunctim sumitur, non autem disjunctim), *vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo ecclesiastica demonstrat, verùm et illa lectio Actuum apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum.*

3° Idem probat ex aliis similibus Scripturæ locis, ubi brevissimè aliquid comprehenditur, et tamen necesse est plura intelligere. Exemplum esse potest, quòd Paulus in epistolis ad Timotheum et ad Titum, semper ordinationem vocat manûs impositionem. Exemplum affert Augustinus, libro de Fide et Operibus, cap. 9, ex capite 8 Actorum. Ibidem enim legimus Eunuchum à Philippo baptizatum, cùm dixisset: *Credo Filium Dei esse Jesum.* Augustinus autem rectè notat Lucam per compendium rem attigisse, sed omninò credendum esse de multis aliis interrogatum Eunuchum, et multas alias cæremonias adhibitas in illo Baptismo. Alterum exemplum potest esse id quod Lucas ait, apostolos baptizâsse in nomine Christi, Act. 8, 19 et alibi. Nam ut supra ostendimus, apostoli baptizabant in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti: sed Lucas id per compendium dicere maluit, sciens rem esse notissimam. Aliud exemplum esse potest in eo quod Paulus ait ad Tit. 3, nos salvari per lavacrum regenerationis, ubi nihil dixit de verbo; et tamen intellexit sine ullo dubio lavacrum cum verbo, ut ipse idem alibi expressit, Ephes. 5. Et multa sunt hujusmodi, quæ longum esset recensere.

Sibi quoque Bellarminus objicit testimonia Innocentii III et Eugenii IV: addi potest et Innocentii IV, de quibus supra, sect. 5, § 4, etc. Illorum enim pontificum auctoritate utuntur aliqui, ut probent hodiè aut nullam esse manuum impositionem, aut illam merè accidentalem esse: alii verò, ut ostendant unctionem successisse manuum impositioni, eâque posteriorem esse, atque adeò nihil ad Confirmationis essentiam pertinere: alii denique ut probent apostolos unctione nusquàm usos, sed solâ manuum impositione. Verùm quo sensu Bellarminus et alii hæc testimonia intellexerint, eaque intelligi debeant, exposuimus supra, sect. 5, § 4, etc.

§ 4. *Utrùm hæc unctio primis Ecclesiæ seculis fieret in fronte.*

Unctionem illam primis Ecclesiæ temporibus in fronte determinatè factam fuisse negat Nicolaus Rigaltius in notis ad epist. 59 Cypriani, ubi ait Cypriani tempore unicam fuisse unctionem, cujus *administratio pro variorum episcoporum ingenio variabat:* Quibusdam in capite, aliis in fronte ungentibus: deinde verò, *posteriori seculo invectæ sunt plures unctiones, et distingui cœpit ea, quæ in fronte fiebat, ab aliâ quam in vertice fieri placuit. Hæc permissa presbyteris, alia episcopis reservata, perficientibus et consummantibus inchoata mysteria.*

Verùm hanc unctionem primis et sequentibus Ecclesiæ seculis in fronte factam fuisse, certum videtur.

1° Ex Tertulliano, lib. 3 contra Marcionem, cap. 22, ubi eum sic alloquitur: *Quæ omnia cùm in te quoque deprehendantur, et signaculum frontium, et ecclesiarum Sacramenta*, etc. Marcion igitur *signaculum frontium*, aliaque *ecclesiarum Sacramenta* in Ecclesiâ catholicâ susceperat, quod contigisse circa initium seculi II probavimus § 2 præcedenti, ratione 4. Præterea Tertullianus *signaculum frontium* refert inter *ecclesiarum Sacramenta*. Non una igitur ecclesia, sed omnes ecclesiæ signaculum frontium adhibebant.

2° Ex eodem Tertulliano, de Præsc., cap. 40, ubi Baptismum, *signaculum in frontibus*, et Eucharistiæ oblationem refert inter *divina Sacramenta*, quæ hæretici in Catholicis æmulabantur, quâ de re § 2 præcedenti, ratione 5.

3° Ex concilio II œcumenico, quod, can. 7, refert *sancto chrismate* frontem ungendam esse.

4° Ex Cyrillo Hierosolymitano, catechesi 3 mystag. *Chrismate Christi frons et alii sensus tui symbolicè inunguntur.*

5° Ex Innocentio I in epist. ad Decentium, cap. 3, ubi duo unctionum baptizatis conferri solitarum genera distinguit, alteram in fronte, alteram extra frontem. Per primam, non per secundam ait conferri Spiritum sanctum. Primam episcopis reservat, secundam presbyteris permittit. Primam denique episcopis reservatam fuisse « non solùm consuetudine ecclesiasticâ, verùm et illâ lectione Actuum apostolorum, « quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui « jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. » Frontalis igitur unctionis usum ab ipsis apostolis repetit.

6° Ex Augustino in psal. 141, ad hæc verba: *In viâ hâc, quâ ingrediebar*, etc., ubi ad tria Sacramenta neophytorum alludens, ait Sacramenta varia variis modis suscipi; quædam in ore, ut Eucharistiam; quædam toto corpore, ut Baptismum, qui olim per immersionem conferebatur: quædam in fronte, ut unctionem, quæ per signaculum crucis in Confirmatione adhibetur. « Multa, inquit, Sacramenta aliter atque aliter « accipimus: quædam, sicut nôstis, ore accipimus:

« quædam per totum corpus; quia verò in fronte eru-
« bescitur, ille qui dixit: Qui me erubuerit coram ho-
« minibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in
« cœlis est, ipsam crucis ignominiam quodammodo et
« quam pagani derident, in loco pudoris nostri con-
« stituit. » Divinæ igitur institutionis esse putavit Augustinus, quòd crucis signaculum in frontibus ungendorum adhibeatur.

7° Ex Gregorio in Sacramentario, ubi de Confirmatione: *Pontifex*, inquit, *tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim.* Idem tradunt Ordo Romanus, liber de divinis Officiis, aliaque id genus antiqua ritualia.

Ex his quoque testimoniis apparet, non unctionem modò, sed et ipsum crucis signaculum primis Ecclesiæ seculis in fronte factum fuisse.

Dices: Cornelius et Cyprianus unctionem ac signaculum ita referunt, ut nullam partem determinent, cui debeant imprimi. — Respondeo non omnia ab omnibus referri. Quod omisêre Cornelius et Cyprianus, hoc nos docuêre Tertullianus, aliique Patres citati.

Dices iterùm, ex Origene, homil. 8 in Levit.: *Oleum per manus sacerdotis capiti ejus imponitur.* Ungebant igitur aliqui in vertice, alii verò in fronte. — Respondeo 1° Origenem hìc minimè loqui de unctione Confirmationis, quâ de re supra. Respondeo 2° negando consequentiam. Nihil enim impedit, quominùs unctio, quæ fit in fronte, fieri dicatur in capite. *Utriusque Sacramenti*, inquit Guillelmus Parisiensis, loquens de Baptismo et Confirmatione, *signaculum imprimitur in capite. Sed Sacramentum regii ac sacerdotalis honoris propter eminentiæ suæ altitudinem, in vertice. Sacramentum verò Confirmationis propter belliceæ strenuitatis audaciam, signatur in fronte.* Ita Guillelmus, cap. de Sacramento Confirmationis.

Cæterùm inter utramque Occidentis et Orientis ecclesiam hoc discrimen est quòd illa unctionem in fronte solùm, ista verò non solùm in fronte, sed et in aliis quibusdam partibus semper adhibuerit. Concilium II œcumenicum, can. 7, partes ungendas enarrans, recenset *frontem, et oculos, et nares, et os, et aures.* Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 3 mystag., frontem, aures, nares, et pectus. Euchologium manuscriptum Crypto Ferratense Bessarionis, et Barberinum S. Marci, ex partibus à Cyrillo recensitis, prætermittunt pectus, et os addunt. Sed aliud Barberinum, quod recentius est, addit manuum volam interiorem, et cor. Euchologium à Goario editum recenset *frontem, et oculos, et nares, et utramque aurem, et pedes.* Euchologia typis excusa, quibus modò Græci utuntur, frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus et pedes. Ecclesia Antiochena specialem consuetudinem olim habebat. Severus enim patriarcha, qui in sedem Antiochenam intrusus est anno 513, lib. de Ritibus Baptismi, hæc ait: *Et signans omnia eorum membra, eorumque frontem tribus vocibus, ait: Chrismate sancto*, etc. Relatâque verborum formulâ subjicit: *Et ungit omnia eorum membra, et manus et pedes, et nares eorum.*

Ex his unctionibus, ea solùm quæ fit in fronte ad Confirmationis essentiam pertinet.

Cur autem hæc unctio fiat in fronte, rationes afferuntur ab Innocentio III de sacrâ Unctione, cap. 1: « Quia Christus fecit nos in sanguine suo Deo nostro
« regnum et sacerdotes (propter quod apostolus ait:
« *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*); idcircò
« in novo Testamento non solùm reges et sacerdotes
« unguntur, sed etiam omnes Christiani, bis ante Ba-
« ptismum, scilicet oleo benedicto, primùm in pe-
« ctore, deinde inter scapulas: et bis post Baptismum,
« scilicet chrismate sancto, primùm in vertice, de-
« mùm in fronte. In pectore namque baptizandus
» inungitur, ut per sancti, » etc.

Variæ quoque rationes afferuntur à Tertulliano, lib. de Præscript., et Eugenio IV in decreto pro instructione Armenorum, quas complexus est S. Thomas, 3 p., q. 72, a. 9, in c. « Dicendum, inquit,
« quòd in hoc Sacramento homo accipit Spiritum san-
« ctum ad robur spiritualis pugnæ: ut fortiter, etiam
« inter adversarios fidei, Christi fidem confiteatur.
« Unde convenienter signatur chrismate signo crucis
« in fronte, propter duo: primò quidem, quia insi-
« gnitur signo crucis, sicut miles signo ducis. Quod
« quidem debet esse evidens et manifestum. Inter om-
« nia autem loca corporis humani maximè frons ma-
« nifesta est, quæ quasi nunquàm obtegitur, et ideò
« linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in ma-
« nifesto demonstret se esse christianum, sicut et
« apostoli post acceptum Spiritum sanctum se mani-
« festaverunt, quia priùs in cœnaculo latebant. Se-
« cundò, quia aliquis impeditur à liberâ confessione
« nominis Christi, propter duo, scilicet propter ti-
« morem et propter verecundiam. Utriusque autem
« horum signum maximè manifestatur in fronte, pro-
« pter duo, scilicet propinquitatem imaginationis, et
« propter hoc quòd spiritus à corde directè ad fron-
« tem ascendunt. Unde verecundati erubescunt, timen-
« tes autem pallescunt, ut dicitur in 4 eth. Et ideò in
« fronte signatur chrismate, ut neque propter timo-
« rem, neque propter erubescentiam, nomen Christi
« confiteri prætermittat. » Videsis et Guillelmum Parisiensem, cap. 1 de Sacram. Confirm. *Si tempore suæ consecrationis coronatur rex, quis dubitat, quin et galeandus sit tempore belli*, etc., usque ad verbum *dicemus.* Cur etiam apud Græcos hæc unctio fiat in fronte, aliisque partibus, exponit Cyrillus Hierosol. in catech. 3 myst.: « Primùm quidem, inquit, frons illini-
« tur, ut eum abstergat à vobis pudorem, quem homo
« transgressor perpetuò circumferebat; simulque ef-
« ficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Dei in-
« tueri: deinde verò aures unguntur, ut ad audiendum
« divina mysteria aures accipiatis: postea nares, ut
« divinum recipientes unguentum dicatis: *Christi*
« *gratus est odor Deo in his qui salvantur.* Tum verò
« et pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ,
« fortiter adversùs insultus diaboli consistatis. Ut
« enim Salvator post Baptismum, et Spiritûs sancti
« adventum egressus in prælium devicit adversa-

« rium ; sic et vos post sacrum Baptismum et chrisma « mysticum indutî armis sancti Spiritûs, adversùs oppo- « sitam potestatem consistitis, et præliamini, dicen- « tes : *Omnia possum in eo qui me confortat*, Christo. »

Porrò utraque ecclesia hanc unctionem ad modum crucis administrat. Occidentalis quidem, seu recentior, quæ hâc formulâ utitur, *Signo te signo crucis*, etc., seu antiquior, quemadmodùm apparet ex auctoribus ritualibus seculo IX, ex Ordine Romano seculo VIII, ex sacramentario Gregorii Magni seculo VI, ex Gregorio Turonensi de Baptismo Clodovæi : *Delibutusque chrismate cum signaculo crucis Christi* ; ex Augustino in psalm. 141 : textum supra descripsimus. Huc etiam flecti potest Tertullianus locis supra citatis, ubi hanc unctionem vocat *signaculum frontium* ; et Cyprianus in epist. 73 ad Jubaianum, ubi eam appellat *signaculum dominicum*. Quid enim signaculum dominicum, nisi signum Christi, et ipsum quidem ab unctione distinctum ? *Caro ungitur*, inquit Tertullianus, lib. de Resurr. carnis, *ut anima consecretur ; caro signatur, ut anima muniatur ; caro manûs impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur*. Ubi Tertullianus, ut apparet, tria carni impressa distinguit, unctionem, signaculum, et manûs impositionem. Orientalis pariter ecclesia signum crucis adhibet in fronte, oculis, naribus, auribus, et pedibus, ex euchologio. Signaculi crucis, ejusque ab oleo et unguento distinctionis meminerunt constitutiones apostolicæ, lib. 3, cap. 17.

Utrùm autem hæc figura crucis ad Confirmationis essentiam pertineat, dubium est. Cardinalis Aureolus, lib. 4 Sent., dist. 1, q. 1, negat esse de essentiâ Sacramenti, et ecclesiasticæ duntaxat institutionis esse contendit. Affirmat S. Thomas, 3 p., q. 72, a. 4 ; S. Bonaventura, in 4, dist. 7, a. 1, q. 1, ad 3 et 4 ; Alexander Alensis, 4 p., q. 9, membr. 2, § 2 ; Durandus, Scotus ejusque discipuli ; Bellarminus aliique plures theologi, quia hæc crucis figura in formulâ Confirmationis continetur, eâque prætermissâ, hæc formula esset falsa. Sanè Augustinus eam divinæ institutionis esse asserre videtur in textu supra relato.

Cur verò apud Latinos figura crucis inter ungendum fronti imprimatur exponit idem Augustinus : « Quia verò in fronte erubescitur, ille, qui dixit : *Qui « me erubuerit coram hominibus, erubescam eum co- « ram Patre meo, qui in cœlis est.* : ipsam crucis igno- « miniam quodammodo, et quam pagani derident, in « loco pudoris nostri constituit. » Videsis et Guillelmum Parisiensem, cap. de sacr. Confirm., ubi christianos vitam seu pigram, seu peccaminosam agentes sic affatur. « Erubescant signum fortitudinis et stre- « nuitatis in eminentiâ frontis deferre ; et in certami- « nibus ignaviter agere, et vento tentationis sub pedi- « bus hostium cadere. Reminiscantur se signiferos « regis cœlorum esse, et vexillum ejus in alto frontis « deferre : et quòd perditionis reus est, qui vexillum « depresserit. Deinde quantam contumeliam regi suo « irrogat signifer, qui cum ipso vexillo in partem con- « trariam se vertit, etc. Clamat contra te signum cru- « cis ; et clamat te proditorem, et reum majestatis, « clamat, inquam, clamore qui pertingit usque ad cœ- « los : nulla vox clamosior. Clamat enim te signifé- « rum, opera autem te clamant hostem, et propter « ambo pariter proditorem, imò nequissimum prodi- « torem ; magnâ enim confidentiâ, magnâ spe fidelita- « tis et strenuitatis consueverunt committi vexilla ad « portandum in præliis. Oblitus es, proditor Dei, quod « dictum est tibi, et aliis ; in hoc signo vince : ve- « rissimè enim in hoc signo præstatur robur ad vin- « cendum. » Et infra, « Pingitur in isto Sacramento « signum crucis in fronte confirmandi de chrismate « propter causas, quas diximus : ut in crucifixo, et « per crucifixum sit tota spes et fiducia victoriæ con- « firmatis : et ut in tentationibus suis *recogitet eum, qui « talem sustinuit contra seipsum contradictionem*, sicut « legitur 11 ad Hebr. : ut eo in carne passo, eâdem « cogitatione armetur, sicut legitur in cap. 2 et 3 « epist. 1 Petri : et ut sciat se ad tormenta, et ludi- « bria missum. *Si quidem Christus passus est pro nobis, « nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* « Ideò memoriale exempli hujus in ejus fronte pingi- « tur ; de chrismate verò, ut utriusque honoris me- « mor, regii scilicet et sacerdotalis, adeò strenuè agat, « ne regium honorem deturpet et dehonestet in lite « succumbendo, et ne sacerdotalem sanctitatem in- « quinet, aut profanet, se execrabiliter polluendo : « vel ut memor sit patris sui, regis scilicet universa- « lis, et sacerdotalis, qui in cruce tam magnificè, tam- « que strenuè egit ; rememoratio namque probitatis « paternæ interdùm est excitativa imitationis in filiis : « vel ut regaliter se gerat in omnibus per justitiam et « rectitudinem ; sacerdotaliter autem se gerat, quæ- « cumque bona facturus, et quæcumque mala passu- « rus : vel ut sciat se non solùm coronandum ut regem, « sed etiam immolandum ut sacerdotalem hostiam « Deo, cujus prima hostia ipsemet esse debet ; non « enim rectè alia oblaturus ad Deum accedit, qui se « ipsum primò immolare neglexerit, quod ostensum « est in Caïn et Abel, Genes. 4. »

§ 3. *Quæ fuerit origo unctionis verticalis ; quis progressus.*

Unctio chrismatis, quâ neophyti jam baptizati ungebantur, duplex olim erat, altera in vertice, altera in fronte. Prior candidæ vestis indumentum præcedebat, posterior ipsum subsequebatur. Prior, ex Ordine Romano, fiebat *à presbytero, qui faciebat de chrismate crucem cum pollice in vertice eorum, ita dicendo : Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regenerarit ex aquâ et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in vitam æternam.* ℣. *Amen.* Posterior fiebat *à pontifice, qui tincto pollice in chrismate, faciebat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo : Confirmo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* ℣. *Amen.* Prior episcopalium manuum impositionem præcedebat ; posterior in ecclesiis ferè omnibus subsequebatur. Prior à presbytero fiebat, seu præsente seu

absente episcopo; quo fit, ut ab episcopali manuum impositione plerùmque separaretur; posterior, ut quæ non nisi ab episcopo fieri posset, ab episcopali manuum impositione nunquàm secernebatur, sed eam proximè subsequebatur. Prior in Occidente solùm observata fuit; posterior in utràque ecclesiâ. Prior in subsidium posterioris instituta est, ne videlicet absente episcopo, neophyti sine chrismatis unctione morerentur. Verùm à quo instituta fuerit, controversia est.

Sirmondus in utroque Antirrhetico, vel institutam putat Innocentii decreto in epistolâ ad Decentium, cap. 3, vel ab eo primùm commemoratam.

Refellitur. 1° Quia Innocentius decreto suo, si tamen decretum est, duarum quidem unctionum meminit, quarum una fit in fronte, altera extra frontem, sed nullam unctionis, quæ in vertice determinatè fieri præscribatur, mentionem facit. Verba sunt Innocentii. *Nam presbyteris, seu extra episcopum, seu præsente episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quòd ab episcopo fuerit consecratum : non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Agnosco tamen unctionem, de quâ Innocentius, verticalem esse : de hâc enim ipsum interpretantur auctores infra citandi, rat. 5.

2° Quia Innocentius ibi meminit unctionis, quæ extra frontem fieri debet, quasi antiquæ, non autem quasi recens institutæ.

3° Quia hujus unctionis, antequàm Innocentius in cathedrâ Petri sederet, meminit Ambrosius, lib. de Initiandis, cap 6, « Post hæc utique ascendisti ad sa- « cerdotem ; considera quid secutum sit. Nonne illud « quod ait David : *Sicut unguentum in capite*, etc. ? » Subjicit verò initio capitis 7 : *Accepisti post hæc vestimenta candida*, etc. Atqui unctionem, quæ egressum neophytorum è lavacro, et oblationem eorum sacerdoti subsequebatur, vestis autem candidæ indumentum præcedebat, verticalem fuisse apparet ex ordine Romano : *Ut autem surrexerint à fonte* (neophyti), *illi qui eos suscipiunt, offerunt eos uni presbytero. Ipse verò presbyter facit de chrismate crucem cum pollice in vertice eorum*, etc. *Et dat singulis stolam candidam, dicens : Accipe vestem candidam et immaculatam, quam perferas ante tribunal Christi.*

4° Quia eamdem unctionem verticalem indicat Ambrosius, lib. 2 de Sacram., cap. 7, in fine, ubi ait : *Mersisti, venisti ad sacerdotem : quid tibi dixit ? Deus*, inquit, *Pater omnipotens qui te regeneravit ex aquâ et Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua : ipse te ungat in vitam æternam.* En unctionem, quæ immersionem, hoc est, Baptismum neophytorum, eorumque oblationem sacerdoti factam proximè subsequebatur, et cui hæc verborum formula correspondebat : Deus Pater omnipotens, etc. Sed unctio, quæ ablutionem neophytorum, eorumque oblationem sacerdoti factam proximè subsequebatur : verticalis erat ex Ordine Romano mox citato. Prætera relata verborum formula ipsissima est, quæ in unctione verticali fieri solebat ; quemadmodùm apparebit et istam, et illam quæ in Gregoriano Sacramentario, Ordine Romano, libro de divinis Officiis, Amalario, et hodiernis ritualibus refertur, inter se comparanti.

5° Quia Rabanus, lib. 1 de Instit. cleric., cap. 28 ; Amalarius, lib. 1 de Eccles. Officiis, cap. 27 ; Rupertus, lib. 5 de divinis Officiis, cap. 16 ; Hugo Victorinus, lib. 2 de Sacramentis, parte 7, cap. 3, hanc verticis unctionem institutam aiunt à Sylvestro I, ob illa verba quæ in libro pontificali Damasi papæ, ubi de vitâ ejusdem Sylvestri, referuntur. *Sylvester constituit, ut baptizatum liniat presbyter chrismate levatum de aquâ, propter occasionem transitûs mortis.* Non me latet opus istud Damaso perperam adscribi : præfixa tamen epoche certa mihi videtur : unica enim erat unctio ante Sylvestri tempora ; nullus est auctor, qui ante ipsum unctionis verticalis meminerit ; ejus contra mentionem fecerunt auctores Sylvestro posteriores, ut Ambrosius, Innocentius I et alii.

Verticalis igitur unctio instituta est circa Sylvestri pontificatum, qui electus anno 314, obiit anno 335. Ambrosii ætate, in ecclesiâ Mediolanensi suscepta jam erat. Susceptam quoque fuisse in Hispaniâ, patet ex canone 20 concilii Toletani I, anno 400 celebrati, quo hæc unctio diaconis interdicitur, presbyteris autem permittitur, eâ tamen lege, ut *præsente episcopo* non ungant, *nisi ab ipso fuerit præceptum.* Quæ lex diu viguit in Hispaniis, quemadmodùm apparet ex concilio II Hispalensi anno 619, can. 7, sub finem, ubi postquàm declaravit presbyteris, *Non licere baptizatorum frontem chrismate signare, quia pontificatûs apicem non habent ;* subjicit : *Sed neque licere presbyteris, præsente antistite, infantem tingere aut signare*, videlicet in vertice. Verùm hæc lex Hispanis certè specialis fuit, ejus enim non meminit Innocentius *in præfatâ epistolâ ad Decentium*, anno 416 : contra hanc unctionem presbyteris licitam esse docet ipso etiam præsente episcopo. Quin etiam canone 2 concilii I Arausicani anno 441 coacti, ministris omnibus Baptismi, adeòque diaconis præcipitur, ut hanc unctionem in baptismate adhibeant. « Nullus ministrorum, qui baptizandi recepit officium, « sine chrismate usquàm debet progredi., quia inter « nos placuit semel in baptismate chrismari. » Hinc Synodus Vasensis, anno 442 convocata, can. 3, præcipit, ut « presbyteri, et ministri (hoc est diaconi) ab « episcopis suis propriis chrisma petant, quia opti- « mum est ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus « est. » Canone igitur Arausicano presbyteris et diaconis datur non solùm potestas, sed etiam præceptum chrismandi baptizatos : quo nomine canon hic diversus est à decreto illo Innocentii, quo non tantùm diaconis nulla datur chrismandi potestas, sed presbyteris ita ejus rei potestas traditur, ut nullum præceptum imponatur.

Verticis igitur unctio instituta est ætate Sylvestri, qui eam presbyteris permisit et præcepit. Concilium Toletanum I, anno 400, presbyteris eam interdixit, *præsente episcopo, nisi ab ipso fuerit præceptum.* Inno-

centius I presbyteris eam ipso etiam episcopo præsente permissam declaravit anno 416. Concilium I Arausicanum presbyteris eam præcepit. Diaconi verò eam usurpârunt seculo IV. Eam presbyteris et diaconis Baptismum administrantibus ætate suâ præceptam fuisse testatur Hieronymus, cap. 4 dialogi adversùs Luciferianos, quem Romæ scripsit ad annum 382 : *Sine chrismate et episcopi jussione neque presbyter, neque diaconus jus habent baptizandi.* Concilium Toletanum I eam diaconis in Hispaniâ interdixit anno 400, concilium Arausicanum I eam diaconis in Galliâ permisit et præcepit anno 441, concilium Vasense eam à diaconis in Galliâ observari solitam supponit anno 442.

Utrùm verò pontifex, cùm ipse baptizaret, hanc verticis unctionem adhiberet, vel eam in Baptismo prætermissam suppleret in Confirmatione, ambigitur. Affirmat Sirmondus in utroque Antirrhetico, quia *baptismalem chrismationem episcopus ne usurpet, lex nulla interdicit.* Distinguit Petrus Aurelius in Anæretico : « Nam, inquit, episcopos privatim, nec solem- « niter ac ritu episcopali, sed presbyterorum instar « baptizantes, adhibere chrismationem verticalem « plerùmque cernimus; tametsi in solemni baptismo, « in quo episcopalem personam sustinent id fieri non « debere constet, nec olim in Ecclesiâ factum esse. « Cujus rei ratio illa est, quia canones passim secer- « nunt chrismationem ministrorum baptismalem ab « episcopali chrismatione; ut eam quæ fit in fronte, « solis episcopis, quæ alibi, solis ministris imponant; « nec usquàm extare concessam episcopis chrismatio- « nem illam baptismalem, sed ubique ministris addi- « ctam patet ex omnibus decretis, quæ de illâ baben- « tur : atque inprimis ex hoc ipso Arausicano, quod « ad solos ministros manifestè dirigitur. Hinc ejusmo- « di chrismationem nusquàm ab episcopis peractam « constat ex perpetuâ majorum traditione, et inprimis « ex pontificali Romano, in quo episcopus mox ab ef- « fusâ baptizato aquâ, ad frontis chrismationem et ad « sacramentum Confirmationis procedere jubetur. « Consentiunt scriptores omnes, qui de Officiis eccle- « siasticis scripsêre, et verticis chrismationem à solis « ministris non ab episcopis tribuendam esse omnes « declarant. » Cur autem episcopi chrismatione baptismali olim uti non possent, hæc rationem subjicit, « quòd videlicet ea chrismatio instituta esset in « symbolum subjectionis ministrorum erga episcopum, « ut neminem baptizando sine unctione chrismatis, « quod ab episcopo consecratum accepissent, profi- « terentur primariam episcopi in omnibus Sacramen- « tis, et nominatim in Baptismo auctoritatem. »

Sirmondi sententiæ nonnihil favet canon 20 concilii Toletani I, quo verticalis unctio presbyteris permittitur, eâ tamen lege, ut *præsente episcopo* non ungant, *nisi ab ipso fuerit præceptum.* Sed Aurelii opinioni apertè favent ordo Romanus, et liber de divinis Officiis qui capite de Sabbato sancto præscribunt, ut neophyti à pontifice, vel à presbyteris, seu *ab aliis, quibus ipse jusserit,* baptizati, offerantur primùm *uni de presbyteris,* qui eos in vertice liniat, deinde pontifici, qui eos chrismet in fronte.

Respondeo. Varia fuit olim hujus unctionis administratio. Eam hodiè conferunt quicumque ministri, seu episcopi, seu cardinales, seu sacerdotes, etiam in Baptismo solemni, quemadmodùm apparet ex rituali Romano, ubi de Baptismi cæremoniis.

§ 6. *Refertur opinio Sirmondi circa duas unctiones, quarum una fit in vertice, altera in fronte : et circa unionem unctionis frontalis et impositionis manuum.*

Singularis omninò est Sirmondi opinio circa duas unctiones Baptismo posteriores, quarum una fit in vertice, altera in fronte, et circa unionem, separationem et iteratam adunationem unctionis frontalis cum manûs impositione : quam, ut facilius intelligas, pluribus propositionibus numero distinctis, et ex primo ac secundo Antirrhetico excerptis referam.

1° In Ecclesiâ orientali *unica semper fuit unctio. Apud Græcos verò perpetuus hic mos fuit, ut presbyteri jam baptizatos in fronte chrismarent. Hinc Latinos aliquando insimulare ausi sùnt, ut Nicolaus Papa scribit epistola* 70, *quòd presbyteros linire baptizatorum frontes inhiberent;* ex 1 Anthirretico.

2° In Ecclesiâ verò occidentali : « Primis Ecclesiæ « seculis unctio chrismatis unica erat, quâ episcopus « baptizatos in fronte consignabat : in fronte, inquam : « hoc enim etsi doceri nihil est opus, docet tamen « Tertullianus, eo alludens, lib. de Prescrip., c. 40, « cùm de æmulo Dei diabolo ait : *Signat et illic in fronti- « bus milites suos.* Unde et *inscripta oleo frontis signacula,* « dixit Prudentius in Psychomachiâ. Unicamque chri- « smationem et Tertullianus idem de Baptismo, c. 7, « et Cyprianus, epist. 70, et alii Patres antiqui com- « memorant. » Ex 1 Antirrh.

3° Sylvester I, qui super cathedram Petri sedit ab anno 314, ad annum 335, permisit ut presbyter baptizatos in fronte ungeret; ex 1 et 2 Antirrh. sequenti. Deinde usu multis in locis eam usurpârunt presbyteri, ut apparet ex concilio Toletano I, can. 20, Arausicano I, can. 2, et Gregorio Magno, lib. 3, epist. 26 ad Januarium episcopum Calaritanum : Pervenit quo- « que ad nos, inquit, quosdam scandalizatos fuisse « quòd presbyteros chrismate tangere in fronte « eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem « secundùm usum veterem ecclesiæ nostræ fecimus : « sed si omninò hâc de re aliqui contristantur, ubi « episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus « baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. « Romanæ, ut vides, Ecclesiæ consuetudinem dum me- « memorat Gregorius, ecclesiarum omnium consue- « tudinem non fuisse significat. Erant ergo apud quas « presbyteri baptizatos chrismarent in fronte... Quem « illi morem profectò, inquit Sirmondus, nisi aliquo « jure sibi permissum, non usurpâssent. Unde autem « manâsse potiùs credamus, à Sylvestro Papâ, qui « *constituit ut presbyter liniat chrismate levatum de « aquâ, propter occasionem transitûs mortis,* ut memo- « riæ proditum est in pontificali? Scio non deesse, « qui verticis unctione hæc interpretari malint : sed

« videntur isti ad ætatis suæ morem potiùs quàm ad « Sylvestri consilium et institutum spectâsse. » Ex 1 Antirrhet.

4° Quin etiam chrismationem frontis commissam olim vulgò presbyteris ab episcopis quibusvis, docet in Antirrhetico 1, pag. 64 et 66, et in Antirrhetico 2, pag. 27, 28, etc.

5° Neque solùm presbyteris, sed etiam diaconis passim et sine necessitate commissam, et ab illis, ut ordinariis ministris, tradi consuetam asserit in Antirrhetico 1, pag. 69, et in Antirrhetico 2, pag. 38.

« 6° Muneris igitur episcopalis erga neophytos, cùm « duæ olim essent partes, chrismatio et impositio ma- « nuum, ita subinde res est temperata, ut concessâ pre- « sbyteris in fronte chrismandi potestate, pars altera « penès solos episcopos resideret, quam solam iis « impertirent, qui legitimè à presbyteris chrismati « jam forent; » ex Antirrhetico 1. Exinde chrismatio frontis et manuum impositio sejunctæ fuerunt, quod Sirmondus probat auctoritate Hieronymi adversùs Luciferianos, concilii I Arausicani, can. 2, Gennadii, lib. de Eccles. dogm., cap. 52, Hilarii Arelatensis in homiliâ de Pentecoste, (videsis dissertationem de auctore 50 homiliarum, quæ Eusebio Emisseno tribuuntur), S. Augustini, l. 5 de Baptismo, c. 20, ubi « de Baptismo disputans contra Donatistas, hanc tan- « dem impositionem manûs et Sacramentum singula- « riter appellat, et à chrismatione sejungi solitam, « ipsâ verborum serie, Eucharistiæ interjectâ men- « tione significat. » *Si ad hoc valet*, inquit, *quod di- « ctum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut « per peccatorem sacramenta non celebrentur : quomodò « exaudit homicidam, vel super aquam baptismi, vel su- « per oleum vel super Eucharistiam, vel super capita « eorum quibus manus imponitur?* ex Antirrhetico 1.

« 7° Duo tamen ista, quæ divulsa tantisper ali- « quando apud multos, et divisa fuerant, eodem « Ecclesia postea sapientissimo consilio copula- « vit iterùm, et consociavit, ita ut munus utrum- « que in Confirmatione, solusque jure ordinario « præstet episcopus, nec derivari nunc, nisi summâ « auctoritate ad presbyteros liceat. » Quibus postremis verbis Sirmondus apertè indicat presbyteros priùs in fronte chrismâsse jure ordinario; ex 1 Antirrh.

8° Hæc duo jam copulata fuisse ætate suâ testatur Innocentius in epist. ad Decentium, qui omnium primus duas unctiones distinguit, alteram in vertice à presbytero, alteram in fronte ab episcopo : ex 1 et 2 Antirrh., quo fit ut *ejus instituti eum auctorem, vel assertorem ii proferant*, qui de Ecclesiæ ritibus scribunt, in quibus nominat Sirmondus Isidorum Hispalensem, Alcuinum, Amalarium, ac præterea synodum Meldensem, can. 44; ex 2 Antirrh. pag. 52 et 53.

« 9° Duplicem verò unctionem etsi distinguit Inno- « centius, duplicem tamen passim, nisi longo post « tempore, observatam haud facilè reperias. Quare « mirum non est unicam can. 2 Arausicanis Patribus « probari : » ex 1 Antirrh.

10° Serie tamen temporum Innocentii decretum ubique obtinuit, et « pro unâ chrismatione duæ tan- « dem in Ecclesiâ juxta Innocentii papæ rescriptum « receptæ sunt, ut presbyter baptizatum in vertice « liniat, episcopus in fronte consignet, cum tradit « Spiritum Paracletum. Sed aliud est, quid nunc « juris sit animo volvere, aliud antiquos canones ex « antiquis moribus, quæ suprema interpretandi « lex est, aptè congruenterque interpretari : » ex 1 Antirrh.

11° Hinc tres ille ætates in 2 Antirrh. distinguit quibus varia fuerit ac multiplex Sacramenti Confirmationis administratio. Primam ætatem ab Apostolis ad Constantinum seu Sylvestrum papam producit. Secundam verò ac tertiam nullis certis limitibus definit : sed quantùm ex ejus doctrinâ conjicere licet, secundam producit à Sylvestro ad finem seculi VI, vel initium seculi VII, quo duplicem illam unctionem passim observatam fuisse apparet ex Sacramentario Gregoriano, Isidoro Hispalensi, Bedâ, etc. Tertiam verò ab Innocentio I ad nos usque producit. Primâ ætate chrismationem junctam facit manuum impositioni; ita nimirùm, ut utramque conjunctim quidem solus episcopus præberet, sed manûs impositionem chrismatio anteiret : quod ille probat auctoritate Tertulliani, Cornelii, et Optati.

12° Alterâ ætate chrismationem à manuum impositione dividit non solùm tempore, sed etiam ministro : presbyteris enim, imò et diaconis baptizantibus concedit ut neophytos etiam jure ordinario, in fronte liniant, episcopis verò solam manuum impositionem reservat.

13° Tertiâ ætate hæc duo rursùs consociat, et ad solius episcopi potestatem reducit.

14° Subjicit Patres hujus tertiæ ætatis, Confirmationis quidem nomen chrismationi tribuisse, ita tamen, ut propriam Confirmationis efficientiam manuum impositioni reservaverint : hoc est, chrismationi inane Confirmationis nomen, manuum impositioni rem ipsam tribuisse.

Huic singulari sententiæ Sirmondi occasionem præbuit controversia de interpretatione canonis 2 concilii Arausicani I, quæ inter ipsum et Petrum Aurelium exorta est anno 1633, quâ de re infra, § 8, commodiùs agemus.

§ 7. *Expenditur relata Sirmondi opinio.*

In hâc Sirmondi opinione plura mihi displicent, pleraque falsa mihi videntur. Quæ quidem ut appareant, juvat singulos numeros percurrere, et doctrinam in ipsis traditam breviter expendere.

Circa primum igitur numerum, concedo in Ecclesiâ orientali unicam unctionem semper fuisse; verticalem enim, quæ Baptismum subsequitur, nullam Græci agnoscunt, vel agnoverunt, sed perpetuum fuisse hunc morem apud ipsos, ut presbyteri jam baptizatos in fronte chrismarent, negat Firmilianus in epist. ad Cyprianum, dùm *et baptizandi* (ritu scilicet solemni) *et manum imponendi, et ordinandi potestatem*, solis

tribuit majoribus natu, qui in Ecclesiâ præsident. Negat Chrysostomus, hom. 18 in Acta apost., dùm ex facto Petri et Joannis, qui Spiritum sanctum Samaritanis contulerunt, ita concludit : « Unde et præ« cipuos (hoc est episcopos) et non alios videmus hoc « facere. » Negant Isidorus Pelusiota, Œcumenius, et alii Patres Græci, dùm Apostolis, non discipulis datam aiunt potestatem tradendi Spiritum sanctum. Negant Zonaras et Mathæus Blastarius, licèt schismatici, cùm aiunt Apostolis, eorumque successoribus episcopis concessam fuisse facultatem tradendi Spiritum sanctum, non autem chorepiscopis, *quamvis plura privilegia, quam presbyteri sortiti essent*, eò quòd typum gererent 70 discipulorum. Negat Georgius Pachymeres in caput 5 eccles. Hierarch. Dionysii, ubi ait, quamvis sacerdos baptizare possit, nihilominùs « opus esse antistite, qui baptizatum chrismate inun« gat; hæc enim antiqua fuit consuetudo. » Floruit ille sub Michaele Palæologo circa annum 1280.

Photii verò, aliorumque Græcorum ipsius partibus adhærentium objectionibus, inter quas illa de prohibitâ presbyteris episcopali chrismatione, Nicolaus I universè respondet : « Aut falsa sunt, quæ nobis im« pingere moliuntur : aut certè jam à prisco tempore, « sine cujusquam contradictione in Ecclesiâ Romanâ, « imò in totâ âccidentali parte custodito, etc. » Atqui falsa non erant, quæ Græci Latinis circa prohibitionem unctionis frontalis sacerdotibus factam impingere moliebantur. Hæc igitur prohibitio *à prisco tempore sine cujusquam contradictione in ecclesiâ Romanâ, imò in totâ occidentali parte custodiebatur*. Quæ certè non conveniunt cum doctrinâ, num. 3, 4 et seq. traditâ.

Quæ num. 2 referuntur, vera sunt. Sed quæ num. 3 docentur, falsa sunt : nec enim Sylvester constituit, ut presbyteri baptizatos ungerent in fronte, sed in vertice, quâ de re supra, § 5 : neque concilia Toletanum I, can. 20, et Arausicanum I, can. 2, aliam unctionem presbyteris, quam verticalem permittunt. Quo sensu Gregorius Magnus intelligi debeat, exponemus alibi. Sed esto, confirmatoriam ille frontis unctionem Calaritanis sacerdotibus permiserit, quid inde concludi potest, nisi quod ex pontificis auctoritate presbyter fieri potest extraordinarius hujus Sacramenti minister? Porrò tantùm abest (si qua tamen ratio habeatur libri pontificalis Damaso adscripti) ut Sylvester unctionem frontalem abstulerit episcopis, et presbyteris permiserit; imò decretum ejus apertè supponit duas unctiones Baptismo posteriores, quarum unam episcopis, alteram presbyteris tribuit. Sic enim habetur : « Sylvester constituit chrisma ab epi« scopo confici : et privilegium episcopis contulit, ut « baptizatum consignent, propter hæreticam suasio« nem. Hic et hoc constituit, ut baptizatum liniat pre« sbyter chrismate levatum de aquâ, propter occasio« nem transitûs mortis. » In hoc igitur decreto, qualecumque illud sit, episcopalis unctio eadem non est quæ sacerdotalis.

Frontis chrismationem commissam olim vulgò fuisse presbyteris et diaconibus à quibuslibet episcopis, asseritur num. 4 et 5. Verùm id non apparet ex antiquis canonibus, quâ de re infra, ubi de ministro : quanto minùs ex illis apparebit, frontis unctionem à sacerdotibus et diaconibus velut ab ordinariis ministris tradi consuetam : quæ doctrina in concilio Tridentino, sess. 7, can. 3 de Confirm., anathemate perculsa iis videtur, qui unctionem frontis Confirmationi essentialem esse putant.

Num. 6, Sirmondus frontis chrismationem et manuum impositionem sejunctas fuisse, probat 1° auctoritate Hieronymi adversùs Luciferianos. « Non abnuo, « inquit Hieronymus, hanc esse ecclesiarum consuetu« dinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per « presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad « invocationem sancti Spiritûs manum impositurus ex« currat. » Verùm hic locus non satis aptè producitur. Hieronymus enim nullam frontis chrismationem ibi commemorat, quæ à presbyteris et diaconis fieret; nec chrismationem episcopalem ab iis usurpatam ait; nec dicit eos qui a presbyteris et diaconis in Baptismo chrismati essent, deinde ab episcopis solâ manuum impositione et sine frontis unctione confirmatos. Verba igitur Hieronymi nec commodiùs exponi possunt, nec faciliùs, quàm ad aliorum Patrum, et inprimis Ecclesiæ Romanæ mentem; maximè cùm dialogum illum adversùs Luciferianos Romæ scripsisse memoretur. Sed Romani pontifices frontis chrismationem solis episcopis attribuunt. Innocentius I in epistolâ ad Decentium, cap. 3 : « Presbyteris « chrismate baptizatos ungere licet, non tamen fron« tem ex eodem oleo signare, quod solis debetur epi« scopis; idque non solùm ait consuetudine eccle« siasticâ demonstrari, verùm et lectione Actuum apo« stolorum. » Et Gelasius in epistolâ 9 ad episcopos Lucaniæ, anno 494, cap. 6 : « Presbyteros ultra mo« dum suum tendere prohibemus, nec episcopali « fastigio debita sibimet audacter assumere : non « conficiendi chrismatis, non consignationis pontifi« calis adhibendæ sibimet arripere facultatem. » Neque Sirmondus in eo vim facere debet, quod Hieronymus nullâ unctionis mentione factâ dixerit, quod *episcopus manum impositurus excurrat*. Veteres enim manuum impositione chrismationem, et chrismatione manuum impositionem complecti solebant, quâ de re supra.

2° Sirmondus adducit auctoritatem Gennadii, libro de Eccles. Dogmatibus, cap. 52. Verùm Gennadius, ibi nec Confirmationem in solâ manuum impositione constituit : nec ab illâ unctionem tempore vel ministro dividit : sed utramque potiùs connectit, et in utroque Sacramentum ponit. « Si parvuli sunt, vel « hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant « pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi, « et sic manûs impositione et chrismate communiti, « Eucharistiæ mysteriis admittantur. »

3° Citat Hilarium in homiliâ de Pentecoste. Verùm auctor hujus homiliæ, quisquis ille sit, dùm manûs impositionem commemorat, non excludit ab eâ chri-

sma, sed aliorum Patrum more in manûs impositione illud includit, uti dictum est supra.

4° Producit Augustinum, qui lib. 5 de Baptismo, cap. 20, impositionem manûs, et sacramentum singulariter appellat, et à chrismate sejungit. Textum supra descripsimus num. 6. Verùm et Augustinus ibidem oleum sacramentis apertè annumerat, cum illius exemplo probet *sacramenta per peccatores celebrari* : et illud Baptismo, Eucharistiæ, et impositioni manuum, veris Sacramentis adjungit. Præterea Augustinus ibi olei administrationem non tribuit presbyteris et diaconibus. Denique manuum impositio, de quâ ibi Augustinus, non est Sacramentum Confirmationis, cùm illud olei nomine priùs significaverit. Idque indicat ipsa series locutionis, quâ sacramenta eo ordine enumerat, quem in ecclesiâ semper habuerunt, primo Baptismum, tum Confirmationem, deinde Eucharistiam, denique impositionem manuum. Eorum igitur nomine, *quorum capitibus manus imponuntur* intelligit vel eos qui Sacramento Pœnitentiæ, vel eos qui Sacramento Ordinis initiantur, vel utrosque.

Num. 7, traditur, sacerdotes olim in fronte chrismâsse jure ordinario. Quod erroneum theologis videtur, qui unctionem ad Confirmationis essentiam pertinere existimant.

Num. 8, tria docet, omninò falsa. Nec enim Innocentius unctionem verticalem instituit, quâ de re supra. Neque Innocentius omnium primus hujus unctionis mentionem fecit : quâ de re ibid. Neque hujus unctionis eum auctorem, vel primum assertorem faciunt Isidorus Hispalensis, Alcuinus, Amalarius, et synodus Meldensis.

Num. 9, asserit duplicem unctionem, de quâ Innocentius, non nisi longo post tempore passim observari cœptam. Et tamen Innocentius ipse hujus duplicis unctionis meminit quasi ritus communis et jampridem in ecclesiâ recepti. Quin etiam conceptis terminis docet, *non solùm consuetudine ecclesiasticâ, verum et lectione Actuum Apostolorum demonstrari pontificibus solis deberi, ut consignent*, hoc est, frontem ungant : non autem presbyteris licere, *ut frontem ex eodem oleo signent*.

Addit Sirmondus unctionem unicam, videlicet frontalem, Arausicanis Patribus probari can. 2 : cùm tamen unctionem illam verticalem, non frontalem, fuisse, appareat, tum ex verbis ipsius canonis : « Nullus ministrorum, qui baptizandi recepit officium, « sine chrismate usquàm debet progredi, quia inter « nos placuit semel in baptismate chrismari. » Unctio enim quæ in ipso Baptismate conferebatur, seu quæ ad Baptismum pertinebat verticalis erat : tum ex ipsis ministris, quibus hujus unctionis administratio præcipitur. Mandatur enim omnibus ministris, adeòque diaconis, qui baptizandi receperant officium. Diaconi verò unctionem frontalem seu episcopalem nunquàm adhibuerunt. Accedit quòd in ultimo canone Arausicano præcipitur ut episcopus infirmus non per presbyteros, sed per alium episcopum agenda curet quæ propria sunt episcopi. Atqui ex Innocentio I munus ungendi frontem proprium erat episcopis. Hoc igitur munus *can.* 2 *Arausicano* non conceditur presbyteris, multò minus illis præcipitur.

Num. 10, ait *antiquos canones ex antiquis moribus, quæ suprema interpretandi lex est*, exponendos esse. Sed Innocentius I *in epistolâ suâ ad Decentium*, anno 416 scriptâ, testatur hanc esse *consuetudinem ecclesiasticam*, ut soli episcopi neophytos ungant in fronte. Ex hâc igitur antiquâ consuetudine interpretandi sunt antiqui canones, qui de chrismatione loquuntur, non autem ex recentioribus quibusdam dogmatibus, quæ Sirmondus invehere conatus est.

Agnosco hanc legem interpretandi supremam esse, ut canon Arausicanus exponatur ex moribus ætate illâ observari solitis. Sed cùm res ita sit, cur Sirmondus urget canonem Arausicanum exponendum esse ex tempore et ætate concilii Arausicani ? et tamen frontis chrismationis presbyteris concessæ, quam concessionem statui putat canone Arausicano, nullum ex omni antiquitate testem luculentum proferri potuit, nisi Gregorium magnum, qui et concilio Arausicano centum et quinquaginta annis posterior est : nec illam concessionem quasi antiquam et communem refert, sed eam nonnullis duntaxat ecclesiis pastore viduatis, ad quorumdam fidelium solatium permittit.

Num. 11, primâ ille ætate chrismationem junctam facit manuum impositioni, ita nimirùm, ut utramque conjunctim solus episcopus præberet, sed manûs impositionem chrismatio præiret. Quod ille probat auctoritate Tertulliani, Cornelii, et Optati. Verùm Optatus, ut qui Sylvestro posterior fuerit, ad primam illam ætatem non pertinet : neque ipse meminit impositionis manuum, sed solius unctionis : solius quoque chrismatis mentionem facit Cornelius. Tertullianus verò qui utriusque meminit, chrismationem quidem manuum impositionem priorem facit, sed Cyprianus facit posteriorem, eique consentiunt cæteri Patres et auctores. Nullus enim est, quod sciam, qui frontis chrismationem impositioni manuum præmiserit, præter Tertullianum, et Guillelmum fortè Parisiensem, cap. de Sacram. Confirm. sub finem : » Pingatur, in« quit, signum crucis de chrismate in frontibus eorum, « et impositis manibus super capita eorum, dicatur « eis : Pax tecum. Si quidem ad impositionem ma« nuum Apostolorum solebat dari Spiritus sanctus, et « datur modo ad impositionem manuum episcopo« rum. »

Doctrinam, quæ num. 12 traditur, supra satis refutavimus : quæ verò num. 13 continetur, vera est : sed quæ num. 14 habetur, falsa est. Constat enim ex dictis supra, frontis chrismationem Confirmationi essentialem esse, et per eam neophytis infundi Spiritum sanctum. Recole quæ dicta sunt § 1 præcedenti.

Jam verò accedamus ad canonem 2 Arausicanum, qui huic Sirmondi doctrinæ occasionem præbuit.

§ 8. *De canone* 2 *concilii primi Arausicani, ubi de origine disceptationis Aurelii et Sirmondi.*

Privatæ Petri Aurelii cum Jacobo Sirmondo disce-

ptationis de textu et sensu canonis 2 Arausicani occasio nata est ex ejusdem Aurelii *vindiciis censuræ Sorbonicæ adversùs spongiam Loemelii*, quam Joannes Floydus, Jesuita Anglus, et Audomari in Belgio professor, sub fictitio *Hermanni Loemelii*, *Antuerpiensis licentiati, et canonici lectoralis ecclesiæ cathedralis Audomarensis* nomine in lucem emisit anno 1631. Cùm enim facultas Parisiensis hanc inter alias propositionem censurâ notâsset : « Post institutionem chrisma- « tionis sacerdotum in Baptismo, chrismatio per epi- « scopum non est tam necessaria ac ante fuit : » et Floydus in Spongiâ adversùs censuram sacræ facultatis respondisset : « Hoc tradunt Patres Arausicani « can. 2, ubi conceptis verbis dicunt: *Necesssariam* « *quidem esse chrismationem, tamen satis esse semel in* « *Baptismate chrismari. Si verò in Baptismate chrisma-* « *tus quis non fuerit, admoneatur*, inquiunt, *episcopus;* « *nam sufficit una benedictio.* » Reposuit Aurelius « ca- « nonis hujus editionem ita obscuram et depravatam « esse, ut ad disputationem dogmaticam adhiberi sine « temeritate non possit. » Quod ut ille probaret, varias hujus canonis editiones recensens, ejus etiam meminit, quæ in fine negationem habet. « Sic, inquit, « antiqua editio Coloniensis, quam, nescio, cur pater « Sirmondus sine causâ sequi maluerit, contra patrem « Frontonem Ducæum, qui exploratis diligenter vetu- « stis manuscriptis, ultimæ illi parti negationem non « adjicit. » Hæc cùm obiter dixisset Aurelius, de Sirmondo lædendo (ut ipse etiam jurejurando affirmat) ne quidem cogitans; Sirmondus tamen sic ea accepit, quasi sibi de vitiato canone Arausicano dicam scripsisset. Hinc exordium celeberrimæ dissertationis, quæ inchoata à correctione canonis, defecit in sensum. Sirmondus opinionem suam, epistolâ ad Aurelium tutatus est anno 1631 : cui Aurelius dedit, ediditque responsionem. Hanc Sirmondus, Antirrhetico 1, excepit eodem anno, cui Aurelius opposuit *Anærheticum :* huic Sirmondus tribus post annis *Antirrheticum alterum* reposuit : Aurelius *orthodoxum*, qui cum à nonnullis antistitibus visus esset, ac summo in pretio habitus, tandem in postremâ Aurelii operum editione jussu et sumptibus cleri Gallicani procuratâ, publici juris factus est.

Duplex igitur inter Aurelium et Sirmondum concertatio fuit, altera de textu, altera de sensu hujus canonis. De utrâque paucis agendum.

§ 9. *De textu canonis 2 Arausicani.*

Canon ille ordine primus est in vulgatis editionibus conciliorum; secundus in codice Tiliano, in editione conciliorum Galliæ Sirmondi, et in editione regiâ Labbæi.

Sirmondus canonem ita legit : *Nullus ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquàm debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari: de eo autem, qui in Baptismate, quâcumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est : non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Aurelius verò in postremâ clausulâ negationem omittit. *Nam inter nos chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est, non ut præjudicans quicquam dico, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita.* Ita duæ istæ lectiones in eo maximè differunt, quod huic necessaria sit chrismatio repetita, illi non necessaria.

Aurelius igitur particulam negativam, quæ sub finem canonis habetur, delendam : Sirmondus retinendam esse contendit. Aurelii opinionem sequuntur doctores Parisienses : Sirmondi opinionem amplexati sunt Jesuitæ Labbæus et Cossartius in editione regiâ conciliorum, et Petrus de Marcâ, in notis ad canonem 28 concilii Claromontani. Argumenta utriusque partis referam.

Argumenta Sirmondi adversùs Aurelium.

Probationes, quas Sirmondus, et in epistolâ, et in utroque Antirrhetico pro suâ opinione refert, ad octo revocari possunt.

Prima est, quia Tilianus, Lugdunensis, Rhemensis, et Fossatensis, aliique optimæ notæ codices hanc particulam negativam præferunt.

Secunda, quia *vetera Isodori exemplaria* eamdem *quam* Aurelius *impugnat, negationem præferunt*, ut videre est in codicibus Isidori Mercatoris, quorum unus extat in bibliothecâ sancti Victoris, alter in Thuanâ, tertius in Laudunensi, et quartus in Bellovacensi. Quibus ex Labbæo, ubi de canone 2 Arausicano, addi potest codex Justelli.

Tertia, quia *hæc est codicum, vel suorum, vel aliorum qui in editione Coloniensi laudantur, constans et nusquàm dissona consensio.*

Quarta, quia *suam canonis emendationem, quam* (Aurelius) *oppugnat, manuscripti omnes libri, atque Isidorus ipse confirmat :* (Aurelio) *autem ne vulgati quidem ulli, nisi corrupti, consentiunt.* Quo fit, ut Sirmondus Aurelio palmam tradat, *si ex tantâ veterum exemplarium copiâ, quantam adhuc servant bibliothecæ, vel unicum protulerit, quod postremam canonis nostri partem negationis voculâ destitutam exhibeat.*

Quinta, *quia in utrâque suâ editione Crabbus* (particulam negativam, quam) *Merlinus Isidoro subtraxit, ex antiquis codicibus restituit, apposuitque, non in textu, sed ad marginem, ut solebat.*

Sexta, quia Aurelius *negationem tolli jubet, quam qui tolleret, veterum repertus est nemo.*

Septima, quia ipsa synodi verba negationem, salvâ sententiâ, tolli non posse testantur. Absit enim *de synodi Arausicanæ Patribus tam leviter suspicari, ut qui chrismationem unicam toto canone tot modis inculcârunt, eosdem placeat in extremâ ejus clausulâ necessariam chrismationem alteram affirmare.*

Octava, quia *Hilarium Arelatensem, et Eucherium Lugdunensem, atque alios utriusque provinciæ antistites, qui synodo* (Arausicanæ) *adfuerunt* (et nullam unctionem in Confirmatione necessariam agnoscunt), *dissidere à se ipsis, et pugnantia loqui potuisse*, (nemo) *cordatis hominibus persuadebit.* Quæ duæ postremæ rationes è sensu canonis repetuntur, de quo infra.

Aurelii argumenta contra Sirmondum.

Aurelius contra multis argumentis contendit, particulam negativam, quam textui Sirmondus inseruit, auferendam esse.

Primum petitur ex vulgatis et antiquis conciliorum omnium editionibus, quæ omnes hâc particulâ negativâ carent, scilicet Merliniana triplex, duplex Crabbiana, Suriana, et Biniana duplex. Vulgatarum editionum primam omnium Parisiis instituit Jacobus Merlinus Theologus Navarricus, et magnus in ecclesiâ Parisiensi pœnitentiarius anno 1524; quæ quidem editio Coloniæ iterùm excusa est anno 1530, et Parisiis anno 1535. Post hanc Coloniæ prodiit duplex Petri Crabbi Franciscani, una duorum, anno 1558, altera trium tomorum anno 1551. Hanc verò sexdecim post annos Suriana excepit anno 1567, Surianam Biniana duplex, prior Coloniæ anno 1606, posterior ibidem anno 1618. Ita conciliorum Ecclesiæ collectores, editoresque ad præfatæ controversiæ tempus, quatuor omninò, editiones verò octo, quorum diversæ sex fuerunt. Tres enim Merlinianæ inter se nihil differunt. Merlinus igitur in his tribus editionibus nullam ejus negationis mentionem facit. Crabbus in utrâque editione hanc negationem, velut rem dubiam apposuit in margine, non in textu. Eam è margine expunxit Surius, *cui*, inquit Aurelius, *studium fuit Crabbianam editionem expurgare et sarcire multis undequàque restitutis, expletis, additis; ita ut præter amplam accessionem, quâ editio ad tomos quatuor excrevit* (cùm Crabbiana posterior non nisi tribus, prior non nisi duobus constitisset) *multa locorum millia ex collectis undique manuscriptis codicibus se restituisse, in ipsâ operis fronte sit professus.* Binius quoque in utrâque editione hujus negationis non meminit.

Secundum argumentum petitur ex codicibus manuscriptis, quibus Merlinus, Crabbus, Surius, et Binius usi sunt, quos hâc negatione caruisse ex eo constat, quòd illi in suis editionibus nullam hujus negationis mentionem fecerint, præter Crabbum, qui eam non in textu, sed in margine, velut rem dubiam, apposuit; unde sequitur manuscripta, in quibus eam Crabbus invenit, vel ea pauca numero fuisse, vel levioris auctoritatis.

Tertium, ex Frontone Ducæo societatis theologo, qui *Surianam editionem veterum codicum præsidio emaculans, negationem*, (à Surio in Crabbianâ sublatam) *non reposuit.*

Quartum, ex editione Antonii Augustini., Tarraconensis archiepiscopi, viri multæ eruditionis laude nobilis, qui, lib. 22 collect., tit. 17, cap. 10, eamdem negationem prætermisit.

Quintum, ex Gratiano, cujus veteres et recentiores editiones negationem omittunt, etiam Vaticanum illud vetustissimum volumen, ad cujus normam recentior editio jussu Gregorii XIII emendata est.

Sextum, ex romanâ ejusdem Gratiani correctione, jussu Pii IV, ac subinde Pii V cœptâ, et Gregorii XIII absolutâ, in quâ, de consecr., dist. 4, cap. *Nullus*, negatio hæc omittitur. Atqui Gregorius XIII in suo decreto huic editioni præfixo prohibet, *ne cuiquam liceat eidem operi sic expurgato quidquam addere, vel immutare.*

Septimum, ex ipsis codicibus, et Vaticanis, et monasterii Dominicani supra Minervam, aliisque non paucis, quibus romani correctores usi sunt. Cùm enim in notis ad præfatum caput, hanc negationem ita repellant, ut nusquàm nisi in variis editionis conciliorum Coloniensis trium tomorum (hoc est, posterioris Crabbianæ editionis) lectionibus repertam memorent, et deinceps in editione quatuor tomorum, hoc est, Surianâ, rectè amotam significent, apertè innuunt illam in aliis omnibus manuscriptis et voluminibus, quibus usi sunt, desiderari.

Octavum, ex *perantiquo Isodoro, cujus collectio habetur in duobus codicibus Vaticanæ bibliothecæ, et uno monasterii Dominicani S. Mariæ supra Minervam.* Quibus tribus manuscriptis in Gratiani emendatione se usos esse romani correctores testantur in suâ admonitione Gratiani operibus præfixâ.

Nonum, ex duobus manuscriptis à Sirmondo lectis, et propriâ ejus manu notatis, quorum alterum exstat in Thuanâ, alterum in abbatis Olivarii bibliothecâ; quæ nullam negationem addunt clausulæ canonis, de quâ certatur.

Decimum argumentum est, quia *omnium hujus memoriæ editionum nulla, nisi Crabbi unius, negationem exhibuit, dubiam nimirùm et vacillantem; eamque dehinc omnes, velut in re minimè dubiâ, unâ voce sustulerunt.*

Undecimum, quia *nec ante Crabbum quisquam ejus negationis meminerat: et ab ipso, ad tentandum eruditorum judicium, in margine positam nemo suscepit.*

Duodecimum, quia Sirmondus, *primus omnium, negationem canoni intextam edidit; alii, præter Crabbum, ne margini quidem adjectam tulerunt.*

Tredecimum, quia Sirmondus, *primus omnium, lectionem, quæ negatione careat, improbare cœpit; cæteri omnes non probârunt solùm, sed, si unum demas, universi necessariam putârunt.*

Aurelii responsiones Sirmondo.

Ad primum Sirmondi argumentum Aurelius variis modis respondet. 1° Ipse Sirmondus, tomo 1 Concil., pag. 280, in canone 10 concilii Aurelianensis V, verba quæ *regis voluntatem* adjungunt, retinet ex vulgatis codicibus, quamvis tomo 1, pag. 608, ea doceat abesse à manuscripto Fossatensi, Bellovacensi, et Tiliano: Fronto verò Ducæus etiam à Tolosano, Fuxiensi, et Nicolai Fabri. Quòd si præter sex codicum optimæ notæ auctoritatem, quorum tres ipse producit, nec aliis tribus à Frontone nominatis caruit, cùm eos pluribus locis commemoret, retinendam nihilominùs vulgatam scripturam censuit: quidni ex vulgatis editionibus negationem retinere licebit, præter quatuor codicum auctoritatem? maximè cùm ex iis quatuor codicibus, quos Sirmondus objicit Aurelio, duo sint, nimirùm Fossatensis et Tilianus, quibus ipse prætulerit vulgatam concilii Aurelianensis editionem. 2° Quatuor codicibus à Sirmondo laudatis Aurelius opponit codices omnes supra citatos, quibus usi sunt

Isodorus Mercator, Gratianus, Antonius Augustinus, Merlinus, Crabbus, Surius, Binius, et Gratiani correctores. 3° Fronto Ducæus veterum codicum præsidio Surianam editionem emundans, negationem à Surio in Crabbianâ editione ablatam, nequidem in margine reposuit. Eam igitur non invenit in suis codicibus. Sed inter illos codices Tilianus erat ille, quem Sirmondus objicit. 4° Codices illi legendi essent; Sirmondus enim plura asserit, quæ, nisi falsa, dubia saltem apparent, ex dicendis infra.

Ad secundum argumentum Aurelius plura respondet. 1° Codicibus, Victorino, Laudunensi, et Thuano opponit manuscriptos Isidori codices quibus Merlinus usus est. 2° Opponit tres Romanos ejusdem Isidori codices, quorum præsidio Gratianus emendatus est. 3° Codices, Thuanum et Victorinum, ait recentiores esse, et novitiâ scriptos manu, ut ex ipso charactere perspicitur. Neque dissentit Sirmondus in Antirrhetico 2. *De Thuano*, inquit, *et de Victorino, tametsi pervetusti non sint, excipere non licet*, etc., quamvis in Antirrhetico 1, duos illos codices inter *ipsius Isidori vetera exemplaria retulisset*: (quæ Sirmondi contradictiones) *meritò fidem immiuuunt Bellovacensi, et aliis, quos se alibi vidisse ait*. 4° Thuanum et Laudunensem negat *esse Isidori, duas ob causas: quòd nec primorum romanorum pontificum epistolas habeant, Isidori collectioni præfixas, et quòd à Merlini editione discrepent, quâ Isidori collectionem purissimam contineri inter omnes constat*. Justelli codicem, quem Labbæus antiquum asserit, Aurelius recentiorem alicubi affirmat: quin et postremâ clausulâ, in quâ negatio habetur, codicem illum carere. Blondellus et Dallæus asserunt, quâ de re infra ubi de sensu.

Ad tertium Aurelius ita respondet: 1° Fidem Sirmondi tantam in negatione illâ exhibendâ codicum consensionem asserentis suspectam habet; quia Sirmondus tomo 1 Concil. Galliæ, pag. 596, in notis ad canonem 1 Arausicanum, ait *consentire omnes libros* primum canonem secundo loco, et secundum primo referendum esse, cùm tamen Fronto Ducæus è duobus codicibus, Tiliano, et Fabriano, transpositionem istam soli Tiliano tribuat: et ipse Aurelius codicem unum viderit, in quo idem canonum ordo, qui in vulgatis, servatus est. Ex quo fit, ut Sirmondo codicum suorum consensiones jactanti confidere deinceps sine ullâ dubitatione nequeamus. 2° Negat *esse tantam, tam constantem, tam nusquàm dissonam in negatione illâ exhibendâ codicum consensionem, quantam Sirmondus prædicat*. Prima enim editio Coloniensis, quæ eadem est, ac utraque Parisiensis Merliniana, nullam negationem præfert; quemadmodùm nec Suriana, vel Biniana: quis verò sibi persuaserit negationem in editione Coloniensi Merlinianâ, Surianâ, et Binianâ defuturam, si codices omnes quibus Merlinus, Surius, et Binius usi sunt, negationem habuissent? Præterea Crabbus in utrâque suâ editione Coloniensi negationem ad marginem apposuit quasi lectionem dubiam et incertam. Constans igitur non erat in negatione illâ exhibendâ codicum suorum consensio. Denique variæ, imò et contradictoriæ lectiones, quas Crabbus in margine retulit, satis indicant varietatem codicum, quibus ipse usus est. « Varietas insignis est, inquiunt romani correctores ad caput 125, dist. 4, de Consecr., in editione « conciliorum Coloniensi trium tomorum (hoc est, « in posteriore editione Crabbianâ): nam et isto « modo legitur, et hoc: *Non necessaria habeatur « chrismatio*; et: *Non necessaria habeatur chrismatio « repetita*; et: *Necessaria habeatur chrismatio repetita*, « quæ sola lectio retenta est in editione quatuor tomorum, » hoc est, Surianâ.

Ad quartum Aurelius, ut Sirmondi petitioni faciat satis, profert duos codices ab ipsomet Sirmondo lectos et notatos, alterum ex Thuanâ, alterum ex abbatis Olivarii bibliothecâ: duos item codices, quos Merlino ad suam editionem adornandam præbuerunt archiepiscopus Senonensis, et Parisiensis episcopus: codices denique, quibus Merlinus, Crabbus, Surius, Binius, Fronto Ducæus, et Gratiani correctores usi sunt; quos sanè codices omnes nullus corruptos dixerit.

Ad quintum Aurelius respondet, 1° non unam, sed varias, imò et contradictorias in margine lectiones à Crabbo referri, quare Sirmondi opinionem inde nihil juvari. 2° *Crabbum negationem non restituisse, sed velut dubiam ac vacillantem in marginem rejecisse*. Quæ enim liquidò restituenda putabat, ea non ad marginem adnotare consuevisse, sed in textum inferre, apparet ex ipsis canonibus 9, 10 et 11. Quæ verò restituere non potuit, aut parvi esse momenti existimavit, ea Crabbum in marginem conjecisse, profitetur ipse Crabbus in fronte utriusque editionis, et ipse Sirmondus fatetur et probat in 2 Antirrhetico, pag. 110 et 111.

Ad sextum respondet Aurelius veterum neminem fuisse qui hanc negationem sustulerit, quia nullus fuit veterum qui eam admiserit. Hanc certè negationem in antiquis codicibus et auctoribus plurimis desiderari, apparet ex argumentis pro Aurelii opinione adductis.

Septimum et octavum pendent ex sensu canonis, de quo infra.

Sirmondi responsiones Aurelio.

Ad primum Aurelii argumentum, Sirmondus vulgatos libros ex manuscriptis spectandos ait, non manuscriptos ex vulgatis.

Verùm reponi posset, 1° ipsum Sirmondum pro suâ negatione adversùs Aurelium adstruendâ produxisse utramque editionem Crabbianam. Quidni triplicem Merlinianam utrâque Crabbianâ antiquiorem Aurelio contra Sirmondum proferre licuit? 2° Aurelium non tam vulgatos libros ex manuscriptis natos, quàm manuscriptos, unde illi nati essent, objecisse, ut istam, quam Sirmondus prædicabat, manuscriptorum consensionem everteret. 3° Hanc Sirmondi propositionem esse contra criticorum omnium sensum, qui vulgatas editiones non rarò manuscriptis anteponunt, et passim non minùs editiones vulgatas, ad exquirendas veras scripturas adhibent, quàm libros ma-

nuscriptos. Sic Gratiani emendatores planè profitentur se vulgatorum codicum lectiones non rarò prætulisse ipsis (ut loquuntur) originalibus : *Ex ipso*, inquiunt in præfatione, *originali emendavimus, nisi sicubi vulgata lectio visa est melior. Nam tunc, illà retentà, notatum est, quomodo originale ipsum habeat.* Sic Lipsius, criticorum decus, in præfatiunculâ ad Valerium Maximum : *Præterea veteres editiones inspeximus, quas hic et in aliis scriptoribus nihilo deteriores invenimus manuscriptis.* Nec mirum, cùm veteres editiones ex manuscriptis propiùs sint expressæ, adeòque manuscriptorum quodammodo vicem obtineant. Sic ipse Sirmondus, in canone 10 concilii Aurelianensis V, editionem retinet vulgatam, quæ *regis voluntatem* ad episcopi ordinationem exigit, refragantibus licèt quinque aut sex codicibus ab ipso vel à Frontone citatis, qui eam omnes expungunt.

Ad alia verò argumenta Sirmondus respondet 1°, Merlini codices manuscriptos habuisse negationem, sed hanc ab eo contra illos detractam fuisse. *Prima*, inquit, *mali labes à Merlino, qui* (casune, an aliter, non quæro) *negationem Isidoro subtraxit, quam si fideliter in editione suâ repræsentâsset, secutæ sine controversiâ essent aliæ omnes.* Verùm Merlini, theologi Navarrici, viri doctissimi æquè ac probissimi fidem elevari Aurelius ægrè patitur, maximè cùm Sirmondus Merlini codices nusquam viderit. Præterea Crabbus hanc negationem in margine edidit, nec eum tamen ulla deinceps editio, ullus emendator, ullus denique eruditus ad Sirmondum usque secutus est.

Respondet 2° tres esse duntaxat *vel inquinatissimos codices, qui Aurelii causæ faveant.* Verùm citati *supra* codices, contrarium apertè evincunt.

Respondet 3° Surium *nullos habuisse codices manuscriptos concilii Arausicani* : (sed) *posteriorem Crabbianam editionem omni ex parte secutum esse ; nisi quod Crabbi ad primum canonem diversas lectiones, atque inter has negationem nostram, cùm cæteras passim exhiberet, inconsultò prætermit.* Verùm Surius multos habuit conciliorum Galliæ codices, ex quibus novas etiam synodos protulit. Quorsùm igitur Arausicani concilii codices nullos habuerit? Præsertim cùm ille in concilio Arausicano non pauca emendaverit, quæ in posteriore Crabbianâ editione alia sunt, quemadmodùm apparebit conferenti canones 5, 11, 16, 21, 22 et 27.

Respondet 4° hanc *negationem vel apud Gratianum, vel unde Gratianus transtulit, contra librorum consensum, et contra synodum ipsam (olim) sublatam fuisse.* Verùm « quis nesciat, inquit Aurelius in re« spons. ad Sirmondum de canone Arausicano, nega« tionem istam ab Isidori collectione trecentis circiter « ante Gratianum annis abfuisse?... Quòd si Gratia« num ab Isidoro transtulisse dicas, unde id probes « non habebis... Quare desine novitatis arguere lectio« nem, quæ ab octingentis ferè annis in Ecclesiâ cir« cumfertur, ac omnium deinceps sæculorum usu « publicè viguit, donec tu eam publicè abolere cœ« pisti. Desine tuam ei conferre, quam nec tantorum « virorum, nec temporum tantorum auctoritate con« firmabis. Nam codices tuos quâ ratione doceas, vel « à talibus viris, vel ante tot annos extitisse, vel om« nium consensu susceptos? Vanâ enim prædicatione « librorum consensum tibi sumis, cùm nos in omni« bus Ecclesiæ regionibus, atque in ipsâ Galliâ di« screpantes à tuis libros fuisse, quibus tui antiquitate « conferri non possint, demonstremus. »

Respondet 5° Gratiani emendatores nihil aliud propositi habuisse, nisi ut Gratianum emendarent ex manuscriptis ipsius Gratiani exemplaribus, non ex ipsis originibus et fontibus canonum ab eo collectorum. « Verùm illi, inquit Aurelius in anæretico, ad « singula penè capita demonstrant sibi propositum « non ad ipsa Gratiani exemplaria recensere Gratiani « codicem, sed ad ipsos fontes, unde ab illo quæque « hausta essent? Cur enim aliàs tot codices antiquos « omnis generis scriptorum ecclesiasticorum, Patrum, « conciliorum, canonum, quorum longum indicem « toti operi prætexunt, toto orbe conquisissent? Cur « Patrum etiam et conciliorum Græcorum longiores « contextus Græcos insererent notis suis, et versioni « quam Gratianus secutus est, opponerent? Cur to« ties Gratiani textum prolatis Patrum non solùm « vulgatis scriptis, sed manuscriptis ipsis codicibus, « restituerent, sicut innumeris locis restituerunt, quæ « referre putidum esset? Cur denique ad hunc cano« nem Arausicanum, et ad hunc ipsum nodum de « ejus clausulâ, in quo expediendo versamur, com« memorâssent tum Burchardum et Yvonem, tum « editiones Colonienses, quarum inspectio ad codi« cem Gratiani tanto ante editum nihil pertinebat?... « Quid quod in præfatione apertè profitentur sibi con« silium fuisse, non solùm ea restituere, quæ alii in « codice Gratiani exscribendo pervertissent, sed ea « etiam quæ ipse Gratianus perperam collegisset? « *Placuit*, inquiunt, *ut si quâ etiam in re Gratianus, ut « homo, minus vidisset, modestè notaretur, ipsaque « omninò capita suis auctoribus quam diligentissimè re« stituerentur.* Et infra : *Hæc ferè servata corrigendi « ratio est, ut si videretur noluisse Gratianus aucto« rum quos citaret, ipsa prorsùs verba referre, ea ex « ipso originali emendarentur.* »

Argumenta Blondelli et Dallæi Calvinistrarum adversùs Aurelium et Sirmondum.

Sirmondus et Aurelius, si Dallæo credimus, de nihilo dimicârunt ; quia postrema pars hujus canonis quæ præfatam negationem retinet vel rejicit, non est germana, sed canoni assuta fuit. « Vereor, inquit, lib. « 3 de Confirm., ne tantæ istorum lites aerem frustra « tamdiù verberârint. Omnis enim illa clausula, quæ « ab his verbis incipit : *Nam inter quoslibet*, etc., de « quâ tam acriter, tamque pertinaciter inter se confli« xerunt, omninò videtur, non Arausicanæ synodi esse, « sed recentioris alicujus scriptoris manu Arausicano « canoni assuta. » Quo fit, ut integram hujus canonis lectionem sic constituendam existimet. *Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate*

usquàm debere progredi; quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in Baptismate, quâcumque necessitate faciente, non chrismatus, fuerit, in Confirmatione sacerdos admonebitur.

Dallæo præiverat Nicolaus Rigaltius, vir catholicus, et amplissimus senator, in notis ad epistolam 59 Cypriani, pag. 87, ubi canonem illum iisdem limitibus concludit: et utrique Blondellus in Apologiâ Hieronymi de episcopis, sect. 3, pag. 145, cujus argumenta, nonnullis ex suo additis, Dallæus, ibidem, refert. 1° Quia in vetustissimo Henrici Justelli codice canon in hæc verba desinit: *Quia inter nos placuit semel chrismari.*

Verùm si quid hæc argumentatio probat, ea certè concludit adversùs Dallæum, qui plura, quàm Justellinus codex, admittit. Deinde quid hoc unicum exemplar, si cum bene multis conferatur optimæ notæ codicibus, quos vidêre Sirmondus et Aurelius: et cum cæteris, ad quorum fidem Gratianus, Merlinus, Surius, Crabbus, et Binius editiones suas adornârunt? Præstaret dicere, Justelli codicem complecti summam canonis, quam cæteros codices respuere tanquàm impuros, et laciniosos; maximè cùm hæc postrema canonis pars in prioribus verbis satis intelligatur. Præterea Blondello, cujus fide Dallæus Justellinum codicem laudat, opponimus Labbæum, qui tomo 3 conciliorum, ubi de Arausicanâ synodo, canonem illum ex Justelli codice nobis exhibet cum clausulâ, quam Dallæus et alii assutam existimant.

2° Quia can. 27 concilii Arelatensis II, quod anno post Arausicanum undecimo, Domini autem 452 habitum est, hæc quoque lacinia tota omissa deprehenditur, hoc modo. *Nullum ministrum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquàm debere progredi, quia inter nos juxta synodi* (nempe Arausicanæ) *constitutionem placuit semel chrismari.*

Verùm et hæc ratio arguit contra Dallæum, cujus lectio plura quàm Arelatense concilium complectitur. Præterea quid inde? Quasi verò synodus posterior non potuerit priorem canonis cujusdam in superiori concilio sanciti partem referre, idemque, quod in eâ statutum fuerat, renovare, omissâ posteriori parte hujusce rei, quam asserimus. Exemplum exstat in ipso concilio Arausicano, cujus canon 24 prohibet juxta canonem 8 Taurinatis synodi, ne illi, qui post ordinationem cum uxore suâ rem habuerunt, *ulteriùs promoveantur:* et tamen canon 8 concilii Taurinensis, non de illis tantùm decernit, sed et de ordinatis contra interdicta. Aurelius in responsione ad Sirmondum, aliam solutionem adhibet, nempe canonem Arausicanum à compilatore Arelatensi (synodum enim Arelatensem II existimat rapsodiam esse canonumque variorum centonem) abbreviatum fuisse.

3° Quia Burchardus et Yvo Carnutensis, licet seculo XI, sexcentis post Arausicanam synodum annis floruerint, hunc tamen ejus canonem in illis verbis *sacerdos commonebitur* terminant.

Aurelius in responsione ad Sirmondum respondet Burchardum et Yvonem edidisse canonem illum *sine postremâ parte, quòd eam superioribus viderent includi.*

Respondeo canonem, de quo Burchardus, lib. 4, cap. 73, et Yvo, parte 1, cap. 267, videri quidem Arausicani instar compositum, sed ab eo revera diversum esse

1° Quia illum aiunt esse canonem 5 concilii Vasensis, non autem canonem 2 concilii Arausicani. 2° Quia canon iste aliis verbis conceptus est, quàm Arausicanus. 3° Quia non desinit ibi, ubi desinit canon Arausicanus in Justelli codice relatus, cujus lectio genuina Blondello et Dallæo videtur. Sic enim habet canon ille: *Nullum presbyterorum in plebe sibi commissâ sine chrismate unquàm debere progredi, quia inter nos placuit ut, semel in Baptismate, quâcumque necessitate faciente, qui non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdotis perficiatur.* Buchardinus igitur habet, *nullum presbyterorum:* Arausicanus, *nullum ministrorum,* quâ voce non solùm presbyteri, sed etiam diaconi comprehenduntur. Burchardinus habet, *in plebe sibi commissâ:* Arausicanus, *qui baptizandi recipit officium.* Burchardinus habet, *quâcumque necessitate faciente, qui non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdotis perficiatur*: Arausicanus in Justelli codice, si Dallæo fides habeatur, hisce verbis caret: vulgati verò codices quos ipse admittit, habent: *De eo autem, qui in Baptismate, quâcumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur.* Si quis verò utrumque canonem eumdem esse contendat, quia uterque eumdem sensum habere videtur, Burchardinum immutatum fuisse fateatur necesse est.

4° Quia in factâ olim à Reginone abbate circa annum Christi 900, variorum canonum collectione, hunc ipsum Arausicanum canonem sine illâ, de quâ diximus, clausulâ, scriptum testatur Aurelius in responsione ad Sirmondum, p. 301: *Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate unquàm debere progredi, quia inter nos placuit semel in Baptismate chrismari. De eo autem qui in Baptismate, quâcumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur.*

Aurelius, ibidem, respondet *omissam esse postremam partem canonis, quam collector in prioribus satis contineri putavit.*

Respondeo hanc Reginonis editionem cum iis repugnare, quæ Dallæus objicit. Hæc enim mutila vel integra est. Si mutila, ab ipso perperam objicitur: si integra, mutilus est Justelli codex, qui ex Dallæo in his verbis desinit, *quia inter nos placuit semel chrismari:* adeòque et ab ipso non rectè adducitur. Sicut igitur mutilus est codex Justellinus, quia plura leguntur in collectione Reginonis; ita mutila est Reginonis collectio, quia plura leguntur in editione Gratiani, Merlini, etc.

5° Quia sive cum Binio et Aurelio sic legas, *non ut præjudicans quidquam dico*: sive cum Sirmondo ita malis, *non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio;* utrovis, inquam, modo legas, non videntur hæc verba synodi ipsius

esse posse. Nam quidquid contra vitilitiget Aurelius, ineptum et absurdum est, et veterum exemplo caret, ut synodus, quæ scilicet ex pluribus constat episcopis, in singulari numero ita loquatur, *non ut præjudicans quidquam dico*. Ita Dallæus, qui et addere potuisset hæc canonis verba non congruere prioribus, quia paulò ante sermo est in plurali, *inter nos placuit*, etc., et paucis interjectis in singulari, *non ut præjudicans*, etc.

Aurelius ad tuendam lectionem, *non ut præjudicans*, etc., plura ex veteribus synodis refert in Anæretico, p. 431 : sed quæ mihi non satisfaciunt.

Respondeo igitur optimum fore hoc argumentum, si lectio ista canonis certa esset. Sed Gratianus legit, *non præjudicantes cuiquam hoc dicimus :* cui lectioni assentitur Crabbus. Neque etiam valebit objectio, si cum Sirmondo legas, *non præjudicans quidquam*, prætermissâ voce, *dico* vel *dicimus*. Hæc igitur objectio probat quidem Binii lectionem per Gratianum corrigendam esse, non autem postremam canonis partem esse laciniosam.

6° Quia inusitatum fuit Arausicanæ synodi temporibus *præjudicare* sumi pro *nocere*. Recens est, et infimorum temporum hæc usurpatio ; quod rectè observavit Grotius, qui Bartolum et Baldum putat verbum *præjudicare* in hoc *nocendi* sensu primos usurpare cœpisse : et exortum ab iis auctoribus idiotismum hunc, postea ad alios quoque scriptores diffusum esse.

Respondebis fortè Sirmondo, Aurelio, et Petro de Marcâ, viris eruditissimis, visum fuisse quòd verbum, *præjudicare*, idem ibi significet, atque *nocere*. Verùm hæc vox alio sensu apud antiquos auctores usurpatur : quâ de re videsis Calepinum vocabulo *præjudicare*, et *præjudicium*.

Dices fortè verbum *præjudicare* sumi pro *nocere* in duobus privilegiis, cœnobio Sandionysiano per Landericum, episcopum Parisiensem, regnante Clodovæo; et monasterio Corbeiensi per Bertefridum, episcopum Ambianensem, regnante Clothario concessis, et tomo 6 Conciliorum Labbæi relatis, pag. 487, et 527.

Verùm hæc duo privilegia falsi suspicione laborant apud viros eruditos ; enimverò ea ex eodem calamo fluxisse apparebit utrumque inter se conferenti. Hujusmodi tamen significationis, quâ *præjudicare* idem est ac *nocere*, exemplum extat in utrâque concilii Nicæni versione Dionysii Exigui, et Isidori Mercatoris, canone 10 : *Quicumque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem : hoc ecclesiasticæ non præjudicat regulæ ; cogniti enim deponuntur*. Utcumque sit de hâc grammatices observatione, nihil cogit, ut in canone Arausicano verbum *præjudicare* usurpetur pro *nocere ;* quin etiam nihil impedit, quominùs proprio et eodem sensu accipiatur, quo temporibus illis *præjudicare* idem erat, quod *antejudicare*, vel rem statuere, quæ afferat judicaturis exemplum, quod sequantur, juxta illud Hieronymi in apologiâ adversùs Rufinum, circa finem : *Nulli præjudicantes sequi quod velit, nec alterius decretum nostrâ sententiâ subvertentes*. Canon enim Arausicanus eo sensu commodè potest exponi, quâ de re infra, ubi de sensu.

Cæterùm postremam illius canonis partem defendimus, quòd in omnibus ferè codicibus reperiatur, non autem quòd ejus detractio (quemadmodùm Calvinistæ sibi persuadent) catholicæ veritati aut receptis Ecclesiæ ritibus noceat. Si quis enim clausulam illam detrahat, eamque in codicibus, quibus Regino, Burchardus, et Yvo usi sunt, defuisse concedat (quod Aurelius in responsione ad Sirmondum probabilius existimat) tunc et *validiùs nobis suffragabitur canon*, inquit Aurelius, *et planior, ac facilior ejus sensus, nimirum nullus ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquàm debet progredi, quia inter nos placuit* simul et *semel in Baptismate chrismari* in vertice. *De eo autem, qui in Baptismate, quâcumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur*, ut verticalem unctionem ei præbeat; quia Baptismi cæremoniæ, si quæ in neophytis omissæ fuerint, Confirmationi præmitti debent, ut patet ex epistolâ Cornelii papæ ad Fabium Antiochenum. Verùm cùm hujusce canonis sensus controvertatur, de illo fusiùs agendum est.

De sensu canonis 2 Arausicani.

Si vera esset Blondelli et Dallæi opinio, levior esset difficultas de sensu hujusce canonis, quem integrum ex Gratiani correctione cum variis ejus lectionibus describamus necesse est, antequàm varias auctorum sententias referamus. *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit* (*recepit* ex Sirmondo) *officium, sine chrismate usquàm debet progredi ; quia inter nos placuit semel in Baptismate* (hæc verba, *in Baptismate*, desunt in editione Sirmondi, sed habentur apud Isidorum, Burchardum, Yvonem, Gratianum, in codice Justelli, et in editionibus Merlini, Crabbi, Surii, et Binii) *chrismari : de eo autem qui in Baptismate, quâcumque necessitate faciente, chrismatus non fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur* (*in Confirmatione sacerdos non commonebitur*, ex Crabbo ad marginem, in posteriori editione : *in Confirmatione sacerdotis perficietur*, ex Burchardo lib. 4, cap. 73 : *In Confirmatione sacerdotis perficiatur*, ex Yvone, parte 1, cap. 267). *Nam inter nos chrismatis ipsius non nisi unâ benedictio est. Non præjudicantes cuiquam hoc dicimus, (non ut præjudicans quidquam, sed ut*, etc., ex Sirmondo : *non ut præjudicans quidquam dico*, ex Merlino, Surio, Binio, et Crabbo in textu : *non præjudicantes cuiquam hoc dicimus*, ex Crabbo ad marginem in posteriori editione), *sed ut necessaria habeatur chrismatio (sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita*, ex Merlino, Surio, Binio, et Crabbo in textu : *sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*, ex Sirmondo, et Crabbo ad marginem . *Sed ut non necessaria habeatur rechrismatio*, ex eodem Crabbo ad marginem). Quæ quidem variæ lectiones variis interpretationibus occasionem præbuerunt.

Bellarmini opinio.

Bellarminus, de Confirm., cap. 12, putavit hoc canone agi de chrismatione frontis, et permitti presby-

teris Sacramenti Confirmationis administrationem.

Refellitur, 1° quia unctio, de quâ hic agitur, omnibus ministris Baptismi permittitur, adeòque non solùm presbyteris, sed etiam diaconis, qui baptizandi munere fungebantur, ex Tertulliano, lib. de Baptism., cap. 17, ex Hieronymo adversùs Luciferianos, etc. Atqui Ecclesia diaconis nusquàm permisit Confirmationis administrationem. 2° Quia unctio ibi non modò permittitur, sed et præcipitur omnibus ministris Baptismi. Atqui Confirmationis administratio non fuit præcepta, sed quibusdam in casibus permissa presbyteris. Unctio igitur, de quâ hic canon, non est frontalis seu confirmatoria. 3° Quia unctio, de quâ hic canon, ea est, quæ in ipso baptismate fieri solebat : *inter nos placuit semel in Baptismate chrismari.* Atqui frontis unctio non pertinebat ad Baptismum, sed ad Confirmationem.

4° Quia ministris Baptismi hoc canone præcipitur, ut in Baptismate unctionem semper adhibeant; prohibetur enim, ne ministri baptizaturi sine chrismate proficiscantur. Illos igitur Arausicani Patres statuunt, aut saltem supponunt ordinarios esse hujus unctionis ministros. Atqui simplices sacerdotes non sunt ordinarii Confirmationis ministri. 5° Quia unctio ministris Baptismi præcepta, præcedit in hoc canone Confirmationem, et ab eâ distinguitur : statuitur enim, quod si hæc unctio in Baptismo urgente quâdam necessitate, omissa fuerit, hujus omissionis *in* futurâ *confirmatione sacerdos* seu episcopus *commonebitur*. 6° Quia ultimo canone Arausicano præcipitur ut episcopus infirmus per alium episcopum, non per presbyteros, agenda curet quæ propria sunt episcopi. Atqui ex Innocentio I, in epistolâ ad Decentium, et ex Gelasio in epistolâ ad episcopos Lucaniæ, Brutiorum et Siciliæ, qui eodem seculo vivebant, quo Arausicana synodus coacta est, munus ungendi frontem proprium erat episcopis. Hoc igitur munus Arausicano canone non præcipitur, neque permittitur presbyteris. 7° Si Arausicani Patres statuerunt, ut omnes omninò christiani chrismationem episcopalem à ministris in Baptismo susciperent, cur eam illis erga hæreticos usurpare in extremo duntaxat vitæ discrimine, et absente episcopo, permiserunt canone 1?

Sirmondi opinio.

Iisdem ferè argumentis refelli posset Sirmondus præfatum canonem in Antirrhetico 1, sic interpretans : « Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, « sine chrismate usquàm debere progredi, quia inter « nos placuit semel, id est, unà et non divisim chrismari. « De eo autem, qui in Baptismate, quâcumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur, ut ab eo tunc chrismetur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius non nisi « una benedictio est vel in Baptismo, vel in Confirmatione. Non præjudicans, id est, nocens quidquam, « sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio, « semel à presbytero, iterùm ab episcopo. Jam vel « tacente me vides (subjicit Sirmondus Aurelium alloquens) canonem non de duabus, ut aiebas, quæ hodiè sunt in usu, sed de unicâ, eâque in fronte chrismatis unctione loqui : atque, ut hæc unica in Baptismo « fiat, præcipere. Ideò ministrum Baptismi chrisma « in promptu vult habere, ut baptizatum mox liniat. « Quod si quo casu chrismatus in Baptismate quisquam « non fuerit, tum in Confirmatione commoneri episcopum, ut chrismet ipse, nimirùm priusquàm manum « imponat. Hæc synodi, ut apparet, liquida est sententia in quâ quidem sentio te, Aureli, non mediocriter « nec sine causâ commoveri, et conturbari. Primùm « quòd synodo una placet chrismatio : deinde quòd « presbyteris, ut chrisment in fronte, permittitur : « postremò quòd chrismatio ista ab episcopi Confirmatione, seu manuum impositione sejungitur. Nova « sunt hæc, fateor, si cum iis compares, quæ aliter « postea in Ecclesiâ et sapienter constituta sunt : sed « si temporum illorum disciplinam consideres, nihil « habent ab eâ quod abhorreat. »

Plura tamen hæc Sirmondi expositio habere mihi videtur, quæ et à disciplinâ temporum, quibus hæc synodus Arausicana celebrata est, et à rei veritate abhorrent. Supponit enim, 1° unctionem verticis nondùm hâc ætate in Galliis observari solitam, sed solam frontis unctionem. 2° In hoc canone agi de unicâ unctione, frontis videlicet, non autem verticis. 3° Unctionem frontis non pertinere ad Confirmationis essentiam. 4° Unctionem frontis ne cæremoniam quidem fuisse Confirmationis. 5° Frontis unctionem fuisse Baptismi cæremoniam. 6° Unctionem frontis à ministris Baptismi ordinariis administratam fuisse ; quo fit ex Sirmondi opinione, ut hæc unctio *ab episcopi Confirmatione seu manuum impositione sejungeretur*. 7° Unctionem frontis cuilibet ministro Baptismi ordinario in hoc canone præceptam fuisse. 8° Unctionem frontis, si fortè in baptismate omissa esset, supplendam, seu per modum supplementi adhibendam esse, ab episcopo in Confirmatione. 9° Frontis unctionem, si in Baptismo adhibita fuerit, repetendam non esse ab episcopo in Confirmatione, quia chrismatis benedictio, id est, unctio, una et eadem est, à quocumque ministro seu presbytero, seu episcopo conferatur vel in Baptismo vel in Confirmatione. 10° Ex hâc quidem doctrinâ sequi nihil opus esse ut unctio frontis in Baptismo administrata, in Confirmatione repetatur : non tamen inde sequi hanc unctionem nocere, si fortè iteretur ; nec enim hæc ita asseruntur, quasi *repetita chrismatio sit præjudicans, id est, nocens quidquam, sed ut non necessaria habeatur*.

Verùm hæc omnia à Sirmondo et gratis et falsò asseruntur. Unde enim ipsi constat, unctionem verticis nondùm ætate concilii Arausicani I in Galliis observari solitam, sed solam frontis unctionem? Præsertim cùm Gallicana concilia, quæ seculo V celebrata sunt, nempe Arausicanum I anno 441, et Vasense I anno 442, ita unctionis seu chrismationis meminerint, ut nec frontem, nec verticem, nec aliam corporis partem expresserint. Unde Sirmondo constat, frontis unctionem esse meram cæremoniam, quæ nihil ad Confirmationem hoc seculo pertineret, sed ad Baptismum : quæque à presbyteris et diaconis, velut ab ordinariis ministris conferretur?

Nego igitur inprimis unctionem verticalem nondùm

seculo V in Galliis observatam fuisse. Synodus enim Vasensis I, can. 3, præcipit, ut ipsimet *presbyteri vel ministri* (hoc est, diaconi) *ab episcopis suis propriis per annos singulos chrisma petant, appropinquante solemnitate paschali; quia optimum est, ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est.* Presbyteri igitur et diaconi hanc unctionem, ut ministri ordinarii conferebant. Atqui frontis unctionem ut ministri ordinarii non conferebant seculo V ex Innocentio et Gelasio supra citatis. Aliam igitur conferebant unctionem à frontali diversam.

Nego iterùm unctionem, de quâ synodus Arausicana, frontalem fuisse; hanc enim verticalem esse probant argumenta adversùs Bellarmini opinionem supra relata. Omissa igitur chrismatio, de quâ episcopus monendus est, ut illam, antequàm confirmet, suppleat, verticis, non frontis est; ad Baptismum, non ad confirmationem pertinet. Nimirùm hæc fuit semper ecclesiæ praxis, ut prætermissæ Baptismi cæremoniæ, quarum una præcipua est verticalis unctio, ante confirmationem supplerentur. Id constat ex concilio Tridentino, ex Innocentio III, cap. Pastoralis, et (quod maximè facit ad nostrum institutum) ex epistolâ Cornelii papæ ad Fabium Antiochenum, in quâ Novatianum imminente mortis periculo baptizatum, redarguit, quod *neque postquàm à morbo liberatus est, reliqua percepit, quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab episcopis consignatus est,* etc.

Nego 3° istorum, verborum, *chrismatis nonnisi una benedictio est*, sensum esse quod unica chrismatio adhibenda sit vel in Baptismate vel in Confirmatione; eâ scilicet lege, ut si chrismatio in Baptismate adhibita fuerit, in confirmatione prætermittatur: vel si in Baptismate prætermissa fuerit, in Confirmatione adhibeatur. Si quidem propriè loquendo, chrismatis benedictio non est usus et applicatio chrismatis, sed ipsius chrismatis consecratio, quæ ad episcopum, non ad presbyterum pertinet. Præterea una in Baptismo, altera in Confirmatione chrismatio adhibebatur, ex Innocentio I in epistolâ ad Decentium.

Nego 4° postremorum verborum (*non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*) hunc esse sensum (cum igitur unica, non duplex sit chrismatis unctio, inde sequitur, chrismationem, si à sacerdote in Baptismo facta fuerit, non esse ab episcopo repetendam in Confirmatione; ea tamen, si fortè repetatur, non habebitur ut nocens, sed ut minimè necessaria). Hoc enim glossema supponit particulam negativam admittendam esse, nullum in textu fundamentum habet, et postremæ partis canonis sensum omninò distrahit à sensu secundæ partis, in quâ præscribitur, ut unctio, quæ in Baptismate omissa fuerit, in Confirmatione suppleatur, quæ tamen postrema canonis pars cohæret cum secundâ.

Accedit quòd ille sensus unctioni frontis, quam Innocentius et Gelasius pontificibus propriam esse declarârunt, et de quâ canonem Arausicanum intelligendum esse contendit Sirmondus, convenire non possit. « Primum enim, inquit Aurelius in Anæretico, « chrismationem episcoporum necessariam negari, « insolens est apud Patres, qui eam necessariam sæpè, « non necessariam nunquàm dixerunt. Deinde quod gravius multò est, episcopalis chrismationis iterationem « licitam in Ecclesiâ et innocuam dici, vel hæresis est, « vel hæresim sapit, perpetuæ Ecclesiæ traditioni adversa... Nec refert quòd chrismationem illam disjungas à Sacramento Confirmationis; quia non minùs certum est eam ab illo divelli non posse, quàm Sacramentum Confirmationis non posse iterari. Nec « sancti Patres, dum Sacramentum Confirmationis « iterari vetant, minùs iterandam chrismationem intelligunt, quàm impositionem manuum; imò chrismationis iterationem passim interdicunt, impositionis manuum vix unquàm. » Quod ille probat ex concilio Toletano VIII, c. 7, ex Prudentio in Psych., ex Photio in epist. encyclicâ ad patriarchas orientales, ex August., lib. 2 contra litteras Petiliani, c. 103 et 104, et serm. 5 in vigiliâ Pentecostes, ex Optato, c. 7, in fine, ex quibus concludit *patere impium esse dictu, et in Ecclesiâ inauditum, chrismationis episcopalis geminationem esse innoxiam, esse non præjudicantem.* Hactenùs Aurelius, cujus opinionem præstat modò referre.

Aurelii opinio.

Aurelius, ut Sirmondi novitates amoliatur, particulam negativam excludit et vulgatam lectionem retinet, quæ repetendam chrismationem asserit, suamque ipse interpretationem adhibet in hunc modum. « *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine « chrismate usquàm debet progredi:* (nimirùm, ut baptizatus chrismetur in vertice, quod in Galliâ, cùm « antea non fieret, faciendum deinceps hoc canone præcipitur) *quia inter nos placuit semel in Baptismate chrismari* (scitè in baptismate: nam extra Baptisma « chrismari fideles alibi possunt, sed non à presbyteris, quibus chrismàre in solo baptismate licet.) « *De eo autem, qui in Baptismate, quâcumque necessitate « faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur:* (Nempe ut priusquàm talem « confirmet, ad presbyterum in vertice chrismandum « remittat: quia episcopus ipse ejusmodi chrismationem præbere non potest.) *Nam inter nos chrismatis ipsius* (id est, episcopi) *non nisi una benedictio « est* (quam videlicet neophytos confirmans imprimit « in fronte; chrismatio enim altera baptismalis in vertice propria est presbyteri, non episcopi.) *Non præjudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur « chrismatio repetita*, (id est, non quo chrismatis baptismalis omissio, solâ necessitate contracta, obesse « cuiquam, aut chrismationis episcopalis minuere « vim possit, sed quia duplex chrismatio est necessaria, baptismalis et confirmatoria. »

Hanc Aurelii expositionem, veluti *glossam verè* (quod nostri aiunt) *Aurelianam, ridiculam, absurdam et inextricabilem, quæ verborum sententiam non obscurat modò, sed destruit et evertit*, improbant Sirmondus in Antirrhetico 1, et Petrus de Marca in notis ad canonem 28 concilii Claromontani anno 1095 celebrati. Eam tamen defendunt theologi Parisienses, aliique viri eru-

diti. Ea sanè non *inextricabilis*, sed perspicua mihi videtur licèt quæcumque in eâ referuntur, mihi nonplaceant.

Quærerem enim ab Aurelio, unde habuerit verticalem chrismationem in Galliis ignotam fuisse ante annum 441, quo synodus Arausicana celebrata est? Quam et in Ecclesiâ Romanâ usurpatam anno 416 perspicua Innocentii verba declarant et ætate suâ presbyteris ac diaconis in Baptismo præceptam testatur Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos, anno circiter 392, et sub initium seculi IV Sylvester instituerat. An propter secundùm canonem Arausicanum? non ita sanè. Nec enim eo canone, quasi res nova, decernitur, ut baptizandi ungantur in vertice; sed quibuscumque ministris prohibetur, ne baptizent, nisi verticalem unctionem statim et simul adhibeant.

Quærerem etiam ab Aurelio unde noverit unctionem verticalem semper à presbytero vel à diacono, et nunquàm ab episcopo collatam fuisse? Concilium enim Toletanum I anno 400 statuit presbyterum chrismare absente, non autem præsente episcopo, *nisi ab ipso fuerit præceptum*. Hanc igitur unctionem episcopus aliquando conferebat. Sanè cùm unctio verticalis sit unus ex præcipuis Baptismi ritibus, illius administratio magis est episcopi, ad quem præcipuè spectat conferre Baptismum, quàm presbyteri. Eadem enim ratio est cæremoniarum alicujus Sacramenti respectu ministri quæ et ipsius sacramenti conferendi.

Præterea, *chrismatis benedictio* non significat chrismatis unctionem, seu applicationem et usum, sed ejus consecrationem.

Denique *chrismatio repetita* non idem est, quod duplex unctio verticis et frontis; nec enim prior necessaria est, aut parem cum posteriori necessitatem habet. Sed *chrismatio repetita* idem in hoc canone significat, quod posterior chrismatio, seu frontis unctio, quæ ratione materiæ una et eadem est cum priori seu verticali, ideoque *repetita* dicitur.

Opinio Petri de Marca.

Petrus de Marca particulam negativam cum Sirmondo retinet, canonem verò de verticali unctione cum Aurelio interpretatur, et tamen ab utroque dissentit, in notis ad canonem 28 concilii Claromontensis. « Presbyteris, inquit, baptisma conferentibus infantes « ungere licebat olim, sed non in fronte, ut docet « Innocentius I in epist. ad Decentium... Unctio ita- « que (verticalis) licita erat presbyteris ex decreto « Innocentii, sed non erat præcepta. Quare opus fuit « in Galliis hoc canone Arausicano, ut ministri unà « cum Baptismo chrisma adhibere in vertice ex officio « tenerentur: *placuit inter nos semel chrismari*, in- « quiunt Patres, id est, necessarium esse duximus, « ut chrismatis delibutio non pendeat in posterum ex « arbitrio presbyterorum, sed simul et semel cum « Baptismo administretur... Attamen, quoniam in il- « lis novi decreti exordiis accidere poterat, ut casu « aliquo omitteretur in Baptismo hæc verticis unctio: « eâ de re commonendum episcopum docent, quando « ad consignandos infantes accedit... Cur autem mo- « nendus sit episcopus de hoc casu, subjicitur in ca- « none: eo tamen ordine, ut decisionem antecedat « ratio ipsa decidendi. Quippe monitus episcopus « apud se arbitrabitur an dupilci chrismatione funga- « tur, unâ quâ vicem omissæ in Baptismo cæremo- « niæ impleat, ungendo baptizatum ante Confirma- « tionem, alterâ quam in Confirmatione ex traditione « apostolicâ post impositionem manuum adhibeat. Si « visum sit episcopo, duplici illâ chrismatis unctione « linire baptizatum, *non præjudicabit quidquam*, ut lo- « quitur canon, id est, unctio verticalis nihil oberit « mysterio Confirmationis, quia superflua non no- « cent. Sin autem magis placuerit unicam unctionem « adhibere, tunc unget in fronte, et non in vertice; « neque enim *repetita* seu duplex unctio necessaria « est; neque ullum ex verticalis unctionis omissione « incommodum sequitur. Cùm enim chrisma, quod « utrique inservit unctioni idem sit, unâ eâdemque « benedictione consecratum: unctio verticis resar- « citur copiosè per unctionem frontis confirmato- « riam. » Ita ferè Petrus de Marca.

Plura vir eruditissimus in hâc expositione supponit et docet, quæ mihi non probantur.

Supponit ille chrismationem ante concilium Arausicanum in Baptismo licitam quidem, non verò imperatam fuisse presbyteris. Verùm illam in Baptismo præceptam fuisse, certum mihi videtur ex Sylvestro, qui *constituit, ut liniat presbyter chrismate levatum de aquâ, propter occasionem transitûs*: et ex Hieronymo, qui *in dialogo adversùs Luciferianos*, cap. 4, sic habet: *Sine chrismate, et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habent baptizandi*. Neque illustrissimo præsuli favet modus loquendi, quo Innocentius utitur in epistolâ ad Decentium: *Presbyteris, cùm baptizant, chrismate baptizatos ungere licet*. Quæcumque enim imperantur, licent: quamvis quæcumque licent, non imperentur. Deinde Innocentius in eodem decreto pronuntiat licere presbyteris ungere in vertice, quemadmodùm ait licere episcopis frontem ex eodem oleo signare. Sed hic posterior loquendi modus non prohibet, quominùs unctio frontis esset de præcepto. Ergo nec prior impedit, ne verticis unctio præcepta foret.

Supponit etiam vir rerum antiquarum peritissimus, concilium permittere arbitrio episcopi, ut prætermissam in Baptismo verticis unctionem suppleat, vel omittat. Cùm tamen Ecclesia semper voluerit prætermissas in Baptismo cæremonias suppleri, quemadmodùm ex Cornelio papâ, Innocentio III, et concilio Tridentino supra observavimus.

Supponit 3° verticalem unctionem, si ab episcopo suppleatur, non nocere mysterio Confirmationis, quia superflua non nocent. Supponit igitur hanc verticis unctionem, si ab episcopo suppleatur, esse superfluam. Sed nemo dixerit unam è præcipuis baptismi cæremoniis superfluam esse. Præterea Ecclesia non permitteret episcopo id conferre, quod ipsa superfluum esse judicaret.

Supponit 4° verticalem unctionem minimè necessariam esse, quia cùm illa ex eodem, quo frontalis,

chrismate unâ et eâdem consecratione benedicto fiat : omissa verticis unctio abundè resarcitur per unctionem frontis. Verùm nihil est in canone Arausicano, quod significet omissam verticalem unctionem per frontalem resarciri. Deinde non rectè concluditur, verticalem unctionem minimè necessariam esse in eo, qui mox confirmatur, ex eo quòd chrisma, quod in utroque Baptismi et Confirmationis Sacramento adhibetur, unâ eâdemque benedictione consecratum est; alioqui pari modo concludi posset, non esse necessariò chrismandum in fronte, qui inter baptizandum chrismatus fuit in vertice.

Opinio Cabassutii.

Cabassutius in Notitiâ ecclesiasticâ, notis ad canonem 2 Arausicanum, postquàm retulit modum, quo glossa canonem istum enodat, in caput *Nullus ministrorum*, de Consecr., dist. 4, suam ille mentem sic aperit : *Cùm sæpè contingat, ut nondùm baptizatus inopinato in mortis discrimen incurrat, debet parochus secum assiduè sacrum chrisma deferre, ut cum tale periculum occurrerit, præstò sit simul ad baptizandum et chrismandum. Sed si occurrente periculo fuerit aliquis privatim baptizatus, non tamen chrismate delinitus, ac deinde periculo ereptus, sacramentum Confirmationis desideret : admonendus erit, vel episcopus, quem sacræ litteræ, sanctique Patres plerùmque solo sacerdotis nomine significant, aut episcopi administer sacerdos, cui onus incumbit explorandi et præsentandi confirmandos, ut sic præmonitus duplicem curet adhiberi chrismationem, in vertice quidem unam, quæ cæremonialis, et anteacto Baptismo defuit, et in fronte alteram, quâ consignetur Confirmationis Sacramento : ambas enim sacra synodus judicat necessarias chrismationes.* Hactenùs Cabassutius. Rejicit ille, ut apparet, particulam negativam : ejusque expositio plana est; in eâ tamen posteriorum canonis verborum (*non ut præjudicans quidquam*) sensus desideratur; in eâ etiam *chrismatio repetita* idem significat, quod duplex unctio; quamvis in hoc canone chrismatio repetita nihil aliud sit quàm chrismatio posterior; chrismatio enim, quæ, ratione materiæ una et eadem est, licèt ratione partis unctæ diversa sit, prius fit in vertice, postea in fronte.

Verior canonis explicatio.

Ex variis hujusce canonis lectionibus, omnium optima mihi videtur, quæ vocem hanc (in Baptismate) admittit in textu, excludit particulam negativam, legitque cum Gratiano et Crabbo, *non præjudicantes cuiquam hoc diximus :* vel cum Sirmondo, *non ut præjudicans quidquam.* Sensus igitur, meâ quidem sententiâ, legitimus est : Nullus ministrorum, qui baptizandi officium receperunt, sine chrismate progredi debet; quia inter nos placuit in Baptismate simul et semel verticis unctionem adhiberi. De neophyto autem, qui casu aliquo in Baptismate sic unctus non fuerit, episcopus commonebitur, ut prætermissam unctionem suppleat, neophytum in vertice ungens ex eodem chrismate, quo ipsum postea ungturus est in fronte; quia chrisma, quod utrique inservit unctioni, unâ eâdemque benedictione consecratum est. Neque verò, cùm verticalis chrismatio tunc ab episcopo facienda decernitur, præjudicium aliquod est, quasi neophytus non sit iterùm chrismandus in fronte; chrismatio enim non in vertice, sed in fronte ab episcopo repetatur seu iteretur necesse est.

Sensum verò istorum verborum (*non ut præjudicans quidquam*, seu *non præjudicantes*, etc.) hunc esse (decretum, quo decernitur supplendam esse prætermissam verticis unctionem, non est aliquod præjudicium, quasi unctio ab episcopo iterùm fieri non debeat in fronte) ita probatur. Quod enim in hoc canone dicitur *non præjudicare*, aliud sanè intelligi non potest, quàm id quod in eodem canone statutum et judicatum est, verticalem unctionem supplendam esse. Censent igitur Arausicani Patres decretum istud de unctione verticali supplendâ, non esse aliquod præjudicium. Atqui præjudicium dicitur regula alterius rei judicandæ : judicandum verò erat, utrùm secunda unctio adhiberetur, necne, suppositâ priori verticis unctione ab episcopo factâ. Sensus igitur iste est : decretum quo statuitur unctionem verticalem supplendam esse, non est aliquod præjudicatum contra secundam unctionem seu repetitam chrismationem : sed hæc secunda unctio seu repetita chrismatio priori addatur necesse est.

Hic mihi videtur genuinus hujusce canonis sensus, ad cujus integram explanationem, una quædam res exponenda superest : nempè, quos vocabulo *ministrorum* Arausicani Patres intellexerint, presbyteros, an diaconos, an utrosque?

Diaconos tantùm hoc nomine comprehendi docuit recentior theologus Parisiensis : 1° quia concilium Vasense, quod anno sequenti 442 celebratum est, canone 3, eos solos eodem nomine designat : *Presbyteri vel ministri ab episcopis suis propriis per annos singulos chrisma petant*, etc. 2° Quia ungendi munus in Baptismate diaconis nullibi concessum reperitur ante coactam synodum Arausicanam. Sylvester enim illud concesserat solis presbyteris. Innocentius I de solis presbyteris loquitur in epistolâ ad Decentium. Unde cùm diaconi officium illud usurpare voluissent, prohibiti sunt canone 20 concilii Toletani I, non infra annum 400 celebrati. « Statutum est, inquit, diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo, præsente verò, si ab ipso fuerit præceptum. » Quod itaque fuerat ad hæc usque tempora diaconis prohibitum, Arausicana synodus permittit, imò præcipit. Unde concilium Vasense, quod in Galliis anno sequenti habitum est, canone 3, significat usum chrismatis spectare ad ipsos quoque diaconos. Hactenùs ille in suis prælectionibus.

Verùm baptismalem seu verticalem unctionem ante coactum Arausicanum concilium diaconis non modò licitam, sed et præceptam fuisse apparet ex capite 4 dialogi adversùs Luciferianos, quem Hieronymus scripsit Romæ ad annum 392. « Sine chrismate et episcopi « jussione, inquit, neque presbyter, neque diaconus « jus habent baptizandi. » Præterea *ministrorum* nomine non solùm diaconos accipi, sed maximè presbyteros, patet, tum generali *ministrorum* nomine; tum pluribus Galliæ conciliis, quibus iis nominatim tribui-

tur. Certè sicut Baptismus seu verticalis unctio presbyteris magis convenit, quàm diaconis : nihil igitur impedit quominùs cum Aurelio canonem Arausicanum de presbyteris et diaconis intelligamus.

Hactenùs de unctione, seu proximâ Confirmationis materiâ : nunc de chrismate, seu materiâ remotâ.

§ 11. *De chrismate, ejusque confectione.*

Chrisma idem græcè, quod latinè *unguentum ;* oritur enim à χρίω, id est, *ungo*. Hinc in epistolâ Innocentii I ad Decentium, cap. 8, materia unctionis infirmorum, quæ purum ac simplex oleum est, vocatur *oleum chrismatis*. Usu tamen ecclesiastico evenit, ut nomine generis facto speciei sub eodem genere comprehensæ proprio, vocabulum illud, qui res divinas tradunt, communi loquendi consuetudine ad illud tantummodò unguentum accommodârint, quod ex oleo et balsamo confectum, unctionibus in Baptismo et Confirmatione fieri solitis inservit.

Orientales olim, Photii partibus adhærentes, Latinis objecerunt decem capitula, quorum quintum est, quòd Latini *chrisma ex aquâ fluminis conficerent*, de quâ calumniâ conqueruntur Nicolaus I, in epistolâ 70 ad Hincmarum Remensem, et cæteros episcopos in regno Caroli constitutos. Æneas, Parisiensis episcopus, in prologo libri quem, suadente Hincmaro, adversùs hæc decem capitula scripsit *Ad stultarum*, inquit, *cumulum ineptiarum garrientes, inquirunt quare chrisma nostrum, imò Dei, ex aquâ fluminis conficiamus*. Et Ratramnus in opere, quod jussu Gallicanorum episcoporum, ut iisdem Græcorum objectionibus responderet, edidit, ad annum 868 : *Non ipsum chrisma*, inquit, lib. 4, cap. 1, *ae fonte conficiunt* (Latini) *sed ex succo balsami, vel olivæ liquore; quod fit non solùm à Græcis, verùm ab universis Christi ecclesiis*. Ubi particula (vel) copulativè, non disjunctivè sumi debet.

Gregorius VII, lib. 8 epist. 1, refert se audivisse Armenos ex butyro, non autem ex balsamo chrisma confecisse; quod ille abusum esse declarat.

Chrisma igitur ex oleo et balsamo confici debet. Cur autem materia hujus Sacramenti mixta sit, non simplex ut Baptismi, rationem affert S. Thomas 3 parte, quæst. 72, art. 2, ad 2 : *Baptismus*, inquit, *datur ad spiritualem vitam simpliciter consequendam, et ideò competit illi materia simplex. Sed hoc Sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritûs sancti, cujus est multiformis operatio*, etc., *et ideò convenienter hujus Sacramenti est materia composita*. Cur hæc etiam materia potiùs ex oleo et balsamo, quàm ex aliis liquoribus conficiatur, explicat Innocentius III, lib. 1 Decret., tit. 15, de Sacrâ unctione, cap. 1 : *Conficitur chrisma, quod ex oleo fit et balsamo, mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiæ designatur, juxta quod legitur :* « Prudentes virgines acceperunt « oleum in vasis suis cum lampadibus. » *Per balsamum, odor bonæ famæ exprimitur : propter quod dicitur :* « Sicut balsamum aromatizans odorem dedi. » Explicat etiam D. Thomas ibidem in corp. « Chrisma « est conveniens materia hujus Sacramenti, in hoc « enim Sacramento datur plenitudo Spiritûs sancti ad « robur spirituale quod competit perfectæ ætati. Homo autem cum ad perfectam ætatem pervenerit, incipit jam communicare actiones suas ad alios, antea verò quasi singulariter sibi ipsi vivit. Gratia « verò Spiritûs sancti in oleo designatur : unde Christus dicitur esse *unctus oleo lætitiæ*, propter plenitudinem Spiritûs sancti quam habuit et ideò oleum « competit materiæ hujus Sacramenti. Admiscetur « autem balsamum propter fragrantiam odoris, quæ « redundat ad alios. Unde Apostolus dicit 2 Cor. 2 : « *Christi bonus odor sumus Deo*, etc. ; et licèt multa alia « sint odorifera, tamen præcipuè accipitur balsamum « propter hoc quod habet præcipuum odorem, et « quia etiam incorruptionem præstat. Unde Eccl. 24, « dicitur : *Quasi balsamum non mixtum odor meus.* »

Oleum illud debet esse olivarum, ex Beda, Comment. in cap. 1 Cantic., et ex S. Thomâ, ibid., ad 3 : *Neque sufficit oleum nuceum, amygdalinum, aut aliud id genus ; proprietates* (enim) *olei quibus significatur Spiritus sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum. Unde et ipsa oliva semper frondibus virens, virorem et misericordiam Spiritûs sancti significat. Hoc etiam oleum propriè dicitur oleum, et maximè habetur in usu ubi haberi potest. Quilibet autem alius liquor, ex similitudine hujus oleum nominatur : nec est in usu communi, nisi in supplementum, quibus deest oleum olivarum*. Accedit quòd oleum nucum, vel amygdalarum, et similia non sunt oleum propriè dictum et naturale, sed artificiale, adeòque non sunt propria hujus Sacramenti materia, sicut nec aqua artificialis est materia Baptismi, nec vinum artificiale est materia Eucharistiæ. Hinc Theorianus in suo dialogo Armenos redarguit seculo XII, quòd sacrum unguentum conficerent *ex iis oleis olerum, quæ Græci* σήσαμον *vocant, non ex olivarum arboribus*.

Balsamum Judaicum sit, vel Indicum, perinde est. Soli quidem Judææ concessa hæc arbuscula olim credebatur : in utrisque tamen Indiis deinde reperta est, ex quâ quod exsudat, ad nostras regiones portatur : imò in nostris regionibus quædam balsami arbusculæ visuntur ex Indiis delatæ. Maximam certè in Galliis fuisse balsami copiam tempore Clodovæi, testatur Gregorius Turonensis lib. 2 Hist., cap. 31, ubi de Baptismo hujus principis : « Baptisterium, inquit, compo« nitur, balsama diffunduntur, micant fragrantes odore « cerei totumque templum baptisterii divino resper« gitur odore : talemque ibi gratiam adstantibus Deus « tribuit, ut æstimarent se paradisi odoribus collocari. »

Oleum ab omni ævo in chrismatis confectione adhibitum fuisse, certum est ex Dionysio Areopagitâ, Theophilo Antiocheno, Tertulliano, Cypriano, et aliis supra citatis. Major est de balsamo difficultas, cujus mentionem primam à Gregorio Magno in Cantica canticorum factam fuisse docent recentiores quidam theologi, aliique viri rerum antiquarum periti. Quin etiam illud tempore Gregorii posterius esse putant, qui citandum infra Gregorii textum existimant adscititium et assutum fuisse.

Balsami in chrismatis confectione permiscendi meminerunt seculo IX Ratramnus in opere supra laudato,

in quo ait, *id fieri non solùm à Græcis, verùm ab universis Christi Ecclesiis.* Auctor libri de divinis Officiis, qui asserit chrisma *confici ex oleo mundissimo, et optimo balsamo* Amalarius Fortunatus l. 1 de eccles. Officiis, c. 12: *Non solùm oleum, sed et balsamum consecratur*, etc. *Additur oleo balsamum.* Seculo VIII ordo Romanus, in cœnâ Domini : 1° *Misceat oleum cum balsamo.* Auctor operum cardinalium, serm. de unctione chrismatis : *Hodiè sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum, regiæ et sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitùs unctio est instituta.* Et pseudo-Fabianus in epistolâ 2, ad Orientales, ubi ait, Christum instituisse, ut apostoli die cœnæ chrisma conficerent ex oleo et balsamo. Seculo VII Beda, Comment. in cap. 1 Cantic. *In vineis Engaddi balsamum gignitur, quod in chrismatis confectione, liquori olivæ admisceri, ac pontificali benedictione consecrari, qualenùs fideles omnes cùm impositione manùs sacerdotalis, quâ Spiritus sanctus accipitur, hâc unctione signentur.* Seculo VI Gregorius Magnus, tum in Sacramentario, ubi de benedictione chrismatis in cœnâ Domini. *Præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur pontifici, ut accepto balsamo et commixto cum oleo, manu suâ impleat eam.* Tum in expositione capitis 1 Canticorum, ad hæc verba : *Botrus Cypri*, etc. *Balsamum cum oleo, pontificali benedictione, chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritùs exprimuntur.* Sunt qui velint hæc verba interpolata fuisse quia desunt in manuscriptis melioris notæ, quale regium est, quod fuit Caroli V Francorum regis. Verùm extant in duobus codicibus Sanvictorinis, quorum alter sub initium seculi XII, alter verò sub initium seculi XI exaratus est. Eodem seculo Gregorius Turonensis, lib. 1 de Gloriâ martyrum, cap. 41, enarrans ingens miraculum, quod etiam extat apud Prudentium in libro contra Judæos, pro eo quod Prudentius dixerat : *Lotus et unctus :* (sic enim requirebat ratio carminis) : ille ait : *Ablutus et balsamo unctus.* Ubi videmus Gregorium existimâsse, tempore Prudentii in chrismate mixtum fuisse balsamum : imò etiam diù ante Prudentium, qui narrat historiam, quæ tempore ethnici imperatoris acciderat. Cùm enim ille victimarum intestina inspiceret, et inde per artes dæmonum responsa quæreret, nihil efficere potuit; quòd dæmones timuerint præsentiam adolescentis, qui cum imperatore aderat, qui et Baptismo lotus, et chrismate in fronte delibutus fuerat. Eodem etiam seculo concilium III Bracarense, anno 572 coactum, can. 4, præcipit, ut *nullus episcoporum pro modico balsami, quod benedictum pro Baptismi Sacramento per ecclesias datur, quia singuli tremisses pro ipso exigere solent, nihil ulteriùs exigatur; ne fortè, quod pro salute animarum per invocationem sancti Spiritùs consecratur, venundare damnabiliter videamur.* Sed idem chrisma utrique Baptismi et Confirmationis unctioni inserviebat. Seculo V Augustinus, lib. 2 contra litteras Petiliani, cap. 104, Petiliano concedit *in hoc unguento, quod in barbam Aaron et in oram vestimenti ejus descendit, interpretandum esse Sacramentum chrismatis.* Atqui ex Basilio magno in psal. 132, ad hæc verba : *Sicut unguentum in capite.* « Oleum « illud sacerdotale ex variis condimentis constabat, « quorum mixtura et inunctio maximam reddebat « odoris redolentiam. » Idque patet Exodi 30, ubi hujus unguenti compositio describitur. *Sume tibi aromata*, (hebraicè, *sume tibi odoramenta præstantissima*) *myrrhæ quingentos siclos, cynnamomi*, etc., *calami*, etc., *casiæ*, etc., *et olei de olivetis*, etc., *faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii*, etc. Tempore Prudentii, qui seculo IV floruit, balsamum in chrismate adhibebatur, interprete Gregorio Turonensi, de quo paulò ante. Eodem etiam seculo IV μύρον ἀπὸ τοῦ ἐλαίου, id est, unguentum, quod inservit chrismationi, ab oleo simplici distinguit Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 3 mystag.; sed μύρον esse materiam Confirmationis constat ex Patribus et auctoribus Græcis. Denique eodem seculo constitutiones apostolicæ (nec enim possunt inferiùs remitti) idem unguentum, seu μύρον ab oleo simplici distinguunt, libro 5, cap. 17, ubi descriptis Baptismo et *chrismate* (quo) *postea episcopus baptizatos ungit*, (subjiciunt) *Baptismus igitur datur in mortem Filii Dei; aqua adhibetur pro sepulturâ : oleum pro Spiritu sancto : sigillum pro cruce : unguentum est Confirmatio confessionis*, factæ scilicet in Baptismo. Chrisma igitur, quo episcopus baptizatos ungebat, μύρον seu unguentum erat, quod hâc ætate aliud præter oleum complectebatur. Seculo II narrat Irenæus, lib. 1, cap. 18, Valentinianos et Gnosticos eum, qui baptizatus est, ungere solitos oleo et balsamo; neque illos reprehendit, quòd ungerent oleo simul et balsamo; sed quòd eorum nonnulli ungerent solo balsamo, alii verò aquâ, oleo, et balsamo unà permixtis. Recole quæ dicta sunt, ubi de auctoritate Irenæi, pag. 78 et seq., ubi ostendimus hanc unctionem non fuisse ab illis hæreticis inventam, sed ab iis ex Ecclesiâ desumptam, deinde corruptam fuisse. Seculo I Dionysius Areopagita, de eccles. Hierarch., cap. 4, fidem facit unguentum illud, seu μύρον, ex rebus suaviter olentibus confectum esse. *Dicimus igitur*, inquit, *unguenti compositionem esse quamdam suaviter spirantium materiarum, quæ in se affatim suave olentes continet quantitates, cujus qui participes existunt, odorem bonum ex se efflant*, etc. Probabilissimum autem videtur balsamum, cujus odor omnium suavissimus est, ab hujus unguenti confectione minimè rejectum fuisse, quod erat collectio quædam suaviter spirantium materiarum. Denique unguentum esse commixtionem diversorum odorum, addito oleo, ad ungenda corpora, deliciarum causâ inventam, apparet ex ipsis auctoribus profanis, Plauto in Mostel.; Horatio lib. 2, ode 7; Cicerone, orat. 5 in Verrem. Balsamum igitur, cujus odor omnium suavissimus est, unguenti compositionem ingredi debuit.

Cæterùm ex utroque Dionysii et Basilii textu apparet, chrisma illud in oriente olim compositum fuisse non solùm ex oleo et balsamo, sed etiam ex aliis quibusdam materiis suaviter olentibus; quæ consuetudo etiamnum viget apud Græcos. Diversa igitur hæc est

confectio in utrâque Ecclesiâ. Latini oleum duntaxat et modicum balsami permiscent : Græci præter oleum et balsamum admiscent triginta quinque genera aromatum, seu herbarum fragrantis odoris, unà cum non exiguâ vini quantitate. Quâ de re videsis Græcorum euchologium à Goario editum, ubi de materiâ sacri unguenti, pag. 637. Latini chrisma conficiunt, simulque consecrant feriâ quintâ majoris hebdomadæ : Græci totam ferè quadragesimam huic chrismati conficiendo impendunt. Hujusce confectionis ordo et series accuratè describitur in euchologio Constantinop. apud Goarium, pag. 638 et 639, quâ de re infra, ubi de cæremoniis.

§ 12. *Utrùm balsamum ad Confirmationis essentiam pertineat.*

Eâ de re triplex est sententia. Prima docet oleum solùm ad essentialem materiam Confirmationis pertinere, balsamum verò necessarium esse duntaxat necessitate præcepti, divini vel ecclesiastici : ita Cajetanus, 3 parte, quæst. 72, art. 1 ; Dominicus Soto in 4, dist. 7, art. 2 ; Navarrus in summâ, cap. 22, n. 8 ; Estius in 4, dist. 7, § 8 ; Valentia, 3 p., disp. 5, q. 1, puncto 2, ubi ait hanc opinionem esse tam illustrium doctorum auctoritate fundatam, ut contraria nequaquàm communis dici possit.

Probatur autem hæc opinio. 1° Quia balsamum pretiosissimi liquoris genus est, cujus copiam apostoli pauperes, et paupertatem professi, habere non potuerunt ad consignandos omnes fideles, præsertim cùm legamus uno die tria millia et alia quatuor millia hominum, et Philippo evangelizante totam Samaritanorum civitatem credidisse. 2° Quia balsamum non fuit in usu primis quinque seculis Ecclesiæ ; nullus enim auctor balsami oleo permixti meminit ante Gregorii Magni tempora. 3° Quia Tertullianus, Cyprianus, Optatus, Innocentius I, Augustinus, et alii hoc Sacramentum, ejusque materiam appellant *oleum*, nusquàm *balsamum*. 4° Quia materia Sacramentorum communis et obvia esse debet. Sed balsamum omninò rarum est. 5° Quia materia Sacramentorum certa et cognitu facilis esse debet, ut aqua, panis, et vinum. Atqui balsamum multis modis adulterari solet, ut refert Plinius, lib. 12 naturalis historiæ, cap. 25, ita ut ne à peritis quidem verum à falso posset facilè discerni : atque illud, quod ex novo orbe occidentali affertur, utrùm verum sit balsamum, à peritis dubitabatur : et priusquàm inde afferretur, magna erat in Latinorum regionibus balsami penuria. 6° Quia Innocentius III de Sacramentis non iterandis, cap. *Pastoralis*, interrogatus, *An permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad subdiaconatûs ordinem assumptus : et utrùm Confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus.* Respondet, in talibus non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Atqui si balsamum esset materia essentialis Confirmationis, non satis esset illud solum adhiberi, sed debuisset et olei unctio, et forma, adeòque totum Sacramentum in eo casu iterari : quia cùm non fuisset per solam olei unctionem Sacramentum essentialiter perfectum, iterùm debuisset per utriusque materiæ unctionem perfici ; nec enim pars materiæ præcedentis potest componere unum cum parte materiæ præsentis : nec pars materiæ præsentis cum parte materiæ præcedentis. Præterea tota materia essentialis, debet esse moraliter præsens formæ ; iteratis verò integrâ materiâ et formâ, iteratur et Sacramentum. Deinde prætermissâ essentiali materiâ nullum est Sacramentum. Prætermisso igitur balsamo, si illud essentiale est, debuit iterari Confirmatio. Atqui ex Innocentio non debuit iterari. Valida igitur erat sine balsamo. Denique eodem modo Pontifex ibi respondet supplendam tantùm esse manûs impositionem in eo, qui sine illâ fuerat per errorem ad subdiaconatum promotus ; quo respondet supplendam esse tantùm balsami unctionem in eo, qui sine balsamo per errorem fuerat confirmatus. Atqui supplenda manûs impositio, non erat de essentiâ subdiaconatûs. Ergo nec supplendum balsamum, erat de essentiâ Confirmationis.

Verùm his sex argumentis responderi potest. Ad primum. Quod apostolorum paupertas præstare non poterat, abundè supplebat fidelium liberalitas. Ad secundùm. Negatur balsamum non fuisse in usu primis quinque seculis Ecclesiæ. Quâ de re § præcedenti. Enimverò Dionysius, lib. de eccles. Hierarch., cap. 4, testatur initio ejusdem capitis, consecrationem hujusce chrismatis (quod ipse deinde asserit ex pluribus odoriferis materiis confici) ab apostolis vocatam fuisse *unguenti mysterium*. Ad tertium. Iidem auctores, qui hoc Sacramentum in uno loco appellant *oleum*, in alio *chrisma* nominant, ut Cyprianus, Optatus, Innocentius, et Augustinus locis supra relatis. Atqui chrisma præter oleum complectitur balsamum, ex Gregorio Magno, et Bedâ relatis § superiori, necnon ex Innocentio III de sacrâ unctione, cap. *Cùm venisset*, et de Sacramentis non iterandis, cap. *Pastoralis*. Ad quartum. Materia Sacramentorum, quæ absolutè necessaria sunt, non autem cæterorum, communis et cuilibet obvia esse debet, ex S. Thomâ, 3 p., q. 72, a. 2, ad 4. Adde quòd balsamum Indicum hodiè in Latinorum regionibus commodè satis reperiatur. Ad quintum. Respondeo balsamum Indicum facilè cognosci posse. 2° Illud facilè reperiri. 3° Illud, sive perfectum sit, sive imperfectum et adulterinum sufficere ad Confirmationem administrandam, ex Pio IV qui, referente Henriquez, lib. 3 de Sacr. Confirm., cap. 2, Indiarum episcopis concessit, ut Indico balsamo in hoc Sacramento uterentur. 4° Germanum et perfectum balsamum, antequàm Indicum ad nostras regiones afferretur, non adeò rarum fuisse, ut apparet ex Gregorio Turonensi, lib. 2 Hist., cap. 31, ubi de Baptismo Clodovæi, de quo § superiori. 5° Modicum balsami à Latinis adhiberi. 6° Nunquàm legi Confirmationis usum cessâsse ob balsami penuriam. Ad sextum. Varii varia respondent.

Adrianus VI, Gammachæus, et Yzambertus, respon

dent Innocentium III, licèt dixerit Sacramentum Confirmationis non esse iterandum, non idcircò supponere illud fuisse validum; quia non iteratur, nisi quod est, vel fuit : neque iteratur, quod nullum est, et nullum fuit. Etenim si ex eodem Innocentio, de sacrâ unctione, cap. *Veniens : Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum;* quantò minùs, quod scitur nullum esse. Atqui Confirmatio sine chrismate nulla est.

Hiquæus, Pitigianis, et plures alii Scotistæ, respondent Innocentium negare duntaxat Sacramentum iterandum esse ritu solemni propter scandalum, non autem ritu privato.

Innocentius IV, et Henricus, cardinalis Ostiensis, respondent, Sacramentum Confirmationis non esse iterandum ratione solemnitatis, sed cautè supplendum, quod prætermissum est, nempe Sacramenti substantiam, quæ nulla fuit. Verùm illæ tres expositiones violentæ sunt.

Respondent alii Pontificem respondisse secundùm opinionem probabilem, quæ negat balsamum Confirmationi essentialem esse. Verùm inde sequeretur ex duabus opinionibus probabilibus minùs tutam ab Innocentio delectam fuisse in administratione Sacramentorum.

Respondent alii Innocentium nihil ibi definire circa materiam controversam, et tradere solùm regulam generalem pro omnibus Sacramentis, secundùm quam, si quid essentiale aut accidentale omissum fuerit, illud suppleri debet. Nec enim definit an balsamum sit essentiale vel accidentale Confirmationi, neque statuit utrùm manûs impositio sit essentialis vel accidentalis ordinationi subdiaconi. *In talibus*, inquit, *hoc est, in Sacramentis, non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum.* Sic ex D. Thomâ, S. Bonaventurâ, Richardo de Mediavillâ, Gabriele et Navarro, in Matrimonio, quod ab initio invalidum fuit ex ficto consensu, sufficit ad illud revalidandum ponere verum consensum ex parte ejus qui fictè contraxit. Hanc solutionem amplecti videtur Toletus in Summâ, lib. 2, cap. 21 : *Dici potest*, inquit, *quòd tunc non fuit Sacramentum; tamen cùm appositum est balsamum, perfectum fuit quod ante imperfectum erat.*

Respondet Arcudius, lib. 6, de Sacram. Ordinis, c. 6 : Licèt balsamum sit de essentiâ materiæ Confirmationis, si tamen illud prætermissum fuerit, non debere iterari materiam et formam, sed satis esse, si suppleatur balsamum quod omissum est. Si quis autem objiciat, balsamum est materia essentialis Confirmationi; ergo non modò illud, si omittatur, supplendum est, sed etiam forma est iteranda; nec enim forma validè sine materiâ proferri potuit. Respondet Arcudius Sacramenta duplicis generis esse; in quibusdam enim *essentialia singularia sunt, ut in Baptismate* (cujus unica est materia et unica forma :) *in aliis, geminantur, idque bipartito; vel enim geminantur, ut sint duæ materiæ et duæ formæ, ut in Sacramento Ordinis, in quo apud Latinos distinctè traduntur duæ potestates; et in Sacramento Eucharistiæ, ubi sunt duæ formæ et duæ materiæ partiales, præsertim ratione sacrificii, quod sub utrâque specie necessariò debet offerri; vel geminantur, hoc est, una materia magis explicatur et dilatatur, et quodammodò duplex fit, ut in eodem Sacramento Ordinis, in quo apud Latinos impositio manûs per instrumenta magis extenditur, et explicitè exhibetur.* In prioribus Sacramentis, si essentialis materia suppleatur, repeti debet et ipsa forma, *quòd sine ullâ materiâ prolata fuisset.* In posterioribus, si utraque materia partialis omissa fuerit, cum utrâque materiâ repeti debet et ipsa forma. Sed si pars una essentialis adhibita fuerit, altera verò omissa, tunc forma non debet iterari, prolata enim fuit cum debitâ et convenienti materiâ : sed suppleri debet altera pars omissa. Ad propositum igitur argumentum respondet propositionem veram fore, si balsamum esset sola materia Confirmationis; verùm materia hujus Sacramenti duplex est, oleum et balsamum; quare, licèt omissum fuerit balsamum, modò tamen oleum adhibitum fuerit, forma non debet iterari, cùm prolata fuerit cum aliquâ debitâ et convenienti materiâ, id est, cum oleo, sed suppleri debet balsamum, quod omissum est.

Vera Innocentii expositio repeti debet ex eodem Innocentio, de sacrâ Unctione, cap. *Cùm venisset*, ubi interrogatus de episcopo, *qui in consecratione suâ sanctam non acceperat unctionem, quod illi defuerat mandat in ipso suppleri*, nempe, *caput ejus et manus per Albanensem episcopum, assistentibus ei duobus episcopis, secundùm morem ecclesiasticum, sacro chrismate deliniri.* Et ex Gregorio IX, de Sacramentis non iterandis, cap. *Presbyter : Presbyter et diaconus, cùm ordinantur, manûs impositionem tactu corporali* (ritu ab Apostolis introducto) *recipiunt; quòd si omissum fuerit, non est aliquatenùs iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos cautè supplendum quod per errorem extitit prætermissum.* Uterque pontifex præcipit ut cautè suppleatur quod prætermissum est, videlicet in episcopi consecratione suppleatur unctio, et in utrâque presbyteri et diaconi ordinatione suppleatur *manûs impositio cum tactu corporali;* et tamen defectus unctionis nullam reddit episcopi consecrationem; sicut et defectus *impositionis manuum cum tactu corporali* utramque presbyteri et diaconi ordinationem irritam efficit. Ita pariter Innocentius præcipit ut in Confirmatione nihil iteretur, sed cautè suppleatur chrisma, quod prætermissum fuit; et tamen defectus chrismatis irritam Confirmationem efficit. Quemadmodùm igitur in primis duobus exemplis hæc utriusque Pontificis phrasis, quâ uterque definit, nihil iterandum, sed cautè supplendum quod fuerat prætermissum, non impedit quominùs episcopi consecratio, et episcopi ac diaconi ordinatio repetita credatur : ita nec prohibet quominùs Confirmatio repetita existimetur.

Posset etiam idem responderi quod Bellarminus, lib. de Sacram. Ordinis, cap. 9, respondet, inde sequi tantùm eas cæremonias, licèt essentiales, posse dividi et dari diverso tempore, et esse efficaces quocumque tempore dentur. *Respondeo*, inquit, *ea loca Innocentii*

et Gregorii favere nostræ sententiæ. Quòd enim Pontifices nolint repeti cæremonias ritè peractas, et tamen suppleri velint quod est omissum, indicat eas cæremonias posse dividi et dari diverso tempore, et esse efficaces quocumque tempore dentur.

Secunda opinio docet utrumque et oleum et balsamum ad essentialem Confirmationis materiam pertinere. Ita Alexander Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, etc.

1° Quia Dionysius initio capitis 4 de Eccles. hierarchiâ, apertè innuit unguentum illud (græcè μύρον) quod ipse deinde asserit ex pluribus materiis suave olentibus componi, ab Apostolis confectum et consecratum fuisse. Verùm Dionysius ibi non explicat, quæ sint illæ materiæ : neque si balsami speciatim meminisset, inde sequeretur illud Confirmationi essentiale esse. Unde enim haberetur balsamum potiùs quàm alias materias suaveolentes ad essentiam materiæ pertinere?

2° Quia auctor operum cardinalium, sermone de Unctione chrismatis ait : « Mixti oleo balsami unctio« nem divinitùs institutam esse. » Floruit ille saltem VIII seculo. Verùm inde sequitur tantum balsamum requiri necessitate præcepti divini.

3° Quia ex Innocentio III, de Sacrâ unctione, cap. *Cùm venisset*, et ex Eugenio IV in decreto pro Armenis : *Confirmationis materia, dicitur esse chrisma confectum ex oleo et balsamo per episcopum benedicto.* Verùm, inde non sequitur balsamum ad materiam Confirmationis necessarium esse. Materia enim Sacramentorum triplex est; una necessaria, ut aqua in Baptismo : altera sufficiens, ut peccata venialia in Sacramento Pœnitentiæ : tertia neque sufficiens, neque necessaria, ut aqua in consecratione; aqua enim vino permixta in Christi sanguinem convertitur, quâ de re alibi. Sicut igitur vinum aquâ permixtum est materia Sacramenti Eucharistiæ, non tamen ad ejus substantiam aqua necessaria est : ita pariter quamvis oleum balsamo mixtum statuatur materia Sacramenti Confirmationis, non tamen ex eo sequitur balsamum ad ejus substantiam necessariò requiri.

4° Quia plures pontifices Patres, et concilia balsamum in chrismate requirunt. Verùm inde sequitur duntaxat balsamum necessarium esse necessitate præcepti, vel ecclesiastici, ut vult Cajetanus, vel divini, ut volunt Scotus et Estius, non autem necessitate Sacramenti : quomodò Cyprianus in epist. 68 ad Cæcilium, docet aquam ex institutione Christi necessariò miscendam vino in calice; quæ tamen si omittatur, constabit nihilominùs substantia Sacramenti.

5° Quia in formâ hujus Sacramenti dicitur : *Confirmo te chrismate salutis*: quod verè dici non poterit, si oleum solum adhibeatur : quandoquidem chrisma significat unguentum ex oleo et balsamo confectum ex Gregorio Magno, Beda, et Innocentio III. Verùm, et apud Latinos et apud Græcos chrisma generatim nihil aliud præter unctionem significat, sive hæc unctio fiat ex liquore simplici, vel mixto. Unde Innocentius I in epist. ad Decentium, cap. 8, materiam Extremæ Unctionis, quæ purum ac simplex oleum est, vocat *oleum chrismatis*; et Augustinus lib. 17 de Civitate Dei, c. 10: *In veteri Testamento reges christi vocabantur, chrismate illo mystico consecrati.* Ubi nomine *chrismatis* significatur oleum merum, quo reges ungebantur. Et Justinus in dialogo contra Triphonem, pag. 317 : *Omne chrisma sive olei,* εἴτε ἐλαίου, *sive stactes, sive aliarum ex unguentorum compositione unctionum, Christi fuisse ostendimus.* Ubi duplex ille chrisma distinguit, simplex quod est olei, vel stactes : et mixtum quod est ex unguentorum compositione.

Tertia opinio docet materiam Confirmationis esse, vel oleum, vel balsamum, vel utrumque; ita ut Confirmatio vel in oleo solo, vel in solo balsamo, vel in utroque simul administrari possit : quemadmodùm eucharistica consecratio fieri potest, vel in pane, vel in vino, vel in utroque simul. Ita Melchior Canus. Verùm hæc doctrina, ut quæ veterum testimonio careat, meritò exploditur; nullus enim veterum est, nulla (quod sciam) synodus, quæ innuat Confirmationem in solo balsamo validè collatam fuisse.

Ex his tribus sententiis prima, omnium probabilissima mihi videtur.

§ 13. *De chrismatis benedictione seu consecratione.*

Circa benedictionem chrismatis quæri potest, 1° utrùm hæc benedictio ad chrismatis essentiam pertineat. 2° Utrùm hæc ita sit episcopo propria, ut committi non possit presbytero. 3° Quomodò hæc olim fieret, nunc verò fiat in utrâque ecclesiâ. Sed prius de illâ generatim nonnulla præmittamus necesse est, ad retundendam hæreticorum audaciam.

Chrismatis enim consecrationem Lutherani et Calvinistæ velut incantamentum ejiciunt; ejus tamen meminerunt, eamque approbârunt, et veluti ab Ecclesiâ approbatam retulerunt antiqui. Dionysius, lib. de Hierar. eccles., cap. : 2 : *Pontifex oleo divinitùs sacrato vinum consignat.* Et cap. 4 : *Quam consecrationem, unguenti mysterium præceptores nostri appellant.* Tertullianus, libro de Baptismo : *Exinde egressi de lavacro, perungimur benedictâ unctione.* Cyprianus, epist. 70 : *Eucharistia, et, unde baptizati unguntur,* oleum *in altari sanctificatur.* Cyrillus Hierosolymitanus, cathec. 3 mystag. : *Quemadmodùm panis Eucharistiæ post sancti Spiritûs invocationem non ampliùs est panis communis, sed est corpus Christi : sic et sanctum hoc unguentum non ampliùs est unguentum nudum, postquàm jam consecratum est, sed est chrisma Christi*, etc. Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 27 : *Consecramus aquam baptismatis et oleum unctionis. Ex quibus scriptis? Nonne à tacitâ secretâque traditione?* Optatus, lib. 8 : *Oleum, antequàm à nobis conficiatur,* (nimirùm per benedictionem et consecrationem) *tale est, quale natum est : confectum, suavitatem ex nomine Christi* (super ipsum invocato) *accipere potest.* Augustinus in fine tractatûs 118 in Joannem : *Quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium sive ipsi aquæ ex quâ regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum*

ritè perficitur. Supervacaneum esset plura hìc referre testimonia; habes enim ex citatis, chrismatis consecrationem approbatam ab antiquis Patribus, usurpatam primis Ecclesiæ seculis, et ab ipsis Apostolis traditam. Id unum addam, hanc olim consecrationem tanti factam fuisse, ut Dionysius loco citato eam Eucharistiæ consecrationi affinem crediderit; Cyprianus verò et Cyrillus Hierosolymitanus unguentum et Eucharistiam hâc ratione comparârint.

§ 14. *Utrùm hæc benedictio propria sit episcopo.*

Hanc chrismatis consecrationem episcopo propriam, sacerdoti verò interdictam esse docent.

Dionysius de Ecclesiast. Hierarchiâ, cap. 5, ubi illam in tres ordines, pontificum, sacerdotum, et diaconorum dividit, et solis pontificibus hanc facultatem ait ex lege divinâ tribui : *Lex divina hierarchicorum ordinum sanctificationem* (id est, ordinationem) *et unguenti divini consecrationem, sacramque altaris benedictionem perficientibus divinorum pontificum virtutibus attribuit.*

Concilium II Carthaginense anno 390, can. 3 : *Chrismatis confectio, et puellarum consecratio à presbyteris non fiant ; vel reconciliare quemquam in publicâ missâ presbytero non licere.* Idem in præcedentibus conciliis statutum fuisse asserit in eodem canone Numidius episcopus Maxulitanus; sic enim habet Holsteniana editio : *Numidius episcopus Maxulitanus dixit : memini præteritis conciliis fuisse statutum, ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non et puellarum consecratio, à presbyteris non fiant.* Quamvis vulgatæ editiones legant : Fortunatus episcopus dixit : *Memini præcedenti concilio fuisse statutum*, etc. En igitur tria, quæ fieri à presbyteris non poterant, chrismatis confectio, virginum consecratio, et pœnitentium publica reconciliatio, quorum duo postrema à concilio III Carthaginensi, anno 397, temperata sunt, primum verò sacerdotibus absolutè prohibitum permansit. Sic enim decernitur can. 32 : *Ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi, absente episcopo, necessitate cogente.* Et can. 36 : *Ut presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret : chrisma verò nunquàm conficiat.*

Damasus, epist. 5 : *Chorepiscopis non licet chrisma conficere, nec baptizatorum frontes consignare*, etc. Idem habetur in utrâque Leonis I et Joannis III epistolâ ad episcopos Germaniæ et Galliæ. Verùm tres illas epistolas adulterinas esse multa persuadent.

Concilium Toletanum I anno 400 coactum can. 20 : « Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hâc die nullum alium, nisi episcopum chrisma facere, et per diœcesim destinare : ita ut de singulis ecclesiis ad episcopum ante diem Paschæ diaconi destinentur, aut subdiaconi ; ut confectum chrisma ab episcopo destinatum ad diem Paschæ possit occurrere. Episcopo sane certum est omni tempore licere chrisma conficere : sine conscientiâ autem episcopi nihil penitùs faciendum. Statutum verò est, diaconum non chrismare, sed presbyterum, absente episcopo : præsente verò, non nisi ab ipso fuerit præceptum. »

Innocentius I, in epistolâ ad Decentium, cap. 3 : *Presbyteris chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum.*

Concilium Vasense I, anno 442, can. 3, præcipit, ut *presbyteri, vel ministri à suis propriis episcopis per annos singulos chrisma petant, appropinquante solemnitate paschali.*

Gelasius I, epist. 9, ad episcopos Lucaniæ, Brutiorum, et Siciliæ anno 494, cap 4 : *Presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.*

Montanus, archiepiscopus Toletanus, qui synodo II Toletanæ præfuit anno 531, duas epistolas scripsit, quarum altera est *ad fratres territorii Palentini*, in quâ conqueritur quòd præcipui quidam sacerdotes, sede vacante, præsumerent chrisma conficere, asserens *novam esse præsumptionem : rem detestabilem, quæ ab initio fidei catholicæ nunquàm hucusque surrepsisse probatur : inauditam rem, et religioni contrariam.* Deinde monet illos presbyteros, ut *caveant ne similis eos pœna percellat* (quâ Osias, 2 Paral. 26, et Oza, 2 Reg. 6, perculsi sunt) *quia nullis omninò causis, nec sub occasione humilitatis præsumentibus, divina officia et sacramenta cœlestia ab eo cui non incumbit officium, contingi aliquatenùs debent.* Subjicit verò, illud sanctorum Patrum regulis et constitutionibus synodicis oppositum esse. Denique ita concludit : *Quisquis post hanc admonitionem in hujusmodi rebus aliquatenùs fuerit deprehensus, sub anathematis vinculo se noverit esse damnandum.* Altera verò epistola est ad Theoribium episcopum, in quâ de re eâdem conqueritur : « Quidam presbyteri ausu temerario res sacras non tam consecrare, quàm violare præsumunt, et cunctis ab initio fidei catholicæ seculis inusitatum summis sui ordinis hominibus, nisi tantùm pontificibus debitum, jus consecrationis chrismæ, nescio quo typho, an dementiâ dicam, indubitanter assumunt. Quod quam sacrilegum sit, piissimam conscientiam tuam latere non credo, etc. »

Concilium Bracarense II anno 563, can. 19 : « Si quis presbyter post hoc interdictum ausus fuerit chrisma benedicere, aut ecclesiam, aut altarium consecrare, à suo officio deponatur ; nam et antiqui hoc canones vetuerunt. »

Gregorius Magnus in 1 Cantic. ad hæc verba : *Botrus Cypri*, etc. : *Balsamum cum oleo, pontificali benedictione, chrisma efficitur, quo*, etc.

Concilium Hispalense II, anno 619, can. 7 : (Presbyteri) *quædam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint*, etc. *Siquidem nec licere eis ecclesiam vel altarium consecrare, nec per impositionem manûs fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate*

baptizatorum frontem signare, etc. *Quia pontificatûs apicem non habent*, etc. *Ut per hoc, et discretio graduum, et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur.* Verba igitur quæ proximè sequuntur : « Sed neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere, aut signare, etc., » de verticis, non autem frontis, consignatione intelligi debent. Nec enim in Hispaniâ presbyteris coram episcopo licebat baptizatorum verticem chrismate consignare, nisi ab ipso præciperetur, ex concilio Toletano I, cap. 20 supra relato. Concilium VIII Toletanum anno 653, cap. 7, ait hæc : *Esse summa quæ episcopalis eminentiæ divina auctoritas* (alii legunt culmen) *cæteris sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet templorum Dei sacrationem, chrismæ benedictionem, sacrorumque ordinum institutionem, quæ tam divinaliter ordinata persistunt, quàm excellentissimè conferuntur. Quia et tanto ab eis* (episcopis) *singulariter impenduntur, quanto eidem summo culmini peragenda servantur.* (Addit) *hæc à nullo altero conferri, quàm à solis pontificibus.* Subjicit, chrismatis sanctificationem auferri non posse, quia *nequaquàm aliquando poterit profanari, quod divinâ jussione, simulque apostolicæ traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse.* Beda in cap. 1 Cantic. : Balsamum in chrismatis confectione, liquori olivæ admiscetur, ac pontificali benedictione consecratur.

Libro 6 capitularium Caroli Magni, cap. 284 et lib. 7, cap. 310, 318, 328 et 329, chrismatis consecratio, Confirmatio, ordinationes presbyterorum, altarium dedicationes, aliaque id genus, quæ chorepiscopi hâc ætate sibi arrogabant, irritæ et nullæ declarantur, prohibentur sub anathematis vinculo, atque ut ab episcopis reformentur, præcipitur ; quia hæc *omnia summis pontificibus, id est, cathedralibus episcopis debentur, et non chorepiscopis.*

Concilium Wormatiense, anno 868, can. 2 : Chrisma conficere nullus præter episcopum præsumat ; nam illi soli hæc dignitas concessa est. Et can. 8 : *Non liceat presbyteris ecclesias consecrare, nec per impositionem manûs paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare, sed nec publicè quidem in missâ quemquam pœnitentium reconciliare. Hæc enim omnia illicita esse presbyteris cognoscuntur, quia pontificatûs apicem non habent; quæ tamen omnia episcopis auctoritate canonum conceduntur.*

Mitto ordinem Romanum, librum de divinis Officiis, Amalarium, Rupertum, Honorium Augustodunensem, et alios, qui episcopalem benedictionem in confectione chrismatis apertè requirunt. Mitto etiam catechismum Romanum, pontificale Romanum, Græcorum euchologium, aliaque id genus ritualia, quibus Latini et Græci hodiè utuntur. Sed prætermitti non debet Eugenius IV in decreto pro institutione Armenorum, quo asseritur, *materiam Confirmationis esse chrisma confectum ex oleo et balsamo per episcopum benedicto.*

Placuit tot auctorum testimonia describere, eaque et simul, et integrè, et ordine referre, ne rem eamdem sæpiùs agamus. His enim textibus sæpè opus erit ad difficultates, quæ sequuntur, dirimendas.

§ 15. *Quo jure hæc benedictio episcopis propria, presbyteris interdicta sit.*

Hanc benedicendi chrismatis potestatem episcopis non modò convenire, sed et propriam ac specialem esse, jure non solùm ecclesiastico, verùm etiam divino, ac utroque jure presbyteris interdictam esse, certum videtur.

1° Ex Dionysio, qui privilegium illud divinæ legi acceptum refert.

2° Ex Montano, qui illud acceptum refert perpetuæ traditioni, asserens factum illud, quo nonnulli sacerdotes Placentini, sede vacante, chrisma consecrabant, *Novam esse præsumptionem; rem detestabilem :* rem *quæ ab initio fidei catholicæ nusquàm huc usque subrepsisse probatur : inauditam rem, et religioni contrariam :* rem *sacrilegam :* rem *cunctis ab initio fidei catholicæ seculis inusitatam.*

3° Ex concilio II Hispalensi, can. 7, quo hanc potestatem episcopis propriam, presbyteris autem interdictam esse asseritur, 1° quod illi, non isti, *Pontificatûs apicem habeant.* Quòd autem episcopi, non verò presbyteri pontificatûs apicem habeant, juris est divini. 2° *Ut per hoc et discretio graduum, et dignitatis fastigium summi pontificis*, id est, episcopi, *demonstretur.* Atqui hæc discretio ad jus divinum pertinet.

4° Ex concilio VIII Toletano, quo docetur 1° *Divinaliter ordinatum esse* ut hæc consecratio *à nullo altero conferretur, quàm à solis pontificibus.* 2° Hanc chrismatis sanctificationem auferri non posse, quia *Nequaquàm aliquandò poterit profanari, quod divinâ jussione, simulque apostolicæ traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse.* Episcopalis igitur benedictio, quâ chrisma efficitur *sacrum, fit divinâ jussione, simulque apostolicæ traditionis auctoritate.*

5° Ex concilio Wormatiensi, quo chrismatis consecratio à sacerdotibus facta, nulla declaratur, *quia pontificatûs apicem non habent.* Atqui juris est divini, quòd episcopi pontificatûs apicem habeant, eo autem careant presbyteri.

Denique certissima est Augustini regula, lib. 4 de Baptismo, cap. 24 : *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Atqui universa tenet Ecclesia, chrismatis consecrationem presbyteris illicitam, episcopis verò licitam, et propriam ac specialem esse : neque ullum concilium assignari potest, quo illa presbyteris ablata fuerit, ut episcopis reservaretur. Hæc igitur consuetudo, quâ episcopi, non autem sacerdotes, ut ministri ordinarii, chrisma conficiunt, non nisi ex auctoritate apostolorum traditâ rectissimè creditur.

Inde sequitur 1° eos decipi theologos, qui licèt ultrò concedant hanc benedictionem episcopis convenire jure divino ; eam tamen episcopis reservatam, presbyteris verò interdictam esse jure duntaxat ecclesiastico contendunt : in quâ opinione fuit Sirmondus,

et fuisse videtur Paludanus in 4, dist. 7, q. 4, ubi ait ab Ecclesiâ statui posse, ut chrisma à simplici presbytero benedictum, materia sit sufficiens Confirmationis. 2° Falli Cajetanum in 3 p., q. 72, a. 4, ubi asserit, aut saltem innuit, chrismatis consecrationem à simplici sacerdote factam, illicitam quidem, validam tamen esse. Eam enim et illicitam et invalidam declarant canones citati § præcedenti. 3° Inde patet quid sentiendum sit de sequenti difficultate.

§ 16. *Utrùm sacerdotes, Ecclesiâ minimè repugnante, potestatem habeant consecrandi chrisma : eamque potestatem validè quibusdam in locis olim exercuerint, eâdem Ecclesiâ suis canonibus non contradicente.*

Sirmondus in antirrhetico, et post ipsum nonnulli affirmant. Quorum opinio his argumentis firmari potest.

1° Quia Sylvester constituit chrisma ab episcopo confici ex libro pontificali Damasi papæ. Hæc igitur consecratio antea communis erat episcopis et presbyteris.

2° Quia concilium I Toletanum, can. 20, chrismatis benedictionem à presbyteris factam, nec irritam declarat, nec improbat quoad præteritum tempus, sed eam duntaxat prohibet in posterum : suæque prohibitionis nullam aliam causam assumit, quàm usum præsentem omnium ferè ecclesiarum, in quibus nullus alius præter episcopum chrisma conficit. *Quamvis*, inquit, *penè ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hâc die nullum alium, nisi episcopum, chrisma conficere.* Toletani Patres ibi, ut apparet, non declarant irritam chrismatis consecrationem à presbyteris factam : neque illi observant jus divinum, aut veteres Ecclesiæ canones, vel antiquam consuetudinem, legi suæ causam dedisse; sed usum præsentem omnium ferè ecclesiarum : *Quamvis penè ubique*, inquiunt, *custodiatur*, etc. Præterea id unum vetant, ne deinceps chrisma nisi per episcopum benedicatur : *Placuit ex hâc die*, etc Putabant igitur factum hactenùs valuisse, non autem illud jure divino, aut veteribus Ecclesiæ canonibus, aut antiquâ consuetudine prohibitum esse.

3° Quia hanc consecrandi chrismatis potestatem penes presbyterum, non autem penes solum episcopum esse docet Hieronymus in Comment. ad cap. 3 Sophoniæ : *Sacerdotes quoque, qui dant baptismum, et ad Eucharistiam, Domini imprecantur adventum, faciunt oleum chrismatis*, etc.

4° Idem tradit in epistolâ de septem ordinibus Ecclesiæ ad Rusticum episcopum Narbonensem, ubi de sexto gradu seu ordine : *Presbyteri, si necesse est, possunt chrisma conficere : siquidem hæc regula etiam nunc servatur à plurimis, atque in ecclesiis multis sic ista faciunt.*

5° Quia ætate Hieronymi, si ordinationem excipias, nihil faciebat episcopus, quod non faceret presbyter. *Quid facit*, inquit ille, in epistolâ 85 ad Evagrium, *exceptâ ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?*

6° Quia concilium II et III Carthaginense, et concilium II Bracarense hanc legem, quâ chrismatis benedictio episcopis reservatur, et presbyteris interdicitur, solis canonibus acceptam referunt.

7° Quia concilia virginum velamen, et templorum atque altarium consecrationem eodem modo, quo chrismatis benedictionem, episcopis reservant, et presbyteris interdicunt. Atqui prior reservatio juris duntaxat ecclesiastici est.

8° Quia presbyteri jus habent consecrandi corpus et sanguinem Christi, quæ quidem consecratio omnium maxima est : quantò magis benedicendi chrisma. Ita ratiocinatur Hieronymus epistolâ ad Rusticum. *Quæ* ait, (nempe corpus et sanguinem Christi) *cùm offerre*, presbyteris, *licet, etiam reliqua quæ in eo sunt, consecrare. Presbyteri ergo, si necesse est, possunt chrisma conficere, quia in corpore ejus chrisma est.* Ita Cajetanus etiam argumentatur loco citato.

9° Quia hæc chrismatis consecratio, cùm alia sit apud Latinos, alia verò apud Græcos, juris duntaxat canonici esse videtur. Quidquid enim est de jure divino, variari non potest.

Verùm ex § præcedenti certum videtur, chrismatis reservationem episcopis, ejusque prohibitionem sacerdotibus, ut ministris ordinariis factam juris esse divini. Hæc igitur chrismatis benedictio, antequàm ecclesiasticâ lege reservaretur episcopo, et prohiberetur presbytero, non potuit utrique communis esse. Quamobrem ad objecta sic responderi potest.

Ad primum duplex adhibetur responsio. 1° Decretum illud Sylvestri desumitur ex pontificali pseudo-Damasi, quod omnes ferè eruditi fatentur VIII seculo, nisi inferiùs, eo saltem superiùs non esse. 2° Hoc Sylvestri decreto non tribuitur novum aliquod privilegium episcopis, sed quod eis jure divino et apostolicâ traditione competebat, adversùs quorumdam presbyterorum præsumptionem novâ constitutione munitur.

Ad secundum respondetur. 1° Si Toletana synodus chrismatis benedictionem à presbyteris factam approbavit anno 400; quorsùm igitur Montanus, archiepiscopus Toletanus ad annum 530, in epistolâ 1, factum illud, quo præcipui ex sacerdotibus Placentinis, sede vacante, chrisma benedicebant, dixit, *novam esse præsumptionem; rem detestabilem;* rem *quæ ab initio fidei catholicæ nusquàm hucusque subrepsisse probatur : inauditam rem, et religioni contrariam* et in epistolâ 2, rem *sacrilegam :* rem *cunctis ab initio fidei catholicæ seculis inusitatam?* Potuitne concilii Toletani I decreta nescire Montanus, ejusdem civitatis metropolitanus, qui synodo Toletanæ II præfuit, in quâ *De institutis Patrum, canonumque decretis commemoratio habita est; ut si qua in antiquis canonibus minimè commemorata sunt, salubri tractatu, ac diligenti considerattione instituantur : si qua verò in anterioribus conciliis sunt decreta, sed abusione temporum hactenùs sunt neglecta, redivivæ ordinationis censuram obtineant?*

2° Synodus factum illud non approbat, sed potiùs reprehendit, quia prohibet. 3° Toletani Patres pro causâ suæ prohibitionis non assumunt præsentem usum omnium ferè ecclesiarum, nec enim sic habetur, *cùm penè ubique*, etc., sed *quamvis penè ubique*, etc. Sensus iste igitur est : *Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat*, (eaque praxis jure divino statuta debeat ab omnibus observari) *tamen quia in aliquibus locis*, etc.

Ad tertium respondeo Hieronymum per sacerdotes intelligere episcopos, non autem presbyteros ; subjicit enim : *Faciunt oleum chrismatis, manus imponunt.* Atqui ex Hieronymo in dialogo adv. Lucifer., cap. 4, manûs impositio ad solos episcopos pertinet. *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat*, etc. *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, disce*, etc. Sequitur : *Catechumenos erudiunt, levitas, aliosque constituunt sacerdotes.* Atqui ex Hieronymo, in epist. 85 ad Evagrium, ordinatio sacerdotum et levitarum specialis est episcopis. *Quid enim*, inquit ille, *facit, exceptâ ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* Deinde sic ille prosequitur : *Non tam indignentur nobis hæc exponentibus, quàm Dominum deprecentur, et studiosè agant, ne de sacerdotibus, qui violant sancta Domini, esse mereantur. Non enim dignitas et nomina dignitatum, sed opus dignitatis sacerdotes salvare consuevit.* « *Qui episcopatum*, inquit, « *desiderat, bonum opus desiderat.* » Hæc sanè verba luculenter indicant sacerdotes, de quibus Hieronymus, episcopos esse. Denique familiare Hieronymo est, præsertim cùm episcopos admonet, eos *sacerdotis* nomine designare. Id apparet eâ ipsâ, quam adversarii nobis objiciunt, epistolâ de septem ordinibus, ubi de septimo ordine : *Jubentibus nobis injustissimè sacerdotibus, non rectè presbyter Dei benedictionis perdit officium.*

Ad quartum Estius in 4, d. 7, § 9, respondet hanc epistolam non esse Hieronymi, sed incerti auctoris, qui (quod manifestè falsum est) omnium Sacramentorum ministrum facit simplicem sacerdotem, et pro consuetudine corruptelam quorumdam locorum obtrudit. Genuinam quidem hanc esse epistolam contendit Franciscus à Messanâ Hieronymianus, in notis ad difficilia Hieronymi loca, vocabulo *Confirmatio.* Verùm illam adulterinam esse probat Erasmus ; idem sentit Bellarminus, idem Marianus Victorius Reatinus, qui illam cum aliis operibus Hieronymo suppositis in nonum volumen rejecit. Eam certè Hieronymi non esse vel inde patet, quòd diaconum supra modum extollat, cujus fastum Hieronymus ubique deprimit. Posset etiam responderi, verba citata non suo, sed aliorum nomine ab auctore hujus epistolæ referri. Subjicit enim : *Tamen meæ hoc scito esse sententiæ, nulli episcopo super hoc injuriam esse faciendam.* Injuriam igitur episcopo facit presbyter, qui chrisma, urgente licèt necessitate, conficit.

Ad quintum respondeo Hieronymi textum indigere interpretatione. Etenim si de cæremoniis agatur, episcopi chrisma conficiebant, velabant virgines, pœnitentes publicè reconciliabant, templa et altaria consecrabant ætate Hieronymi, quæ tamen presbyteri minimè præstabant ex concilio II Carthaginensi, can. 3, ex concilio III Carthaginensi, can. 32 et 36, ex Innocentio I in epistolâ ad Decentium, cap. 3. Sin autem sermo sit de Sacramentis, episcopi baptizatis manus imponebant ad Spiritum sanctum eis conferendum, quod tamen presbyteris non licebat, ex ipso Hieronymo, in dialogo adv. Lucifer., cap. 4. Respondeo 2°, ut verus sit sensus verborum Hieronymi, satis esse, quòd sacerdos, ut minister extraordinarius, chrisma conficere possit.

Ad sextum respondeo hanc chrismatis consecrationem episcopis reservatam, presbyteris verò interdictam esse utroque jure, divino et humano ; quo fit, ut ex auctoribus citatis alii juri duntaxat divini, alii juris canonici, alii utriusque meminerint.

Ad septimum respondeo 1° retorquendo circa presbyterorum et levitarum ordinationem, quam synodi episcopis reservant unà cum velamine virginum, chrysmatis benedictione, templorum et altarium consecratione. 2° Ex his quatuor officiis quodlibet suo modo reservari episcopis, et presbyteris interdici, nimirùm ordinationem et chrismatis confectionem, utroque jure, divino et humano : virginum autem velamen, et templorum consecrationem jure duntaxat humano. 3° Chrismatis confectionem specialiori modo reservari, quàm virginum benedictionem et templorum consecrationem, ex concilio III Carthaginensi, can. 32 et 36 : *Presbyter, inconsulto episcopo, virgines non consecret, chrisma verò nunquàm perficiat.* 4° Virginum velamen, templorum consecrationem, et alia id genus, reservari episcopis, et presbyteris prohiberi, jure non solùm ecclesiastico, sed etiam divino, ex Dionysio, concilio Hispalensi II, concilio Toletano VIII, et concilio Wormatiensi, supra citatis ; nempe, ut servetur debitus ordo hierarchicus, et debita dependentia presbyteri ab episcopo : sive, ut loquuntur Patres Hispalenses, *ut per hoc et discretio graduum, et dignitatis fastigium summi sacerdotis demonstretur.*

Ad octavum respondeo non continuò sequi, eum qui potest quod majus est, id etiam omne posse quod minus est ; sed uniuscujusque potestas iis terminis circumscribitur, quos gratiarum largitor et distributor, Spiritus sanctus ei constituit. Unde quamvis potestas consecrandi corpus Domini eâ sit major potestate, quâ consecratur altare, ordinantur sacerdotes et levitæ, et miracula fiunt ; inde tamen non sequitur consecrandi, ordinandi, et miracula faciendi potestatem cuilibet sacerdoti competere. Neque solùm in rebus ad religionem pertinentibus id omninò falsum est, sed et in rebus naturalibus ; argumentum enim à majori ad minus in diversis generibus non valere docent philosophi, ut si quis ita ratiocinetur : homo generare potest hominem, igitur et formicam : non valet consequentia, quia sunt in diversis generibus et unum

non includit alterum. Valet contra in eodem genere : ignis comburere potest ferrum igitur et lignum ; quia hæc omnia combustibilia sunt.

Ad nonum respondeo chrismatis benedictionem à Christo præceptam esse, atque ita ab eodem generatim institutam : sed modum et formam, quâ fieri deberet, in ecclesiæ potestate relictam fuisse.

§ 17. *Utrùm hæc potestas presbyteris, tanquàm ministris extraordinariis, ab Ecclesiâ committi possit.*

Affirmant ex antiquis Scotus, in 4, d. 7, q. 1 ; et ex recentioribus Cajetanus, Dominicus Soto, et alii : eaque opinio apud theologos communis est. Negant Suarez, in 3 p., disp. 33. sect. 3 ; Henriquez in summâ theol. moral., lib. 3, cap. 2, num. 2 ; Faventinus in 4, d. 7, q. 1, disp. 74, n. 18 ; Arcudius de Confirmatione, cap. 15, circa medium, Corderius in notis ad caput 4 libri Dionysii de Hierar. eccles.

Opinio affirmans his momentis statui potest. 1° Quia concilium Toletanum I, can. 20, ratam supponit presbyteralem chrismatis consecrationem ad sua usque tempora factam : quâ de re supra, § 16, ratione 2. 2° Quia canones eodem modo sacerdotibus prohibent virginum velamen, et templorum consecrationem, quo benedictionem chrismatis. Atqui hæc prohibitio non impedit quominùs virginum velamen, et templorum atque altarium consecratio committi possit presbyteris. 3° Quia Confirmatio ex dispensatione Ecclesiæ committi potest simplici sacerdoti ; quidni chrismatis consecratio ? consequentia probatur, tum quia qui potest majus, potest et minus. Atqui minus est consecrare chrisma, quàm confirmare ; chrismatis enim consecratio ad Confirmationis administrationem refertur, velut medium ad finem : tum quia potestas dispensandi circa administrationem Confirmationis, includit potestatem dispensandi circa benedictionem chrismatis, sicut potestas in finem includit potestatem in medium : tum quia Confirmationis usus magis determinatus est ex divinâ institutione, et ratione formæ, et ratione materiæ, quàm benedictio chrismatis ; hæc enim benedictio generatim à Christo quidem instituta est, sed forma et modus eam faciendi, Ecclesiæ potestati subjiciuntur. Sed quò magis aliquid jure divino determinatum est, eò minus subjacet Ecclesiæ potestati. 4° Quia potissima duo fundamenta, quibus opinio negans innititur, jus nempe divinum, et canonum prohibitio, nihil hâc in re adversùs opinionem affirmantem concludunt. Non primum ; quia Confirmationis administratio divino jure reservatur episcopo, et tamen ex dispensatione committi potest presbytero : quidni poterit idem affirmari de chrismatis benedictione ? Neque secundum ; quia iisdem ferè canonibus presbytero prohibetur, ac episcopo reservatur et chrismatis benedictio et Confirmationis administratio. Atqui nihil impedientibus hujusmodi canonibus, Confirmationis administratio committi potest presbytero ; quidni chrismatis benedictio committi poterit ?

Opinio negans his argumentis stabiliri potest. 1° Quia hæc potestas jure divino reservatur episcopis, et eodem jure presbyteris interdicitur, ex § 14. Atqui jus divinum ab hominibus mutari non potest. 2° Quia can. 36 concilii III Carthaginensis statuitur, *Ut presbyter, inconsulto episcopo, virgines non consecret : chrisma verò nunquàm perficiat.* Si hæc chrismatis perfectio concedi posset presbyteris, ibi explicaretur à concilio quemadmodùm ibi explicatur, quòd illis committi possit virginum consecratio. 3° Quia synodi supra citatæ hanc potestatem solis episcopis concedunt, eamque presbyteris absolutè prohibent. *Chrisma perficere nullus præter episcopum præsumat*, ex concilio Wormatiensi, can. 2. 4° Quia Eugenius in decreto pro instructione Armenorum, refert presbyteros *aliquando per apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodùm causâ, administrâsse Confirmationis Sacramentum*, eâ tamen lege, ut *chrismate per episcopum confecto* uterentur : quibus verbis significat nunquàm factum esse, nec fieri posse, ut hoc Sacramentum alio chrismate conferatur, quàm chrismate per episcopum benedicto. 5. Pro confirmandâ hâc opinione proferri potest privilegium cujus meminit Arcudius in tractatu de Confirmatione, cap. 15, ubi refert, *Hadrianum VI, anno* 1521, *die* 25 *aprilis*, *petentibus fratre Glapione et Francisco de Angelis, concessisse pro Indiis et regionibus, ubi non sunt episcopi, ut sacerdos regularis ex minoribus posset cum chrismate ab episcopo consecrato confirmare. Haberi autem authenticum Hispali in monasterio sancti Francisci.* Si Hadrianus existimâsset chrismatis benedictionem presbyteris urgente necessitate committi posse, eam certè Franciscanis æquè commisisset, ac Confirmationis administrationem. 6° Hoc ipsum docet catechismus Tridentinus, ubi de Confirmatione : *Neque enim ad alium ea confectio, nisi ad episcopum pertinere potest.*

Utraque opinio suâ se probabilitate tuetur. Ad argumenta tamen opinionis affirmantis respondetur.

Ad primum negatur hanc presbyteralem chrismatis benedictionem in concilio I Toletano approbatam fuisse, quâ de re supra, § 15, ad 2. Quamvis enim concilium ibi non dicat expressè factum illud fuisse irritum : tamen neque etiam affirmat fuisse ratum.

Ad secundum, ex canone 32 et 36 concilii III Carthaginensis, apparere chrismatis benedictionem strictiùs prohibitam fuisse quàm virginum velamen et alia id genus.

Ad tertium, respondetur 1° incertum esse utrùm Confirmationis administratio committi possit simplici sacerdoti : quâ de re infra. 2° Paritatem non valere : potest enim confectio materiæ propria esse superiori, cujus tamen usus etiam inferioribus concedatur : sic diaconus olim administrabat sanguinem Christi, licèt illum consecrare non posset ; sic Eugenii decreto presbyter hodiè minister est ordinarius Extremæ Unctionis, cujus tamen materia ibidem dicitur esse oleum olivæ per episcopum benedictum. Et certè Eu-

genius in eodem decreto pro intentione ita loquitur de Confirmatione, et quamvis fateatur apud veteres aliquando legi, quòd illa per dispensationem à simplici sacerdote sit administrata, adjicit tamen id factum adhibito chrismate per episcopum confecto, quasi videlicet minùs committi presbytero posse videatur consecratio chrismatis, quàm ipsius Sacramenti collatio.

Ad quartum, respondeo ad primum fundamentum : 1° Incertum esse, utrùm jus divinum non impediat, quominùs Confirmationis administratio committi possit simplici presbytero. 2° Jus quidem divinum non impedire quominùs Confirmationis administratio committi possit simplici presbytero, impedire tamen, ne chrismatis consecratio ipsi committi possit. Sicut jus divinum non prohibet quominùs Eucharistiæ administratio committi possit diacono : prohibet tamen ne ejusdem Eucharistiæ consecratio diacono committatur. Ad secundum verò fundamentum. Respondetur ex antiquitate certum videri Eugenio IV et nonnullis theologis Confirmationis Sacramentum aliquando commissum fuisse simplici sacerdoti; verùm ex nullo canone nulloque antiquo auctore apparet chrismatis consecrationem ei commissam fuisse : imò canone 36 concilii III Carthaginensis hæc consecratio presbyteris absolutè prohibetur. *Presbyter, inconsulto episcopo, virgines non consecret, chrisma verò nunquàm perficiat.*

Ad argumenta opinionis negantis respondetur.

Ad primum, concedo jus divinum ab hominibus immutari non posse : id tamen non impedit quominùs hæc chrismatis benedictio, licèt episcopis velut ministris ordinariis jure divino reservetur, committi posset presbyteris velut ministris extraordinariis : sicut virginum velamen et templorum consecratio, licèt iisdem episcopis jure divino reservetur, presbyteris ex dispensatione committi potest.

Ad secundum respondetur, virginum consecrationem, non autem chrismatis benedictionem in concilio III Carthaginensi ex dispensatione permitti presbyteris, non quòd utriusque jus sit divinum et diversa ratio, sed quia penes legislatoris arbitrium est, ut ex duabus rebus, quæ committi possunt, unam, non alteram, prout convenientius existimabit committat.

Ad tertium respondetur 1° chrismationis benedictionem canonibus supra citatis, si concilium III Carthaginense excipiatur, non videri absolutè prohibitam sacerdotibus, sed ratione ministerii ordinarii : casum enim suæ reservationis et prohibitionis repetunt ex apice pontificatûs, quo solo ministerium ordinarium conceditur. 2° Esto, hæc chrismatis benedictio sacerdotibus absolutè prohibeatur canonibus ecclesiasticis, eodem modo quo prohibetur can. 36 concilii Carthaginensis; quid aliud inde sequitur, nisi quòd hæc benedictio presbyteris absolutè prohibita fuerit jure canonico? Ideòne eisdem etiam sacerdotibus absolutè prohibita erit jure divino?

Ad quartum respondeo, in Confirmationis administratione à presbytero factâ, hanc legem non apponi ab Eugenio IV, *Ut presbyter chrismate per episcopum confecto* utatur. Id unum refert Eugenius, *Legi aliquando per apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodùm causâ, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrâsse Confirmationis Sacramentum.* Verùm aliud est, simplicem sacerdotem, cui commissa fuit Confirmationis administratio, usum fuisse chrismate per episcopum benedicto; aliud hanc chrismatis benedictionem simplici presbytero ex dispensatione committi non posse. Prius refert Eugenius; posterius intactum omittit.

Ad quintum respondeo, privilegium, cujus meminit Arcudius, suppositum videri : 1° Quia Hadrianus VI nondùm erat pontifex anno 1521, die 25 aprilis; electus enim est anno sequenti die 9 januarii. 2° Quia privilegium illud videtur idem esse, quod bulla 4 Leonis X, quæ habetur in novâ collectione privilegiorum mendicantium et non mendicantium Emmanuelis Roderici : quâ pontifex anno 1521, die 25 aprilis, concessit fratribus Joanni Clapion et Francisco de Angelis ordinis minorum de observantiâ in partibus Indiarum, ubi nulli sunt episcopi, ut possent infideles conversos et ad clericatum et ad minores ordines promovere. Præterea dato, non concesso, quòd illud privilegium sit verum, rectè Leo X concessâ Franciscanis Confirmationis administratione, ipsis non concessit consecrationem chrismatis, sive quia opinio, quæ asserit hanc potestatem presbyteris concedi posse, eâ incertior est, quæ docet Confirmationem ipsis committi posse : sive quia nullo facto constat chrismatis benedictionem presbyteris concessam fuisse, sicut contra Eugenio IV in decreto, pluribusque theologis certum videtur, Confirmationis administrationem sacerdotibus aliquando commissam fuisse : sive quia difficilius est ordinarium ministrum seu episcopum semper et ubique reperiri, quam materiæ consecrationem, quæ faciliùs ex uno in alium locum transferri potest.

Ad sextum respondeo solutionem repetendam esse ex ipsis verbis catechismi : *Neque ad alium ea confectio, nisi ad episcopum pertinere potest, qui ejusdem sacramenti ordinarius minister constitutus est.* Eâ igitur ratione, hæc chrismatis confectio ad solum episcopum pertinet, quâ ratione ad eumdem spectat, esse ministrum hujus Sacramenti. Atqui ad solum episcopum pertinet esse ordinarium, non autem unicum ministrum hujus Sacramenti. Igitur, eâdem ratione, chrismatis confectio ad solum episcopum pertinere dicitur, quia hujus confectionis ordinarius est, non autem quia ejus unicus est minister. His quidem et similibus verborum formulis, ministerium duntaxat ordinarium excludi, patet ex decreto Eugenii, ubi postquàm dixit, quod Confirmationem *non nisi episcopus debet conferre, quia de solis apostolis quorum vicem tenent episcopi, legitur, quod per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant :* subjicit tamen illam ex dispensatione committi posse simplici sacerdoti.

§ 18. *Utrùm ad hanc potestatem sacerdotibus, tanquàm ministris extraordinariis, committendam, requiratur auctoritas summi pontificis, vel sufficiat auctoritas cujuslibet episcopi in suâ diœcesi, vel synodi provincialis in metropoli.*

Auctoritatem cujuslibet episcopi in suâ diœcesi sufficere ad hanc facultatem presbyteris ex dispensatione committendam, docet Ledesma, 3 p., q. 73, a. 3, cujus opinio sic statui potest : 1° Quia ex concilio Toletano I, can. 20 : *Episcopo certum est omni tempore licere chrisma conficere : sine conscientiâ autem episcopi nihil penitùs faciendum.* Eo igitur sciente et consentiente, sacerdotes poterunt chrisma conferre. Verùm omninò incertum est, quem sensum præfata concilii verba præ se ferant, et utrùm ad ea quæ præcedunt, vel quæ sequuntur, referri debeant. 2° Quia canonibus ecclesiasticis virginum velamen et templorum consecratio, presbyteris eodem modo prohibentur, quo chrismatis benedictio. Atqui hujus legis dispensatio presbyteris ab episcopo fieri potest quoad duo priora; igitur et quoad tertium. 3° Quia episcopi et synodi provinciales presbyteris olim commiserunt potestatem confirmandi; quâ de re infra. Igitur et possunt ipsis committere potestatem consecrandi chrisma. 4° Quia major potestas requiritur, ut matrimonium clandestinum ex rato fiat irritum, quàm presbyteris committere (rarò tamen et pro aliquo tempore ac loco) potestatem benedicendi chrisma. Atqui synodi quædam provinciales matrimonium clandestinum ex rato irritum fecerunt, ante synodum Tridentinam, quâ de re alibi. 5° Quia episcopi in iis dispensare possunt, quæ neque canonibus, neque usu reservata sunt summis pontificibus. Atqui dispensatio, quâ chrismatis benedictio presbyteris committitur, neque canonibus, neque usu reservatur summis pontificibus, quia nulli canones hâc de re locuti sunt; neque usus hactenùs invaluit, ut hæc dispensatio presbyteris committatur. 6° Quia episcopi, servatâ proportione et subjectione ac reverentiâ Sedi Apostolicæ debitâ, eamdem in suâ diœcesi potestatem habent, in iis quæ canonibus, eidem sedi minimè reservata sunt, quàm summi pontifices in universâ Ecclesiâ. Atqui summi pontifices hanc chrismatis consecrationem presbyteris committere possunt in Ecclesiâ. Igitur et episcopi in suâ diœcesi; maximè cum hujus consecrationis dispensatio nullis canonibus reservata sit summis pontificibus.

Cajetanus tamen, Hiquæus, aliique theologi communiter requirunt auctoritatem summi pontificis, vel universalis Ecclesiæ. Horum opinio sic probari potest. 1° Quia canone 36 concilii III Carthaginensis statuitur *ut presbyter, inconsulto episcopo, virgines non consecret; chrisma verò nunquàm perficiat.* Presbyter igitur, jubente episcopo, potest quidem velare virgines, non autem chrisma consecrare. 2° Quia can. 13, sess. 7 concilii Tridentini, anathemate percutitur, qui dixerit : *Receptos et approbatos catholicæ Ecclesiæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse.* 3° Quia solus pontifex Romanus, aut sola Ecclesia universalis presbytero committere potest Confirmationis administrationem : igitur et chrismatis consecrationem.

Sunt et qui distinguant. Chrisma enim inservit et unctioni verticis et unctioni frontis. Prior est mera cæremonia, posterior Confirmationi essentialis est. Concedunt igitur illi chrisma jussu episcopi à presbytero consecratum valere ad priorem, non ad posteriorem unctionem.

Ex his tribus sententiis, prima probabilior mihi videtur : Quare

Ad primum argumentum secundæ opinionis respondeo, legem (si tamen hæc lex etiam nunc vigeat), quâ concilium III Carthaginense absolutè prohibuit, ne presbyter chrisma consecret, rescindi, vel mutari, vel modificari posse ab alio concilio : quemadmodùm lex, quâ concilium II Carthaginense, can. 3, absolutè prohibuit, ne presbyter virgines consecret, temperata fuit à concilio III Carthaginensi, can. 36, ut id liceret jubente episcopo.

Ad secundum respondeo 1° nomine *pastoris*, de quo Tridentina synodus, intelligi parochum. 2° Aliud esse ritus in solemni Sacramentorum administratione ubique receptos, mutare in novos; aliud de ritibus hujusmodi aliquando dispensare. Casus certè occurrere possunt, et reipsà eveniunt, in quibus episcopi de nonnullis Baptismi ritibus dispensant.

Ad tertium respondeo 1° non deesse theologos, qui existiment presbyteros jussu solius episcopi, vel conciliorum provincialium, sacramentum Confirmationis quibusdam in locis olim administrâsse, quâ de re infra. Certè viget hodiè hæc consuetudo in totâ fere orientali ecclesiâ, quæ tamen consuetudo primis Ecclesiæ seculis rara erat, neque in omnibus ecclesiis observabatur, adeòque cœpit et sine consensu summi pontificis, et sine consensu Ecclesiæ universalis orientalis. 2° Esto antecedens, nego consequentiam : majus enim est confirmare, quàm chrisma consecrare. Atqui in rebus exclusivis et prohibitivis, non valet consequentia à majori ad minus : v. g., non valet : solus pontifex potest id quod majus est : ergo solus pontifex potest id quod minus est. Solus episcopus potest ordinare presbyteros : ergo solus episcopus potest baptizare. Solus presbyter consecrare potest sanguinem Christi : ergo solus presbyter eum administrare potest.

§ 19. *Utrùm hæc chrismatis consecratio necessaria sit necessitate præcepti, et ad Confirmationis essentiam pertineat.*

Eâ de re variæ sunt opiniones, quæ ad quinque revocari possunt. Prima docet episcopalem chrismatis benedictionem Confirmationi essentialem et necessariam esse, ita ut eâ prætermissâ, nullum sit Sacramentum, neque summus pontifex aut Ecclesia in eo dispensare possit. Ita communiter theologi post Hugonem, Magistrum et S. Thomam, 3 p., q. 72, a. 3. Secunda docet chrismatis benedictionem Confirmationi essentialem esse, sed utramlibet sufficere, episcopalem, vel presbyteralem; quo fit ut Confirmatio,

ex chrismate per sacerdotem benedicto, facta, illicita quidem, valida tamen sit; quia presbyteralis benedictio, licèt canonibus prohibeatur, valida est, et sufficit ad Confirmationem validè conferendam. Ita Cajetanus, in 3 p., q. 72, a. 3. Tertia docet chrismatis benedictionem, etiam episcopalem, necessariam esse duntaxat necessitate præcepti divini, non autem Sacramenti; eo ferè modo quo aqua vino mixta necessaria est necessitate præcepti divini, non autem Sacramenti, ex Cypriano; ita (ni fallor) Capreolus, Paludanus in 4, d. 7, q. 1 et 4, Estius in 4, d. 7, § 9, in fine, Dominicus Soto in 4, dist. 7, q. unica, art. 3. Quarta docet chrismatis benedictionem necessariam esse necessitate præcepti duntaxat ecclesiastici, eam tamen ad Confirmationis essentiam pertinere, quia Christus penes ecclesiæ arbitrium reliquit, ut chrisma benedictum, vel non benedictum pro materiâ Confirmationis eligeret; Ecclesia verò satiùs existimavit chrismate benedicto utendum esse; quo fit, ut vigente hoc præcepto, licèt ecclesiastico, Confirmatio ex chrismate minimè benedicto, et illicita et irrita esset: quæ tamen et rata et licita foret, si tale præceptum desineret. Ita nonnulli theologi apud Durandum, in 4, dist. 7, q. 3, n. 6. Quinta docet hanc benedictionem necessariam esse necessitate non Sacramenti, sed præcepti duntaxat ecclesiastici. Ita Franciscus Victoria, Emmanuel Sâ, et nonnulli recentiores, ubi de benedictione olei infirmorum. Eadem autem ratio de chrismate et oleo infirmorum benedicendo.

Prima opinio probatur auctoritate Patrum, canonum et decretorum, quæ chrismatis benedictionem requirunt, eamque reservant episcopis, et presbyteris interdicunt: ac potissimùm auctoritate Eugenii IV in decreto pro instructione, quo declaratur materiam hujus sacramenti esse chrisma ab episcopo benedictum: et in quo præterea dicitur, quod licèt ex dispensatione apostolicâ presbyter contulerit Sacramentum Confirmationis, non tamen nisi chrismate per episcopum benedicto. Verùm ad hæc *responderi potest*, inquit Estius, *ea non aliud convincere, quàm præcepti necessitatem.*

Secunda opinio probatur hoc axiomate, qui potest majus, poterit et minus. Sed Eucharistiæ consecratio major est, quàm consecratio chrismatis: præterea consecratio Eucharistiæ à sacerdote facta, rata est: igitur et consecratio chrismatis, rata esse debet. Verùm huic argumentationi abundè factum est satis, § 16, ad 3. Accedit quòd sacerdotalis consecratio chrismatis et illicita et invalida declaratur canonibus ecclesiasticis, quâ de re supra, § 14.

Tertia opinio, quoad priorem partem, sequitur ex dictis, § 15. Quod enim juris est divini, necessarium est necessitate præcepti divini. Sed chrismatis consecratio juris est divini, ex § 15. Hæc igitur necessaria est necessitate divini præcepti. Verùm major absolutè falsa est. Res enim juris divini esse potest, vel quia instituta est à Christo, ut virginitas, et cœlibatus, vel quia præcepta est à Christo, ut aquæ mixtio ad Eucharistiam perficiendam. Quoad posteriorem verò partem, probatur 1° ex concilio Toletano I, can. 20: *Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hâc die, nullum alium, nisi episcopum chrisma conficere.* In quibus verbis observo: 1° sermonem haberi non de administratione Sacramenti, sed de consecratione chrismatis. 2° Ex his verbis *quamvis penè ubique*, etc., apertè sequi aliquem fuisse locum, ubi hoc non servabatur; sed ubi presbyteri sine episcopo chrisma conficiebant. 3° Concilium non damnare hanc presbyteralem consecrationem, ut irritam, sed solùm prohibere, ne illa deinceps fiat. Si autem putâsset consecrationem episcopalem ad validitatem Sacramenti essentialiter requiri, debuisset providere, ut confirmati chrismate per simplicem sacerdotem benedicto, iterùm confirmarentur, ne hujusce Sacramenti fructu perpetuo carerent. Verùm synodus Toletana non providit, ut ita confirmati, rursùs confirmarentur, fortè quia non existimavit illud sacramentum necessarium esse. Utut sit, quod omissum est in synodo Toletanâ, non fuit prætermissum in capitularibus supra citatis, § 14. Probatur etiam hæc posterior pars decreto Innocentii III, Extra. de Sacris iterandis, cap. Pastoralis, ubi pontifex ratum habet Confirmationis Sacramentum, administratum unctione solius olei; quod quidem non est verisimile benedictum fuisse, eâ saltem benedictione, quæ chrismati adhibetur, cùm sint diversæ, et ad diversa ordinatæ benedictiones olei simplicis et chrismatis. Verùm præterquàm quod plurimi negant hoc Sacramentum ab Innocentio ratum habitum fuisse, quâ de re, supra § 12, ad 6, posset etiam responderi 1° oleum illud, etsi balsamo non fuerit mixtum, sive per negligentiam sive propter inopiam balsami, sive quia in promptu haberi non poterat, fuisse tamen ab episcopo consecratum eâ benedictione quæ chrismatis adhiberi solet. 2° Benedictionem quidem episcopalem confirmationi essentialem esse, non autem hoc aut illud genus benedictionis: Christus enim instituit tantùm ut materia hujus Sacramenti benediceretur: quo verò benedictionis genere, reliquit penes Ecclesiæ potestatem; inde fit ut alia fuerit præteritis, et alia præsentibus seculis; alia apud Græcos, et alia apud Latinos. Hanc ultimam solutionem tradunt.

Quarta opinio subtiliter excogitata est, sed fundamento caret, eamque Durandus uti falsam, et fidei, et Ecclesiæ valdè periculosam refutat. « Uti falsam, quia « secundùm omnes sanctos et doctores theologos et « canones sacros, Christus non commisit alicui homini « respectu Sacramentorum, nisi simplex ministerium, « et non potestatem excellentiæ, vel aliquid ad eam « pertinens. Sed ordinare de materiâ Sacramenti, puta « de oleo vel chrismate quod benedicatur, vel non be- « nedicatur, vel quòd benedicatur tali benedictione « vel aliâ et quod hujusmodi ordinatio sit de necessi- « tate Sacramenti, et non solùm de solemnitate, per-

« tinet ad potestatem excellentiæ, et non ad simplex « ministerium, quod consistit solum et præcisè in fa- « ciendo ea, quæ circa sacramenta sunt instituta per « Christum. Ergo istud non fuit commissum alicui ho- « mini, nec Papæ, nec alii. Uti fidei et ecclesiæ valdè « periculosam, quia similiter circa Sacramentum Bap- « tismi posset dici, quod Christus solum instituit, quod « baptismus fieret in aquâ, sed commisit Papæ vel Ec- « clesiæ determinationem aquæ, videlicet an esset be- « nedicta vel non benedicta, calida vel frigida. Simili- « ter posset dici, quod Christus instituit solum, quòd « vinum esset materia consecrationis sanguinis, sed « commisit determinationi Papæ vel Ecclesiæ quale « esset illud vinum, album vel rubeum. Et si Papa « circa aquam Baptismi determinaret, quod deberet esse « calida, et circa vinum, quod deberet esse rubeum, « Baptismus non posset fieri, saltem extra casum ne- « cessitatis, nisi in aquâ calidâ, nec sanguis Christi « consecrari, nisi in vino rubeo, quia ordinatio eccle- « siæ esset de necessitate sacramenti ex institutione « Christi. Nec est major ratio dicendi illa quæ dicunt « isti, quam dicendi hæc quæ subjecta sunt. Quam pe- « riculosa autem sint omnia hæc, perpendere potest « quilibet prudens ex eo, quod fides, quam habemus « de sacramentis, dependeret à liberâ voluntate unius « hominis, scilicet papæ, etiam quantum ad aliqua quæ « essent de necessitate Sacramentorum, quod non vi- « detur sanè dictum. »

Quinta opinio hâc potissimùm paritate nititur: consecratio materiæ Baptismi et Eucharistiæ non est necessaria necessitate Sacramenti, vel præcepti divini, sed mera cæremonia est ab ecclesiâ instituta. Idem igitur sentiendum de benedictione materiæ Confirmationis; maximè cùm Augustinus in fine tractatûs 118 in Joannem, loquatur similiter de benedictione aquæ baptismalis, et materiæ Eucharistiæ et chrismatis: quasi hæc tria respectu sui sacramenti parem habeant rationem: *Quid est*, inquit, *quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex quâ regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur; nihil eorum ritè perficitur.* Huic argumento varii varia respondent pro diversis rationibus, quibus hanc chrismatis benedictionem necessariam esse theologi contendunt.

Respondent igitur aliqui majorem esse benedictionis necessitatem in materiâ Confirmationis, quia sancti Patres studiosius urgent benedictionem chrismatis, quam materiæ Baptismi et Eucharistiæ. Verùm Augustinus benedictionis necessitatem pari modo urget in illis tribus Sacramentis, quamvis hæc benedictio, mera sit ecclesiæ cæremonia in materiâ Baptismi et Eucharistiæ. Si qui verò Patres vehementius urgent benedictionem chrismatis, id præstant, ne videantur arctare viam salutis, si necessitatem benedictionis aquæ vehementiùs urgerent, quamvis utriusque eadem sit necessitas.

Respondent alii, majorem esse benedictionis necessitatem in materiâ Confirmationis, quia benedictione opus est, ut oleum ad Confirmationis materiam determinetur. Verùm quæri potest, quæ sit hujus determinationis necessitas in hoc Sacramento magis quàm in Baptismo et aliis, præsertim cùm et intentione ministri et applicatione ad usum Sacramenti, et ipsâ formæ prolatione satis videatur materia determinata.

Respondent alii majorem hujus benedictionis necessitatem repetendam esse ex eo, quod Christus contactu mundissimæ carnis suæ sanctificaverit, et materiam Eucharistiæ, quando panem in corpus suum, et vinum in sanguinem suum transmutavit, et materiam Baptismi, quando in Jordane lotus est: « *Nunquàm « enim*, inquit Chrysostomus (ita citatur à Gratiano, de Consecr., dist. 4, cap. *Nunquàm*, et à S. Thomâ, 3 p., q. 72, art. 3, in c., sed malè, hic enim textus est Chromatii episcopi Aquileiensis, qui floruit seculo IV, in tractatu ad hæc Matthæi verba: *Ego à te debeo baptizari*) *aquæ Baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu dominici corporis sanctificatæ fuissent. Et propter hoc* (subjicit S. Thomas) *non est de necessitate horum sacramentorum, quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi.* At verò Christus materiam Confirmationis et Extremæ-Unctionis contactu suo non sanctificavit, quia *unctionibus visibilibus non est usus, ne fieret injuria invisibili unctioni, quâ est unctus præ participibus suis. Et ideò tam chrisma, quàm oleum sanctum infirmorum priùs benedicantur necesse est, quam adhibeantur ad usum Sacramenti.* Ita ferè S. Thomas, cujus doctrinam Durandus refellit in 4, d. 7, q. 2, n. 7. 1° Quia si Christus illarum rerum usu sanctificavit in posterum omnem aquam et panem et vinum: igitur in Christi injuriam postmodùm accedit iisdem rebus benedictio sacerdotis. 2° Sicut Christus legitur aquâ lotus à Joanne; ità legitur et oleo unctus semel et iterùm à muliere, Lucæ 7, et Joan. 12, et tertiò à Nicodemo, Joan. 19.

Neque obstat, inquit Durandus, *si dicatur, quòd Christus unctionibus illis usus non est per modum Sacramenti, vel rei sacramentalis, sicut fuit usus pane et vino consecratis, et aquâ Baptismi Joannis.* Quia et baptismus Joannis, quo Christus lotus est, neque Sacramentum, neque Sacramenti cæremonia fuit, nisi generali quâdam Sacramenti ratione, quomodo et unctiones illæ mysterio suo non caruerunt. Deinde *Christus à Sacramentis, vel sacramentalibus nihil virtutis accepit: et aliquam dedit virtutem suo tactu, dedit omnibus quæ tetigit, et quæ in usum Sacramentorum debebant venire.*

Respondet igitur Durandus, ibidem, n. 8, benedictionem in chrismate, non autem in aquâ prærequiri, quia *in Sacramentis quæ consistunt in usu materia debet congruere ministro, et minister materiæ. In quocumque igitur Sacramento minister est determinatus aliquâ ordinatione, materia determinata est aliquâ benedictione: et ubi unum non est, nec alterum, sicut patet in Baptismo, cujus minister non est determinatus certâ ordinatione, potest enim quilibet baptizare; unde nec materia indiget aliquâ benedictione. At in Sacramento Confirmationis minister determinatus est certâ ordina-*

tione, scilicet episcopali; et ideò necessarium est materiam esse determinatam certâ benedictione. Quare de chrismate non benedicto nullus posset confirmari. Verùm et hæc ratio Durandi à Dominico Soto rejicitur. Sacramentum enim Eucharistiæ licèt ministrum habeat certâ ordinatione determinatum, videlicet sacerdotem, non tamen requirit materiam priùs benedictam. Neque dicas Durandi rationem restringi ad ea duntaxat Sacramenta, quæ in usu consistunt. Nulla enim ratio est cur hæc regula (ratio determinandæ materiæ petenda est à determinatione ministri) locum habeat in Sacramentis, quæ in usu consistunt, non autem in Eucharistiâ. Deinde Sacramentum Ordinationis in usu consistit; sed illud habet ministrum determinatum, videlicet episcopum, licèt materiam non requirat priùs benedictam; nec enim benedicitur manuum impositio, vel liber evangeliorum cujus porrectione diaconus ordinatur.

Si quis igitur primam opinionem, quæ communior est, amplecti velit, respondeat in rebus Sacramentorum totam rationem petendam ex voluntate instituentis, qui non aliam voluit esse materiam Confirmationis, quàm quæ ab episcopo benedicta esset : quam tamen benedictionem in materiâ Baptismi non prærequisierit, propter summam hujus Sacramenti necessitatem.

§ 20. *De variis usibus chrismatis benedicti.*

Pontifex, inquit Dionysius, lib. de Hierarch. eccles., c. 4 *ad omnem rei sacræ consecrationem divino utitur unguento.* Chrisma igitur ab episcopo consecratum non Confirmationi solùm inservit, sed et aliis usibus, videlicet unctioni verticali, quâ baptizatus in vertice unguitur; et aquæ baptismalis benedictioni : *In baptisterium enim expiatorium*, inquit Dionysius, ibid., *unguentum, aspersionibus in crucis formam expressis, pontifex infundit* ut nobis spiritaliter exhibeat ipsummet unguentum spiritale; videlicet *Jesum ad mortem usque in cruce pro divinâ nostrâ regeneratione demersum.* Siquidem hoc lavacrum Christi mortem, et hoc unguentum Christum ipsum significat. Christus enim ex Dionysio est unguentum spirituale, cùm et ipse, ut homo consecratus fuerit à Spiritu sancto : et ita consecratus cætera consecret, seu sanctificet. 3° Chrisma quoque inservit ordinationi episcoporum. Pontifex enim, electi coram se genuflexi, primùm quidem caput, deinde ambas manus simul junctas sacro chrismate inungit. « Per caput autem, inquit Innocentius III, de sacrâ Unctione, cap. *Cùm venisset*, « mens intelligitur, *unge caput tuum*, Matth. 6 : per « manus verò opera intelliguntur, juxta illud : *Manus « meæ distillaverunt myrrham*, Cantic. 1. Manus igitur « unguntur oleo pietatis, ut episcopus operetur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. « Caput autem ungitur balsamo charitatis, ut episcopus diligat Deum ex toto corde et ex totâ animâ « et ex totâ mente suâ, et proximum sicut seipsum « propter auctoritatem et dignitatem, et manus propter ministerium et officium. Caput enim ungitur ut « ostendatur illos (episcopos) repræsentare personam « Christi (qui caput est Ecclesiæ). Manus inunguntur, « ut ostendatur accipere potestataten benedicendi et « consecrandi. Unde cùm eas consecrator inungit : « Consecrare, inquit, digneris, Domine, manus « istas, etc., ut quæcumque consecraverint, consecrentur, et quæcumque benedixerint, benedicantur, etc. » 4° Chrisma inservit templorum consecrationi, eo enim *pontifex, in modum crucis signat ostium ecclesiæ exterius, et singulas ungit duodecim cruces in parietibus ecclesiæ depictas.* Quâ de re videsis Bernardum. Qui enim Ecclesiam ingrediuntur et Ecclesiæ corpori adunantur, *nec sine cruce sequi Christum possunt; nec sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset.* Serm. 1 de Dedicatione Ecclesiæ. 5° Chrisma inservit altarium consecrationi; quia pontifex cum eo format signum crucis super ipsam altaris tabulam, deinde in medio ejus, tum in quatuor angulis, postea in ejus fronte, ac tandem *de illo fundit et spargit super altare*, ut effusa Spiritûs sancti plenitudo in Christum, quâ Christus, qui nostrum est altare, consecratus est, designetur. *Jesus enim*, inquit Dionysius, lib. de Hierarch. eccles., c. 4, sub finem, *qui est altare nostrum, divina est divinarum mentium consecratio, in quo, secundùm Scripturam, sanctificati et mysticè in morem holocausti concremati, accessum obtinemus apud Patrem.* 6° Inservit consecrationi patenæ, quam pontifex sacro chrismate *ab orâ in oram tingit.* 7° Inservit calicis consecrationi, quem eodem chrismate tingit *à labio ejus in labium.* 8° Benedictioni campanæ super quam de oleo sancto infirmorum septem cruces exteriùs facit, et deintùs cum chrismate quatuor, pari distantiâ.

Agendum superesset de antiquis et recentioribus Græcis et Latinis ritibus consecrationis unguenti sacri. Verùm de his commodiùs infra, ubi de cæremoniis.

QUÆSTIO TERTIA.

DE FORMA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ERRORIBUS CIRCA FORMAM HUJUS SACRAMENTI.

Forma Confirmationis alia Latinis est, alia Græcis. Latinorum formam irrident Lutherani et Calvinistæ : Græcorum formam evertunt Græci quidam schismatici, qui pro formâ assignant preces, quibus chrisma consecratur. Ex Lutheranis igitur Kemnitius, in 2 parte examinis concil. Trid., docet formam illam : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, amen.* 1° In Scripturis nullum habere fundamentum. 2° Nec à Christo, nec ab apostolis usurpatam fuisse. 3° Nec in vetustis quidem scriptoribus aut canonibus expressam. 4° Videri à posteris fabricatam ex his Ambrosii verbis in libro de iis qui initiantur, c. 7. *Serva quod accepisti; signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus.* 5° Inde fieri, ut hæc forma non eadem, sed diversa sit in ipsis Pontificalibus.

Calvinus de hâc formâ ita loquitur, lib. 4 Instit., c. 19, § 5 : « Peragitur hæc Confirmatio hâc verborum « formulâ : Consigno te signo crucis, etc., pulchrè hæc « omnia, et venustè ; sed ubi Dei verbum, quod Spiri- « tûs sancti præsentiam hìc promittat ? Ne iota quidem « obtendere possunt. Unde ergo nos certiores facient « chrisma suum vas esse Spiritûs sancti? Videmus « oleum, crassum scilicet et pinguem liquorem, præ- « terea nihil. Accedat, inquit Augustinus, verbum ad « elementum, et fiet Sacramentum : hoc (inquam) « verbum proferant, si quidquam nos intueri in oleo « volunt aliud, quàm oleum. »

Idem sentit Dallæus, lib. 1 de Confirm., c. 2 : *Forma verò ipsa Confirmationis in his verbis sita, Consigno te signo crucis*, etc., *ab Evangelii majestate, gravitate, atque genio, non minùs distat, quàm à cœlo terra abest. Nihil in omnibus Dei litteris extat verbis istis conceptis simile.*

Antonius de Dominis, lib. 5 de Republ. eccles., c. 5, num. 44, docet, *Ex Scripturâ sacrâ nihil haberi sive certum et definitum, quibus verbis sit utendum, vel usi sint apostoli in dandâ Confirmatione : sive incertum et indefinitum, puta orandum esse, vel benedicendum*, etc. Et paulò ante asserit, orationem non posse esse formam Sacramenti, quia oratio impetrat gratiam ex opere, quod aiunt, operantis. At formæ Sacramentorum eam conferunt ex opere operato.

Lutherani et Calvinistæ, ut apparet, quasi omninò certum supponunt, formam hujus Sacramenti apud Catholicos in iis duntaxat verbis sitam esse, quibus pontifex in chrismatione frontis utitur ; si quidem de aliis verbis, quibus pontifex orat, cùm manus imponit, omninò silent : quâ in re decipiuntur. Tres enim referuntur theologorum opiniones circa formam Confirmationis, de quibus infra.

Cæterùm hanc formam, quæcumque illa sit, habere fundamentum in Scripturis sacris, et annexam habere promissionem gratiæ, ostendimus, supra. Hanc quoque formam, licèt deprecatoriam, nihilò minùs agere posse ex opere operato, et legitimam esse verborum formam quibus Spiritus sanctus invocetur, probavimus supra.

ARTICULUS II.

QUID FIDES CATHOLICA DOCEAT DE FORMA HUJUS SACRAMENTI.

Concilium Tridentinum definit quidem Confirmationem esse Sacramentum, de formâ verò et materiâ nihil præscribit, neque in aliquibus, quod sciam, conciliis œcumenicis, aut decretis Romanorum pontificum hujus Sacramenti forma præscribitur, præterquàm in decreto pro instructione Armenorum in quo sic legitur : *Secundum Sacramentum est Confirmatio cujus materia est chrisma*, etc. *Forma autem est : Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Unde theologi vulgò concludunt hanc verborum formulam Confirmationi essentialem esse : eorumque nonnulli tradunt 1° esse de fide illam non modò essentialem, sed et sufficientem esse. 2° Illam à Christo institutam et ab apostolis observatam fuisse : ita Scotus, in 4, d. 7, art. 1 ; Hadrianus VIII, tract. de Confirm., art. 2 ; Dominicus Soto, in 4, d. 7, q. unicâ, art. 4 ; Franciscus Petigianis, in 4, d. 7, q. 1, art. 7, in fine ; Antonius Hiquæus in 4, d. 7, q. 1, n. 66 ; Cregorius à Valentiâ tomo 4, disp. 5, q. 1, puncto 1 ; Petrus Aurelius in orthodoxo adversùs antirrheticum 2 Sirmondi.

Verùm adversùs illam doctrinam reclamant theologi, qui materiam Confirmationis in solâ manuum impositione constituunt ; nec enim præfata formula manuum impositioni, sed unctioni soli respondet. Reclamant etiam Jacobus cardinalis à Vitriaco, Alexander, S. Bonaventura, cardinalis Aureolus, Joannes de Bacon, cardinalis Contarenus, Conradus Clingius, et alii, qui docent chrisma, adeòque et formam illi correspondentem, nec à Christo, nec ab apostolis, sed ab Ecclesiâ institutam fuisse. 3° Reclamant quicumque theologi pro materiâ Confirmationis assignant et manuum impositionem ab unctione distinctam, et ipsam unctionem. 4° Græci reclamant, qui nec formam cum præfatâ eamdem, neque similem unquàm adhibuerunt : sed præ cæteris reclamat Sirmundus, in antirrhetico 2, ubi contendit præfatam et Confirmationi accidentalem, et antiquis incognitam fuisse.

Quod autem pertinet ad decretum pro instructione Armenorum, eædem omninò responsiones pro formâ chrismatis unctioni correspondente adhiberi debent, quæ pro ipsâ chrismatis unctione adhibitæ fuerunt supra.

Id unum velim, observes decretum illud quod theologi vulgò laudant nomine concilii Florentini, editum fuisse Florentiæ post dissolutam synodum pro unione Latinorum et Græcorum celebratam. Armenii siquidem Florentiam non pervenerunt, nisi post finitum totum negotium sanctæ unionis, et post subscriptam synodum : neque decretum illud sancitum est, nisi post Græcorum discessum, anno videlicet 1439, decimo kalendas decembris. Quare dùm illud sub finem asseritur : *Datum Florentiæ in publicâ sessione synodali solemniter in ecclesiâ majori celebratâ :* id intelligi debet de occidentalibus episcopis, qui Florentiæ, Eugenio præside, congregati tribus ferè annis remanserunt, donec Basileenses, quos Romanus pontifex metuebat, cœtui suo finem imposuissent.

Licèt autem dubium omninò sit, utrùm præfata formula à Christo instituta et ab apostolis observata fuerit, non est tamen dubitandum, inquit Estius, quin hujus Sacramenti, sicut et aliorum, forma ab apostolis ex Christi institutione tradita sit Ecclesiæ, quantùm ad ea verba, sine quibus Sacramentum non perficitur. Quæ autem sint illa verba, non est usque adeò clarum propter varietatem, quæ in ea apud scriptores reperitur.

ARTICULUS III.

DE CONTROVERSIIS THEOLOGORUM CIRCA FORMAM CONFIRMATIONIS.

Controversiæ theologorum circa formam Confirma-

tionis, aliæ formam Latinorum, aliæ formam Græcorum respiciunt.

SECTIO PRIMA.

De controversiis circa formam Latinorum.

Cùm ex theologis nonnulli existiment materiam Confirmationis esse solam manuum impositionem, alii solam chrismatis unctionem, et alii utramque simul; hinc fit, ut dubium sit, quæ verba formæ rationem habeant: utrùm illa, quibus pontifex orat, cùm manus imponit; an alia quæ profert, dùm baptizati frontem inungit: an utraque simul. Qui materiam Confirmationis volunt esse solam manuum impositionem, pro formâ assignant verba deprecatoria, quibus pontifex Spiritum sanctum invocat, dùm manus imponit; vulgatam autem formam, *Signo te*, etc., aiunt Confirmationi accidentalem esse. Qui verò materiam volunt esse solam chrismationem, priorem formam aiunt accidentalem esse, posteriorem autem, *Signo te*, etc., et essentialem e sufficientem esse. Sed qui materiam et in manuum impositione et in chrismatis unctione simul constituunt, diversi sunt. Qui enim manuum impositionem ab unctione non dividunt, docent vulgatam formam, *Signo te*, etc., et essentialem et sufficientem esse. Qui verò manuum impositionem ab unctione secernunt, communiter tradunt duplicem formam pro duplici materiâ assignandam esse, videlicet verba, quibus pontifex orat, cùm manus imponit, et verba, quæ profert dùm ungit. Eorum tamen nonnulli unicam formam essentialem assignant, ea scilicet verba, quibus pontifex orat, cùm manus imponit: quam formam et manuum impositioni et chrismationi correspondere existimant: aliam verò, *Signo te*, etc., accidentalem aiunt esse, meramque cæremoniam. Ita sentire mihi videtur Joannes Morinus.

Vulgatam igitur formam, *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii et Spiritûs sancti, amen;* alii accidentalem esse docent, alii essentialem sed partialem, alii essentialem et adæquatam esse.

Vix etiam inter se conveniunt, qui præfatam formam, essentialem esse defendunt. S. Thomas, Scotus, Dominicus Soto, Suarez, et alii communiter putant illam integram Confirmationi essentialem esse. Hinc Suarez, disp. 33, sect. 5, negat hanc formam esse validam: *Consigno, et confirmo te chrismate salutis;* quia oportet exprimere signum crucis. Item si omittatur verbum *confirmo*, quia non esset sufficiens forma. Item si verbum *confirmo* mutetur in verbum *ungo*, quia non significaret effectum Sacramenti. Item si omittantur verba, quæ sequuntur, *chrismate salutis*, quia requiruntur ad expressionem materiæ remotæ. Sentit igitur hanc formam totidem terminis essentialem esse: alii verò eam ita insinuant, ut vix aliquid essentiale supersit. Bellarminus verba quælibet ait essentialia esse præter hæc, *chrismate salutis;* quia in ordine Romano legitur: *Signa eos, Domine, signo crucis.* Ac deinde *ego te confirmo in nomine Patris*, etc. Estius negat priora verba, *signo crucis*, et ea quæ sequuntur, *chrismate salutis* ad essentiam pertinere: « Sicut enim, « inquit, sufficit hæc Baptismi forma: « *Baptizo te in* « *nomine Patris, et Filii*, etc., ita non immeritò videri « potest et hæc Confirmationi sufficere, *consigno te*, vel « *confirmo te in nomine*, » etc. Idem sentiunt, qui crucis figuram ad materiæ essentiam nihil pertinere opinantur. Hiquæus autem, in 4, d. 7, q. 1, n. 67, quamvis existimet crucis figuram necessariam esse necessitate Sacramenti, negat tamen ejus expressionem in formâ absolutè requiri, quia in ordine Romano legitur: *Confirmo te in nomine Patris*, etc.

Disceptatur etiam de postremis verbis *in nomine Patris*, etc.; alii enim explicitam, alii implicitam, alii nullam Trinitatis invocationem requirunt. Quam postremam opinionem Estius probabilem putat. « Quæ- « ritur, inquit, an postrema verba, quæ Trinitatis ex- « pressam nomenclaturam continent, sint de essentiâ: « quamvis enim sine iis Baptisma non perficiatur, ab- « solutio tamen, et alia Sacramenta absque iis consi- « stunt, ut habet recepta multorum sententia, propter « ea quòd solum Baptisma sit Sacramentum profes- « sionis fidei... Hoc discriminis statuunt inter Bapti- « smum et alia Sacramenta, quòd in Baptismo operatur « invocatio Trinitatis, non autem aliqua per consecra- « tionem accepta potestas ministri, sicut in aliis quæ « necessariò certum ac determinatum requirunt mini- « strum, in quibus proinde Trinitatis invocationem « negant esse necessariam, uti in Baptismo; sed satis « esse putant ad hoc, ut ratum sit Sacramentum, si « illius potestatis actus circa suscipientem exprimitur: « quæ quidem sententia non est improbabilis, tametsi « altera sit magis tuta. » Igitur, Estio teste, recepta hæc est multorum sententia, satis esse, ut rata sit Confirmatio, si actus potestatis ministri circa suscipientem exprimatur, hoc est, si dicatur, *ego te confirmo*. Amicus tamen societatis Jesu theologus, qui scripsit anno 1640, ne particulam quidem *te* requirit, disp. 13, sect. 3, n. 79: sed illud discrimen inter Baptismum et Confirmationem statuit, quòd in illo, non in isto Sacramento persona suscipientis exprimi debeat; quia Baptismus, non autem Confirmatio suscipientem emundat à peccato. Sentit igitur et priora verba, *signo te signo crucis:* et quæ sequuntur, *te chrismate salutis:* et ea quibus forma terminatur, *in nomine Patris*, etc., nihil ad vulgatæ formæ Latinorum essentiam attinere; quia desunt in formulâ Græcorum *signaculum donationis Spiritûs sancti*: quæ tamen ad Confirmationis validitatem sufficit. Denique Richardus Rodulphus, archiepiscopus Armachanus, totam hujusce formulæ essentiam in postremis duntaxat verbis sitam esse volebat, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*. « De formâ, inquit Petrus David, car- « dinalis ab Ostiaco, in 4, d. 7, q. 4, art. 1, fol. 146, « tenet dominus Armachanus, lib. 9 de Quæstionibus « Armenorum, cap. 12, quòd probabile est unam esse « formam Baptismi, et omnium aliorum Sacramento- « rum, scilicet Confirmationis, Ordinis, Pœnitentiæ, « et Extremæ Unctionis, quamvis multas et diversas « orationes Ecclesiæ in ipsorum collatione exerceat: « nam ipse tenet, lib. 8, cap. 9, quòd ista verba, vel

« eorum sensus *(in nomine Patris et Filii et Spiritûs « sancti)* sint forma Baptismi, quamvis exigantur alia « verba : et ita consequenter dicit de prædictis Sacra- « mentis. Sed quia hoc communiter non tenetur, non « assero, licèt iste benè loquatur consequenter ad « Scripturam sacram. »

§ 1. *Quæ et qualis apud Latinos esset forma Confirmationis novem primis Ecclesiæ seculis.*

Certum est in utrâque ecclesiâ Græcâ et Latinâ formulam quamdam inter confirmandum adhibitam fuisse : quæ verò, qualisve fuerit, dicere difficile est. Quia primis Ecclesiæ seculis sancti Patres Sacramentorum formulas nec divulgabant, nec scriptis mandabant. *Invocationes perfectivas*, inquit Dionysius, lib. de eccles. Hierar., cap. 7, 3 parte, § 10, id est, verba quibus Sacramenta perficiuntur, *nefas est scripto interpretari et arcanum eorum sensum, virtutesque, quas Deus in iis operatur è secreto in publicum efferre; sed ut nostra sacrosancta traditio docet, eas secretioribus instructionibus hauries.* Et Innocentius I, in epistolâ ad Decentium, cap. 3, ait, religionis proditorem esse qui Confirmationis formulam scriptis mandaverit, *verba verò*, inquit, *dicere non possum ; ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Et cap. 8 de Sacramento Extremæ Unctionis : *Reliqua verò, quæ scribi fas non erat, cùm adfueris, interrogati poterimus edicere.* Apostolicæ tamen constitutiones quæ quarto quidem seculo editæ sunt, lib. 7, cap. 45, hanc formulam referunt : *Postquàm verò baptizaverit, in nomine Patris*, etc., *ungat unguento chrismatis dicens : Domine, Deus ingenite, cui nullus est Dominus convivificatus ipsi.* Verùm illæ statim insinuant hanc formam non ita determinatam esse, quin aliæ ab aliis substitui possint. Subjiciunt enim : *Hæc atque alia his consentanea dicat.* Adde illas constitutiones sæpè sæpiùs interpolatas fuisse. Ambrosius etiam. lib. 2 de Sacramentis, c. 7, aliam formulam refert. *Venisti ad sacerdotem, quid tibi dixit? Deus Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aquâ et Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipsè te ungat in vitam æternam :* quam quidem formam Ambrosii ætate confirmatoriam fuisse docet Sirmondus, in antirrhetico 2, pag. 64. Verùm hæc verba fuisse sacerdotis in vertice ungentis probavimus supra.

Id unum constat, formam quæ primis Ecclesiæ seculis in ecclesiâ Latinâ adhibebatur, fuisse deprecatoriam. Quod apparet,

1° Ex Actis, c. 8 : *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum*, etc., *tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum.* Ubi manûs impositio rationem habet materiæ, oratio verò formæ, videlicet deprecatoriæ ; quemadmodùm S. Thomas ex his verbis Jacobi 5 : *Orent super eum*, etc., *et oratio fidei salvabit infirmum* : concludit formam Extremæ Unctionis deprecatoriam esse.

2° Ex Tertulliano, lib. de Baptismo, *dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum.* Atqui benedictio quâ invocatur Spiritus sanctus, est oratio.

3° Ex Cypriano, epist. 73 ad Jubaianum : *Qui in Ecclesiâ baptizantur*, inquit, *præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur.* Consecutio Spiritûs sancti orationi tanquàm formæ, et manuum impositioni tanquàm materiæ tribuitur.

4° Ex Ambrosio, lib. 3 de Sacramentis, c. 2, postquàm disseruit de Baptismo, et unctione, quæ in eo fit. *Sequitur*, inquit, *spiritale signaculum quod audistis hodiè legi, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris. Istæ sunt septem virtutes quibus consignaris.* Deinde adducto Pauli textu 1 ad Corinth. 12, multiformem esse Dei sapientiam, transit ad communionem, ex more illius temporis, quo actione continuatâ Baptismus, Confirmatio et Eucharistia baptizandis conferebantur. Apparet igitur Ambrosium orationi, quâ septiformis Spiritûs sancti gratia invocatur, sacramentalem virtutem tribuisse, et nihil præter eam agnovisse.

5° Ex Siricio papâ, epist. 1 ad Himerium, cap. 1 : *Arianos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritûs, episcopalis manûs impositione, Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus oriens occidensque custodit.* Ætate igitur Siricii totus oriens et occidens nullam aliam verborum formulam præter invocationem solam septiformis Spiritûs in Confirmatione adhibebat.

6° Ex Hieronymo, in dialogo adver. Lucifer., c. 4 : *An nescis ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum.* Quod orthodoxus verum esse concedit : *Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem Spiritûs sancti manum impositurus excurrat.*

7° Ex Augustino, lib. 15 de Trinitate, c. 26 : « Quo- « modò Deus non est qui dat Spiritum sanctum? imò « quantus Deus est qui dat Deum! Neque enim ali- « quis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. « Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum « imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem « in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. Deni- « que et Simon magus offerens apostolis pecuniam, « non ait : Date mihi hanc potestatem ut dem Spiri- « tum sanctum : sed cuicumque, inquit, imposuero « manus, accipiat Spiritum sanctum. Quia neque Scri- « ptura superiùs dixerat : Videns autem Simon quod « apostoli darent Spiritum sanctum, sed dixerat : « Videns autem Simon quòd per impositionem ma- « nuum apostolorum daretur Spiritus sanctus. » Et paucis interjectis ita colligit. « Nos autem accipere « quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, « effundere autem super alios non utique possumus, « sed ut hoc fiat Deum invocamus. »

8° Ex Leone Magno, epist. 79, c. 7 : *Qui Baptismum ab hæreticis acceperunt, solâ invocatione Spiritûs sancti per impositionem manuum confirmandi sunt.* Et epist. 92, c. 18 : *De hæreticis, qui in Africâ vel Mauritaniâ venerunt, baptizandi non sunt; sed per manûs impositionem, invocatâ virtute Spiritûs sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.*

9° Ex Isidoro Hispalensi, lib. 2 de Officiis, c. 26, *Spiritum sanctum accipere possumus; dare autem non possumus; sed ut detur, Deum invocamus.*

Hæc quidem testimonia formulam Confirmationis deprecatoriam fuisse indicant; sed verba, quibus concepta esset, quinque primis Ecclesiæ seculis non referunt. Gregorius Magnus omnium primus in suo Sacramentario verba retulit, quibus hoc Sacramentum ætate suâ conferretur. Descriptâ enim verticis unctione ejusque formulâ, sic ille prosequitur : *Pontifex verò veniens ad infantes*, etc., ut supra.

Ejusdem Gregorii Sacramentarium Romæ, inter sancti illius opera editum, nihil prorsùs habet præter descriptam orationem : ita nec aliud à Pamelio editum; nec illud antiquissimum Corbeiensis bibliothecæ à Menardo luce donatum; nec aliud cujus idem Menardus mentionem facit : nec alterum Turonense antiquissimum Sacramentarium Romanum, quod ab initio mutilatum est, licèt bis in eo Confirmationis ritus enarretur : nec Pontificale vetus Rhemensis ecclesiæ, quod in abbatiâ S. Theodorici extat, cujus in ritu Baptismi, hæc verba sunt : « Vestitur infans vestimen- « tis suis; si verò episcopus adest, statim confirmari « eum oportet chrismate, et postea communicari : et « si episcopus deest, communicetur à presbytero « dicente ita : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custo-* « *diat te in vitam æternam. Amen.* Oratio ad infantes « designandos. *Omnipotens sempiterne Deus*, » etc. Ut supra in Sacramentario Gregorii. Denique Pontificale, quod putatur Anglicanum esse, quod ante seculum IX descriptum est, et in ecclesiâ Rothomagensi asservatur, nihil in ritu Confirmationis habet præter istam benedictionem. « Benedicat vobis omnipotens « Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, et vobis in « baptismate per Spiritum sanctum remissionem om- « nium peccatorum tribuit. Amen. Qui eumdem Spi- « ritum in igneis linguis discipulis suis dedit, ipsius « illustratione corda nostra perlustret, atque in sui « amoris jugiter accendat. Amen. Quatenùs ejus dono « à cunctis vitiis emundati, ipsiusque opitulatione ab « omnibus adversitatibus defensi, templum ipsius « effici mereamur. Amen. Quod ipse præstare digne- « tur. Amen. »

Ex his constat 1° Confirmationis formulam septem primis Ecclesiæ seculis deprecatoriam fuisse. 2° Illam manuum impositioni conjunctam fuisse. 3° Illam correspondisse non solùm impositioni manuum, sed et chrismatis unctioni, (recole formam Gregorianam) licèt unctionem tantisper præcederet; ita tamen, ut hæc antecessio moralem præsentiam, quæ inter materiam et formam Sacramentorum sufficit, non impediret. 4° In Gregoriano aliisque citatis Pontificalibus et Sacramentariis præter hanc orationem seu formam jam deprecatoriam nihil haberi. Sex igitur vel etiam septem primis Ecclesiæ seculis nulla verborum formula in Confirmatione adhibebatur, præter orationem quæ proferebatur cùm fieret manuum impositio.

Dices. Formula deprecatoria, quæ in apostolicis Constitutionibus describitur soli chrismatis unctioni correspondet. — Respondeo 1° hìc agi de Latinorum formâ; de Græcâ verò infra, sect. 2. 2° Has Constitutiones sæpè sæpiùs interpolatas fuisse. 3° Formulam in illis relatam utrique correspondere : post verba enim supra relata, statim subjicitur : *Hæc est enim vis appositionis manûs in unoquoque qui baptizatur.*

Præfata ritualia seculum VIII præcesserint necesse est; quæ enim sequuntur, quæque século VII posteriora sunt duas orationes referunt; alteram, quæ proferebatur, cùm fieret manûs impositio, et unctionis proximè futuræ meminit : alteram, quæ brevis est, et proferebatur, cùm fieret unctio. Ordo Romanus, qui seculo VIII compositus est, *Pontifex veniens ad infantes*, etc. Ut supra. Idem etiam colligi potest ex omnium antiquissimo Petaviano codice, ut videre est supra.

§ 2. *De antiquitate hujusce formulæ*, Signo te signo crucis, etc., *et quomodò invecta fuerit.*

Bellarminus, lib. de Confirm., c. 10; Estius, in 4, d. 7, § 10, aliique passim dicunt Ambrosium ad præfatam formulam allusisse, lib. de Initiandis, c. 7, cùm ait : *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritûs in corde tuo* : quasi verò Ambrosius alludere potuerit ad formulam trecentis et eo ampliùs annis seculo suo posteriorem : nullum enim procul dubio hujus formulæ vestigium extat primis septem Ecclesiæ seculis. Deinde Ambrosius hisce verbis tres personas Trinitatis distinguit, et singulis proprios effectus tribuit; quarum rerum præfata formula ne meminit quidem. Præterea in verbis Ambrosii mentio fit largitionis Spiritûs sancti; nulla verò in vulgari formulâ, licèt hæc largitio effectus proprius sit Confirmationis. Denique Ambrosius ipse testatur alludere se, non ad formam quamdam seculo suo inauditam, sed ad Pauli lectionem, quæ mox facta fuerat. Subjicit enim : *Sicut apostolicâ lectione didicisti.* Pauli verò verba, quibus Ambrosius alludit, habentur 2 ad Corinth., c. 1, v. 21 et 22. *Qui autem confirmat nos, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.*

Neque certiora sunt quæ Bellarminus ibidem asserit, hanc scilicet formulam haberi in Ordine Romano, « Qui est antiquissimus liber, cùm ab Alcuino « et Amalario citetur, qui fuerunt ante annos 800, « (quique) in officio sabbati sancti describens ritum « Confirmationis, dicit episcopum per modum oran- « tis, hæc verba pronuntiare : *Signa eos, Domine, si-* « *gno crucis*, ac deinde cùm tangit pollice frontem, « dicere : *Ego te confirmo in nomine Patris et Filii, et* « *Spiritûs sancti.* » Nec enim Amalarius scripsit ante annos octingentos, sed ante annum octingentesimum tricesimum : neque liber de divinis Officiis, in quo

citatur ordo Romanus, ad Alcuinum pertinet, vel ante annos 800 scriptus est : neque verba hæc, *Ego te confirmo* ætate Amalarii et auctoris libri de divinis Officiis habebantur in ordine Romano; quâ de re § præcedenti.

Origo hujus formæ repeti debet ex brevi oratione, quæ frontis unctioni in crucis modum factæ Græcorum instar adhiberi cœpit octavo seculo, quæque Amalario teste diversa erat pro diverso pontificum placito. Alii enim dicebant, *Signum Christi in vitam æternam. Amen.* Quæ oratio relationem habebat ad Græcorum formam; *Signaculum doni Spiritûs sancti :* ut Sacramentarium Petavianum, quod Sacramentariorum omnium manuscriptorum antiquissimum existimatur. Alii, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo :* ut ordo Romanus seculo VIII, Amalarius, et liber de divinis Officiis seculo IX. Alii, *Signat te Deus sigillo fidei suæ, in consignatione fidei ; in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Amen. Pax tibi.* ℟. *Et cum spiritu tuo :* ut antiquissimum Sacramentarium Tolosanum, quod Morinus ordini Romano coætaneum putat : vel *Signet te Deus sigillo fidei suæ, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, in consignatione fidei. Amen. Pax tibi :* ut fidei confessio edicto seu donationi Constantini præfixa, quæ integra extat in collectione Isidori Mercatoris, et cujus major pars refertur ab Hadriano I in epistolâ ad Constantinum et Irenem, anno 787, ut inde probet imagines in usu fuisse tempore Sylvestri I. Alii denique omnes illas ferè orationes simul colligebant, dicentes, cùm frontis unctio in modum crucis fieret, *Signum Christi in vitam æternam. Amen.* Et neophytum ita unctum mox benedicendo. *Confirmet te Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.* Ita refert cæremoniale recentius quidem, si character attendatur, sed ex aliquo longè antiquiori exscriptum, quod est in bibliothecâ collegii Foxensis Tolosani.

« Oratio ad infantes consignandos ab episcopo. *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es*, etc. Postea signet eos episcopus in fronte de chrismate, his verbis, *Signum Christi in vitam æternam. Amen.* Benedictio. *Confirmet te Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.* »

A modo deprecativo, vel optativo, *Signet te Deus*, etc., *Confirmet te*, etc., transitus deinde factus est ad modum indicativum et absolutum, *Signo te*, etc., *Confirmo te*, etc. Menardus duo antiquos manuscriptos refert, qui sic habent : *Confirmo te, et signo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs santi. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.* Ecclesiæ Rothomagensis codex, quem Morinus scriptum putat ad annum 1150, *Consigno te signo crucis, et confirmo chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo.* Turonensis ecclesiæ Pontificale recentius, vix ante annos 1250 scriptum, quo uti solebat archiepiscopus in pontificalibus : *Signo te signo crucis, et confirmo chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii et Spiritûs sancti, ut replearis eodem Spiritu sancto, et habeas vitam æternam. Amen.* Eamdem omninò formam, iis denique planè verbis exhibet Pontificale aliud Tolosanum, eâdem ætate, vel inferiore scriptum. In Foxensis collegii Tolosani bibliothecâ est ritualis liber inscriptus, ordo Romanæ ecclesiæ observari solitus tempore Innocentii papæ III et aliorum pontificum, cujus scriptio completa est anno 1365 : « Oratione completâ, faciat crucem in « fronte singulorum cum pollice de chrismate, ita di- « cendo : *Joannes* (vel quovis alio nomine), *signo te « signo crucis. Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* » Attende quæ forma tempore Innocentii III, et aliorum pontificum in Romanâ ecclesiâ observaretur. Sedit Innocentius III ab anno 1198 ad annum 1216.

Magister Sententiarum ait tantùm, *formam Sacramenti Confirmationis apertam esse, scilicet verba, quæ dicit episcopus, cùm baptizatos in frontibus sacro signat chrismate.* Guillelmus Parisiensis in fine tractatûs de Confirmatione, scribit, pontificem dicere pingendo characterem : *Consigno te, et cruce confirmo te.* Guillelmus Altissiodorensis, ubi de Confirmatione : *Confirmo te signo crucis et chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Albertus Magnus, in 4, scribit quosdam uti hâc formâ : *Confirmo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine*, etc. Sed generaliorem esse : *Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine*, etc. Alexander Halensis, 4 p., q. 9, membro 1 : Hujus Sacramenti secundùm consuetudines diversarum ecclesiarum, diversæ sunt formæ verborum. Habet enim quædam ecclesia formam : *Confirmo te signo crucis et chrismate sanctificationis. In nomine Patris*, etc. S. Thomas : *Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine*, etc. S. Bonaventura : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine*, etc. Idem habent cæteri theologi et rituales utroque doctore posteriores, si tamen Gersonem excipias, qui sic legit : *Firmo te signo crucis et chrismate salutis, in nomine Patris*, etc.

Viderint igitur Thomistæ et Scotistæ, quo fundamento doceant, hanc formulam, *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine*, etc., à Christo institutam, et ab apostolis usurpatam fuisse. Viderit Hadrianus VI quâ ratione dixerit : *Auctoritate Ecclesiæ, quæ in iis, quæ sunt fidei, nec fallere potest, nec falli, et tradit dictam orationem pro formâ, credens eam ritè perficere sacramentum Confirmationis, certum esse hanc formam vivæ vocis vocabulo ab apostolis et eorum successoribus acceptam fuisse : sicut de formâ consecrationis sanguinis dicitur.* Viderit Bellarminus, quo fundamento asseruerit, « Paulum 2 ad Corinth. 1, alludere « ad formam hujus Sacramenti, cùm ait : *Qui nos con- « firmavit Deus, et signavit,* » etc.

§ 3. *Utrùm hæc forma*, Signo te, etc., *ad Confirmationis essentiam pertineat, vel etiam sufficiat.*

S. Thomas, Scotus, Thomistæ, Scotistæ, Bellarminus, Petrus Aurelius, aliique theologi, qui materiam Confirmationis in unctione solâ, vel in unctione simul

et impositione manuum ab unctione indivisà constituunt, affirmant illam non solùm ad Confirmationis essentiam pertinere, sed et formam ejus adæquatam esse; quorum opinio his rationibus probari potest. 1° Quia Eugenii IV decretum, hanc formam unam assignat. 2° Quia concilium Bituricense anno 1584 coactum, et anno 1585 à Sixto V approbatum, titulo 20 de Confirmationis Sacramento, can. 3 : « Nullam, « ait, in administratione hujus Sacramenti formam « debitam, et quâ uti consuevit Ecclesia, esse, *Consigno te signo*, etc. » 3° Quia rituales omnes hanc solam formulam indicant. 4° Quia S. Thomas, aliique theologi qui floruerunt seculis 13, 14, 15 et 16, unanimi consensu docent hanc formulam essentialem et sufficientem esse. Quod autem integris quatuor seculis ab omnibus theologis unanimi consensu traditum est, ad fidem Ecclesiæ pertinet. 5° Quia unctio Confirmationi essentialis est : igitur et forma unctioni correspondens, nulla verò præter relatam correspondet unctioni. Verùm ad hæc responderi potest.

Ad primum quidem, formulam de quâ Eugenius in suo decreto, accidentalem esse, quâ de re supra. Ad secundum responderi posset Patres Bituricenses in hoc secutos esse theologorum opinionem, quæ postremo seculo communior erat. Ad tertium responderi posset, in Romano aliisque Pontificalibus non præfatam modò formulam referri, sed et antiquam, quæ in Sacramentario Gregoriano, in ordine Romano, et in libro de divinis Officiis legitur. Ad quartum responderi posset, si hæc argumentandi ratio valeret, inde secutum iri, plures theologiæ opiniones esse de fide, quæ tamen in scholis hodiè in utramque partem agitantur. Theologi, qui præfatam formam et essentialem et sufficientem esse docent, iidem affirmant illam à Christo institutam et ex traditione apostolicâ ad nos usque pervenisse; quod tamen falsum esse demonstravimus § præcedenti. Iidem etiam theologi negant manuum impositionem ab unctione divulsam Confirmationi essentialem esse; quod tamen asserunt hodie plures eruditi, de quibus supra, ubi de variis opinionibus circa materiam Confirmationis. Theologi quoque, qui seculis 13, 14, 15 et 16 floruerunt, omnes præter Guillelmum Parisiensem et duos aut tres alios, negaverunt parochum esse ministrum matrimonii, quà Sacramenti; quæ tamen opinio à multis hodiè defenditur. Denique theologi qui ab initio seculi 13 ad medium usque seculum 16 floruerunt, omnes ad unum affirmârunt materias et formas ordinum in specie, necdùm in genere, à Christo institutas fuisse; quod nostro seculo à cardinale Bellarmino, Arcudio, cardinale de Lugo, Præposito, Gammachæo, Francisco Amico, Francisco Hallerio, Joanne Morino, et aliis communiter negatur. Posset etiam responderi, opinionem, quæ docet præfatam formulam Confirmationi essentialem et sufficientem esse, communiorem quidem fuisse seculis 13, 14, 15 et 16; non unanimi tamen consensu receptam. Aliud enim sentiebant quicumque theologi et canonistæ dicebant manuum impositionem unctioni præviam ad Confirmationis essentiam pertinere. Ad quintum. Responderi posset, 1° dubium esse apud theologos, utrùm chrismatis unctio sit essentialis. 2° Aliam esse præter relatam formulam, quæ huic unctioni respondet, nimirùm formam deprecatoriam, quæ profertur, cùm fit manuum impositio. Illa siquidem et manuum impositioni et frontis unctioni correspondet, quâ de re supra, § 1.

Alii igitur theologi, quorum sententiam amplecti videtur Sirmondus, existimant, hanc formulam *signo te signo*, etc., Confirmationi etiam nunc accidentalem esse. Eorum opinio his rationibus probari potest. 1° Quia hæc formula non est deprecatoria. Formam autem Confirmationis primis novem Ecclesiæ seculis deprecatoriam fuisse demonstravimus supra § 1. 2° Quia hæc formula unctioni quidem, non autem manuum impositioni respondet. Formulam autem Confirmationis respondisse manuum impositioni apparet ex Actis Apostolorum, ex Tertulliano, Cypriano, Hieronymo et Augustino, ibidem citatis. 3° Quia ex rituali recentiori, quod in bibliothecâ collegii Foxensis Tolosani asservatur, apparet hanc formulam in quibusdam ecclesiis non respondisse unctioni, sed ipsâ posteriorem fuisse. 4° Quia in antiquis Pontificalibus, ubi de ritu administrandæ Confirmationis, ne verbum quidem legitur hujusce formæ, *signo te*, etc., ex dictis ibidem. Sed in Pontificalibus, ubi ritus Sacramentorum describuntur, nemo dicet omitti eorum formas essentiales. 5° Quia forma Confirmationi essentialis, ab apostolis adhibita, et primis Ecclesiæ seculis usurpata fuit. Atqui forma, *signo te*, etc., primis Ecclesiæ seculis incognita fuit, ex dictis ibidem, § 1. 6° Quia forma Confirmationi essentialis est invocatio Spiritûs sancti, ex Actibus Apostolorum, et ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo et Isidoro, citatis § 1. Forma verò *signo te*, etc., nihil habet, quod sancti Spiritûs invocationem sonet. 7° Quia utraque Latinorum et Græcorum forma Confirmationi essentialis, relationem, similitudinem, et identitatem quoad substantiam habet. Idem enim est Sacramentum in utrâque ecclesiâ : sed forma *signo te signo*, etc., nullam rationem et indentitatem habet cum formâ Græcorum, *signaculum donationis Spiritûs sancti* : illa enim absoluta est, ista deprecatoria ; illa, non ista, continet expressam invocationem Trinitatis ; illa, non ista, suscipientem Sacramentum exprimit; illa, non ista, Chrismationem designat; ista, non illa, sonat donationem Spiritûs sancti : tantaque inter utramque dissimilitudo est, ut ex iis theologis, qui priorem formam essentialem asserunt, nonnulli dubitaverint, utrùm forma Græcorum valeat : sicuti meritò quis in dubium revocaret Baptisma, quod hisce verbis conferretur : *ablutio regenerationis Spiritûs sancti:* contra, posito quòd forma Confirmationis deprecatoria sit, forma utriusque ecclesiæ eadem erit quoad substantiam, scilicet oratio, quâ invitatur et advocatur Spiritus sanctus. 8° Eadem est ratio utriusque formæ Confirmationis et Extremæ Unctionis. Sicut enim forma Extremæ Unctionis pro fundamento habet hæc verba Jacobi, c. 5 : *Orent super eum*, etc., *et oratio fi-*

dei salvabit infirmum : ita Confirmationis forma innititur his verbis, Act. 8: *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum*, etc.; quare sicut S. Thomas, S. Bonaventura, ex Jacobi verbis concludunt formam Extremæ Unctionis, ita deprecatoriam esse, ut absoluta et indicativa esse non possit : ita formam Confirmationis deprecatoriam esse ex verbis Actorum concludi debet. Verùm si quis in eâ sit opinione, quam Amicus, disp. 13 de Confirm., sect. 2, n. 27, et sect. 3, n. 79, probabilem existimat, et Estius, in 4, d. 7, § 7, amplectitur, materiam et formam hujus Sacramenti immutatam fuisse, quia Christus utramque genericè duntaxat instituit; quo fit ut manuum impositio et oratio illi correspondens, quæ primum essentiales erant, postea factæ fuerint accidentales : utrique verò veluti partes essentiales successerint unctio chrismatis et formula, *signo te*, etc., facilè respondebitur argumentis propositis.

Ad primum igitur respondeo formam Confirmationis olim fuisse quidem deprecatoriam, sed illam ex essentiali evasisse accidentalem, eique successisse vulgatam formam *signo te*, quemadmodùm deprecatoriis formulis utriusque Sacramenti Ordinis et Pœnitentiæ successerunt indicativæ, *ego te absolvo*, etc., *accipe potestatem* etc.

Ad secundum respondeo formulam Confirmationi essentialem respondisse manuum impositioni, quamdiù manûs impositio fuit essentialis; sed ex quo facta est accidentalis, formula ipsi correspondens eamdem sortem obtinuit.

Ad tertium respondeo inde sequi duntaxat hanc formulam initio accidentalem fuisse : eamque talem quibusdam in locis aliquandiù perseverâsse.

Ad quartum respondeo inde sequi tantùm formulam *signo te*, etc., olim non fuisse in usu; sed minimè impedit, quominùs essentialis hodiè sit : sicut hæc forma, *ego te absolvo*, etc., modò essentialis est, quamvis nulla ejus mentio fiat in antiquis ritualibus.

Idem responderi debet ad quintum argumentum : hæ si quidem formæ, *ego te absolvo*, etc., accipe potestatem, etc., etsi modò essentiales, antiquis tamen incognitæ fuerunt.

Ad sextum respondeo 1° Tertullianum et alios Patres, qui formam Confirmationis aiunt invocationem esse Spiritûs sancti, loqui de formulâ deprecatoriâ, quæ tunc essentialis erat, et cui successit indicativa, *signo te*, etc. 2° Nihil impedire, quominùs hæc formula, licèt indicativa, invocatio et largitio sit Spiritûs sancti. *Munus enim Confirmationis*, inquit Aurelius, in orthodoxo, c. 7, *est in tradendo Spiritum sanctum. Igitur episcopus dùm ait se confirmare hominem, ait se Spiritum sanctum ei largiri. Ac fortitudinem illam, quæ confirmandi verbo continetur, nemo aliam cogitat, nisi robur à Spiritu sancto, ejusque plenitudine immissum. Nam Confirmatione ideò nos fortes effici credimus*, quia Spiritum sanctum accipimus, ad roborandam Baptismi gratiam : quâ ex re ipsum Confirmationis nomen ductum est.

Ad septimum respondeo argumentum retorquere posse adversùs utramque formam, quam Latini et Græci in utroque ordinis et pœnitentiæ Sacramento adhibent; nec enim in eo Latini et Græci minùs quàm in Confirmatione differunt.

Ad octavum respondeo inde sequi duntaxat formam utriusque Sacramenti primitùs deprecatoriam fuisse : id verò discriminis esse, quòd forma deprecatoria extremæ unctionis in Ecclesiâ perseveraverit; Confirmationis verò desierit, eique successerit indicativa. Nihil verò repugnat, quominùs forma extremæ unctionis fiat indicativa. « Si quæras, inquit Estius in 4, « dist. 23, § 10, utrùm rata sit forma enuntiativo « modo prolata, putant quidem S. Thomas et S. Bona- « ventura non esse ratam; sed tamen non apparet « certa ratio quâ id doceatur, cùm nihil vetet ejus- « dem Sacramenti formam nunc enuntiativè, nunc « deprecativè vel optativè recitari. Sic enim variari « formam Baptismatis apud Græcos et Latinos certum « est. Quare probabiliter sentit Richardus ratam fore « ejusmodi formam : cui pro magno argumento acce- « dit, quod Ecclesiæ quædam, ipso etiam S. Thomâ « attestante, jam olim enuntiativa forma usæ fuerint, « dicentes : *Ungo oculos tuos oleo isto sancto*, etc., « quæ forma à plerisque Ambrosiana vocatur : quan- « quàm sunt qui pro cautelâ putent utramque formam « conjungendam esse, uti fit in nonnullis Ecclesiis... « Quod autem quædam ecclesiæ addunt, *in nomine « Patris et Filii et Spiritûs sancti*, rectè fit quidem, « non tamen est necessarium. »

Cæterùm hæc Estii opinio mirum in modum conciliat diversa Patrum et conciliorum testimonia. « Cùm « enim materia et forma hujus Sacramenti, non fuerit « à Christo determinata quoad speciem, sed tantùm « quoad genus sub ratione signi sensibilis, expressivi « Spiritûs sancti roboris, quod per hoc Sacramentum « datur; juxta hanc sententiam, potuit Ecclesia, in « cujus potestate erat, hoc signum quoad speciem de- « terminare pro uno tempore uti solâ manuum impo- « sitione; pro alio cum manûs impositione, chrisma- « tis etiam inunctione; pro alio verò solâ chrismatis « unctione, uti utitur nunc, secundùm quem modum « optimè consonant omnia, quæ Patres et concilia de « hoc Sacramento docent, cujus diversas pro diversis « temporibus assignant materias. » Ita Amicus, disp. 13, sect. 2, n. 27. Idem dici debet de formâ, quæ diversa est in utrâque Ecclesiâ, et apud Latinos ex deprecatoriâ facta est absoluta.

SECTIO II.

De controversiis circa formam Græcorum.

Quatuor aut quinque opiniones sunt de formâ confirmationis Græcorum, quarum prima illam constituit in verbis quibus chrisma consecratur : secunda in oratione, quæ unctionem immediatè præcedit : tertia in utriusque orationibus : quarta in formulâ unctionem concomitante, *signaculum donationis Spiritûs sancti* : quinta in aliis verbis, de quibus infra.

§ 1. *Exponitur et expenditur prima opinio.*

Prima igitur opinio est formam Confirmationi es-

sentialem, in his verbis sitam esse, quibus chrisma consecratur : sicut Eucharistiæ forma, in his verbis sita est, quibus Eucharistia conficitur, quo fit ut Confirmatio sit Sacramentum permanens, cujus confectio pertinet ad episcopum, administratio verò presbytero committi potest, sicut Eucharistia est Sacramentum permanens, cujus confectio ad presbyterum pertinet, sed administratio potest diacono committi. Ita sentit Gabriel Philadelphiensis archiepiscopus, si fidem habeamus Arcudio, lib. 2 de Confirmat., c. 6 : *Gabriel*, inquit, *Philadelphiæ in suo tractatu de Sacramentis quærens quænam sit forma Sacramenti Confirmationis, docet esse verba, quæ dicuntur à pontifice super unguentum, quando illud consecrat :* Τὸ εἶδος τοῦ μύρου ἐστιν ἡ τῶν ῥημάτων δύναμις τοῦ ἀρχιερέως ἐπὶ αὐτὸ λεγομένη, καὶ εἰδοποιοῦσα αὐτό. *Forma unguenti sunt verba pontificis, quæ dicuntur super unguentum et quæ vim habent illud informandi.* Verùm hæc versio non est accurata, sic enim Latinè reddi debet : *Forma unguenti est virtus verborum, quæ pontifex super ipsum protulit, et quæ vim habent ipsum informandi :* qui sensus à priori diversus est : nonnulli enim Græci putant verbis consecrationis unguento communicari virtutem sanctificandi, quæ quidem virtus est velut forma unguento inhærens, per quam unguentum vim habet sanctificandi, et baptizatos, qui eo inunguntur, reipsà sanctificat. Eamdem Nicolao Cabasilæ opinionem tribuit Arcudius. Verùm Cabasilas ad auctores tertiæ opinionis, de quâ infra, revocari debet.

Hæc opinio nititur auctoritate Dionysii, qui initio cap. 4 de Eccles. Hierarch., hanc unguenti consecrationem vocat *mysterium* seu *Sacramentum*, camque ait *coordinatam* esse consecrationi Eucharistiæ, id est, ejusdem ordinis esse. *Verùmtamen*, inquit, *est et alia huic coordinata consecratio, quam unguenti mysterium præceptores nostri appellant.* Ita vertit Corderius. Nititur etiam auctoritate Cyrilli Hierosolymitani, c. 13 mystag. « Sicut panis Eucharistiæ post invocationem « Spiritûs sancti non est amplius panis simplex, sed « corpus Christi : sic sanctum hoc unguentum post « invocationem non est ampliùs nudum unguentum « aut commune, sed chrisma Christi, quod præsentiâ « Spiritûs sancti, et ipsius divinitate redditur efficax « et operativum. » Uterque, ut apparet, similem in utrâque consecratione invocationem Spiritûs sancti admittit, et uterque unguenti consecrationem per Spiritum sanctum factam, cum Eucharistiæ consecratione per eumdem Spiritum factâ comparat.

Refellitur hæc sententia : 1° Quia Confirmatio est Sacramentum, quod non est permanens, sed in usu consistit. *Illud enim*, inquit, *concilium Tridentinum*, sess. 13, c. 3, *in Eucharistiâ, excellens et singulare reperitur, quòd reliqua sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur : at in Eucharistiâ ipse sanctitatis auctor ante usum est :* eò quòd hujusmodi mysterium simul sit sacrificium et Sacramentum. 2° Quia unguentum à pontifice consecratum tenet se ex parte materiæ : nulla igitur ibi forma. 3° Quia multæ et prolixæ sunt orationes, quibus unguentum consecratur, neque Philadelphiensis innuit, quas ipse necessarias existimat. Formulæ verò sacramentorum debent esse determinatæ. 4° Quia Patres et auctores totâ quæstione 1 laudati hoc sacramentum in manuum impositione, vel in unctione chrismatis, vel in utrâque constituunt, non autem in chrismatis consecratione, quæ hujus sacramenti administrationem præcedit. 5° Quia Græci presbyteri cùm agunt jussu pontificis, validè administrant confirmationem, ejusque sunt ministri legitimi, ex ipso Philadelphiensi, in tractatu de Sacramentis. Hæc autem doctrina non cohæret cum opinione ejusdem metropolitæ. Quemadmodùm enim ut aliquis validè baptizet; ita ut validè confirmet, debet formam essentialem proferre. Sed presbyteri formam essentialem nunquàm proferrent. Certum enim est apud Græcos chrisma nunquàm à presbyteris consecratum fuisse, sed à solis patriarchis, à quibus metropolitæ, et episcopi, et deinde presbyteri illud accipiunt.

Neque dicas presbyteros esse legitimos confirmationis ministros eo sensu, quòd illam fidelibus dispensent, non autem illam perficiant; quare necesse non est, ut formam aliquam proferant : sicut Diaconi eucharistiam dispensare possunt. Si quidem inde sequeretur valere sacramentum confirmationis etiam à laicis dispensatum, sicut valet Eucharistiæ administratio, à quocumque illa fiat. Sacramentum enim, quod jam factum est, valet à quocumque illud dispensetur. Sed hoc, nemo hucusque asserere ausus est. Igitur apud Græcos presbyteri, non solùm dispensant, sed etiam conficiunt Sacramentum Confirmationis.

Ad auctoritatem Dionysii respondeo illum nec unguenti consecrationem vocare *sacramentum*, nec asserere illam ejusdem ordinis ac speciei esse, sed affinem esse consecrationi Eucharistiæ. Sic enim habet Dionysius : Ἀλλ' ἔστι ταύτης ὁμοταγὴς ἕτερα τελεσιουργία, μύρου τελετὴν αὐτὴν, etc. *Verùmtamen est alia huic coordinata* (id est affinis, vel eodem modo ordinata) *consecratio, quam præceptores nostri unguenti perfectionem appellant :* sic etiam Dionysium interpretatur Pachymeres : *Verùmtamen est et alia huic affinis unguenti perfectio; nam et hoc quoque divinâ consecratione perficitur.* Observa, in quo hæc affinitatis ratio consistit; quia scilicet utrumque et Eucharistiæ Sacramentum et chrisma divinâ ordinatione consecratur; chrismatis enim consecrationem juris esse divini docent vulgò theologi.

Ad Cyrilli testimonium respondeo paritatem omnimodam ex Cyrilli verbis minimè instituendam esse nec enim unguentum, cùm consecratur transsubstantiatur in aliud, sicut panis vi consecrationis transmutatur in verum Christi corpus, concedente vel ipso Gabriele Philadelphiensi, qui transsubstantiationem agnoscit. Neque Cyrillus, sicut dixit panem consecratum esse corpus Christi; ita dixit, unguentum esse Spiritum sanctum, sed esse chrisma Christi. Paritas igitur in eo duntaxat consistit, quod sicut panis nudus et simplex vi consecrationis realiter fit corpus Chri-

sti; ita nudum et simplex unguentum, vi consecrationis fit mysticum et spiritale unguentum Christi, seu mysticè mutatur in chrisma Christi.

Neque dicas, ex Cyrillo unguentum vi consecrationis suscipere Spiritum sanctum, et ejus præsentiâ fieri efficax et operativum, adeòque inhærentem sibi formam habere, per quam Sacramentum constituitur. Cùm enim aqua baptismalis consecratur, invocatur Spiritus sanctus, ut in illam descendat, eam efficiat fœcundam, eique regenerandi virtutem conferat; nemo tamen dixerit aquam ita consecratam esse sacramentum, antequàm fiat ablutio. Præterea communis est theologorum opinio chrismatis consecrationem juris esse divini, et chrisma consecratum jure divino materiam esse Confirmationis. Atqui consecratio chrismati confert virtutem, saltem inadæquatam sanctificandi. Chrisma igitur cum inhærente sibi virtute sanctificandi, est materia Confirmationis. Denique Cyrillus loquitur de Consecratione, quæ oritur ex invocatione Spiritûs sancti. Atqui hæc invocatio fit cùm manus imponitur, et frons inungitur. Consecratio igitur, de quâ Cyrillus, non præcedit ipsam Confirmationis administrationem, sed in ipsâ fit administratione. Duplex enim est materiæ consecratio, altera quæ Sacramenti administrationem præcedit, altera quæ fit in ipsâ administratione; sic aqua baptismalis pluribus orationibus consecratur, antequàm fiat ablutio, et rursùs in ipsâ ablutione per formam Baptismi consecratur.

§ 2. *Exponitur et expenditur secunda opinio.*

Secunda opinio est, formam Confirmationis, in hâc oratione sitam esse, quæ frontis unctionem immediatè præcedit, quâ sacerdos Deum orat, *ut signaculum doni sancti et omnipotentis et adorandi sui Spiritûs* (baptizato) *largiatur*. Ita sentiunt quicumque Latini formam essentialem constituunt, non his quidem verbis, *Signo te signo crucis*, etc., sed in oratione, quæ manuum impositionem comitatur, videlicet apud Latinos, *signo te*, etc., et apud Græcos, *signaculum donationis Spiritûs sancti*. Consecratio consecrationi, oratio orationi, formula formulæ respondet.

In eam sententiam pedibus manibusque lubens irem, nisi plura mihi suaderent, et illam Græcorum orationem à Latinorum oratione omninò diversam esse: et illam ad Græcorum Confirmationem duntaxat præparatoriam esse. Quæ quidem ut faciliùs capiantur, orationem illam, aliasque cæremonias ex hodierno Græcorum euchologio referamus necesse est. « Postquàm recens baptizatus indutus fuerit, adjicit sacerdos orationem hanc: *Benedictus es Domine Deus, qui et hunc recens illuminatum servum tuum, per aquam regenerare voluisti: ipse, Domine, rex omnium benigne, signaculum doni sancti et omnipotentis et adorandi tui Spiritûs, et sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi tui communionem, ei largire. In sanctitate tuâ custodi illum, in verâ fide confirma, à maligno et omnibus ejus astutiis illum erue, et salutari tuo timore in puritate et justitiâ animam illius custodi, ut in omni verbo et opere tibi placitus filius et hæres evadat regni cœlorum* (quæ sequuntur exclamando), « *quia tu es Deus noster, Deus miserendi et salvandi, tibi gloriam rependimus, Patri, et Filio, et sancto Spiritui; nunc et semper et in secula seculorum, amen.* Et oratione hâc terminatâ, baptizatum sancto unguento ungit, crucis signum faciens in fronte, et in oculis, et in manibus, et in utrâque aure, et in pedibus dicens: *Signaculum doni Spiritûs sancti, amen.* Deinde cum susceptore et puero in circuli modum procedit sacerdos. Nos verò canimus: « *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, alleluia;* terque dicitur. »

Ex his certò colligi posse mihi videtur:

1° Illam Græcorum orationem ab eâ omninò diversam esse, quam Latini olim adhibebant, et etiam nunc adhibent, dùm pontifex baptizatis manum imponit; antequàm illos ungat, quæque in Sacramentario Gregorii, in ordine Romano, in libro de Divinis Officiis, apud Amalarium, et in pontificali Romano legitur. Latinorum enim non autem Græcorum oratio profertur cum manuum impositione unctioni prævià. Latinorum, non autem Græcorum oratio invocat septiformem Spiritum super neophytum. Græcorum oratio Deum deprecatur, ut neophytis, et unctionem sanctam et sacram Eucharistiæ participationem largiri dignetur; Latinorum oratio communionis Eucharistiæ non meminit.

2° Orationem illam accidentalem et præparatoriam esse duntaxat, non autem essentialem Confirmationi. 1° Quia sacerdos hanc orationem recitaturus, plebem invitat ut secum deprecetur: *Dominum precemur.* Plebs autem non incitabatur ad formulam Confirmationis proferendam. Hoc tamen argumentum parùm efficax esse agnosco; pontifex enim absolutionem pœnitentibus concessurus, fideles invitabat, ut secum orarent. 2° Quia sacerdos hanc orationem, et cantando et exclamando recitabat; quod recitationis genus, vulgatas orationes in Ecclesiâ recitari solitas, non autem formas sacramentales redolet. 3° Quia sacerdos Deum per hanc orationem invocat, ut neophyto largiatur *signaculum doni Spiritûs sancti*, id est, chrismatis unctionem, quæ significat donum Spiritûs sancti, et in eodem euchologio *signaculum doni Spiritûs sancti* appellatur. Atqui sacerdos per formulam essentialem deprecatur Deum, non ut materiam vel Sacramentum administret, sed ut effectum Sacramenti conferat. 4° Quia sacerdos Deum per hanc orationem eodem modo invocat, ut neophyto largiatur et signaculum doni Spiritûs sancti, et corporis ac sanguinis Christi communionem. Hæc igitur oratio eodem modo se habet ad confirmationem, quo ad Eucharistiæ communionem. Atqui merè accidentalis et præparatoria est ad participationem Eucharistiæ: igitur et ad Confirmationis unctionem. 5° Quia materia et forma moraliter saltem præsentes esse debent. Licèt autem in hodierno euchologio præfatam orationem unctio proximè sequatur; inter utramque tamen olim extitisse prolixam satis intercapedinem apparet, ex antiquo euchologio patriarchali, quod cardinalis Bessarion, Cryptæ ferratæ factus abbas, eidem monasterio post obitum legavit asservandum: Sacerdos

« cum populo illud idem (nempe psalmum : *Beati* « *quorum remissæ sunt iniquitates*) dicit ter : et sic di- « citur : *Benedictus es, Domine Deus*, etc., ut supra, « et oratione hâc finitâ, ornatu baptismatis exuitur « patriarcha, et assumit eum, qui missis inservit. Tum « vadit ad sanctum Petrum : at cantore dicente : *Quot-* « *quot in Christo baptizati estis*, etc., unguento sancto « baptizatos ungit, faciens signum crucis in fronte, « oculis, naribus, ore, et duabus manibus, dicens : « *Signaculum doni Spiritûs sancti.* » Idipsum legere est in secundo seu recentiori euchologio Barberino : « Diaconus cantat : *Dominum precemur*. Sacerdos ora- « tionem, *Benedictus es Domine Deus*, etc., ut supra : « et responso *amen*, digreditur patriarcha, vel ponti- « fex ad vestiarium, et cantore dicente : *Quotquot in* « *Christo baptizati estis, Christum induistis* : baptizatos « unguento sacro sacerdos ungit, faciens signum cru- « cis, primò in fronte, dicens : *Signaculum doni Spi-* « *ritûs sancti.* » Fragmenta utriusque euchologii reperies apud Goarium in hodierno euchologio, pag. 357, 358, 361 et 362. Post hanc orationem finitam patriarcha digreditur ad vestiarium, ubi quas, ut baptismum conferret, induerat vestes, exuit. Tum postea missales induit, ut missam faciat. Tum è vestiario egressus vadit ad sanctum Petrum, ubi, choro canente, baptizatis frontem inungit, dicens : *Signaculum doni Spiritûs sancti*. Attende quantùm intercedat et temporis et loci spatium inter illam orationem et unctionem frontis. Quis, quæso, sibi persuaserit, duas actiones et tempore et loco dissitas atque intermissas, esse unam eamdem moraliter? 6° Si hanc orationem seculo XII, quo euchologium Bessarionis à Joanne Morino, lib. 9 de Pœnitentiâ, c. 9, n. 16, antiquius putatur, orientalis ecclesia essentialem habuit, eam certè convenientiori tempore et loco recitâsset pontifex, postquàm è vestiario egressus, pervenit ad locum, ubi fieri debebat unctio. 7° Post hanc orationem finitam, pontifex loco recedit, vestiarium ingreditur, exuit vestes baptismatis, postea novas induit, ut unctionem confirmatoriam baptizatis conferat : hæc vestimentorum mutatio diversitatem et intermissionem actionum et officiorum certè designat. 8° Pontifex, cùm Baptismi vestes adhuc indutus est, præfatam orationem recitat : ut verò confirmatoriam unctionem conferat, eamque conferendo dicat : *Signaculum doni Spiritûs sancti*, novas et solemniores vestes, nempe missales induat oportet. Priorem igitur non credebat essentialem ; alioquin majorem apparatum et solemnitatem adhibuisset, ut materiam applicaret, quam ut formam proferret. 9° Pontifex vestes Baptismatis indutus, postquàm baptizavit et Deum deprecatus est, ut *signaculum doni Spiritûs sancti*, id est, unctionem confirmatoriam, et corporis ac sanguinis Christi communionem baptizatis largiri dignetur, vestes baptismatis exuit et novas induit, ut sese disponat ad illam unctionem, illamque communionem eis conferendam. Apparet igitur hanc orationem fuisse duntaxat præparatoriam.

Priusquàm huic paragrapho finem imponam, tria velim observes. Primum est, hanc orationem : *Benedictus es, Domine*, etc., quæ confirmatoriam neophytorum unctionem præcedit, antiquissimam esse. Reperitur enim in euchologio Crypto-Ferratensi Bessarionis, quod seculo XII antiquius est, et in antiquissimo euchologio Barberino, quod à Leone Allatio plura secula, à Joanne Morino seculum X, et à quibusdam seculum VIII antiquitate superare creditur, ex Goario in Proœmio ad euchologium hodiernum. Secundum est, antiquis seculis hanc orationem immediatè unctionem præcessisse, postremisque immediatè præcedere : mediis tamen seculis spatium aliquod et loci et temporis inter utramque intercessisse. Euchologia enim Crypto-Ferratense Bessarionis, et recentius Barberinum hanc orationem et tempore et loco ab unctione dividunt ; è contrario antiquissimum Barberinum sancti Marci, et hodiernum conjungunt. Tertium est, pontificem iisdem vestibus indutum, antiquis et postremis Ecclesiæ seculis hanc orationem proferre, et unctionem conferre. Utrùmque enim præstabat, hodièque præstat vestibus Baptismatis indutus, ex euchologio Barberino sancti Marci, et hodierno : nec enim ad vestiarum, nisi post absolutam unctionem procedebat. Mediis verò seculis vestes Baptismatis indutus proferebat hanc orationem, unctionem verò conferebat vestimentis missalibus indutus, ex euchologio Crypto-Ferratensi et recentiori Barberino.

§ 3. *Exponitur et expenditur tertia opinio.*

Tertia opinio est, formulam verborum sitam esse partim in illis verbis, quibus chrisma consecratur, partim in oratione, quæ indutum vestis albæ sequitur, et unctionem præcedit. Ita ex Latinis Joannes Morinus, lib. 8 de Pœnit., c. 16, n. 10 : è Græcis verò Nicolaus Cabasilas in Expositione liturgiæ, c. 29, Hieremias, patriarcha Constantinopolitanus, in 2 responso ad Tubingenses, cap. 4 (qui tamen in censurâ suâ orientalis Ecclesiæ, cap. 3, nullam aliam formam Confirmationis assignaverunt, quam hæc verba : *Signaculum donationis Spiritûs sancti*). Simeon Thessalonicensis et alii qui vim hujus sacramenti tribuunt et orationibus quibus unguentum consecratur, et orationi, quæ unctionem præcedit.

Chrismati per consecrationem tribui virtutem aliquam sanctificandi, non abnuo ; sed verba, quibus fit hæc consecratio, aut inhærentem chrismati virtutem sanctificandi, quæ per hanc consecrationem ei tributa est, formulam Confirmationis essentialem esse nego ; quâ de re § 1 præcedenti. Orationem enim, quæ frontis unctionem præcedit, neophytos præparare ad Confirmationem proximè futuram, concedo ; sed illam Confirmationi accidentalem esse, mox probavi § priori.

§ 4. *Exponitur et expenditur quarta opinio.*

Quarta opinio est, formam in his verbis sitam esse, quæ inter ungendum proferuntur : *Signaculum donationis Spiritûs sancti*. Ita ex Græcis cardinalis Bessarion in tract. de Sacramento Eucharistiæ, et Arcudius in tractatu de Confirm., c. 7 : è Latinis verò Jacobus Goarius in notis ad euchologium, pag. 368, Amicus,

Hiquæus, aliique communiter theologi. Præcipuum hujus opinionis fundamentum est antiquitas hujusce formulæ : « Quæ si vera Confirmationis forma non « est, inquit Goarius, nulla jam in oriente superest « Confirmatio, nullum illius fundamentum, nulla de « illâ fides : privabuntur apud eos, quotquot sunt « orthodoxi, sancti Spiritûs, ut fidem profiteantur, « dono : imò nec illo communiter unquàm usos fuisse « sanctos Patres necesse est asserere ; cùm schisma, « quo moderni laborant, abolitæ Sacramenti alicujus « formæ, aut violati contemptive reos nunquàm fe- « cerit. »

Quod autem forma hæc antiquissima sit, eaque semper in oriente velut essentialis usurpata fuerit, Arcudius et Goarius probant adductis pluribus testimoniis. Arcudii argumenta referam.

1° Quia Græcorum euchologia, quorum tamen Sacramenta concilium Florentinum rata habuit, nullam aliam formam exhibent. Verùm auctores trium præcedentium opinionum respondebunt, in iisdem euchologiis etiam exhiberi et orationes, quibus unguentum consecratur, et orationem, quæ frontis unctionem præcedit.

2° Quia *verissimum est, quod viri docti observârunt, concilia generalia, nunquàm de sacramentalibus agere, sed de rebus, quæ propriissimè ad essentiam sacramentorum spectent.* Atqui concilium secundum œcumenicum hanc formulam præscribit, can. 7, ubi modum refert, quo hæretici extra Ecclesiam baptizati per confirmatoriam unctionem in eamdem Ecclesiam recipi debent. Verùm iidem auctores cum Estio in 4, d. 7, § 10, respondebunt, *non admodùm probabile esse, synodum primam Constantinopolitanam propalâsse formam hujus Sacramenti, cum veteres, sedulò ac sollicitè caverint ne hujusmodi mysteria vulgarentur.*

3° Quia *in instructione Clementis VIII ubi de hoc Sacramento agitur, habetur, dandum esse sub conditione, præsertim quando probabiliter dubitari potest, an episcopus Græcus illud contulerit. Quibus verbis significatur illâ instructione, si certò constaret episcopum Græcum administrâsse Confirmationem, tunc nullo modo esse iterandam. Ergo valida censebatur. Sed episcopi Græcorum nullâ aliâ nisi prædictâ formâ utuntur. Validam ergo esse hujusmodi formam existimare necesse est.* Verùm iidem auctores respondere possunt episcopos inter confirmandum uti et orationibus quibus chrisma consecratur, et oratione, quæ unctionem præcedit.

Confirmat hoc argumentum Arcudius hâc parte. « Nam qui eam instructionem composuerunt (quam « tamen confirmavit Clemens) cùm vellent in qui- « busdam partibus Italiæ, ubi episcopi catholici La- « tini resident, prohibere presbyteros Græcorum ne « ampliùs Sacramentum Confirmationis administrent, « prohibuerunt etiam ne ista verba formæ Confirma- « tionis proferant, sed ante illa finiant Baptismum. « At si illa verba non essent vera forma Confirmationis, « sed quamdam aliam cæremoniam indicarent, eam « certè prohibere non eis curæ fuisset. Nam Bapti- « smum habere varias cæremonias in ecclesiâ Latinâ « et Græcâ omnibus profectò constat : quæ cæremo- « niæ nullâ ratione negligi debent. » Verùm iidem auctores respondere possent : 1° In eâdem instructione præcipi, ut Baptismus finiatur, antequàm proferatur oratio, quæ unctionem præcedit : quamobrem eodem argumento posse probari hanc orationem essentialem esse ; 2° ibidem prohiberi, non solùm formulam *signaculum*, etc., sed et unctionem. Prohibetur igitur hæc formula, non quòd illa essentialis sit, sed quia unctionem comitatur ; nec enim unctio prohiberi potuit, quin formula ipsam concomitans simul prohibita fuerit.

4° Quia hæc forma complectitur, quæcumque sanctus Thomas requirit. « Nam B. Thomas, 3 part., « quæst. 72, art. 4, ut sit vera forma Confirmationis « tria necessariò requirit : primum causam conferen- « tem plenitudinem roboris spiritualis, quæ est san- « ctissima Trinitas, et exprimitur cùm dicitur : *In no- « mine Patris*, etc.; secundum ipsum robur spirituale, « quod homini confertur per Sacramentum, quod qui- « dem tangitur, cùm dicitur : *Confirmo te chrismate « salutis*. Tertium est signum quod pugnatori datur, « sicut et in pugnâ corporali milites insigniis ducum « insigniuntur : et quantùm ad hoc dicitur : *Consigno « te signo crucis :* sed hæ conditiones ad unguem re- « periuntur et ad vivum exprimuntur in formâ Græ- « corum. Ergo nihil deest formæ Sacramenti. Signi- « ficatur et exprimitur character cum dicitur σφραγὶς, « *signaculum*. Nec siletur gratia, quæ confertur, in illo « verbo, δωρεᾶς, *doni*. Nec desideratur in eâ formâ pri- « marius auctor, cùm additur πνεύματος ἁγίου, *Spiritûs « sancti*, cui singulariter attribuitur hæc sanctificatio, « et in quo cæteræ quoque divinæ personæ propter « unitatem substantiæ comprehenduntur. » Verùm in hâc Græcorum formulâ, nec signum crucis, nec explicitam Trinitatis significationem, quæ tamen duo S. Thomas requirit, explicari luce meridianâ clarius est.

5° Quia *hæc forma nulli alteri, præterquàm Sacramento Confirmationis, potest accommodari. Qui autem eam negant esse veram formam, quæso periculum faciant, utrùm valeant ad aliquod sacramentale, ac non potius ad verum mysterium Confirmationis applicare. Hinc enim palam fiet, an ea sit vera et germana forma.* Verùm eodem argumento probaretur, formulam *signum Christi in vitam æternam*, vel etiam *signo te*, seculis 8, 9 et 10 essentialem fuisse, quia illis temporibus adhibebatur frontis unctioni, quæ ad Confirmationis essentiam pertinet. Inde patet, quid responderi possit argumento sequenti. Forma illis seculis duplex erat materiæ Confirmationis correspondens, altera essentialis, altera accidentalis.

6° Hæc forma Sacramento essentialis est, quæ materiæ ejusdem Sacramenti correspondet ; quemadmodùm apparet exemplis formulæ Baptismi, Eucharistiæ, et Pœnitentiæ : atqui præfata formula respondet unctioni chrismatis.

7° Quia *quotquot Græci de hoc Sacramento verba fa-*

ciunt, ad hanc verborum formam respondent. Hieremias patriarcha in censurâ orientalis Ecclesiæ, c. 3, ubi de Sacramento Confirmationis, nullam aliam formam exhibet. Stanislaus Socolovius Stephani Poloniæ regis theologus in Annotationibus ad illam censuram, concedit hanc ipsam essentialem esse. Eamdem velut essentialem *chrismatis sacramento* refert cardinalis Bessarion in tractatu *de Sacramento Eucharistiæ.* Ejusdem in descriptione rituum Confirmationis meminerunt euchologium recentius Barberinum, euchologium Crypto-Ferratense Bessarionis, et antiquissimum Barberinum S. Marci. Mentionem etiam fecerunt Simeon Thessalonicensis in tractatu de Sacramentis : episcopus sic fatur : « *Signaculum donatio-* « *nis Spiritûs sancti, amen.* » Amphilochius quoque, seu quisquis auctor fuerit vitæ Basilii. Et concilium I Constantinopolitanum, can. 7 : *Eos signantes dicimus :* « *Signaculum donationis Spiritûs sancti.* » Ad eam alluserunt B. Asterius Amaseæ episcopus, qui vivebat anno 400, in sermone de Prodigo, quem suæ bibliothecæ Photius insuerit : *Datur prodigo post stolam, et annulus, nempe symbolum intelligibilis signaculi Spiritûs sancti. Sicut enim in regeneratione per Baptismum et stola et signaculum donationis Spiritûs sancti : ita etiam in regeneratione per Pœnitentiam.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystag. 18, circa finem, de Confirmatione, ita loquitur : *Quomodò signaculum vobis datum est per communicationem Spiritûs sancti.* S. Dionysius, lib. de eccles. Hierar., c. 2 : *Pontifex unguento divinitùs sacrato virum obsignat.* Et cap. 4 : *Divini Spiritûs adventum largitur unguenti inunctio vim habens perficiendi.* Paulus deniqne, 2 Corinth., c. 1 : *Qui autem confirmat nos vobiscum*, etc., *qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.*

Verùm ad hanc ultimam rationem responderi posset, 1° Hieremiam, in 2 responso, quod censura posteriùs est, stare pro tertiâ opinione. 2° Socolovium Polonum fuisse, non Græcum. 3° Bessarioni opponi posse Græcos aliud sentientes. 4° Tria hæc euchologia ita meminisse formulæ *Signaculum donationis*, etc., ut et aliarum orationum meminerint, in quibus alii formam essentialem constituunt. 5° Simeonem Thessalonicensem stare pro tertiâ opinione. 6° Auctorem vitæ Basilii, quæ Amphilochii nomine circumfertur, hanc quidem referre formulam, sed non asserere illam essentialem esse. 7° Non esse verisimile in concilio II œcùmenico formam essentialem descriptam fuisse, cùm veteres sollicitè caverint, ne hujusmodi mysteria vulgarentur quatuor aut quinque primis Ecclesiæ seculis, ex Dionysio, et Innocentio I. 8° Asterium fortè ad hanc quidem formulam allusisse, ex eo tamen non leve argumentum inferri, quo probatur hanc formulam accidentalem fuisse; quâ de re infra. 9° Posse absolutè negari Cyrillum, Dionysium et Paulum ad hanc formulam allusisse, cùm hæc non esset in usu, tempore quo apostolicæ Constitutiones editæ sunt : in illis enim formula omninò dissimilis refertur.

Estius igitur, in 4, d. 7, § 10, Catum Syritus Italo-Græcus, in elenchis adversùs Arcudium, Joannes Morinus, lib. 8 de Pœnit., c. 16, n. 10, 11 et 12, Sambovius in scriptis, aliique, pauci licèt, Græci et Latini, sentiunt præfatam formulam Confirmationi accidentalem esse : 1° Quia de formâ Græcorum, *signaculum donationis Spiritûs sancti*, idem sentiendum est, quod de formâ Latinorum, *signum Christi in vitam æternam.* Utraque enim frontis unctioni correspondebat. Istam verò accidentalem fuisse nemini dubium est. Recole, quæ supra dicta sunt, sect. 1, § 2. 2° Quia hæc forma Sacramento cuipiam essentialis, ei propria est. Atqui ex B. Asterio mox citato hæc formula Baptismo et Pœnitentiæ convenit; *Sicut enim in regeneratione per Baptismum datur signaculum donationis* seu doni *Spiritûs sancti, ita etiam in regeneratione per Pœnitentiam.* Arcudius, cap. 7, respondet, ab Asterio dici quòd in regeneratione per Baptismum datur signaculum doni Spiritûs sancti, quòd hæc Sacramenta, Baptismus nimirùm et Confirmatio, multoties simul fidelibus traduntur. Verùm, quid ille respondet ad Pœnitentiæ Sacramentum? 4° Quia antiqui Patres formulas Sacramentis essentiales primis Ecclesiæ seculis non vulgabant : eaque consuetudo ita recepta erat, ut Innocentius I in epistolâ primâ ad Decentium, c. 3 et 8, religioni haberet Confirmationis et Extremæ Unctionis formas scriptis mandare. Verisimile igitur non est formulam, quam Patres Constantinopolitani, can. 7, referunt, Confirmationi essentialem fuisse. 4° Quia hæc formula non videtur in usu fuisse primis tribus Ecclesiæ seculis. Id certum Joanni Morino videtur ex Constitutionibus apostolicis, quas ille in libro de Ordinationibus censet disciplinam esse ecclesiasticam, quâ orientalis ecclesia ante Constantinum I sub ethnicis imperatoribus regebatur. In earum enim libro 7, c. 45, forma refertur omninò diversa, quam descripsimus, sect. 1, § 1. Verùm et istis argumentis respondere difficile non esset.

Ad primum enim responderi posset, 1° latum esse discrimen inter illas duas formas; prior enim, quæ Græcorum est, frontis unctioni correspondet; posterior verò, quæ Latinorum est, respondet non unctioni, sed cruci, in cujus modum, hæc unctio fiebat. Prior significat largitionem Spiritûs sancti, qui effectus Confirmationis proprius est; posterior significat crucem fronti impressam. Prior, ex quo in ecclesiam Græcorum invecta est, quod seculo IV contigisse existimaverim, in Confirmatione inter ungendum semper adhibita fuit; posterior seriùs introducta, et paucis seculis, et paucis ecclesiis usurpata fuit, ex dictis sect. 1, § 1. 2° Græcorum forma, *signaculum donationis*, etc., conferri non debet cum hâc Latinorum formâ, *signum Christi in vitam æternam :* sed cum istâ *signo te signo crucis, confirmo te chrismate*, etc. Nihil verò repugnat affirmare de priori Græcorum formâ, quod de posteriori asseruimus, sect. 1, § 3, illam videlicet ex accidentali essentialem factam fuisse.

Ad secundum respondeo hanc formulam Confirmationi propriam esse eo modo quo donatio Spiritûs sancti Confirmationi propria dicitur. Licet enim et in Baptismo, et in Pœnitentiâ donetur Spiritus sanctus,

non eo tamen modo quo in Confirmatione. In Baptismo enim datur Spiritus sanctus ad nativitatem spiritalem; in Pœnitentiâ ad resurrectionem spiritalem et remissionem peccatorum actualium; in Confirmatione ad robur.

Ad tertium respondeo. Si hæc consuetudo, quatuor et quinque primis Ecclesiæ seculis ubique recepta erat, ut formæ Sacramentorum non vulgarentur; cur igitur Justinus, in apologiâ 2, formam Baptismi propalavit? cur utramque Eucharistiæ formam, ibidem, vulgavit? cur auctor Constitutionum apostolicarum Confirmationis formam, apud orientales, ætate suâ usitatam descripsit, lib. 7, c. 45? cur Baptismi formam recensuit Augustinus, lib. 3 de Baptismo, c. 15? cur Severus patriarcha utramque Baptismi et Confirmationis formam retulit? num Patribus Constantinopolitanis interdictum erat, quod licuit Justino et aliis? Primis illis Ecclesiæ seculis certè libri erant, quibus pastores et sacerdotes in administrandis Sacramentis utebantur. Si verò in ritualibus libris describere licuit ritus et formas Sacramentorum, cur synodo œcumenicæ non licuit præscribere modum Confirmationis hæreticis administrandæ?

Ad quartum respondeo, 1° illas Constitutiones sæpè sæpiùs immutatas et interpolatas fuisse. 2° Inde sequitur duntaxat præfatam formulam seculo IV invectam in locum prioris subsistentis, auctoritate concilii œcumenici II in oriente ubique receptam, et ex accidentali essentialem factam fuisse, eo ferè modo, quo de Latinorum formulâ *signo te signo*, etc., disseruimus supra, sect. 1, § 3.

§ 5. *Exponitur et expenditur quinta opinio.*

Quinta opinio est anonymi cujusdam auctoris, qui, sub ementito Catum-Syriti Italo-Græci nomine, in elenchis adversùs Arcudium scripsit formam Confirmationis sitam esse in his verbis, *ungitur servus Dei oleo exultationis, in nomine Patris*, etc., quæ se ait excerpsisse ex antiquo manuscripto; vel in istis: *Chrismate sancto, suavitate odoris Christi Dei, sigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritûs, obsignatur talis N. in nomine Patris, amen; et Filii, amen; et Spiritûs sancti, ad vitam seculi seculorum, amen.* Quæ descripta sunt ex rituali Baptismatis, quod Severus patriarcha Alexandrinus, Syriaco idiomate conscripsit, et extat tomo 6 bibliothecæ Patrum.

Verùm ex his duabus formulis, prior est, quam pronuntiat sacerdos oleo catechumenorum baptizandum perungens; euchologium verò, in quo Catum-Syritus ait illam Confirmationi tribui, perinde ac ejusdem auctoris nomen fictitium est. Severus autem ille patriarcha Alexandrinus, quem Catum-Syritus, sive dominum, sive sanctum appellat, neque sanctus est, sed auctor (quisquis ille fuerit) Eutychianæ hæreseos labe infectus; neque patriarcha Alexandrinus, nullus enim fuit istius nominis Alexandrinus patriarcha: neque ille hoc rituale composuit ad usum diœceseos Alexandrinæ, quid enim Alexandrinis est et Ægyptiis cum linguâ Syrâ? Græcè et Ægyptiacè, sive Copticè cum iis erat agendum; sed fortè Severus est patriarcha Antiochenus, qui, ex ethnico mago monachus Eutychianus, in sedem Antiochenam intrusus est anno 513, et ab eâdem expulsus est anno 519. Testatur enim Morinus, lib. 8 de Pœnit., c. 19, n. 9, se reperisse antiquum manuscriptum Syriacum, cui præfixus erat hic titulus: *In virtute sanctæ Trinitatis incipimus scribere ordinem Baptismi diligenter correctum secundùm correctionem domini Severi patriarchæ Antiocheni.* Ut-ut sit, nullus est Græcorum auctor, vel ritualis liber, qui hujusce formæ mentionem fecerit. Adde vulgatam Græcorum formulam, *signaculum doni*, etc., ab ipsis usurpatam fuisse, centum ac triginta et eo ampliùs annis, antequàm Severus ritus suos in ordinem referre potuerit.

§ 6. *Quæ præfatarum opinionum probabilissima sit.*

Præfatarum opinionum ea probabilissima mihi videtur, quæ formam in his verbis constituit, *signaculum donationis Spiritûs sancti*: cùm enim Christus formas tantùm Sacramentorum in genere instituerit, determinationem verò verborum Ecclesiæ et sacris conciliis permiserit, sufficit, ut forma à Græcis usurpari solita, ad effectum Sacramenti designandum apta sit, et in conciliis approbata, et Romani pontificis auctoritate firmata. Atqui præfata Græcorum formula est hujusmodi. Effectum enim Confirmationis, videlicet characterem et gratiam sanctificantem indicant hæc verba, *signaculum doni*. Causa enim gratiæ Confirmationis exprimitur, cùm exprimitur persona *Spiritûs sancti*, cui tribuitur specialiter hominum sanctificatio. Illa quoque forma traditur in concilio II œcumenico, et in Trullano. Summi etiam pontifices Innocentius III, Innocentius IV et Gregorius X in concilio Lugdunensi, et Eugenius IV in concilio Florentino, formam illam Græcorum minimè reprehenderunt. Primis igitur Ecclesiæ seculis variæ fuerunt formulæ apud Græcos, ex libro Constit. apostol., c. 45, postea in ecclesiam orientalem invecta est, et à Græcis admissa fuit ista, *signaculum doni*, etc., approbata et præcepta fuit in concilio II œcumenico, can. 7, adeòque ex accidentali facta est essentialis. Fuêre tunc duæ formæ essentiales, antiquior, quæ correspondebat manuum impositioni, quæ varia erat in variis ecclesiis et in oratione consistebat: et recentior, quæ unctionem concomitabatur. Desinente verò manuum impositione apud Græcos, desiit et antiquior formula essentialis esse, et sola recentior essentialis permansit.

Hæc autem forma dicitur *signaculum*, non quòd obsignet promissionem gratiæ, seu verbum Dei, uti nugantur hæretici, sed multis de causis. 1° Quia neophytus ovili Christi per Baptismum adunatur, *Pecus autem signata non facilè insidiosè appetitur, quæ autem minimè signata est, à furibus facilè capi potest*; ex Gregorio Nazianzeno, oratione in sanctum lavacrum. *Ovi non signatæ nullo periculo insidiæ parantur*; ex Basilio magno, in adhortatione ad Baptismum. 2° Quia divitiæ cœlestes per Baptismum in neophyti animâ reconduntur: *Thesaurus autem non signatus facilè diripitur à furibus.* 3° Quia neophyti fiunt reges per Ba-

ptismum, regium igitur signaculum accipere debent. *Signaculum*, inquit Theodoretus, in cap. 1 Canticorum, *quoddam regium spiritualis unguenti chrisma percipiunt.* 4° Quia Christi milites, regio Christi signaculo distingui debent. 5° Quia characterem imprimit. 6° Quia largitur Spiritum sanctum, qui Dei signaculum est, quo velut annulo Deus fideles sigillat : *signati estis Spiritu promissionis*, ad Ephes. 1. 7° Quia hoc Sacramentum obsignat arcana multa, quæ infidelibus aperiri non possunt. Quod enim Gregorius Nazianzenus dixit de Baptismo : *Habes mysterii pervulgata, quibus vulgi aures patent, cætera intùs addisces, Trinitate id largiente, quæ etiam apud te ipsum occulta habebis signaculo retenta.* Idem dici potest de Confirmatione.

Pars secunda.

DE CAUSIS CONFIRMATIONIS.

Causa Confirmationis quadruplex est, efficiens, exemplaris, finalis et subjectiva. Causa efficiens Confirmationis, altera ejus institutionem, altera ejus administrationem respicit. Causæ exemplaris nomine, ubi de Sacramentis agitur, figuras intelligo veteris Testamenti. Causa finalis desumitur ex effectu. Causa subjectiva est persona quæ confirmatur.

QUÆSTIO PRIMA.

DE INSTITUTIONE HUJUS SACRAMENTI.

Quæritur utrùm Confirmationis Sacramentum à Christo institutum fuerit, quomodò, et quando.

ARTICULUS PRIMUS.

DE VARIIS THEOLOGORUM PLACITIS CIRCA INSTITUTIONEM HUJUS SACRAMENTI.

Varia theologorum placita circa institutionem Confirmationis ad quinque opiniones revocari possunt, quarum prima docet hoc Sacramentum ratione materiæ et formæ à Christo immediatè institutum, et specificè ac in individuo determinatum fuisse. Ita S. Thomas, et Thomistæ, Scotus, et Scotistæ, Durandus et alii. Sed vulgatam formam : *Signo te signo crucis*, etc., recentiorem esse probavimus supra.

Secunda est hoc Sacramentum à Christo immediatè institutum fuisse et ratione formæ : *Signo te*, etc., et ratione materiæ, chrismatis videlicet ex oleo et balsamo permixtis : *Sed hujus consecrationem et benedictionem Ecclesiæ commisisse* (pertinet enim ad Ecclesiam) *ordinare de materiâ Sacramenti, puta de oleo vel chrismate, quod benedicatur, vel non benedicatur, vel quòd benedicatur tali benedictione vel aliâ : et quòd hujusmodi ordinatio sit de necessitate sacramenti, et non solùm de solemnitate.* Ita nonnulli theologi, quorum doctrinam refert, *et, veluti fidei Ecclesiæ valdè periculosam*, Durandus refellit in 4, d. 7, q. 3, n. 6, 7, 8 et 9 : *Quia si hæc ordinatio Ecclesiæ esset de necessitate Sacramenti; fides quam habemus de Sacramentis, dependeret ex liberâ voluntate unius hominis, scilicet Papæ, etiam quantùm ad aliqua, quæ essent de necessitate Sacramentorum, quod non videtur sanè dictum. Accedit quòd ordinatio, quæ est de necessitate Sacramenti, et non solùm de solemnitate, pertinet ad potestatem excellentiæ : ergo istud non fuit commissum alicui homini nec Papæ, nec alii.*

Tertia est hoc Sacramentum, à Christo immediatè institutum fuisse ratione manuum impositionis, et formæ illi correspondentis : sed Christum potestatem Ecclesiæ contulisse determinandi in speciali certum fixumque modum, quo specialiùs connotetur interior infusio plenitudinis Spiritûs sancti, quem modum Ecclesia immutare, augere, imminuere pro suâ prudentiâ possit. Quâ de causâ Ecclesia, ritu dudùm vigente, chrismatis unctionem ad significandam interiorem unctionem designavit. Hanc opinionem probabilem existimat Vincentius Contenson, et ad illam accedit sententia Gasparis Contareni cardinalis, viri superiore seculo doctissimi, qui, lib. 2 de Sacramentis, cap. 2, postquàm hujus Sacramenti signum initio usurpatum, in linguis igneis sitam fuisse tradidit, continenter hæc subjicit : *A quo Spiritu docta Ecclesia ex traditione Apostolorum, materiam huic Sacramento accommodavit*, (non enim decet divinam sapientiam, ut semper et usque miracula faciat) *quâ maximè et igneæ linguæ, et sonus Spiritûs significarentur.* Idem, quod Contarenus, docuerant Patres Moguntini anno 1549, cap. 17 et 18, ubi tradunt : 1° *Sacramentum Confirmationis ex institutione Christi, et Apostolorum praxi, Ecclesiæ relictum esse;* 2° *inde Ecclesiam catholicam Spiritum sanctum per manus Apostolorum fidelibus tradendi normam accepisse;* 3° *hoc Sacramentum ab initio solâ manuum impositione exhibitum fuisse;* 4° *sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorum traditione adhibitâ chrismatis unctione cœpisse conferri.* Idem quod Moguntini Patres eodem seculo docuerat Conradus Cinglius, lib. contra mendac., c. 39 : *Licet Sacramentum Confirmationis in principio Ecclesiæ solâ impositione manuum frequentatum fuerit, tamen Ecclesia circa ipsa tempora ex traditione apostolorum incœpit cum externo aliquo signo exteriorem unctionem sancti Spiritûs significare, nempe per chrisma, quod adjecit huic Sacramento.*

Quarta est hoc Sacramentum à Christo immediatè

institutum fuisse ratione materiæ et formæ generatim, non autem specificè : sed in Ecclesiæ potestate reliquisse, ut pro diversis temporibus et locis, modò solam manuum impositionem, modò unctionem solam, modò utramque adhiberent : idem asseritur de formâ. Sancivit enim Christus, ut loco materiæ adhiberetur signum aliquod sensibile ad gratiam sacramentalem significandam idoneum : et loco formæ verba illa usurparentur, quæ effectum hujus Sacramenti, opportunè explicarent. Quibus autem rebus, quibusve verbis utendum foret, non præfinivit, sed Ecclesiæ suæ à Spiritu sancto regendæ judicio et prudentiæ permisit. Ita Franciscus Amicus, disp. 13, sect. 2, n. 27, Philippus Gammachæus, cap. 4, de Sacram. Ordinis; Joannes Morinus, lib. de Pœnit., c. 17.

Quinta est, hoc Sacramentum ab apostolis immediatè institutum fuisse ratione manuum impositionis, et ab Ecclesiâ ratione unctionis. Ita Jacobus cardinalis à Vitriaco, sermone in vigiliâ Pentecostes, qui cap. 37, Hist. occident. refertur : *Hoc*, inquit, *Sacramentum institutum est, partim ab Apostolis, quantùm ad manûs impositionem, partim ab Ecclesiâ, quantùm ad unctionem chrismatis, quod non legimus Apostolos fecisse.* Chrisma verò ad substantiam Confirmationis pertinere docet. *De substantiâ*, inquit, *hujus Sacramenti est sanctum chrisma, et forma ab Ecclesiâ instituta.* Sic quoque Petrus, cantor parisiensis, in summâ de Sacramentis, fol. 159, quæ in bibliothecâ Victorinâ servatur : quærens enim, *unde et quando ille modus confirmandi, quem habemus, sumpserit initium; non enim legitur, quòd Apostoli aliquos in fronte sub aliquo charactere signaverint : nec quòd aliquos chrismate unxerint*; tandem sic concludit : *Dicamus ergo formam istam et substantiam Confirmationis, partim ab Apostolis quantùm ad manûs impositionem, ab Ecclesiâ quantùm ad alia.* Ita etiam sentire videtur Estius, in 4, d. 7, § 7; nec enim ejus opinio ad quartam revocari potest, ut qui illam improbet, § 4.

Sexta est Alexandri de Halez, in Summâ theologicâ, parte 4, quæst. 9, membro 1, ubi plura dixit de hoc Sacramento, quæ sanè stupenda sunt, et doctrinæ in scholis theologicis jamdudùm receptæ minimè conveniunt. Quærens enim à quo instituta sit Confirmatio, respondet : *Dicendum quod Dominus neque hoc Sacramentum, ut est Sacramentum, instituit; neque dispensavit; neque Apostoli. Intelligendum est igitur, quòd post ascensionem Domini congruebat Apostolos confirmari, et illis Spiritum sanctum dari ad robur. Unde « Spiritus sanctus nondùm erat datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus. Non, » inquam, in plenitudine vel ad robur; sed fuit datus die Pentecostes : unde Apostoli confirmati sunt à Spiritu sancto immediatè sine ministerio et Sacramento : et ipsi deinde confirmabant sine Sacramento. Sed postquàm Apostoli, qui erant bases Ecclesiæ, qui à Domino erant prælati et Spiritu sancto confirmati, defecerunt; institutum fuit hoc Sacramentum Spiritûs sancti instinctu, in concilio Meldensi, quantùm ad formam verborum et materiam elementarem, cui etiam Spiritus sanctus contulit virtutem sanctificandi.*

ARTICULUS II.

QUID SENTIENDUM SIT DE DUABUS POSTREMIS OPINIONIBUS.

Duas postremas opiniones, et falsas, et erroneas, et hæreticas nunc esse, vulgò docent theologi synodo Tridentinâ posteriores, qui in eâ definitum aiunt, Sacramenta quæque à Christo immediatè instituta fuisse.

Falsas esse probari potest hisce argumentis. 1° Quia concilium Vaurense ex tribus provinciis, Narbonensi, Tolosonâ et Auxitanâ, anno 1368 congregatum, cap. de Fide catholicâ, sic habet : *Omnia Sacramenta novæ legis, Christus per semetipsum immediatè instituit. Aliqua tamen, præcipuè Confirmationem et Extremam Unctionem, per Apostolos promulgavit.* 2° Quia in concilio Senonensi seu Parisiensi, anno 1528, cap. de Decretis fidei, § de Sacramento Confirmationis : *Sacramentum Confirmationis Christus instituit, cùm parvulis manus imponeret.* 3° Quia ex synodo Moguntinâ, anno 1549, ubi de Capitulis ad fidem pertinentibus, cap. 11: *Septem sunt Sacramenta divinitùs instituta :* et cap. 17 : *Sacramentum Confirmationis ex institutione Christi, et Apostolorum praxi, Ecclesiæ relictum est.* 4° Quia ex synodo Tridentinâ, sess. 7, can. 1 : *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Accedit quod sess. 14, can. 1, de Sacramento Extremæ Unctionis : *Hoc Sacramentum dicitur à Christo institutum et à Jacobo Apostolo promulgatum.* Non igitur à Christo per Jacobum institutum est. 5° Quia parùm firma sunt fundamenta, quibus Alexander Alensis et Joannes de Bacone innituntur. Nullum enim concilium Meldense vel Aurelianense assignari posset, à quo chrismatis unctio instituta fuerit. 6° Quia unctionem illam ab omni ævo usurpatam, ab Apostolis adhibitam et à Christo institutam fuisse probavimus supra, parte 1, q. 2, art. 3, sect. 6, § 3. 7° Quia fidei Sacramenta sunt veluti fundamenta Ecclesiæ. Fundamenta verò, quibus Ecclesia innititur, Christus per se ipse instituit. Ita disserit D. Thomas, 3 p., q. 64, a. 2, ad 3.

Iisdem ferè argumentis probare videtur esse de fide, Confirmationem et Extremam Unctionem, adeòque omnia Sacramenta, à Christo immediatè instituta fuisse. Præfata enim concilia ita docent; Vaurense, cap. de Fide catholicâ; Parisiense, cap. de Decretis fidei; Moguntinum ubi de capitulis ad fidem pertinentibus, et Tridentinum in canonibus et anathematismis.

Falsæ quidem et temerariæ sunt duæ postremæ opiniones, sed illas hæreticas esse vix crediderim. Nec enim S. Thomas, 3 p., q. 64, a. 3, et q. 72, a. 1, item in 4, d. 2, q. 1, a. 4, quæst. 4, et d. 7, q. 1, a. 1, quæstiunc. 1, et d. 23, q. 1, art. 1, quæstiunc. 3, illas duas opiniones rejicit quasi hæreticas; nec suam

defendit, nisi *ut probabilem opinionem*. Quin etiam Durandus, in 4, d. 2, q. 1, n. 7, licèt immediatam Sacramentorum omnium institutionem doceat, eam tamen non propugnat, nisi ut sententiam, quæ probabiliter tenetur: atqui apud viros eruditos in confesso est quòd sacra synodus Tridentina non definivit controversias in utramque partem à theologis agitatas, sed eas tantùm, quibus Catholici ab hæreticis dissidebant. Deinde cùm in Patrum conciliis propositi fuissent quatuor articuli fidei circa Confirmationem, iste, qui secundus erat: *Confirmatio à sanctis Patribus instituta fuit*, prætermissus est. Quam ob rem? nisi ut caverent ne Alexandri Alensis et Bonaventuræ doctrinam, quam intactam esse volebant, rejicerent. Præterea, cùm in iisdem conciliis propositum fuisset definire, utrùm Sacramenta quæque à Christo immediatè instituta fuissent, theologi nonnulli monuerunt aliquos esse Catholicos, quorum alii cum magistro docerent, Extremam Unctionem à Jacobo institutam, alii verò cum Alensi et Bonaventurâ, Confirmationem post Apostolorum tempora incœptam: quibus aliisque monitis attentè consideratis, Patres ad decreta fidei conficienda delecti, nonnihil immutàrunt in canonibus de Sacramentis in genere, de Baptismo et Confirmatione: eosque verbis generalibus conceperunt, ne ulli theologorum opinioni præjudicium aliquod fieret. Accedit, quòd capitula de doctrinâ Sacramentorum, Baptismi et Confirmationis, hâc unâ de causâ prætermissa fuerint, quòd in iis componendis termini vix reperiri potuerint, qui potiùs uni, quàm alteri theologorum opinioni non faverent. Denique Dominicus Soto, qui sexdecim prioribus concilii sessionibus interfuit, et post illas absolutas scripsit commentaria in libros Magistri Sententiarum, quemadmodùm apparet in 4, d. 12, q. 1, a. 4, ubi verba refert sessionis 13, c. 7, de doctrinâ, adeòque concilii mentem circa Confirmationis et Extremæ Unctionis Sacramentum optimè noverat, agnoscit, in 4, d. 1, q. 5, a. 2, opinionem, quæ negat hæc duo Sacramenta à Christo immediatè instituta fuisse, hæreticam non esse. Quærens enim utrùm *prorsùs Sacramenta evangelica à Christo ipso fuerint instituta, et quo firmitatis gradu id credendum est*; respondet 1° quinque Sacramenta, Baptismum scilicet, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem et Matrimonium, *adeò certum esse à Christo fuisse instituta, ut ex Catholicis nemo sit, qui neget*: unde concludit *hæreticum esse negare hæc omnia instituta fuisse à Christo*; 2° non usque adeò constare, hæreticum esse, negare Sacramenta Confirmationis et Extremæ Unctionis fuisse ore Christi proprio instituta; fore tamen hæreticum, negare esse de jure divino. Nam etiamsi admitteretur, Apostolos illa instituisse; id tamen ex Christi commissione fecerunt. Soto subjicimus Estium, in 4, d. 1, § 16: *Cæterùm*, inquit, *cùm non sit à synodo definitum Sacramenta novæ legis omnia immediatè à Christo instituta esse, disputatur adhuc inter Catholicos utrùm omnia septem Christus immediatè et per se ipsum instituerit, an verò quorumdam instituendorum ministerium Apostolis vel Ecclesiæ commiserit. Dubitandi enim causa videtur, quòd in Scripturâ nusquàm legamus, ubi Confirmationis et Extremæ Unctionis Sacramenta Christus instituerit. Sed utrumque Apostoli potestate sibi à Christo commissâ videantur Ecclesiæ tradidisse*, Actuum 8, et Jacobi 5. *Multòque minùs existimant ordinem diaconatûs et subdiaconatûs et quatuor minores immediatè à Christo fuisse institutos, præsertim quoad singulorum materiam et formam, quarum determinationem, alterationem atque mutationem volunt Apostolis, imò et posteriori Ecclesiæ, prout fidelium saluti expedire judicarent, fuisse concreditam. Quam opinionem probare conantur verbis Augustini, qui*, libro 3 de Doctrinâ christianâ, cap. 9, *dicit quòd Sacramenta novæ legis Dominus ipse et apostolica nobis tradidit disciplina. Unde consequens putant quædam immediatè à Christo, quædam per Apostolos fuisse instituta. In quam sententiam produci potest et illud quod legitur apud Cyprianum*, serm. de Ablutione pedum, *ubi cùm scriptor ille dixisset: Ipse summus sacerdos sui est Sacramenti institutor et auctor*. Postea subdit: *Nec minùs ratum est, quod, dictante Spiritu sancto, Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse Dominus tradidit et in suî commemorationem fieri præcepit... Verùm hæc opinio ut aliquid probabilitatis habeat, majori tamen probabilitate diversæ sententiæ superatur*. Et infra: *Etsi ferenda sit eorum opinio qui alicujus Sacramenti institutionem Apostolis adscribunt, minimè tamen eis assentiendum qui post Apostolorum tempora putant aliquod eorum fuisse institutum, quandoquidem commissio verbis facta non ultra Apostolos extendere se potuerit: alioquin enim et hodiè posset aliquid in Sacramentis Ecclesia mutare vel instituere*. Accedit quòd opinio quarta, § superiori relata, quam plures viri eruditi hodiè tuentur, parùm differat à sextâ: *Quidam opinantur hoc Sacramentum à Christo institutum esse tantùm generali quâdam ratione, ita nimirùm, ut sub aliquo visibili signo virtutem Spiritûs sancti tribui vellet baptizatis, non tamen determinando certam materiam, cujus esset futurus in Ecclesiâ perpetuus usus, sed ejus rei determinationem relinquendo et committendo Apostolis. Hinc aiunt Apostolos initio impositione manuum usos fuisse pro materiâ hujus Sacramenti, deinde in ejus locum ex eorumdem ordinatione chrismatis unctionem successisse. Sed hæc opinio reverà cum eâ consentit, quæ tradit non immediatè Sacramenta omnia novæ legis à Christo instituta esse. Nam ad Sacramenti alicujus institutionem pertinet materiæ et formæ determinatio, ut quæ Sacramento sint essentialia*.

Nullum igitur fidei decretum sacra synodus edixit adversùs opiniones Hugonis, Magistri, Alensis et Bonaventuræ. Tres verò aliæ synodi, cùm sint provinciales, nullum fidei articulum efficere possunt. Deinde synodus Vaurensis in hoc ipso capite de Fide catholicâ, et Sacramenta distinguit ab articulis fidei, et plura tradit, quæ ad fidem catholicam nihil attinent, quemadmodùm apparet tum ex lemmate capitis, cap. 1: *De fide catholicâ, et ut laici de articulis fidei, et aliis ad capessendam æternam salutem necessariis, cum diligentiâ informentur*; tum ex ipso capite, in quo Patres primùm quidem disserunt de fidei articulis, deinde de

Sacramentis, postea de virtutibus theologicis, denique de virtutibus moralibus.

Synodus quoque Parisiensis in eodem capite de Decretis fidei, plura docet, quæ non sunt de fide. Ne verò quæramus exempla, in ipso textu relato ait *Sacramentum Confirmationis Christum instituisse, cùm parvulis manus imponeret :* quamvis eruditi theologi doceant illud die cœnæ, vel post resurrectionem institutum fuisse.

Synodus etiam Moguntina, ubi de Capitulis ad fidem pertinentibus, plura disserit quæ ad fidem nihil omninò pertinent. Capite 18 asserit *hoc Sacramentum ab initio, solâ manuum impositione exhibitum fuisse.* Subjicit unctionem non ab ipsis apostolis, *sed sub ipsis temporibus apostolorum cœpisse adhiberi.* Asserit ibidem illam adhibitam fuisse, *in locum visibilis signi*, quo Spiritus sanctus sub ignis et linguæ specie descendebat : quæ tria tamen ab eruditis theologis etiam nunc in dubium revocantur : videsis et cap. 25, ubi præcipit, *ut audiendis confessionibus, sacerdotes viri integri et periti præficiantur.* Et cap. 17, ubi religiosis prohibet, *ne cuiquam laico sacrosanctæ Eucharistiæ communionem, sine speciali consensu parochi, ad cujus curam illi pertinet, porrigant. Quemadmodùm et parochis omnibus inhibet, ne quemquam alienum parochianum, sine consensu sui parochi extra necessitatem, sive ad confessionem, sive ad illius Sacramenti perceptionem recipiant.*

ARTICULUS III.

QUO TEMPORE SACRAMENTUM ILLUD A CHRISTO INSTITUTUM FUERIT.

Variæ sunt opiniones. Prima docet Confirmationem à Christo institutam fuisse, quando manus parvulis imposuit, Matth. 19. Ita S. Thomas, in 4, d. 7, q. 1, a. 1, quæstiunc. 1, ad 1; Aureolus, in 4, d. 7, q. 1, et synodus Senonensis, seu Parisiensis anno 1528, cap. de Decretis fidei : *Sacramentum*, inquit, *Confirmationis Christus instituit, cùm parvulis manus imponeret.* Verùm multiplex est manuum impositio, nec omnis est confirmatoria, sed alia est reconciliatoria, quâ pœnitentes excommunicati, et hæretici Ecclesiæ reconciliabantur. Alia ordinatoria, quâ ministri Ecclesiæ ordinantur. Alia sanativa, quâ infirmis sanitas restituitur. Impositio autem super parvulos à Christo adhibita, ex Hieronymo et Anselmo, erat curatio à languoribus, vel specialis benedictio. Adde quòd isti parvuli, ut qui non essent baptizati, nondùm erant apti ad Confirmationem.

Secunda docet illam à Christo institutam fuisse, *non exhibendo, sed promittendo, secundùm illud Joannis* 16 : « *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.* » Ita S. Thomas, 3 p., q. 72, a. 1, ad 1; Dominicus Soto, in 4, d. 7, q. 1, ad 1. Verùm hisce verbis Christi, nihil aliud promittitur, quàm descensus visibilis Spiritûs sancti super Apostolos die Pentecostes. Neque simplex promissio Spiritûs sancti censeri potest institutio hujus Sacramenti.

Tertia docet illam à Christo institutam fuisse die cœnæ. Ita pseudo-Fabianus, epist. 2, et auctor Operum cardinalium apud Cyprianum, serm. de Unctione chrismatis, et ex illis catechismus Romanus, Suarez, et alii. Verùm hæc opinio nullum firmum habet fundamentum : testimonia enim quibus illa innititur, neque Fabiani, neque Cypriani sunt.

Quarta docet illam à Christo institutam fuisse, cùm insufflavit et insufflando dixit Apostolis : *Accipite Spiritum sanctum*, Joan. 20. Hæc opinio à Soto et Suare tribuitur Scoto, in 4, d. 2, q. 1, object. 1. Verùm eò loci Spiritus sanctus datur ad remissionem peccatorum, non autem ad robur : quare hæc insufflatio magis ad Ordinem quàm ad Confirmationem pertinet.

Quinta docet illam à Christo institutam fuisse die Pentecostes, quo Apostoli descensu Spiritûs sancti confirmati sunt : quæ opinio Scoto tribuitur, ibidem. Verùm Christus Sacramenta instituit, cùm in terris adhuc versaretur, non autem cùm in cœlos assumptus esset. Præterea Apostoli die Pentecostes effectum Confirmationis sine Sacramento susceperunt.

Sexta est illam à Christo institutam, cùm à mortuis suscitatus per dies quadraginta cum discipulis conversaretur, et de regno Dei colloqueretur, Act. 1, id est, de Ecclesiâ ædificandâ et administrandâ, ad cujus (ex Gregorio Magno, qui per regnum Dei intelligit Ecclesiam) ædificationem et administrationem inprimis pertinent Sacramenta. Tale quid innuit Leo Magnus, serm. 1 de Ascensione Domini, cùm ait : *Hi dies, qui inter resurrectionem Domini, ascensionemque fluxerunt, non otiosè transière, sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria.* Quæ opinio omnium probabilissima est. Ita Estius, in 4, d. 1, § 16, et dist. 7, § 4.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI.

In hâc quæstione lis nobis erit primùm quidem cum hæreticis, deinde cum theologis catholicis.

ARTICULUS PRIMUS.

REFERUNTUR ERRORES HÆRETICORUM CIRCA MINISTRUM CONFIRMATIONIS.

Tridentinum concilium, sess. 7, can. 3, de Confirm., definit ordinarium hujus Sacramenti ministrum esse antistitem, non autem quemvis presbyterum. Oppositam huic canoni doctrinam, tradiderunt, Waldenses, Wicleffitæ et Hussitæ, qui, ut ex parte 1, q. 1, art. 1, sect. 2, apparet, pati non poterant Confirmationis administrationem solis episcopis reservari : hoc nixi fundamento, quòd episcopus à sacerdote nihil differat secundùm potestatem sacramentalem, quo fit ut quicumque Aerii errores amplexati sunt, jure ac meritò numerentur inter hæreticos, qui Tridentinæ definitioni repugnant. Lutherus, lib. de Captivitate Babylonicâ, perstringit episcopos, quòd neglectis Sacramentis negotiosis, spretâque verbi divini prædicatione, Confirmationis administrationem, utpotè facilem et honorificam, sibi solis reservaverint, *ne penitùs essent sine opere in ecclesiâ. Postquàm enim*

Sacramenta illa negotiosa unà cum verbo aliis inferioribus ministris ut vilia reliquerunt (nimirùm quod quidquid divina instituit majestas, hominibus oportet esse contemptum), *justum fuit, ut facile aliquod, quod tam delicatis et magnis heroibus non esset molestum, inveniremus, et nequaquàm ceu vile inferioribus committeremus. Nam quod humana statuit sapientia oportet ut hominibus sit honoratum, et ita quales sunt sacerdotes, tale habeant ministerium et officium.* Ita Lutherus episcopos de seipsis ironicè loquentes inducit : statimque ex suo subjicit : *At episcopus non evangelizans, nec animas curans, quid est, nisi idolum in mundo, habens nomen et figuram episcopi?*

Kempitius Lutheri verba descripsit, in examine concil. Trident., et fundamentum à Waldensibus ex identitate episcopi et presbyteri petitum refert, parte 2, pag. 324 : subjicit pag. 325, concilium contra S. Thomam, et quosdam alios doctores, imò et contra ipsum Gregorium Magnum definivisse, solum episcopum esse ministrum ordinarium Confirmationis.

Calvinus autem, postquàm, lib. 4 Instit., c. 19, § 10, orthodoxos traduxit quasi *Donatistas, qui vim sacramenti Confirmationis à ministri dignitate æstimant*, eorum doctrinam sic ille impugnat : *Si quis ab illis scisciteitur, unde tanta prærogativa episcopis delata fuerit ; quam rationem afferent præter suam libidinem? Soli apostoli eo jure usi sunt, qui soli Spiritum sanctum distribuerunt. An soli episcopi? imò an omninò apostoli? demus tamen et istud. Cur non eodem argumento contendunt, solis episcopis Sacramentum sanguinis in cœnâ Domini attingendum esse? quod laicis ideò denegant, quia solis apostolis, à Domino datum fuerit : si solis apostolis; cur non inferunt, ergo solis episcopis? Sed apostolos eo loco simplices presbyteros faciunt; nunc vertigo capitis eos aliò rapit, ut subitò episcopos creent. Postremò non erat apostolus Ananias, ad quem tamen Paulus missus est, ut visum reciperet, baptizaretur, et impleretur Spiritu sancto. Addam et hoc ad cumulum, si jure divino proprium hoc munus est episcoporum, cur ausi sunt ad plebeios presbyteros transferre, quemadmodùm in quâdam epistolâ Gregorii legitur,*

Et in antidoto canonis 3, postquàm episcopos impudenter appellavit cornutos infulatosque asinos subjicit : *Unde, quæso, probabunt episcopis magis quàm reliquis sacerdotibus convenire has partes, nisi quia incertis auctoribus ita placuit? at si ex Scripturâ petatur ratio, nullum illic est, omnium confessione, presbyteri et episcopi discrimen. Deinde manuum impositionem jubetur Paulus ab Ananiâ recipere, qui unus erat ex discipulis.* Et postea : *Vel Dei lege sancitum est, quod volunt, vel humano placito. Si Dei lex est, cur eam violare non verentur, dùm presbyteris extra ordinem concedunt jus confirmandi? pro humano autem placito ita fulminantes, cur formidinem incutient?*

Dallæus, lib. 1 de Confirm., c. 2, scribit : *Potiùs episcoporum honori atque dignitati, quàm plebis saluti, atque usui inventam fuisse Confirmationem ;* cùm videamus *interdùm totas gentes*, v. g., *Anglos, Scotos, Hybernos, sine ullis episcopis agere*, adeòque *eo omni spirituali præsidio, quod huic sacramento tribuitur, necessariò carere ;* quod *à Christi bonitate alienum est, si sacramentum istud sit alicujus necessitatis.* Et alibi, pluribus argumentis ex utroque Sirmundi antirrhetico petitis probare conatur, ecclesiastici, non divini juris esse, quòd frontis unctio, adeòque et ipsa Confirmatio à solis episcopis, non autem à presbyteris et à diaconis, ut à ministris ordinariis adhibeatur.

Ecclesiam ille dividit in occidentalem et orientalem. De occidentali ita sentit, videlicet unctionem et manûs impositionem cæremonias Baptismi fuisse post annum 160 inventas et usurpari cœptas : ita Dallæus, lib. 2, c. 3 : utriusque verò administrationem non solùm episcopis, sed etiam *presbyteris, diaconis, imò et laicis* in ecclesiâ occidentali concedit, eodem lib., c. 9, usque ad schisma Novatianorum, *quo tempore datum est Ordinis honori, ut solis presbyteris ungere baptizatos, ac manum iis imponere liceret ; laicis non liceret, tametsi eis fas esset in necessitate positum Baptismo abluere. Inde*, inquit, *institutum, quod habet Eliberitanus canon 38, ut si quos laici in hujusmodi rerum articulo baptizassent, eos, si superessent, ad episcopum perducerent manûs impositione perficiendos.* Sibi verò non constans, sub finem ejusdem capitis ait : *Sed non solis presbyteris, verùm quod multò mirabilius est, etiam diaconis manûs imponendæ jus tribuere videntur boni illi Eliberitanæ synodi Patres, canone 77.* Quibus ille à Sirmundo dissentit, qui in antirrhetico 2, c. 5, pag. 26 et 27, docet solos episcopos primis Ecclesiæ temporibus ad Constantini principatum, tum chrismationem, tum manûs impositionem obire solitos : illo verò primùm tempore *consignationem permitti cœptam etiam presbyteris* : manûs autem impositionem penes solos episcopos, ut antea, mansisse.

Quam verò, inquit ille, lib. 2, cap. 2, *Eliberitani Patres presbyteris consignandi, manusque imponendi potestatem integram reliquerant, Sylvester viginti non ampliùs postea synodum* (Illiberitanam, quam ille anno 305 habitam existimat) *annis episcopis detulit : hoc privilegium episcopis conferens, ut etiam à presbyteris lenitos obsignent, uno excepto casu, si baptizatum presbyter in mortis periculo esse videat ; quâ occasione ei concedit, ut baptizatum chrismet.* Sic ille interpretatur hæc verba pontificalis pseudo-Damasi in vitâ Sylvestri : *Privilegium episcopis contulit, ut baptizatum consignent propter hæreticam suasionem : hic et hoc constituit, ut liniat presbyter chrismate levatum de aquâ propter occasionem transitûs mortis.* Hoc tamen Sylvestri decretum extra Romam vix aliquid obtinuisse initio seculi V probat ille facto Decentii Eugubini episcopi, qui anno 416 Innocentium I consuluit, utrùm consignatio frontis infantium *ab alio, quàm ab episcopo fieri liceret.* Innocentius, acceptâ hâc occasione, frontis chrismationem solis episcopis simpliciter et absolutè reservavit : ejusque loco finxit et substituit aliam unctionem, quam presbyteris concessit, ne illi suo jure antiquo consignandi frontes baptizatorum omninò destitûti conquererentur. Non definivit Innocentius, quæ pars deberet consignari ; fron-

tem solam excepit. Gregorius Magnus, anno 593, presbyteris Sardiniensibus permisit ut baptizatorum pectus chrismate ungerent : *Quod diù obtinuit, jubentibus ita Romanis pontificibus ; denique et dimissò pectore et verticem ipsum scandere presbyterorum chrisma decreverunt; quod hodièque apud Latinos viget.* Ita Dallæus, lib. 3, c. 1, et alibi. Innocentii verò decretum in Galliæ, Hispaniæ, imò et Italiæ provinciis vim seriùs obtinuisse, Dallæus ostendit pluribus canonibus, qui presbyteris vel diaconis vel utrisque consignandi jus concedunt, et quos ille de frontis unctione interpretatur. Pro Galliis adducit canonem 1 et 2 concilii Arausicani anno 441, canonem 3 concilii Vasensis I anno 442, canonem 27 concilii Arelatensis II anno 442, canonem 16 concilii Epaonensis ad annum 517 : ita ille, lib. 3, c. 2, 3, 4 et 5. Pro Hispaniâ adducit canonem 20 concilii Toletani I anno 400 ; Martinum Bracarensem ad annum 470, et canonem 2 concilii Barcinonensis anno 599 : ita ille, lib. 2, c. 23, et lib. 3, c. 5 et 7. Pro Italiâ exemplum adducit presbyterorum Sardiniensium qui baptizatorum frontes adhuc ungebant desinente seculo VI, et antiquum usum, reclamante licèt Gregorio papâ, retinuerunt : Ita ille, lib. 3, c. 1 et 6. *Constat igitur*, inquit ille, lib. 3, c. 1, in fine, *hanc Innocentii tam absurdè, tamque nullâ ratione scriptam, atque demonstratam legem, duplicem illam frontis et verticis chrismationem diù postea in occidente peperisse ; cùm nostri homines variis artibus sub Romani episcopi jugum penè missi, quidquid ab illâ sede exierat, pro apostolico dogmate venerarentur. Tum enim in hoc Innocentii decretum incidentes, id quod unà decernit, ipsi pro vero certoque confirmârunt. Sed hæc diù postea contigerunt : ducentis* enim *infra annis, in occidente, vel ignota, vel contempta sic jacuit illa Innocentii lex, ut raræ in illo temporum decursu ecclesiæ occurrant, ubi ea bonâ fide servaretur :* ita ille pessimè quidem de Innocentii epistolâ quæ suæ fabellæ seriem omninò perturbat. De orientali autem ecclesiâ tria ille docet : primum est, manuum impositionem confirmatoriam in eâ nunquàm observatam fuisse. Secundum est solam chrismationem in eâ adhibitam fuisse. Tertium est, hanc chrismationem, non solùm ab episcopis, sed etiam à presbyteris ex officio neophytis administratam fuisse.

ARTICULUS II.

REFERTUR OPINIO PHOTII, ET QUORUMDAM GRÆCORUM SCHISMATICORUM.

Photius, pro more patriarcharum Constantinopolitanorum, qui chrisma solemni ritu à se confectum, ad varias orientis partes episcopis mittere solebant, misit presbyteros, qui Bulgaros ad fidem catholicam conversos hoc unguento consignarent. Illud verò, et Confirmationem ex eo confectam legati Nicolai I, cùm in Bulgariam venissent, reprobârunt, et Bulgaros iterùm chrismârunt, sive unguentum illud à Photio pseudo-patriarchâ Constantinopolitano, eoque suspenso et excommunicato confectum esset, sive quia hujus chrismatis unctio à presbyteris, à presbyteris Photianis seu schismaticis, à presbyteris suspensis, et in diœcesi à Latinis conquisitâ, administrata fuisset. Quod cùm didicisset Photius, furore quodam percitus œcumenicam synodum finxit adversùs Nicolaum I, et encyclicam epistolam scripsit ad sedes patriarchales orientis, quâ in Latinos acriùs invehitur, quòd dicerent, *non licere sacerdotibus eos, qui sacro Baptismo initiantur, unguento sanctificare. Solis enim pontificibus hoc datum esse.* 1° Quia lex nulla hoc munus episcopis reservat. *Unde*, inquit, *venit hæc lex, et quinam legis conditor? apostolorumne unus aliquis, an verò Petrus? num etiam aliqua ex synodis? sed ubi et quando congregata est hujusmodi synodus? et quorumnam calculis confirmata?* 2° Quia, licet sacerdotibus baptizare : quidni confirmare? Confirmatio enim, est custodia Baptismatis sanctificationis; *quomodò verò auferes à sacerdote custodiam et sigillum illius puritatis, cujus ipse est auctor?* 3° Quia licet sacerdotibus sacra facere et Eucharistiam administrare : quidni unguentum conferre? præsertim cùm Eucharistia nobilior sit Confirmatione. *Qui autem magis aliis impertit, nonne et minùs impertire poterit?* inquit Joannes Nathanael. Photii doctrinam secuti sunt Græci quidam schismatici, quos inter Joannes Nathanael presbyter, et magnus œconomus Cretensis, qui obiit sub initium hujus seculi XVII. Docet iste chrismatis consecrationem à solis episcopis confici, unctionem verò à simplicibus presbyteris tanquàm ordinariis ministris conferri posse. Græci tamen schismatici non omnes ita sentiunt. Chrismatis enim et consecrationem et unctionem solis episcopis tribuit Simeon Thessalonicensis, in libro de Sacramentis. Matthæus Blastarius, in suo nomocanone, negat chorepiscopos, *quamvis plura privilegia quàm presbyteri sortiti essent*, baptizatis *gratiam Spiritûs sancti præbere posse.* Et Gabriel Philadelphiensis, in tractatu de Sacramentis, *quærens quibusnam propriè concessum sit munus ungendi :* ita respondet : *Quamvis hoc in canonibus conciliorum determinatè reperire non potui : tamen videtur mihi meritò pontificibus antecedenter hoc datum esse, quibus et solis hoc licet conficere secundùm sextum canonem concilii Carthaginensis. Ecclesia verò orientalis non tantùm pontificibus, sed etiam per ipsos presbyteris post sacram Baptismatis cæremoniam benignè annuit atque concedit citra ullam culpam unctionem chrismatis : idque propterea ne quis baptizatorum ejusmodi gratiâ privetur, si eum contingat, ut sunt humanæ res, repentinâ atque immaturâ morte ex hâc vitâ migrare.*

ARTICULUS III.

REFERTUR OPINIO ARMACHANI, SIRMONDI ET RIGALTII.

Richardus Radulphus, seu Rodolphus, Hibernus doctor et cancellarius academiæ Oxoniensis, deinde archidiaconus Lichfeldensis, ac tandem archiepiscopus Armachanus, floruit sedentibus in cathedrâ Petri Clemente VI et Innocentio VI, et obiit ad annum 1359. Hunc theologi Armachanum vulgò appellant; eumque quasi suspectum, et de hæresi notatum traducit Joannes de Ragusio, Dominicanus, in oratio-

ne quam de communione sub utrâque specie habuit in concilio Basileensi : et quasi impudentem et impium Dominicus Soto, in 4, d. 7, q. 1, a. 11. Illius tamen honorificè meminit Petrus ab Alliaco, cardinalis et episcopus Cameracensis, in 4, q. 4, a. 1, nec immeritò. Vir enim fuit doctrinâ et pietate insignis, qui fato functus, plura edidit miracula, quæ Bonifacius IX, diplomate ad id concesso, in acta referri voluit, ut ad ejus (ut aiunt) beatificationem procederet : ex Harpsfeldio, in historiâ ecclesiæ Anglicanæ, seculo XIV, c. 28; Walsinghamo, in Eduardo III anno Christi 1358 et 1360; Wadingho, annal. min. ad annum 1357, et Spondano ad an. 1357; scripsit ille definitionem curatorum adversùs mendicantes; sermones aliquot de Cruce et Laudibus B. Virginis; Commentarios in libros 4 Sentent., et libros 19 adversùs errores Armenorum, quorum libro 11, cap. 4, docet commune esse episcopis et presbyteris, munus confirmandi, si potestas Ordinis attendatur : unde Thomas Waldensis, lib. 2 de Sacramentis, c. 114, existimat Wicleffum hausisse suam hæresim (fuit enim Radulphus paulò antiquior Wicleffo, quamvis eodem seculo XIV vixerint). Quo fit ut theologi vulgò doceant illum idem omninò sensisse, quod Wicleffus circa ministrum Confirmationis : jure, an injuriâ, judicet æquissimus rerum arbiter. Wicleffus enim absolutè negabat, *collationem Sacramenti Confirmationis episcopis reservatam esse :* quâ de re, supra, parte 1, q. 1, a. 1, sect. 3. Radulphus contra, licèt existimet munus Confirmationis episcopo et presbytero, si utriusque character seu potestas Ordinis in se et secundùm se consideretur, esse commune, nihilominùs agnoscit munus illud, Ecclesiæ decretis episcopis reservatum esse, eamque reservationem approbat, adeò *ut peccent, graviterque puniendi sint* presbyteri, qui renuentibus episcopis confirmant : validam tamen eorum esse Confirmationem. Ita Radulphus, loco citato, et ex eo cardinalis Ostiacensis, ibidem.

Idem, quod Radulphus, sentire videtur Jacobus Sirmondus et Nicolaus Rigaltius : ille quidem in utroque antirrhetico, ubi docet, 1° frontis chrismationem, quam Sacramento Confirmationis essentialem esse probavimus supra, commissam olim vulgò presbyteris à quibuslibet episcopis; ex antirrhetico 1, pag. 64 et 66, et ex antirrhetico 2, pag. 27, 28, 29, etc.; 2° non solùm presbyteris, sed etiam diaconis passim et sine necessitate commissam; et ab illis ordinariis ministris, non ab episcopis tradi consuetam, ex antirrhetico 1, pag. 69, et ex antirrhetico 2, pag. 38. Iste verò in notis ad epistolam 59 Cypriani docet, 1° unctionem, quam Tertullianus *ætate jam suâ Baptismo adhibitam fuisse testatur, neque mandatam à Domino, neque ab apostolis factitatam fuisse, sed paulò post excessum apostolorum usurpatam ;* 2° unctionem quam Patres synodi primæ Arausicanæ, can. 2, ab omnibus ministris, qui baptizandi receperunt officium, presbyteris videlicet et diaconis administrari jubent, unctionem esse confirmatoriam; 3° *hujusce unctionis administrationem pro variorum episcoporum ingenio varâsse : nam et invectæ sunt plures unctiones, et distingui cœpit ea quæ in fronte fiebat, ab aliâ quam in vertice fieri placuit; hæc permissa presbyteris; alia episcopis reservata, perficientibus et consummantibus mysteria inchoata;* 4° unctiones illas *ad Baptismi disciplinam pertinere.* Ita in observationibus ad Cypriani epistolas, quas Antonius de Bredâ, et Martinus Grandin, doctores Sorbonici, approbârunt anno 1648. Fatendum tamen est et Sirmondum et Rigaltium à Radulpho reipsà differre. Illi enim existimant in eâ chrismatione situm non esse Sacramentum Confirmationis, sed in solâ manuum impositione, quam solis episcopis concedunt.

Utut sit, Radulphi opinionem probabilem censet Scotus, n. 4, d. 7, q. 1, ad 3, ubi, refutatis duabus primis solutionibus, duas ille alias refert quas quidem probabiles existimat : *Alii possunt esse duo modi dicendi probabiles : unus quòd in primitivâ Ecclesiâ non erat differentia inter sacerdotes et episcopos : quod probatur per duas auctoritates Hieronymi*, etc. *Et si istud est verum, tunc sacerdoti ex officio potuit competere confirmare, sicut et episcopo, quia ex primâ institutione non erat alius gradus in Ecclesiâ ; tamen propter necessitatem postea multiplicati sunt sacerdotes, et restricta est potestas ab eis, quantùm ad aliqua, quæ reservata sunt solis sacerdotibus majoribus, qui dicti sunt episcopi, et talis actus esset confirmare.*

Idem, quod Scotus, asserit Gabriel, in 4, d. 7, q. unicâ, concl. 3 : *Tertia conclusio, quam non pono asserendo, sed occasionem profundiùs inquirentibus dando : stante opinione, quòd episcopatus semper fuit institutione Christi à sacerdotio distinctus, tenentes solos episcopos posse confirmare, videntur veritati magis appropinquare. Dixi : stante opinione quòd episcopatus*, etc., *quia si teneretur quòd in primitivâ Ecclesiâ nulla fuerit distinctio episcoporum à sacerdotibus, tunc opinio contraria non habet dubium, quin sic omni sacerdoti ex officio potuit competere confirmare, et quidquid convenit episcopo, cùm non fuerit distinctio; quæ postea multiplicatis sacerdotibus, dùm ad confusionem in Ecclesiâ vitandam quorumdam potestas restricta est quantùm ad aliqua, quæ reservata sunt solis majoribus sacerdotibus, qui dicti sunt episcopi, inter quæ est Confirmatio*, etc.

Eamdem opinionem defendebant theologi, quorum meminit Aureolus, in 4, d. 7, q. 2 : *Sciendum, quòd secundùm aliquos sacerdos et episcopus non differunt ; unde episcopus non est nisi simplex sacerdos, habens tamen majorem parochiam et auctoritatem. Modus iste dicendi habet pro se Hieronymum*, etc.; adductisque Hieronymi et Pauli auctoritatibus, subjicit ille : *Quod si verum esset, quæstio non haberet difficultatem, quia tunc Papa liberè potuit ministerium Confirmationis committere alii quàm episcopis.* Ejusdem opinionis velut inter problemata theologica receptæ meminit Durandus, in 4, d. 7. Licèt enim, q. 3, n. 4, supponat, *tanquàm concessum ab omnibus fidelibus, quòd solis episcopis competit ex officio confirmare;* ille tamen, quæstione sequenti, inquirens utrùm presbyter ex commissione Papæ confirmare possit, relatis theologorum opinionibus, tandem difficultatem propositam ita solvit, n. 9

et 10 : *Advertendum est quòd supposito quòd Confirmatio sit verum Sacramentum à Christo institutum, et minister ejus sit omnis sacerdos quantùm est ex institutione, licèt ex prohibitione Ecclesiæ reservata sit ejus collatio solùm episcopis, tunc facile est dicere quòd ex commissione Papæ simplex sacerdos possit confirmare, quia prohibitio Ecclesiæ solùm facit, quòd non liceat simplici sacerdoti confirmare, cui tamen liceret, si non esset prohibitio Ecclesiæ. Commissio autem Papæ, si eam faceret simplici sacerdoti, tolleret prohibitionem quantùm ad illum cui fieret commissio. Si tamen sacerdos sine tali commissione confirmaret, verum Sacramentum esset, sed ipse peccaret, quia gradus episcopalis non esset de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti. Et in hoc casu potest excusari Gregorius, qui concessit quòd simplices sacerdotes possent confirmare. Si autem ex institutione Christi solus episcopus sit minister Confirmationis, nullo modo simplex sacerdos ex commissione Papæ potest hoc Sacramentum conferre.* Pluribusque rationibus id statuit. Ex his apparet hanc doctrinam Radulpho antiquiorem esse, floruerunt enim Scotus ad annum 1300, Durandus et Aureolus ad annum 1315.

Denique Arcudius ipse, in opere de Concordiâ, quod Romæ scriptum ad annum 1620, et à Romanis Parisinisque doctoribus approbatum est, lib. 2, c. 10, hanc Radulphi opinionem inter theologorum problemata recenset, eamque ab errore Wicleffi distinguit : *Doctorum sententiæ* de ministro Confirmationis *variæ sunt : nonnulli sentiunt adeò singulari munere hanc functionem chrismatis ad episcopum spectare, ut eam presbyteris impertire... ne extraordinariè quidem summus Pontifex possit. Alii contra facultatem hanc non excedere vires sacerdotii autumant : quocirca valere Sacramentum à presbyteris administratum ; sed peccare presbyteros non impetratâ veniâ : quâ interpretatione adhibitâ ab errore Wicleffi in concilio Constantiensi damnato longè abesse videntur : quæ sunt duo extrema opinionum. Alii denique mediâ ac regiâ viâ incedentes episcopum ordinarium ministrum secundùm canones conciliorum statuunt ; extraordinarium, presbyterum.*

ARTICULUS IV.

QUID FIDES CATHOLICA DOCEAT DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

Fides catholica traditur in concilio Tridentino, sess. 7, can. 3, de Confirm : *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum, non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.* Et sess. 23, can. 7 : *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit.* Et in eâdem sess. 23, cap. 4, de Doctrinâ : *Sacrosancta synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in locum apostolorum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, eosque presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.*

Hæc autem fidei doctrina, quâ solus episcopus Confirmationis ordinarius minister asseritur, et confirmandi potestas negatur episcopis et presbyteris communis esse, probatur, 1° ex Actis, cap. 8 et 19, ubi non alii, quàm apostoli baptizatis Spiritum sanctum per manuum impositionem conferebant. Sed episcopi apostolis successerunt.

Durandus, in 4, d. 7, q. 3, n. 11, respondet ex hoc textu, nihil concludi posse : *Quia apostoli erant sacerdotes et episcopi. Quare ex illo textu non esse clarum, an apostoli confirmaverint tanquàm sacerdotes, vel tanquàm episcopi.* Verùm quòd apostoli manus imposuerint ut episcopi, non ut simplices sacerdotes, inde constat : 1° Quia Scriptura nunquàm tribuit hoc officium, nisi ipsis apostolis, cùm alia officia, ut prædicandi et baptizandi tribuat etiam aliis inferioribus ministris. 2° Quia nulla videtur posse fingi causa, cur soli episcopi manus imponant, et cur ad hoc ipsum veniant ex uno loco ad alium, nisi quia hoc munus propriè pertinet ad primum gradum ecclesiasticum, qui certè episcopalis est. Quid enim opus erat, ut ex Jerusalem venirent, si presbyteri et diaconi potuissent manus imponere? non poterant significare per litteras, aut mittere qui Samaritanos confirmarent? 3° quia Cyprianus, Chrysostomus, Innocentius I, Hieronymus, Augustinus, Isidorus Hispalensis, Beda, Theodulfus Aurelianensis, Jonas Aurelianensis, Patres concilii Parisiensis et alii supra citati, parte 1, q. 1, moxque citandi probatione 2, ex hoc textu inferunt confirmandi potestatem residere penes solos episcopos. Supponunt igitur apostolos confirmâsse ut episcopos.

Calvinus respondet, 1° apostolos id egisse per extraordinariam, non autem ordinariam potestatem. Verùm hanc potesttaem fuisse ordinariam et successivam, intelligitur, 1° ex eo quòd ad Hebræos, cap. 6, numeratur hæc manûs impositio cum aliis ordinariis Ecclesiæ ritibus ; 2° ex eo quòd semper in Ecclesiâ viguit hæc consuetudo, ut episcopi neophytis manus imponerent. Quâ de re supra, parte 1, q. 1.

Respondet, 2° quod fecerunt apostoli non posse tribui episcopis ; quia episcopi non sunt apostoli. Refellitur, 1° quia Cyprianus, Chrysostomus, Innocentius I, Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Beda et alii, parte 1, q. 1, citati, ex hoc apostolorum facto colligunt facultatem confirmandi residere penes episcopos ; 2° quia licèt episcopi non sint apostoli, eos tamen apostolis successisse affirmant concilium Neocæsariense, can. 13 ; Hieronymus, in epistolâ ad Marcellam de erroribus Montani ; Augustinus, in Psalm. 44, ad hæc verba : *Pro patribus tuis nati sunt filii*, etc., et alii.

Respondet, 3° sicut episcopos, ita et presbyteros apostolis successisse ; alioquin non liceret presbyteris, sed solis episcopis communicare sub utrâque specie, quia soli apostoli utramque speciem in cœnâ Domini acceperunt. Refellitur, 1° quia apostoli in

ultimâ cœnâ presbyteri facti sunt; episcopi verò non nisi post resurrectionem creati sunt, cùm eis dictum fuit, Joan. 20 : *Ecce ego mitto vos*, etc. 2° Licet presbyteri in aliquâ re apostolis successerint, non tamen in omnibus, neque absolutè : sed soli episcopi apostolis simpliciter et absolutè successisse dicuntur, idque patet, tum ex praxi : si quis enim petat : Quis successit Petro apostolo? omnes respondent : Episcopus Romanus : Quis apostolo Jacobo? Episcopus Hierosolymitanus : Quis apostolo Joanni? Episcopus Ephesinus : tum ex testimonio veterum, qui aiunt episcopos apostolis succedere : nihil autem hujusmodi asserunt de presbyteris : tum ex ipsâ potestate ordinariâ, ratione cujus succedunt apostolis. Auctoritas apostolica omnem ecclesiasticam potestatem complectebatur. Erant enim apostoli primùm quidem Christiani, deinde sacerdotes, præterea summi sacerdotes, denique summi sacerdotes non uno in loco, sed in toto orbe terrarum; poterant enim ubique prædicare, baptizare, ordinare, etc.; ex his quatuor hoc postremum fuit ordinarium in Petro, extraordinarium in cæteris apostolis; quo fit ut Petri, non autem Jacobi et Joannis, successores potestatem in universum orbem habeant : cætera tria erant in omnibus ordinaria : quare, inquit Bellarminus, licèt omnes Christiani aliquo modo succedant apostolis, quatenùs illi fuerunt primi Christiani : et omnes sacerdotes eisdem apostolis succedant, quatenùs illi fuerunt primi sacerdotes : et omnes episcopi eisdem succedant, quatenùs isti fuerunt primi summi sacerdotes; tamen soli isti simpliciter illis succedunt, quia succedunt in totâ eorum ordinariâ auctoritate, in quâ solâ succedi potest.

Respondet, 4° Ananiam, qui tamen episcopus non erat, manum imposuisse super Paulum *ut impleretur Spiritu sancto*. Sic enim habetur, Act. 9 : *Et imponens ei manus, dixit : Saule frater, Dominus misit me Jesus*, etc., *ut videas, et implearis Spiritu sancto* : falsum igitur est, solos apostolos per manuum impositionem contulisse Spiritum sanctum. Refellitur, 1° quia hæc manuum impositio præcessit Baptismum Pauli; non fuit igitur Confirmatio : nullum enim Sacramentum Baptisma præcedit; 2° quia probabilissimum est, Paulum ut cæteros apostolos (nihil enim ipsis minùs accepit) immediatè à Deo sine humanâ manuum impositione confirmatum fuisse; 3° quia hæc manuum impositio fuit sanatio cæcitatis; subjicitur enim : *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquàm squamæ, et visum recepit, et surgens baptizatus est*. Unde quod ait *ut videas* refertur ad visum corporalem : et illud, *replearis Spiritu sancto* refertur ad Baptismum, quem subinde recepturus erat. Ita exponere videtur Hieronymus, in dialogo adversùs Luciferianos, cap. 3. 4° Familiare fuit apostolis ut discipulis, ut propter salutem corporis manum imponerent, juxta illud Marci 16 : *Super ægros manus imponent et benè habebunt*. 5° Manus olim imponebatur super catechumenos, ut illi sanctificarentur, et per hanc sanctificationem præpararentur ad Baptismum, ex Augustino, lib. 2 de peccat. Meritis, cap. 26. 6° Sacerdos in exercismis manum catechumenis imponebat, ex rituali Severi patriarchæ. 7° Ex eodem rituali, sacerdos catechumenum proximè baptizaturus, manum ei imponebat. 8° Si quis dicat Ananiam fuisse episcopum, quo argumento Calvinus oppositum evincet? præsertim cùm Augustinus, lib. 2 Quæst. evang., cap. 40, innuat illum fuisse episcopum : *Paulus ad Ananiam missus est, ut illo sacerdotio, quod in Ecclesiâ constitutum est, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet*. Ubi episcopale sacerdotium insinuat.

Probatur, 2° ex traditione. Cornelius papa, in epistolâ ad Fabianum : *Neque ab episcopo consignatus est*. Cyprianus, epist. 73 ad Jubaianum : *Ut qui in Ecclesiâ baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur*. Firmilianus, in epistolâ ad Cyprianum : *Ubi præsident majores natu, qui et baptizandi et manum imponendi, et ordinandi possident potestatem*. Auctor anonymus, qui scripsit adversùs Cyprianum, ait *per manùs impositionem episcopi Spiritum sanctum consuesse præstari* : neque patitur ut aliquis dicat, non episcopum posse extra Baptismum largiri Spiritum sanctum. Concilium Illiberitanum, can. 38 : *Ad episcopum eum perducat, ut per manùs impositionem perfici possit*. Et can. 77 : *Episcopus eos per benedictionem perficere debebit*. Pacianus hujus Sacramenti administrationem tribuit soli episcopo. Chrysostomus, in cap. 8 Actorum : *Hoc erat in apostolis singulare : unde et præcipuos et non alios videmus hoc facere*. Hieronymus adversùs Luciferianos scribit hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, *ut in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum*. Innocentius I ad Decentium : *Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Spiritum sanctum tradant, non solùm consuetudo ecclesiastica demonstrat, verùm et illa lectio actuum apostolorum*. Augustinus, lib. 15, de Trinitate, c. 26 : *Quem morem in suis præpositis etiamnùm servat Ecclesia*. Concilium Arelatense III sancivit ut monachi Lerinenses, *non nisi ab episcopo Forojuliensi, neophyti si fuerint, confirmentur*. Gelasius I, in epist. 9, ad episcopos Lucaniæ : *Nec minùs etiam presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere : non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem*. Concilium Hispalense II, cap. 7, prohibet presbyteris, ne confirment, *quia pontificatûs apicem non habent*. Isidorus Hispalensis, lib. 2 de Officiis, c. 26 : *Post Baptismum per episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione... quod solis debetur episcopis*. Beda in cap. 8 Actuum. *Hoc enim solis pontificibus debetur* Concilium Germanicum I, can. 3, decrevit ut *episcopus circumeat parochiam ad confirmandos populos*. Ordo Romanus, hanc facultatem solis pontificibus adscribit. Idem præstant Alcuinus, in epistolâ ad Oduinum, et Magnus Senonensis, in epistolâ ad Carolum Magnum. Jesse Ambianensis, Theodulphus Aurelianensis, lib. de Ordine Baptismi, c. 16 : *Quòd ergo presbyteris Spiritum sanctum per manùs impositionem trèdere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis Ecclesiæ est traditus*. Factas à chorepiscopis Confirmationes irritas declarant

capitularia ecclesiastica Caroli Magni. Rabanus Maurus, lib. 1, c. 18 : *Solus episcopus baptizatum per manûs impositionem cum ipso chrismate consignat.* Jonas Aurelianensis, lib. 1 de Institutione laicorum, c. 7 : *Quod solius episcopi sit per manûs impositionem fidelibus tradere Spiritum sanctum acta docent Apostolorum.* Concilium VI Parisiense, lib. 1, c. 27, *facultatem conferendi donum Spiritûs sancti per impositionem manuum convenire solis Apostolis, et solis pontificibus* eorum successoribus, non autem discipulis, eorumque successoribus chorepiscopis, probat ex Actis, c. 8 et 19. Annales Bertiniani, et ex iis Flodoardus, ad annum 867, narrant Photium, ejusque asseclas *calumniatos esse Romanam Ecclesiam, imò omnem ecclesiam, quæ Latinâ utitur linguâ, quoniam presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus.* Supervacaneum esset hìc plura describere : videsis quæ parte 1, q. 1, relata sunt ex Amalario, Walafrido, lib. de divinis Officiis, Petro Damiani, Goffrido Vindocinensi, Ruperto, Stephano Eduensi, Honorio Augustodunensi, Hugone Victorino, et Magistro sententiarum. Videsis etiam Dionysium, Clementem, aliosque auctores, quos, ubi de dubiis nonnullorum operum auctoribus, proponimus. Verum quia Dallæus, lib. 2, c. 2, subindicat Ratramnum suæ opinioni favere, juvat plura ex illo describere. Sic igitur ille, lib. 4 contra Græcorum opposita : *Nunc ad illud veniamus, quod à Græcis objicitur, quia penes Romanos Baptizatorum frontes presbyteri chrismate non liniunt... Ut hoc fiat, et apud Romanos et apud omnes occidentales, tam ex evangelio, quàm ex Apostolorum actis constat assumptum esse. Constat namque Spiritûs sancti gratiam per unctionem frontis ex chrismate ab episcopis donari : quod nulli præter episcopos esse concessum evangelica testatur auctoritas.* Et infra. *Omnes occidentales episcopi, majorum sequentes institutionem, sumpsêre consuetudinem, ut frontes baptizatorum chrismate liniendi, non presbyteris concedant, sed privilegium sibi reservent.* Jure igitur divino facultatem consignandi frontes baptizatorum solis episcopis vindicat. Hæc tamen nihil impediunt, quominùs eamdem ipsis potestatem vindicet etiam jure ecclesiastico. *Ecclesiastici viri*, inquit, *statuerunt ut frontes baptizatorum, non à presbyteris, sed ab episcopis chrismate sancto linirentur, ut per eos Spiritûs sancti gratia conferretur.*

Probatur 3° ex perpetuâ Ecclesiæ, præsertim occidentalis, consuetudine, quâ constat solos episcopos, nunquàm presbyteros, ex officio confirmâsse.

Probatur 4° variis rationibus. 1° Ut ait Hieronymus in dialogo adv. Lucif., cap. 4, id constitutum est *ad honorem sacerdotii : Ecclesiæ enim salus in summi sacerdotis dignitate pendet : cui si non exors quædam et ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes.* Quæ tamen ratio parùm efficax mihi videtur. Subjicit enim Hieronymus : *Inde venit ut sine chrismate et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi.* Licet igitur presbyter ex officio baptizet, nihilominùs salva et integra perseverat hæc omnium Apostolorum potestas, quia presbyter hoc jure non utitur, nisi dependenter ab episcopo. 2° Quia Patres aiunt fideles hoc Sacramento perfici. Decebat igitur ut non ab aliis conferretur, quàm ab eo, qui in ordine perficientium constitutus est. Atqui ex Dionysio in lib. de Eccles. Hierarch., c. 5, episcopatus est ordo perficientium, sicut presbyteratus est ordo illuminantium, et diaconatus est ordo purgantium. 3° Quia in quolibet opere, *ultima consummatio supremæ virtuti reservatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundùm illud* 1 *ad Corinth.* 3 : *Dei ædificatio estis.* Quæ quidem ædificatio per Baptismum inchoatur, et per Confirmationem consummatur. Confirmationis igitur *administratio episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesiâ.* Ita S. Thomas, 3 p., q. 72, a. 11, in c. 4° Quia epistola scribitur quidem *à notario, sed à Domino signatur. Fideles autem sunt quasi quædam epistola Spiritu Dei scripta sicut dicitur* 2 *ad Corinth.* 3; quæ quidem epistola Confirmatione velut sigillo et signo crucis in eâ adhiberi solito signatur. Hæc igitur consignatio reservatur episcopis, qui summam in Ecclesiâ potestatem obtinent.

Objectiones Photii et Calvini.

Objicit 1° Photius nullam esse legem sive divinam, sive ecclesiasticam, quæ confirmationem solis episcopis ut ministris ordinariis, reservet. — Respondeo legem illam repetendam esse 1° ex Actis Apostolorum. Unde Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus, Innocentius I, et Augustinus, collegerunt Confirmationis administrationem episcopis reservari : 2° ex traditione : 3° ex conciliis supra citatis.

Objicit 2° : Licet sacerdotibus ex officio baptizare; quidni confirmare? Baptismus, ut qui peccatum remittit, majoris est efficaciæ : *præterea Confirmatio est custodia sanctificationis in Baptismo comparatæ.* Quomodò verò auferes à sacerdote custodiam et sigillum illius sanctitatis, cujus ipse est auctor? — Respondeo 1° quòd Baptismus, non autem Confirmatio, Sacramentum est necessitatis, quo fit ut non solùm à presbyteris, sed etiam à laicis conferri possit : in ministerio autem Baptismi non attenditur efficacia, sed necessitas. Ita S. Thomas in comment., posteriori in 4, d. 7, q. 1, a. 5, ad 3. 2° Baptismus efficacior quidem est quantùm ad remotionem mali, etc., sed Confirmatio efficacior est ad proficiendum in bono, etc. Ita S. Thomas, 3 p., q. 72, a. 11, ad 2. 3° Confirmatio neophyti virtutem corroborat : efficacior igitur est Baptismo : non valet autem consequentia à minori ad majus : nec enim sequitur, quod ille, qui potest minus, possit et majus.

Objicit 3° : Simplex sacerdos ex officio panem consecrare potest, igitur et confirmare : qui enim potest majus, potest et minus. — Respondet S. Thomas in eodem commentario id verum esse dumtaxat, quando majus includit minus : sed sic non est in proposito. Chrismatio enim non includitur in Eucharistiæ confectione.

Objicit 1° Calvinus, *probari non posse, episcopis magis, quàm reliquis sacerdotibus convenire has partes, nisi quia incertis auctoribus ita placuit.* — Respondeo

id probari auctoritate Cornelii papæ, Cypriani, Firmiliani, Chrysostomi, Hieronymi, Innocentii I, Augustini et aliorum probatione secundâ citatorum, quos nemo dixerit auctores incertos.

Objicit 2° id probari non posse ex Scripturis sacris, quia *nullum illic est, omnium confessione, presbyteri et episcopi discrimen.* — Respondeo Cyprianum, Chrysostomum, Hieronymum, Innocentium I, Augustinum, et alios probatione primâ citatos, qui ex Actis Apostolorum colligunt episcopos, non autem presbyteros habere vim confirmandi, statuere quoque discrimen.

Objicit 3° Ananiam qui unus erat ex discipulis, adeòque non erat episcopus, Paulo dedisse Spiritum sanctum per manuum impositionem. — Respondeo huic argumento plenè satisfactum fuisse supra, probatione 1.

Objicit 4°: *Si jure divino proprium hoc munus est episcoporum, cur ausi sunt illud ad plebeios presbyteros transferre, quemadmodùm in quâdam epistolâ Gregorii legitur?* — Respondeo 1° : Gregorii mens à theologis in dubium revocatur. 2° Argumentum nihil concludit adversùs illos, qui chrismationem Confirmationi accidentalem esse contendunt. 3° Argumentum nihil concludit adversùs illos, qui absolutè negant presbyteros, ut ministros extraordinarios, posse confirmare. 4° Nihil etiam concludit adversùs alios, qui concedunt presbyteros ut ministros extraordinarios consignare posse. Illi siquidem id unum docent. jure divino proprium hoc munus esse episcoporum, ut veluti ministri ordinarii confirment.

Objicit 5° : Sequeretur hoc Sacramentum pendere à solo episcopo. Atqui error est Donatistarum, quod Sacramentum pendeat à ministri dignitate. — Respondeo aliud esse Sacramentum pendere à sanctitate ministri, aliud ab ejus dignitate : prius, non posterius, est hæreticum ; alioquin esset etiam error Donatistarum, quòd soli episcopi presbyteros ordinent, et quòd soli presbyteri Eucharistiam consecrent, imò et Baptismum administrent, secundùm Calvinum.

Solvuntur objectiones Dallæi.

Plura atque difficiliora Dallæus objicit, quæ quidem omnia ille excerpsit ex utroque antirrhetico, quo Sirmondus adversùs Aurelium probare conatus est chrismâsse olim in fronte presbyteros et diaconos, eamque chrismationem ab illis ut à ministris ordinariis adhibitam fuisse. Ut verò objectiones Dallæi diluas, quinque velim observes. Primum est, illas ferè omnes petitas esse, non ex manuum impositione, quam certum mihi videtur et essentialem esse, et neophytis olim non fuisse à presbyteris vel à diaconis adhibitam, sed ex unctione chrismatis, quam Sirmondus, aliique plures theologi negant pertinere ad Confirmationis essentiam. Quare si quis hanc postremam opinionem sequatur, omnibus Dallæi objectis, ut quæ supponant frontis chrismationem essentialem esse, unicâ responsione negativâ satisfaciet. Secundum est fieri posse ut aliquid jure divino et humano præcipiatur, vel prohibeatur; sic ordinare presbyteros utroque jure præcipitur episcopis, et utroque jure presbyteris prohibetur. Sic etiam baptizatorum frontes ungere, utroque jure episcopis reservari docet Innocentius I, in epistolâ ad Decentium. Tertium est fieri posse, ut potestas reservandi sibi nonnulla, sit de jure divino, et ipsa reservatio sit de jure, ecclesiastico ; sic in pontifice potestas reservandi sibi absolutionem gravium quorumdam criminum, juris est divini; et ipsa eorumdem reservatio juris est ecclesiastici : sic etiam in episcopis facultas reservandi sibi absolutè Confirmationis administrationem, vel eam permittendi presbyteris, juris est divini; et ipsa ejusdem reservatio, vel permissio, juris est ecclesiastici, ut docet Dominicus Soto, in 4, d. 7, a. 11. Quartum est aliud esse Confirmationem episcopis ut ministris ordinariis reservatam esse; aliud ipsis reservatam esse simpliciter et absolutè. Prius concedunt omnes catholici, posterius in dubium revocant. Plures enim theologi docent presbyteros, ut ministros extraordinarios confirmare posse. Quintum est per ministrum ordinarium et extraordinarium hìc non intelligi ministrum, qui frequens, vel qui rarò Confirmationem administrat: vel qui ex commissione seu dependenter ab alio illam exhibet. Græcorum enim episcopi rarò, presbyteri frequens confirmant, licèt illi sint ordinarii, isti verò extraordinarii ministri.

His præmissis veniamus ad objecta Dallæi, eaque, licèt pluribus capitibus dispersa, simul in unum colligamus, quibus ille contendit utramque ecclesiam ab omni ævo in eâ fuisse sententiâ, presbyteros ex officio confirmare posse, quamvis hoc munus episcopis identidem reservatum, presbyteris verò prohibitum fuerit canonibus ecclesiasticis. Quin etiam hoc munus diaconis, imò et laicis aliquando concessum fuisse docet, lib. 2, c. 9. Dividit ille Ecclesiam in occidentalem et orientalem : rationes verò quibus ille utitur, aliæ pugnant pro Ecclesiâ occidentali, aliæ pro Ecclesiâ orientali, aliæ pro utrâque.

Objicit itaque 1° pro Ecclesiâ occidentali Tertullianum qui, *ubi de Baptismi ministris agit, nullum hujusmodi discrimen inter eos statuit ut sint, quibus abluere catechumenum liceat, eumdem ungere, vel manûs impositione munire non liceat; sed totius baptismalis ministerii administrationem presbyteris, diaconis, imò et laicis, post episcopos concedit.* Ita Dallæus, lib. 2, c. 9 : unde ille concludit, et chrismatis et manuum impositionis administrationem, non solùm episcopis, sed etiam presbyteris, diaconis, imò et laicis, in Ecclesiâ occidentali concessam fuisse usque ad schisma Novatianorum et Cypriani tempora.

Respondeo in hoc ratiocinio plura doceri aut supponi, quæ certè falsa sunt. 1° Falsum est totius baptismalis ministerii administrationem, quibus verbis Dallæus solemnes quoscumque ritus Baptismi complectitur, à laicis aliquando usurpatam fuisse. Laici quidem baptizabant aliquando, urgente scilicet necessitate ; at illos, cùm baptizarent, quoslibet solemnes ritus Baptismi adhibuisse, inauditum est apud Patres et antiquos scriptores. 2° Laicis baptizare non licebat, nisi cùm salus periclitaretur, sive ut loquitur Tertul-

lianus, lib. de Baptismo, c. 27 : *Nisi cùm urgeret circumstantia periclitantis; quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod liberè potuit.* Cùm autem salus periclitaretur, nec ritus quicumque solemnes, nec ipsa unctio, aut manuum impositio adhibebantur ætate Tertulliani, quemadmodùm apparet ex Cornelii epistolâ ad Fabium, in quâ describit modum quo Novatianus in lecto decumbens baptizatus fuerat. 3° Si unctionis et manuum impositionis administratio non solùm ad episcopos, sed etiam ad presbyteros, diaconos, imò et laicos pertinuit ad schisma usque Novatianorum, id est, ad annum usque 254, quo Cyprianus jam senex tribus aut quatuor abhinc annis creatus fuerat episcopus : quomodò idem Cyprianus in epistolâ 73 ad Jubaianum asseruit, morem esse Ecclesiarum, ut qui à presbyteris, vel diaconis baptizati essent, offerrentur præpositis Ecclesiæ, id est, episcopis, ut per eorum orationem et impositionem manuum Spiritum sanctum consequerentur? quâ fronte morem illum in eâdem epistolâ repetiit ex facto Petri et Joannis in Actis Apostolorum relato? Mitto Chrysostomum, Innocentium I, Hieronymum, Augustinum, Isidorum Hispalensem, Bedam, Theodulphum Aurelianensem, Jonam Aurelianensem, Patres concilii Parisiensis et alios, qui ex eodem facto Petri et Joannis inferunt jus confirmandi residere penes solos episcopos. 4° Tertullianus, lib. de Baptismo, c. 17, Baptismi quidem administrationem tribuit primùm episcopis; *dehinc presbyteris et diaconis, non tamen sine episcopi auctoritate;* denique laicis, *cùm urget circumstantia periclitantis.* Verùm à quo ætate suâ conferretur unctio manuumque impositio, nullibi tradit. Quod autem tacuit Tertullianus, docuit Cornelius in epistolâ ad Fabium, docuit Cyprianus in epistolâ 73 ad Jubaianum, qui hoc munus solis episcopis tribuunt. Recole quæ supra dicta sunt, ubi de mente Tertulliani, object. 5.

Objicit 2° Dallæus canones 38 et 77 Illiberitanos, ex quibus, inquit, lib. 2, c. 9, clarum est presbyteris, imò et diaconis jus etiam tum fuisse, ut quos tingerent, iis manus imponerent. *Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero, aliquos baptizaverit, hi,* inquit can. 77, *per benedictionem perficiantur.* Ergo, inquit, ubi episcopus vel presbyter erat, nulla fuit hujusmodi necessitas. Quidni? quia scilicet, qui vel ab episcopo, vel à presbytero, baptizabantur, iisdem manus imponebatur; non fuisset autem imposita, si presbyter imponendæ jus nullum habuit. Et sub finem capitis : *Si quis,* inquiunt, *diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero, aliquos baptizaverit, eos per benedictionem perficere debebit.* Jubent, inquit, diaconum, quos baptizat, per benedictionem perficere. Perfici autem per manûs impositionem in superiori canone 38 docuerunt. Ergo et manus baptizatis imposuit diaconus.

Respondeo : Legitimum utriusque canonis sensum exposuimus supra, ubi de synodo Illiberitanâ. Observare modo satis erit, miram esse et fidem et subtilitatem Dallæi, qui eumdem canonem in eodem capite diversimodè refert, eique sensus oppositos affingit : in priori enim ratiocinio supponit diaconos non habere jus imponendi manum, in posteriori hoc eis officium concedit. Præterea canonem ille utrobique depravat : sic enim habetur : *Si quis, diaconus,* etc., *episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Ita legunt Garcias et Mendoza ad hunc canonem : et Burchardus, lib. 4 Decr., cap. 92, qui hunc canonem concilio Turonico, can. 3, tribuit.

Objicit 3° Sylvestrum primum, hoc privilegium episcopis contulisse, *ut etiam à presbyteris tinctos obsignarent, uno excepto casu, si baptizatum presbyter in mortis periculo esse videat, quâ occasione ei concedit, ut baptizatum chrismet.* Sic ille, lib. 2 c. 20, interpretatur hæc verba pontificalis pseudo-Damasi, in vitâ Sylvestri I : *Sylvester privilegium episcopis contulit, ut baptizatum consignent propter hæreticam suasionem. Hic et hoc constituit, ut liniat presbyter chrismate levatum de aquâ propter occasionem transitûs mortis :* (vel, ut legit Ratramnus, lib. 4 contra Græcorum objectiones) *constituit ut privilegium sit episcopis, ut baptizatos chrismate sancto consignent propter hæreticam insimulationem.* Quibus Dallæus subjicit : *Si hoc suâ constitutione privilegium episcopis contulit ut baptizatos consignent; ergo ante hoc ejus decretum presbyteris cum episcopo communis fuit potestas baptizatos consignandi.* Huic objectioni plura responderi possunt. 1° Ab hâc difficultate facilè sese expediunt, qui frontis chrismationem Confirmationi accidentalem esse contendunt : nec enim illam episcopis jure divino, sed ecclesiastico reservari volunt. 2° Hujus libri auctoritas exigua est, ut viri eruditi consentiunt, præsertim Baronius, à quo passim in Annalibus vapulat et gravis ἀνιστορησίας convincitur. 3° Hic liber recentior est. Baronius et Bellarminus scriptum aiunt ab Anastasio bibliothecario, qui anno 858, vel etiam paulò seriùs scribere et innotescere cœpit. Alii Anastasio superiorem faciunt, quia citatur à Walafrido, lib. de Exordiis et Incrementis rerum eccles., c. 26; ab Amalario lib. 1 de Officiis eccles., c. 27, et à Rabano lib. 1 de Instit. cleric., c. 28, quorum primus vivere desierat anno 849, alter scripsit ad annum 830, postremus anno 819. Blondellus priorem facit Hadriano I, Beda et Isidoro Hispalensi, qui hujus libri testimoniis usi videntur; Hadrianus quidem in epistolâ pro VII synodo; Beda, in lib. de sex Ætatibus, et hom. in feriâ 3 Palm., et Isidorus quem anno 636 mortuum esse constat, in epist. ad Redemp. diacon. Utut sit, hic liber recentior est, ut fidem facere possit de re quâdam initio seculi IV constitutâ, cujus nullus auctor ipso prior meminit. 4° Hujus auctoris testimonio repugnat Innocentius I, qui scripsit ineunte seculo V, suæque sedis statuta melius noverat, quam auctor pontificalis. Ille siquidem in epistolâ ad Decentium, morem, quo soli episcopi neophytis frontes consignant, repetit ex traditione apostolicâ, non ex fictitio Sylvestri decreto. 5° Cornelius Papa qui floruit medio seculo III apertè innuit munus consignandi neophytos pertinere ad solos episcopos. Hoc igitur munus in

Ecclesiâ Romanâ non erat commune episcopis et presbyteris, antequàm Sylvester ad pontificatum eveheretur. 6° Si consignandi munus ante Sylvestri pontificatum, commune fuit episcopis et presbyteris, quomodò Cornelius, Cyprianus et Firmilianus, Sylvestro superiores illud solis episcopis tribuunt? 7° Si Sylvester omnium primus, hoc munus, quasi privilegium episcopis concessit, quorsùm Innocentius hanc episcoporum auctoritatem suæ sedi acceptam minimè refert; sed illam ab Apostolis descendisse fatetur, in epistolâ ad Decentium, in quâ tamen primatum aliaque jura suæ sedis acerrimè vindicat? 8° Si solo Sylvestri decreto confirmandi munus reservatur episcopis, quorsùm Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, aliique supra citati ex Actis Apostolorum illud repetunt? 9° Hodiernus hujus libri textus videtur diversus ab eo, quo Rabanus usus est. Legimus, inquit lib. 1 de Institut. clericorum c. 28, et in Gestis Patrum, *quòd Sylvester papa in Ecclesiâ Romanâ constituerit, ut sicut potestas et privilegium apud solum episcopum constat, quod sacrum chrisma ipse conficiat, et baptizatum per manûs impositionem cum ipso chrismate consignet propter hæreticam suasionem; ita presbyter eodem chrismate liniat baptizatum levatum ex aquâ propter occasionem transitûs mortis.* Quæ quidem verba alium omninò sensum generant. 10° Præfatus pontificalis textus duas constitutiones complectitur, quæ de unctione, non eâdem, ut supponit Dallæus, sed duplici et diversâ loquuntur, frontali scilicet et verticali, ut Walafridus, loco citato, Amalarius, loco etiam citato, Rabanus, lib. 1 de Institut., c. 28 et 30, Rupertus, lib. 5 de divinis Officiis, c. 16, et Hugo Victorinus, lib. 2, de Sacramentis, p. 7, c. 3, optimè observârunt. 11° Walafridus, Amalarius, Rabanus, et Rupertus adductum pontificalis textum ita interpretantur ut verticalis quidem unctio Sylvestri decreto instituta et presbyteris concessa fuerit, ut Confirmationis defectum utcumque supplerent: sed frontalis ab omni ævo fuerit episcopis reservata. 12° Hugo Victorinus, lib. 2 de Sacramentis, parte 7, cap. 3, præfatum Sylvestri decretum interpretans, ait frontis unctionem episcopis reservari, non quòd antea communis esset episcopis et presbyteris, sed quia cùm omnis unctio primis Ecclesiæ seculis fieret per solos episcopos, Sylvester frontalem episcopis reservans, verticalem permisit presbyteris. *Primis*, inquit, *temporibus omnis unctio chrismatis per solos episcopos fiebat, sed postea constitutum est, ut baptizatum sacerdos in vertice liniat, consignatio tamen frontis solis pontificibus reservaretur.* 13° Textus ille pontificalis duo decreta complectitur, non quæ eodem collineent, et de eâdem unctione loquantur, ut Dallæus supponit, sed quæ disparata sint. Prius intelligi debet de unctione frontis, posterius de unctione verticis: prioris sensus, meâ quidem sententiâ, repeti debet, ex his verbis Romani concilii sub Sylvestro habiti seu potiùs suppositi, *Sylvester constituit*, etc., ut in sequenti objectione: posterioris interpretatio repeti debet ex his Ruperti et Hugonis verbis: *Constituit, ut baptizatum presbyter in vertice chrismate liniat, propter occasionem quidem transitûs mortis, ne fortè per absentiam episcopi, et difficultatem cum consequendi, sine manûs impositione baptizatum ab hâc vitâ migrare contingeret.* Ita Hugo: paulò aliter Rupertus, eodem tamen sensu.

Objicit 4° quæ in brevi epilogo concilii Romæ, anno 325, sub Sylvestro habiti leguntur: *Constituit* (Sylvester) *ut presbyterum Arianum resipiscentem nemo susciperet, nisi episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, et sacro-sancto chrismate per episcopalem manuum impositionem sancti Spiritûs gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret. Juris est igitur humani, quod Confirmatio episcopis reservetur.* Ita Dallæus, lib. 2, cap. 20.

Tria responderi possunt; hæc enim objectio petitur ex chrismatione et manuum impositione factâ super hæreticos ad Ecclesiam redeuntes: quæ quidem utrum fuerit sacramentum in dubium revocatur. Deinde nihil repugnat unam eamdemque rem utroque jure divino et humano, præcipi vel prohiberi: *imò*, inquit Major, in 4, dist. 7, *moris est pontificum crebro præcipere illa, quæ juris divini sunt. Sic Platina dicit, Sylvestrum instituisse, quòd unius viri unica esset uxor: et tamen hoc liquet esse de jure divino.* Præterea potestas reservandi absolutè episcopis administrationem Confirmationis juris est divini, licèt absoluta ejusdem reservatio juris sit ecclesiastici. Denique canonem illum, et ipsum epilogum, et concilium ipsum cui præfigitur, supposita esse pluribus argumentis ostendi potest: canonem quidem, quia hæc fuit antiqua et constans Ecclesiæ romanæ consuetudo, ut Ariani, aliique hæretici per solam manuum impositionem admitterentur: quâ de re infra; epilogum verò suppositum esse hæc docent: 1° In eo asseritur, quòd Nicæna synodus à Sylvestro convocata fuerit, quam tamen à Constantino convocatam fuisse, tradit Rufinus, lib. 1, c. 1. 2° In eo asseritur quòd in Nicænâ synodo et in Romanâ eodem tempore habitâ, damnatus fuerit Photinus; cum ex actis Sirmiensis concilii longo post tempore, damnatum fuisse constet. 3° In eo episcopi dicuntur simpliciter *præsules*: romanus verò episcopus vocatur *præsul summus*, quæ tamen appellatio hisce temporibus nondùm erat propria romanis pontificibus: illam enim adhuc seculo VII cuilibet episcopo concessam fuisse, constat ex canone 7, concilii II Hispalensis, anno 619 habiti. 4° In eo definitur *præsulem summum*, id est, romanum pontificem, ab aliis episcopis judicari non posse, *quoniam scriptum est, non est discipulus super magistrum.* Quæ quidem ratio, et inepta, et injuriosa episcopis est; nec enim romani pontifices cæteros episcopos unquàm ut discipulos, sed ut fratres semper habuerunt. 5° In eo fit mentio presbyterorum et diaconorum cardinalium. 6° Quia in eo rationes et ineptæ et pueriles, et falsæ afferuntur: ut cùm prohibetur, *ne clericus propter quamlibet causam intret in curiam, quoniam omnis curia à cruore dicitur;* quasi verò curia à cruore, non à curâ derivetur. 7° Quia in eo refertur concilium romanum, cui præfixus est hic epilogus, 13 kalendas julii, eodem tempore, quo Nicænum celebratum fuisse cum concilio Constantini,

qui eidem romano concilio adfuisse dicitur. Atqui Constantinus tunc aderat Nicææ. Ipsam etiam synodum romanam, cui præfigitur hic epilogus, adulterinam esse probatur. 1° Quia canonum constitutio facta dicitur à Sylvestro et Constantino. 2° Quia facta dicitur à domino Constantino, prætermissis quibuscumque aliis titulis honorificis, quibus imperatores nominari solebant. 3° Quia cap. 1, Constantinus dicitur à Sylvestro baptizatus et à leprâ mundatus. 4° Huic synodo interfuisse dicuntur ducenti septuaginta et unus episcopi, quorum nomina describuntur, videlicet centum triginta et novem *ex urbe Româ, vel non longè ab illâ, et ex Græciâ* centum triginta et duo. Quis verò crediderit romanam sedem habuisse 139 sedes immediatè sibi subjectas? quis sibi persuaserit Sylvestrum Romæ collegisse 132 ex Græciâ episcopos, eodem præsertim tempore, quo Nicæna synodus habebatur? 5° In hoc concilio soli episcopi sedisse, presbyteri autem Romani omnes, et diaconi à tergo sedentium episcoporum stetisse narrantur : cùm tamen presbyteri olim sederent coram episcopo, ex concilio Carthaginensi, can. 34; eaque consuetudo etiam Romæ observaretur, ex Hieronymo, in epist. 85, ad Evagrium : *Cæterùm*, inquit, *etiam Romæ presbyteri sedent, et stant diaconi, licèt paulatim increbrescentibus vitiis, inter presbyteros, absente episcopo sedere diaconum viderim.* 6° Capite 2, Sylvester filios suos nuncupat Constantinum et Helenam : *Filiorum nostrorum augustorum.* 7° Capite 3, romanus episcopus dicitur *præsul summus* : cæteri episcopi dicuntur *præsules* simpliciter. 8° Rationes, in hoc concilio et ineptæ, et pueriles, et falsæ referuntur : Sic, cap. 3, definitur romanum pontificem non esse judicandum ab aliis episcopis, *quoniam scriptum est : Non est discipulus super magistrum.* Sic, cap. 5, prohibetur ne presbyter chrisma conficiat, *quoniam Christus à chrismate vocatur.* Sic, cap. 16, interdicitur, *ne clericus propter suam causam quamlibet, intret in curiam, quoniam omnis curia à cruore dicitur.* 9° Capite 4, ecclesiastici reditus in quatuor partes dividuntur : quæ distributio Sylvestro posterior est. 10° Capite 6 et 7, mentio fit presbyterorum et diaconorum cardinalium. 11° Capite 12, statuitur Baptismum quidem omnibus concedendum; Pœnitentiam verò iis duntaxat, qui quadraginta annos attigissent. 12° Capite 20, definitur primam sedem à nemine judicari posse, *quoniam omnes sedes à primâ sede justitiam desiderant temperari.* 13° Capite 20, decernitur sedis Ecclesiæ judicem, *neque ab Augusto, neque à regibus*, etc., *judicandum esse.* Atqui sub Constantino nullos in imperio romano fuisse reges certum est. Monet quidem Labbæus vocem *à regibus* desiderari in epistolâ Nicolai I ad Michaelem imperatorem. Verùm in eâ totidem terminis legitur hujusce concilii decretum, ut patebit legenti epistolam 8 ejusdem pontificis ab ipsomet Labbæo relatam, tomo 8, pag. 305. 14° Capite 10 et 20, utrique sessioni (duabus enim illud concilium absolutum fingitur) subscribit Constantinus, nempe Junio, qui tamen anno 325 Nicænæ synodo intererat. 15° Subscribunt Constantinus et mater ejus Helena : atqui mauditum est mulieres subscripsisse conciliis. 16° Hoc concilium dicitur absolutum, *Domno Constantino consule* : vox *domnus* nec Latina est, nec Sylvestri ætate erat in usu. 17° Hæc synodus absoluta dicitur domno Constantino (juniore scilicet) et Prisco consulibus. Priscus autem à patre occisus est initio anni 324. Hanc igitur synodum, et brevem epilogum ei præfixum, jure suspicantur eruditi, mercem esse Isidori mercatoris supposititiam.

Objicit 5° Hieronymum in dialogo adversùs Luciferianos, cap. 4, cujus textum licet prolixum describamus necesse est, ut inde appareat, cui parti faveat Hieronymus.

An nescis, inquit Luciferianus, *ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum*, etc. Quibus orthodoxus : *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat. Sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas*, etc. *Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui, disce hanc observationem ex eâ auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potiùs sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Alioqui si ad episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in remotioribus locis per presbyteros baptizati ante dormierunt, quàm ab episcopis inviserentur.* Dallæus ibi doceri contendit juris esse duntaxat ecclesiastici, quod *in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipiat Spiritum sanctum.* 1° Quia Hieronymus id repetit ex ecclesiarum consuetudine : *Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem*, etc. 2° Quia id repetit ex legibus Ecclesiæ : *Sed quale est, ut leges Ecclesiæ*, etc. 3° Quia ait *multis in locis id factitatum.* Atqui hoc ipsum quòd in multis non in omnibus locis id fieret, arguit non id fuisse à Christo traditum, à quo quæcumque præcepta sunt et instituta, ea ubique valere debent. 4° Quia ait, *multis in locis id factitatum esse ad honorem potiùs sacerdotii, quàm ad legis necessitatem.* 5° Quia *si ad episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in remotioribus locis per presbyteros baptizati, ante dormierunt, quàm ab episcopis inviserentur.* Ita pluribus Dallæus, lib. 2, cap. 22.

Huic argumento plura responderi possunt. Juxta mentem Dominici Soto (qui docet juris quidem esse divini, quòd episcopus jus habeat sibi reservandi Confirmationem, vel eam permittendi presbyteris : quòd autem illam sibi reservet, adeòque solus ipse confirmet, juris esse duntaxat ecclesiastici), totum argumentum concedi debet.

Baronius ad annum 594, n. 15, ait ex hoc loco sequi duntaxat, episcopum ita esse ministrum Confirmationis ordinarium, ut hæc administratio essentialiter

ad ipsum non pertineat, sed presbyteris committi possit.

« Ut autem, inquit, retundamus eorum sententiam, « qui ministerium episcopale constituunt esse de es- « sentiâ Sacramenti Confirmationis, accipe quid dicat « S. Hieronymus scribens adversùs Luciferianos. *Quod « si*, inquit, *hoc loco quæris*, etc.; cùm igitur dicat « S. Hieronymus *potiùs ad honorem quàm ad necessi- « tatem*, eam episcopis in Sacramento Confirmationis « functionem pertinere; intelligere potes non adeò « esse de Sacramenti essentiâ, ut jubente pontifice non « possit impleri per presbyterum. » Quamobrem juxta Baronium sic interpretari debent verba Hieronymi: Multis in locis factitatum reperimus, ut ad eos, qui in minoribus urbibus baptizati sunt, episcopus eis solus manum impositurus excurrat; quod quidem fit *ob honorem sacerdotii*, non autem *ob legis necessitatem*, quasi hoc Sacramentum ab episcopo absolutè conferri oporteat; ejus enim administratio presbyteris committi potest.

Bellarminus, c. 12, respondet hæc verba, *non ad legis necessitatem*, non referri ad legem ministrandi Confirmationem (quæ Baronii sententia est), sed ad legem consequendæ salutis, ut sensus sit: solis episcopis tributum esse, quòd confirment: *non ob legis necessitatem*, quasi Confirmationis administratio absolutè necessaria sit ad salutem; sed *ob honorem potiùs sacerdotii* quod Christus hujus Sacramenti administratione honorare voluit. Si cui verò hæc solutio non placeat, aliam subjicit. *Dici potest*, inquit, *loqui Hieronymum de lege quæ sumatur ex naturâ rei, ut sensus sit: id esse tributum solis episcopis, non ob legis necessitatem, id est, non quòd id necessariò requirat natura rei, quasi aliter fieri non posset; sed quia voluit Dominus hâc re honorare episcopalem dignitatem.*

Respondeo ad primum et secundum argumentum nihil repugnare quominùs idem utroque jure reservetur episcopis: sic oblatum pro mortuis sacrificium utroque jure statuitur, ex Augustino, lib. de Curâ pro mortuis, c. 1: sic frontis consignatio utroque jure *solis pontificibus debetur*, ex Innocentio, in epistolâ ad Decentium: sic in præfato Hieronymi textu, *Ecclesiarum mos, quo baptizatis postea manus imponuntur, et ita invocatur Spiritus sanctus, originem ducit ex Actibus Apostolorum. Sic in eodem textu, observatio, quâ in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipit Spiritum sanctum, descendit ex eâ auctoritate, quòd post ascensionem Domini Spiritus sanctus ad apostolos descendit.*

Ad tertium verò, quartum et quintum argumentum respondeo Hieronymi sensum hunc esse. Multis in locis id factitatum reperimus, ut ad eos qui in minoribus urbibus baptizati sunt, episcopus eis manus impositurus excurrat; quod quidem fit *ad honorem potiùs sacerdotii*, quia Christus illud hujus Sacramenti administratione honorare voluit: vel *ad honorem potiùs sacerdotii*, id est, ut episcopus suo munere fungatur: *Quàm ad legis necessitatem*, quasi Confirmatio necessaria sit ad salutem; alioqui lugendi sunt, qui in remotioribus locis per presbyteros baptizati, ante dormierunt, quàm ab episcopis inviserentur, et ab ipsis confirmarentur. Recole quæ supra dicta sunt de mente Hieronymi.

Urget Dallæus hæc verba. *Si ad episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in remotioribus locis per presbyteros et diaconos baptizati*, etc. Igitur ex Hieronymo non solùm episcopi, sed et presbyteri, imò et diaconi Spiritum sanctum conferunt.— Respondeo aliud esse Spiritum sanctum conferri per Baptismum, aliud illud conferri per manuum impositionem. Priori modo confertur ad remissionem peccatorum; posteriori ad robur et gratiæ baptismalis custodiam. Prius in textu præfato Hieronymus presbyteris et diaconis concedit: posterius solis episcopis, quâ de re supra, ubi de mente Hieronymi.

Urget et alia verba, quæ statim sequuntur. *Inde venit, ut sine chrismate et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi.* Presbyteri igitur et diaconi baptizare non poterant, nisi baptizati frontem statim ungerent.

Verùm chrismationem, de quâ Hieronymus, non esse unctionem frontis, sed verticis, aut aliam quam volueris, Baptismo priorem vel posteriorem, multa suadent. Primum quidem ex Dallæo, lib. 2, c. 20, Sylvester frontis unctionem solis episcopis reservavit. Hæc igitur Hieronymi ætate communis non erat episcopis, presbyteris et diaconis. Deinde chrismatio, de quâ Hieronymus, ea est sine quâ presbyteris vel diaconis non licet baptizare. Atqui ex Dallæo, lib. 2, c. 23, frontis chrismatio diaconis interdicitur, canone 20 concilii Toletani anno 400 celebrati, adeòque æqualis Hieronymo. Præterea Hieronymus Romæ scripsit dialogum contra Luciferianos. Atqui presbyteros, multò minùs diaconos, Romæ frontem baptizatorum consignâsse negat Innocentius I, Hieronymo æqualis, in epistolâ ad Decentium. Adde quòd in eâdem epistolâ Innocentius asserit *consuetudinem ecclesiasticam esse*, ut soli pontifices in fronte chrisment, eumque usum repetit, *et ex illâ lectione Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum*, et ex hâc fidei regulâ, nimirùm quia *presbyteri licèt sint sacerdotes, pontificatûs tamen apicem non habent.* Chrysostomus et Augustinus Hieronymo æquales, ille quidem in oriente, iste verò in Africâ, manuum impositionem et confirmatoriam unctionem solis episcopis tribuunt; idque colligunt ex facto Petri et Joannis, Actorum 8. Ambrosiaster etiam, qui sedente Damaso pontifice, scripsit in Paulinas epistolas, adeòque fuit æqualis Hieronymo, cùm varias ecclesiarum consuetudines scrutaretur, hujusce, quâ presbyteri, absente episcopo, frontem consignant, exemplum in occidente nullum reperit, sed à semotissimis Ægypti ecclesiis petiit. Quâ de re pluribus, § sequenti. Gelasius I frontis unctionem vocat *consignationem pontificalem*; eamque, sicut *et chrismatis conficiendi potestatem, episcopali fastigio deberi, nec à presbyteris, nisi temerè usurpari posse, qui ultra suum modum tendunt*, dùm illum sibimet audacter assumunt, testatur anno 494, in epistolâ ad episcopos Lucaniæ, c. 6, Concilium Arelatense III, anno circiter 455, san-

civit ut monachi Lerinenses : *Non nisi ab episcopo Forojuliensi, neophyti si fuerint, confirmentur.* Concilium Hispalense II, cui Isidorus Hispalensis anno 619 præfuit, frontis consignationem inter ea recenset, quæ reservata sunt episcopis, presbyteris verò interdicta : *Quia pontificatûs apicem non habent.* Isidorus Hispalensis, lib. 2 de Officiis, c. 26, uti manuum impositionem, ita frontis chrismationem, ait *solis pontificibus deberi*, eamque reservationem repetit *ex ecclesiarum consuetudine, ex Actis apostolorum*, et fidei doctrinâ, quâ constat *presbyteros licèt sint sacerdotes, non habere pontificatûs apicem.* Postremò omnes ecclesias occidentales, Romanam eâ in re semper secutas esse, testatur Ratramnus in textu supra adducto ex libro 4 contra Græcorum opposita : testatur Nicolaus I, in epist. 70 ad Hincmarum, etc. *Hesperiæ regiones*, inquit, *nunquàm à sede beati Petri in hujusmodi quæstionibus dissonantes inventæ sunt.* Testatur et Innocentius III, extra. de Consuetudine, cap. *Quantò* : contrariam enim Græcorum presbyterorum consuetudinem damnans : *Et Sacramenta*, inquit, *præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab apostolorum tempore fuerunt solis pontificibus reservata.* Si quæ igitur synodi seculo IV vel V celebratæ presbyteris aut diaconis consignare permittunt, de verticis consignatione (quam Innocentius in eâdem epistolâ jam pridem in usu fuisse testatur) intelligi debent; non autem de frontis in Ecclesiâ baptizatorum unctione, quæ in Occidente ab omni ævo episcopis reservata, presbyteris nunquàm permissa reperitur ad Gregorii I pontificatum. Frontes eorum excepi, qui in Ecclesiâ baptizati sunt; quia de consignatione frontis hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium, major est difficultas. Verùm quocumque modo se res habuerit, presbyteris id non licuit, nisi permittentibus et committentibus episcopis, vel canonibus : adeòque presbyteri non erant ministri ordinarii. Propositionem quoque ad occidentalem Ecclesiam restrinxi, quia de orientali meritò dubitatur, num in eâ presbyteri, seculis IV, V, et retrò sequentibus ex præsulum commissione consignaverint. Quâ de re pluribus infra.

Objicit 6° synodum II Carthaginensem, quæ anno 390 congregata, sic habet, canone 3. *Chrismatis confectio à presbyteris non fiat.* Igitur presbyteri chrisma in Africâ ante annum 389 conficiebant : quantò magis eo utebantur, id est, chrismabant : ita Dallæus, lib. 2, c. 23. — Respondeo ex hâc interdictione sequi tantùm presbyteros nonnullos in Africâ chrismatis confectionem usurpâsse. Quorsùm? incertum est : chrismatis enim plures erant usus, quorum alii presbyteris erant permissi, ut aquæ baptismalis per chrismatis infusionem consecratio, et verticis unctio : alii prohibiti erant, ut consignatio frontis neophyti, et episcoporum, altarium, et templorum consecratio.

Instat. Synodus III Carthaginensis anno 397 interdictam ante annos septem presbyteris chrismatis confectionem, iteravit, canone 36. Priori igitur *interdictioni malè paruerant presbyteri. Quare? nisi quia grave iis erat eo abstinere, quod antea licuerat.*

Quasi verò presbyterorum inobediètia, si qua fuerit ex eorum contumaciâ oriri non potuerit. Sed reverà canon ille minimè supponit presbyteros malè paruisse, sed mera est modificatio canonis 3 synodi II Carthaginensis, quo *chrismatis confectio, et puellarum consecratio*, presbyteris absolutè interdicitur. Cui quidem canoni synodus III temperamentum aliquod adhibens, permittit, ut presbyteri, jubente episcopo virgines consecrent, non autem ut chrisma conficiant. *Presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma verò nunquàm conficiat.*

Urget. Utraque *hæc synodus conficere quidem chrisma prohibet, eo uti non prohibet. Id igitur clarissimè demonstrat presbyteris utendi, id est, chrismandi, jus integrum etiam posthàc in Africâ fuisse.* — Respondeo Dallæum id supponere, quod ipsi probandum incumbit : scilicet presbyteros ante utramque synodum habuisse jus consignandi frontes baptizatorum. Nec enim jus illud post utramque synodum superstes esse potuit, si nullum fuit ante utramque synodum.

Objicit 7° canonem 20 concilii I Toletani anno 400 habiti, quo Patres illi chrismatis confectionem à nonnullis presbyteris factam non rescindunt; sed tantùm edicunt, ne in posterum ita fiat. *Placuit ex hâc die nullum alium, nisi episcopum, chrisma facere.* Quod si in quibusdam locis Hispaniæ licuit presbyteris chrisma conficere, quantò magis eo uti ad frontes consignandas. — Respondeo 1° chrisma à presbyteris confectum ab hâc synodo improbari, quâ de re supra, parte 1, q. 2, art. 3, sect. 6, § 15, n. 2, ubi de mente Montani archiepiscopi Toletani, qui floruit ad annum 530, quique synodi Toletanæ sensum, suæque sedis et contrariam Hispaniæ ecclesiarum consuetudinem meliùs noverat quàm Sirmondus, et qui ex ipso hæc argumenta mutuatus est, Dallæus. Respondeo 2° non deesse theologos, qui concedant chrismatis confectionem, non autem Confirmationem presbyteris committi posse. Respondeo 3° non deesse theologos, qui existiment chrisma, jubente episcopo à presbyteris confici posse, quamvis omnes unanimi consensu negent episcopos ex eo consecrari posse à presbyteris. Respondeo 4° hanc propositionem aliquando falsam esse, *qui potest majus, potest et minus*, in iis præsertim quæ ad religionem attinent : quâ de re supra. Respondeo 5° conficere chrisma, non esse quid majus, quàm Confirmationem ex eo administrare, aut episcopos ex eo consecrare. Materia enim, etiam in Sacramentis, minùs perfecta est, minùsque virtutis habet, quàm forma. Atqui Sacramentum præter materiam includit virtutem formæ ejusque perfectionem.

Objicit 8° Innocentium I, in suâ epistolâ ad Decentium, presbyteris omnium primum prohibuisse frontem baptizatorum chrismare. Ita ille, lib. 3, cap. 1. Verùm si ex Dallæo, lib. 2, cap. 20, Sylvester, anno 325, frontis chrismationem presbyteris abstulit, ut illam episcopis reservaret; quî fieri potest, ut Innocentius, anno 416, omnium primus illam episcopis reservaverit? Deinde Innocentius in hâc ipsâ epistolâ frontis chrismationem non interdicit presbyteris, sed hanc interdictionem repetit ex ecclesiasticâ consue-

tudine, et ex apostolorum Actis: quâ igitur fronte Dallæus scripsit: *Innocentii pontificis Romani decretali anno 416 quinti seculi datâ, presbyteris frontem baptizatorum chrismare primò prohibitum esse, disertè reperitur.*

Dallæus, lib. 3, cap. 6, urget caput 6 ejusdem epistolæ, quo conceditur, ut *baptizati, qui postea à dæmonio, vitio aliquo, aut peccato interveniente, corripiuntur, à presbytero possint consignari, et manus eis à presbytero imponatur.* — Respondeo 1° id non concedi presbytero, nisi eâ lege, *ut episcopus imperet ut ita fiat,* et *auctoritatem dederit id efficiendi.* 2° In hoc capite 6 non indicari hanc consignationem in fronte faciendam esse. 3° Hanc consignationem non videri confirmatoriam esse; tum quia non solùm presbytero conceditur, sed etiam *cæteris clericis;* tum quia capite 3 ejusdem epistolæ confirmatoria neophytorum consignatio, utroque jure divino et ecclesiastico episcopis reservatur. 4° Hanc consignationem eamdem videri, de quâ Gregorius Turonensis, lib. 7, cap. 44, ubi Agericus, Virodunensis episcopus, refertur *exorcismum super puellam* energumenam *dixisse, ac frontem oleo sancto perunxisse.*

Objicit 9° canonem 2 concilii I Arausicani anno 441 coacti. *Nullus ministrorum qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquàm debet progredi,* etc. Ita Dallæus, lib. 3, cap. 2. Sed canonem illum de verticis unctione interpretandum esse probavimus supra. Sanè in statutis Bonifacii archiepiscopi Moguntini, tomo 9 spicilegiorum Dacherii relatis, cap. 4 decernitur, *ut presbyteri sine sacro chrismate alicubi non proficiscantur:* quamvis idem Bonifacius existimaverit confirmatoriam unctionem ad solum episcopum pertinere, quemadmodùm apparet ex responsis Gregorii II et III ad eumdem Bonifacium. Eodem sensu intelligi debet canon 27 synodi Arelatensis II anno 452, qui ex II Arausicano exscriptus est.

Objicit 10° canonem 3 Vasensis primæ synodi, anno 442 habitæ, quo præcipitur, *ut presbyteri, vel ministri,* id est, diaconi *à suis propriis episcopis per annos singulos chrisma petant, appropinquante solemnitate paschali; quia optimum est ut ipse suscipiat, qui eo in tradendo usurus est.* Si quid obstat, saltem is, cujus officii est sacrarium disponere, mittatur. *Presbyteri autem et diaconi, eo in tradendo utuntur, dùm frontem chrismant.* Ita Dallæus, lib. 3, cap. 3.

Verùm chrismatio, de quâ ille canon, à frontis unctione differt. Laudatur enim hic canon à Montano archiepiscopo Toletano, in epistolâ quam ille ad fratres territorii Palentini anno circiter 530 scripsit; qui tamen in eâdem epistolâ chrismatis confectionem presbyteris jure divino prohibitam, quantò magis frontis chrismationem eodem jure vetitam, asserit. Eadem etiam constitutio verbo ad verbum refertur in canone 60 concilii Wormatiensis, anno 868 habiti, quamvis ex canone 34 ejusdem concilii, et auctoritate eorum omnium, qui seculo IX scripserunt, constet frontis chrismationem præsulibus reservatam esse. Chrismatio igitur, de quâ Vasensis canon, non respicit frontem, sed pectus aut verticem baptizatorum, vel aquæ baptismalis consecrationem; chrisma enim per ecclesias distribui solebat, ut presbyteri eo uterentur, et in unctionibus Baptismi, et in aquæ baptismalis sanctificatione. *Placuit,* inquit canon 4 concilii III Bracarensis anno 572 celebrati, *ut modicum balsami, quod benedictum pro Baptismi Sacramento per ecclesias datur, quia à singulis tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulteriùs exigatur: ne fortè quod pro salute animarum per invocationem sancti Spiritûs consecratur, nos venundare damnabiliter videamur.*

Objicit 11° canonem 1 synodi I Arausicanæ, quo decernitur: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si desit episcopus, à presbyteris cum chrismate et benedictione consignari, si ii catholici esse desiderarent.* Et canone 17 concilii Epaonensis, ad annum 517 convocati: *Presbyteros propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis et decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate petimus subvenire, quod omnes conversuri, si sani sunt, ab episcopo noverint expetendum.* Presbyteris igitur licebat ex hæresi conversos in mortis discrimine chrismare, multòque adeò magis neophytos; fuisse enim illorum receptionem quàm horum Confirmationem operosiorem ex eodem canone apparet, qui ex hæresi conversos chrismate et benedictione consignare, non nisi presbyteris, et quidem urgente morbi necessitate, concedit. Ita Dallæus, lib. 3, cap. 3 et 5. — Respondeo 1° dubium esse, utrùm hæc hæreticorum consignatio fuerit Confirmationis Sacramentum, quâ de re infra. 2° Hæc chrismatio iisdem canonibus committitur et præcipitur presbyteris urgente mortis periculo. Presbyteri igitur hujusce chrismationis ministri sunt extraordinarii.

Objicit 12° Martinum, Dumiensem primò abbatem, postea Bracarensem episcopum, qui præfuit synodo III Bracarensi anno 572, et pervenit ad annum 580, ex Gregorio Turonico, lib. 5 Histor., cap. 38. *Presbyter,* inquit, *præsente episcopo, non signet infantes, nisi fortè ab episcopo fuerit illi præceptum.* Eos igitur ex officio signabant, absente episcopo. Ita ille, lib. 3, cap. 5. — Respondeo 1° consequentiam apud Dallæum nullam esse. Ille siquidem, lib. 3, cap. 9, docet frontis chrismationem canone 7 concilii Hispalensis II, presbyteris præsente episcopo licitam non esse *sine præcepto sui episcopi;* quamvis concedat illam eodem canone presbyteris prohiberi absente episcopo. 2° Canonem illum ex canone 20 Toletanæ synodi I excerptum esse; adeòque eodem sensu intelligendum esse, nimirùm de verticis, non autem de frontis consignatione.

Objicit 13° Gregorium Magnum, qui anno 593 ad Januarium Calaritanum apud Sardos episcopum scribens, lib. 3, epist. 9 et 26, ita decernit: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in fronte chrismate non præsumant. Sed presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut episcopi nostmodùm tangere debeant in fronte.* Quod decretum anno sequenti refigens in aliâ epistolâ ad eumdem Januarium, ita scribit: *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quòd presbyteros chrismate*

tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omninò hâc de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.

Huic auctoritati variis modis à theologis respondetur. Sunt, qui dicant Gregorium *in hoc deliquisse*, ut Major : vel *ut hominem errare potuisse*, ut Durandus et Hadrianus VI. Alii, ut Estius, Aurelius, et Petrus de Marca, eam frontis chrismationem, quam Gregorius Sardorum presbyteris concedit, non Sacramentum Confirmationis, sed meram Baptismi cæremoniam contendunt. Communis sententia docet illam unctionem fuisse Sacramentum, sed presbyteris Sardorum, ut ministris extraordinariis commissam fuisse: quæ quidem postrema opinio ipsius Gregorii verbis innititur; quibus hæc potestas non propria declaratur presbyteris, sed ipsis à Gregorio *conceditur :* non semper, sed *ubi episcopi desunt.* De his iterùm infra, ubi de ministro extraordinario. Sed age, dato, non concesso, quòd Gregorius ibi agat de Confirmationis Sacramento, illudque Sardiniensibus presbyteris concesserit; quid inde?

Instat Dallæus, lib. 3, cap. 6. Gregorius ait se presbyteris frontis chrismationem prohibuisse secundùm usum veterem ecclesiæ Romanæ. Hæc igitur prohibitio juris est ecclesiastici. — Respondeo usum illum juris esse divini et ecclesiastici, quia utroque jure prohibetur; hinc Innocentius I, Isidorus Hispalensis, Patres concilii II Hispalensis et alii hanc prohibitionem ex utroque jure repetunt.

Urget. *Romanæ ecclesiæ consuetudinem dùm memorat Gregorius, ecclesiarum omnium consuetudinem non fuisse significat : erant ergo apud quas presbyteri baptizatos chrismarent in fronte; atque in harum numero Calaritana.* Ita Dallæus, lib. 3, cap. 6, ex Sirmundo in Antirrhetico.

Respondet Aurelius in Antirrhetico, pag. 443, quòd Gregorius « non Ecclesiæ consuetudinem opponit, ut « alias ecclesias contrariâ consuetudine uti significet, « sed tum quia frequentissima est humilitas Patrum « in loquendo, ut minus dicant quàm dicere possint; « tum quia reverâ ab ecclesiâ Romanâ ut fonte mana- « vit consuetudo baptismalis chrismationis, quæ à « ministris alibi quàm in fronte præberi debeat, ab « eâque hunc ritum paulatim excepêre ecclesiæ Occi- « dentis. Unde rectè Calaritanos revocavit ad veterem « illius Ecclesiæ consuetudinem Gregorius, ad quam « ut ad primariam originem necesse erat aliarum in « hâc re usus recenseri. Cur enim minùs ecclesiarum « omnium consuetudinem commemorare potuit Gre- « gorius, quàm tot alii ipsius decessores Romani pon- « tifices, qui chrismationem frontis ab aliis quàm ab « episcopis factam, ut improbam et canonibus adver- « santem damnârunt, in primis Innocentius, qui eam « tantò antè ante Ecclesiæ moribus et scripturis alie- « nam disertè ascripsit? Pontificibus solis deberi, in- « quit, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum « tradant, non solùm *consuetudo ecclesiastica* demon- « strat, verùm et lectio Actuum apostolorum, etc., nam « presbyteris chrismate baptizatos ungere licet, non « tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis « debetur episcopis, cùm tradunt Spiritum paracle- « tum. Audis ergo ab Innocentio, quod à Gregorio « quærebas. Ne dubites quin et ipse idem exprimere « potuerit. Atque ut magis videas collectionis tuæ vi- « tium; cedo, si quam habes Occidentis ecclesiam, in « quâ perspicuè docere possis baptizatorum frontes « chrismari consuevisse à ministris. Cùm nullam ha- « beas, quam proferas, desine comminisci rem inau- « ditam; et Gregorii verba ad certos et notos Eccle- « siæ sensus accommoda. » Posset etiam responderi, inde sequi tantùm nonnullas fuisse ecclesias, in quibus presbyteri, concedentibus summis vel aliis fortè pontificibus, baptizatorum frontem chrismarent, *ubi episcopi deessent.*

Urget iterùm. Inde clarum est Sardiniensem, hoc est, Italicam, ac penè suburbanam ecclesiam, quantò magis cæteras occidentales remotiores, in eo fuisse usu, ut baptizatorum frontes chrismarent.

Respondet Aurelius, ibidem pag. 441. 1° Perperam adduci usum ecclesiæ Calaritanæ, ut cæterarum ecclesiarum usus ostendatur, « cùm sancti Gregorii ævo « habeamus, præter ipsum Gregorium in Sacramen- « tario, Hispalensis II concilii Patres, cap. 7, et san- « ctum Isidorum, lib. 2 de Officiis, cap. 26, universè « declarantes interdictam esse canonibus Patrum et « Scripturis, non solùm quibusvis presbyteris, sed « etiam chorepiscopis illam frontis chrismationem : « quin et Joannem III pontificem, in epistolâ ad « episcopos Galliarum et Germanorum (supposita « ea est), hoc ipsum paulò ante sancti Gregorii « ætatem confirmantem? an minoris ponderis esse « dices auctoritatem Joannis pontificis, sancti Isidori « et concilii Hispalensis (asserentium id juris esse di- « vini, adeòque vigere ubique terrarum) quàm usus « ecclesiæ Calaritanæ? 2° Quid perspicaci homine mi- « nùs dignum, quàm ut ex unius ecclesiæ Calaritanæ « abusu, quem sanctus Gregorius tolerare singulari « indulgentiâ cogitur, imò verò ex eo quòd scribat « eum veteri ecclesiæ suæ consuetudini repugnare, « quis colligat similes abusus per alias ecclesias exti- « tisse? 3° Gregorius apertè ostendit, se rem minimè « usitatam per indulgentiam concedere ecclesiæ Ca- « laritanæ, fugiendi tantùm scandali causâ, adeòque « hunc morem non fuisse aliis ecclesiis communem. « 4° Rem pluribus ecclesiis probatam nec primò ve- « tuisset (Gregorius) nec deinde veniæ causâ indul- « gere se declarâsset (maximè), cùm aliarum ecclesia- « rum privatos mores, qui à canonibus et Scripturis « nihil abhorrerent, à Romanis pontificibus non in- « terdici, sed probari consuevisse constet, et à sancto « Gregorio nominatim, qui Augustino Anglorum epi- « scopo, ecclesiæ Gallicanæ ritus à Romanis diver- « sos, qui modò pii et probabiles viderentur, ample- « cti suadet, et in recentem Anglorum ecclesiam « transferre. *Non enim pro locis res*, inquit, lib. 12, « epist. 31 ad Augustinum, indictione 7, *sed pro bonis*

« *rebus loca nobis amanda sunt.* » 5° Responderi potest, mirum non esse, quod ille abusus in ecclesiam potiùs Sardiniensem, quàm in alias Italiæ provincias irrepserit, cùm hujus ecclesiæ sacerdotes præsulibus malè parerent; clerici et laici ignorantiâ, erroribus, ac vitiis morum plurimis laborarent; ecclesiasticæ disciplinæ ordo in eâ perturbatus esset; aruspicium, magia, idololatria, et judaismus in eâ vigeret; episcopi suo muneri segniùs satisfacerent; quin et ipse Januarius episcopus Calaritanus adeòque totius insulæ metropolita, cujus *simplicitatem*, moresque redarguit Gregorius, frequentibus ejus monitis et objurgationibus indigeret, quibus ad suum officium excitaretur, ut videre est in epistolis ejusdem Gregorii, lib. 1, epist. 81; lib. 2, epist. 34; lib. 3, epist. 9, 24, 25, 26, 27, 29; et lib. 7, parte 2, epist. 1, 5, 7, 56, 67; lib. 8, epist. 38: ac non immeritò excusandus sit Gregorius, si hujusmodi hominum imbecillitati, quibus ecclesiasticæ disciplinæ vigorem scandalo esse videbat, aliquid concedendum esse censuerit. Vir enim erat mansuetus, et fidelium, ut eos Christo lucraretur, affectibus, quantùm fieri poterat, sese procliviùs accommodans; adeò ut ab Augustino Anglorum apostolo interrogatus, quid facto opus esset, cùm quis Anglus, cum uxore fratris sui conjunctus, petit baptizari, responderit: « Cum cognatâ misceri prohibitum esse, « quia per junctionem priorem caro fratris fuerit « facta. Subjecerit tamen: Quia verò sunt multi in « Anglorum gente, qui dùm adhuc in infidelitate es- « sent, huic nefando conjugio dicuntur admixti, ad « fidem venientes admonendi sunt, ut se abstineant, « et grave hoc esse peccatum cognoscant. Tremen- « dum Dei judicium timeant, ne pro carnali dilectione « tormenta æterni cruciatûs incurrant. Non tamen « pro hâc re corporis et sanguinis Domini commu- « nione privandi sunt, ne in eis illa ulcisci videantur, « in quibus se per ignorantiam ante lavacrum Bap- « tismatis astrinxerunt. In hoc enim tempore sancta « Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam « per mansuetudinem tolerat, quædam per considera- « tionem dissimulat, atque ita portat et dissimulat, « ut sæpè malum, quod adversatur, portando et dis- « simulando compescat. » Ita refert Beda, Hist. Anglic., lib. 1, cap. 27.

Objicit 14° canonem 2 concilii Barcinonensis anno 599 celebrati. « Simili statutum conditione est, ut « cùm chrisma presbyteris diœcesanis pro neophytis « confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio acci- « piatur, » etc.; « jam hinc liquet, inquit Dallæus, lib. 7, « cap. 7, presbyteros in Hispaniâ tum quoque neo- « phytos chrismate ab episcopis suis gratis accepto « confirmâsse. » Verùm hâc ætate alium fuisse Hispaniarum usum apparet ex Montano archiepiscopo Toletano ad annum 530, ex Isidoro Hispalensi, qui tum florebat anno 599, et ex Patribus synodi II Hispalensis; qui omnes frontis chrismationem interdicunt presbyteris, reservant episcopis, eamque reservationem repetunt ex consuetudine ecclesiasticâ, apostolicâ traditione, fideique doctrinâ, quæ presbyteris *pontificatûs apicem denegat.* Alius igitur sit præfati decreti sensus, necesse est. Aurelius, in orthodoxo adversùs Sirmondum ita interpretatur: *Statutum est, ut cùm chrisma presbyteris diœcesanis datur pro neophytis confirmandis, id est, ut illud paratum habeant, cùm episcopus ad neophytos confirmandos de more excurret, nihil pro liquore*, etc. Videntur enim episcopi parœciam adeuntes non chrisma ipsi secum tulisse, quo neophytos confirmarent, sed eo usi in confirmandis neophytis, quod presbyteri ab episcopis acceptum in ecclesiâ custodiebant, ut eo inter baptizandum uterentur.

Objicit 15° canonem 7 concilii II Hispalensis, quem integrum describit, lib. 3, cap. 3. *Septimo examine relatum est*, etc., tomo 5, pag. 1665: ad quæ verba Dallæus octo observat, unde totidem argumenta colligit.

Observat igitur 1°: *Ante hunc Hispalensium Patrum canonem nullam fuisse antea de iis, quæ ab istis decernuntur, disertam Hispanicæ ecclesiæ legem, quam, si qua fuisset, non erant hoc loco prætermissuri, quo suum hoc decretum studiosè etiam petitis ex veteri Testamento rationibus confirmant.* Chrismatis igitur confectio et unctio in Hispaniis priùs interdicta non erat presbyteris.

Respondeo in hâc observatione plura dici vel supponi, quæ omninò falsa sunt. Ecclesiarum enim et altarium consecratio, de quâ canon Hispalensis, disertè prohibetur presbyteris canone 19 concilii II Bracarensis anno 563. Chrismatis etiam confectio, de quâ hic canon, conceptis terminis interdicitur presbyteris canone 20 concilii I Toletani, anno 400, à Montano archiepiscopo Toletano, ad annum 530, in epistolâ ad fratres territorii Palentini; et canone 19 concilii II Bracarensis anno 563. Præterea, *non licere presbyteris in baptisterium introire coram episcopo*, totidem terminis traditur à Martino Bracarensi ad annum 572, *in suâ canonum collectione*, canone 53. *Non licere itidem presbyteris, præsente antistite, infantem* baptizatum *signare, sine præcepto sui episcopi*, asseritur in eâdem Martini collectione, can. 52, et in concilio I Toletano, can. 20. Denique Patres Hispalenses solam altaris institutionem et consecrationem, non autem chrismatis unctionem repetunt ex veteri Testamento.

Observat 2° *varium et ab iis* (quæ circa chrismationem in hoc canone statuuntur) *diversum fuisse antea in Hispaniâ usum* Agapii facto demonstrari. — Respondeo 1° ex hoc Agapii facto, ut quòd à patribus Hispalensibus, quasi ecclesiasticis disciplinis contrarium rejiciatur, nihil concludi posse. 2° Hoc Agapii factum respicere duntaxat altarium constitutionem, et basilicarum consecrationem, non autem unctionem chrismatis.

Observat 3° præcipuam rationem, quâ Patres Hispalenses hæc sua decreta fecerunt, ex lege Mosaicâ petitam esse. *Hæc autem ratio quam vim habeat, vel pauci vident.* — Respondeo 1° rationem ex lege Mosaicâ, non esse præcipuam, sed illam, quæ petitur ex

regulis ecclesiasticis, et ex fide divinâ, quæ pontificatûs apicem solis episcopis concedit. 2° Rationem ex lege Mosaicâ petitam respicere duntaxat ecclesiarum et altarium consecrationem, non autem chrismatis unctionem.

Observat 4° cæteras rationes, quibus et chrismatis confectio, et eadem frontis unctio prohibetur presbyteris, repeti *ex novellis et ecclesiasticis regulis. Apparet igitur, non jure ullo divino, neque dominicæ dispositionis veritate, sed novellâ Ecclesiæ regulâ, et* (ut olim loquebatur Cornelius) *canone ecclesiastico utrumque institutum fuisse.* — Respondeo 1° hìc et in hâc quæstione, et in præfato canone agi de ministro chrismationis, non autem de ejus institutione.

2° Dubium esse utrùm chrismatis confectio et ejus unctio jure divino solis episcopis reservetur.

3° Nihil impedire quominùs utrumque utroque jure divino et ecclesiastico ad solos episcopos pertineat.

4° In hoc canone argumenta triplicis generis esse : quædam enim sumuntur ex veteri Testamento, quædam ex novellis et ecclesiasticis regulis, quædam ex fidei doctrinâ, quæ pontificatûs apicem solis episcopis concedit.

5° Theologos esse, qui per novellas et ecclesiasticas regulas non intelligunt ecclesiasticas constitutiones novas et recens institutas, sed divina novi Testamenti et ecclesiastica placita : hæc enim verba in præfato canone opponuntur quibusdam placitis veteris Testamenti. Illustratur hæc responsio 1° ex totâ serie canonis, in quo arguitur Agapius, Cordubensis episcopus, qui ecclesiasticæ disciplinæ ignarus, eo quod à seculari militiâ in sacerdotale ministerium assumptus esset, presbyteros frequenter destinabat altaribus erigendis, basilicisque consecrandis, absente episcopo, quod synodus prohibet : suamque prohibitionem confirmat, primum quidem ex veteri Testamento, tum ex novo, et ex regulis ecclesiasticis. 2° Illustratur hæc responsio ex veteri lectione : Garsias quidem ita legit : *Quædam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint.* Sed vulgata editio sic habet : *Quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis et ecclesiasticis regulis*, etc., ubi novellæ regulæ iis opponuntur, quæ superiùs ex veteri Testamento relata sunt; adeò ut iste sit sensus : quamvis altarium consecratio ex veteri testamento reservetur pontificibus, et licet in novo Testamento plura episcopis et presbyteris communia sint, tamen ex ipso novo Testamento, et ex canonibus ecclesiasticis, multa conceduntur episcopis quæ presbyteris prohibentur. 3° Illustratur hæc responsio ex eo quod inter prohibita simplicibus sacerdotibus, primum quidem ibi recenseatur presbyterorum consecratio, quæ jure non solùm humano, sed etiam divino ipsis interdicitur. 4° Quia Isidorus Hispalensis, qui præfatæ synodo præfuit, Confirmationem reservat episcopis, eamque reservationem, et ex Actis Apostolorum, et ex regulis ecclesiasticis repetit.

6° Cornelium à Dallæo perperàm adduci; nec enim ille *in suâ Epistolâ ad Fabium* ait canone ecclesiastico institutum esse, ut chrisma conficeretur, vel frons chrismate ungeretur, vel frontis chrismatio post Baptismum adhiberetur. Id unum innuit ecclesiastico canone statutum esse ut qui in lecto baptizatus esset, sanus deinde factus omissas Baptismi cæremonias reciperet.

Observat 5° finem ob quem soli episcopo chrismare frontem convenire decernitur, esse, *ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur;* quæ discretio ibidem ex auctoritate canonum repetitur, adeòque juris est ecclesiastici : neque enim primis Ecclesiæ temporibus episcopi à presbyteris discernebantur, sed iidem erant episcopi, qui presbyteri. — Respondeo hanc discretionem utroque jure, divino et ecclesiastico, statui, quâ de re alibi.

Observat 6° : Presbyteris prohibetur infantes baptizatos *signare*, non simpliciter et absolutè, sed præsente et non jubente episcopo. *Ergo presbyteris, absente antistite, infantem signare licebat.* Præterea eodem modo prohibetur presbyteris, tingere, signare, Sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, etc. Atqui presbyteri, licèt præsente, nec jubente episcopo, non tingerint; eo tamen absente tingebant ex officio. Igitur et signabant. — Respondeo præfatum canonem Hispalensem in tres partes dividi posse, quorum primâ continetur Agapii factum, quod abusivum et ecclesiasticis regulis contrarium ibi declaratur : alterâ verò referuntur, quæ presbyteris prohibentur simpliciter et absolutè, ut ecclesiarum et altarium consecratio, manuum impositio super fideles baptizatos, publica hæreticorum vel pœnitentium reconciliatio, et chrismatio frontis baptizatorum : tertiâ denique narrantur, quæ presbyteris prohibentur, non simpliciter et absolutè, sed præsente nec jubente episcopo, ut baptizare, signare, reconciliare pœnitentes, privatos scilicet, non publicos; conficere corpus et sanguinem Christi, etc. Signaculum, de quo in tertiâ parte canonis, non est signaculum frontis, quod presbyteris absolutè prohibetur in secundâ parte; sed signaculum pectoris, de quo Gregorius Magnus; vel signaculum verticis, de quo supra.

Observat 7° : Presbyteris eodem modo prohibetur *baptizatorum frontem signare quo ecclesiam vel altare consecrare, imponere manus fidelibus baptizatis, hæreticos vel pœnitentes publicè reconciliare, et formatas cuilibet epistolas mittere.* Sed ista solo jure ecclesiastico prohibentur presbyteris. Igitur et frontem chrismare. — Respondeo ex illis, alia dubia esse, alia certa esse apud theologos. Dubium est utrùm ecclesiæ vel altaris consecratio jure non solùm ecclesiastico, sed etiam divino episcopis velut ordinariis ministris reservetur. Dionysius enim de Eccles. Hierarch., cap. 5, n. 5, altaris consecrationem jure divino episcopis absolutè reservat. Certum est hæreticos publicè reconciliare, et formatas dare epistolas, quarum usus erat ad probandam fidem et communicationem catholicam, utroque jure episcopis, ut qui sint centrum communionis catholicæ, velut ministris reservari. Certum item est

pœnitentes publicos publicè reconciliare utroque jure ad episcopos pertinere, velut ad ministros ordinarios; quia jurisdictio, adeòque peccatorum et censurarum absolutio ad ipsos ex officio pertinet. Denique certum est manuum impositionem et chrismatis unctionem, ex hypothesi, quod ad Confirmationis essentiam attineant, utroque jure ad episcopos pertinere, velut ad ministros ordinarios.

Observat 8° quòd hi Patres per manûs impositionem, tam ex hæresi conversos, quàm fideles baptizatos, in Ecclesiam receptos fuisse, tamque illis, quàm his per eum ritum Spiritum paracletum traditum fuisse, nos docent. Unde videre est nullum eos statuisse inter neophytorum et ex hæresi conversorum manûs impositionem discrimen, ut si horum manûs impositionem pro vero ac legitimo Sacramento minimè habuerint (quod confitentur adversarii), nulla ratio dici possit, cur de alterâ, quæ neophytorum erat, aliter senserint. — Respondeo dubium esse, utrùm manuum impositio, quæ super conversos ex hæresi fieri solebat, confirmatoria esset. Qui affirmant, hâc Dallæi paritate utuntur : qui negant, ab hoc Dallæi argumento facilè sese expediunt.

Objicit 9° Bedam in psalmum 26, ad hæc tituli verba : *Priusquàm liniretur David*, etc. : *Sciendum est*, inquit, *quod illa unctio, quæ per manuum impositionem ab episcopis, quasi alia à duabus prædictis* (olei nimirùm et chrismatis, quarum prior Baptismum præcedit, posterior subsequitur) *et vulgò Confirmatio dicitur, eadem est cum secundâ, nempe verticali; propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus, sicut et multa alia.* Ex arrogantiâ igitur factum est quòd frontis unctio, quæ Confirmatio dicitur, presbyteris concessa non fuerit, sed episcopis reservata. Ita Dallæus, lib. 3, cap. 10. Eodem loco usus est Sirmondus in Antirrhetico 2, cap. 7, ut probaret frontis chrismationem Confirmationi accidentalem esse. Igitur, qui Sirmondi opinionem sequuntur, respondent inde sequi tantùm hanc unctionem ad Confirmationis essentiam nihil attinere.

Aurelius autem in Orthodoxo, parte 1, cap. 7, respondet locum Bedæ esse corruptum, manifestèque vitiosum ; nec immeritò. Locus enim duabus partibus constat, quarum prior, ut apparet, sensum imperfectum generat, adeòque mutila est; posterior sensum doctrinæ, à Beda in aliis locis expositæ, omninò contrarium efficit. Enim verò, si Beda frontis unctionem existimavit meram esse Baptismi cæremoniam, ecclesiastico duntaxat jure introductam, eodemque et non alio jure episcopis reservatam esse; cur eam alibi repetit ex capite 8 Actuum? cur ex iisdem Actis illam *solis pontificibus deberi* colligit? cur per illam, *nuper* à sacerdote *baptizatis*, ait gratiam Spiritûs sancti deinde conferri, cùm episcopus parœcias visitans, Sacramentum Confirmationis administrat? Citato Bedæ textui sensus iste fortè accommodari posset; frontis unctio, quæ eadem est cum verticali, quòd utraque ex eodem chrismate fiat, à Christo et apostolis concessa non est singulis sacerdotibus, sicut et multa alia, *propter arrogantiam*, id est, ne presbyteri inde superbirent, et episcopis sese æquandi occasionem arriperent.

Objicit 10° Ratramnum, lib. 4, contra Græcorum opposita : *Ecclesiastici viri*, inquit, *statuerunt ut frontes baptizatorum non à presbyteris, sed ab episcopis chrismate sancto linirentur*. Ita Dallæus, lib. 2, cap. 2. — Respondeo ex mente Ratramni frontis chrismationem episcopis utroque jure, divino et ecclesiastico, reservari : quâ de re supra.

Objici etiam posset 11° Augustinus qui, serm. 5, inter Carthusianos, ait quòd Samaritanis *manus imponeret Philippus, unus è septem diaconibus : et eis manus imponendo impetraret Spiritum sanctum ;* et paucis interjectis, subjicit quòd idem Philippus eunuchum reginæ Candacis baptizaverit, manum ei imposuerit, et Spiritus sanctus super eum descenderit. *Scriptum* (enim est) *quia mox ut ascenderet de aquâ, venit Spiritus sanctus super spadonem.* (Atqui) *in primos illos centum viginti* (cœnaculo inclusos) *reverà, quia tunc primum veniebat Spiritus sanctus, sine impositione manûs advenit : ex illo autem jam in neminem venit, nisi fuisset manus imposita.*

Verùm legenti apparebit vitia plurima in hunc sermonem irrepsisse. Priorem igitur locum vitiatum fuisse constat, 1° ex ipsis verbis quæ sensum imperfectum generant, *ut autem manus imponeret Philippus, et eis manus imponendo impetraret Spiritum sanctum invocantem.* Ita periodus desinit. 2° Ex verbis proximè sequentibus, quibus Augustinus ait Philippum baptizâsse quidem Samaritanos, manus tamen eis non imposuisse. 3° Id repugnat Actis apostolorum, cap. 8. Certum etiam videtur posteriorem locum depravatum fuisse, 1° quia Augustinus ibidem negat Philippum eunucho manum imposuisse; *baptizavit, nec manus imposuit.* 2° Quia in Actis non legitur Spiritum sanctum descendisse super eunuchum jam baptizatum. Hæc tamen postrema ratio non videtur efficax : posset enim aliquis reponere, idem ab Hieronymo referri in Dialogo contra Lucifer., cap. 4 : de quo, inquit, Scriptura ita loquitur : *Et descenderunt ambo in aquam, et baptizavit eum Philippus, et cùm ascenderent de aquâ, Spiritus sanctus venit super eunuchum.*

Instabis : Si ex Augustino Spiritus sanctus super eunuchum descendit, ei igitur Philippus manum imposuit, quia *ex illo* (tempore, quo Spiritus sanctus super apostolos et discipulos descendit) *jam in neminem venit, nisi fuerit manus imposita.* — Respondeo id verum esse, quando Spiritus sanctus venit de *necessitate*, non de potestate, id est, quando venit vi Sacramenti et virtute pacti Sacramento annexi, non autem quando venit extra Sacramentum : Spiritus enim non est alligatus Sacramentis. Cùm enim Augustinus sibi objecisset, non solùm ante impositas manus, sed etiam ante Baptismum super Cornelium venisse Spiritum sanctum, respondet ita factum esse de potestate, non de necessitate, id est, voluntate Spiritûs sancti, cujus potestas non est alligata Sacramentis, non autem vi et pacto Sacramenti.

Objici denique posset caput 8 concilii Toletani XI, anno 675 habiti. *Quicumque in ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut pro collatione chrismatis, vel promotionibus graduum, pretia quælibet susceperit : equidem si sciente loci episcopo tale quidquam à subditis perpetratur, idem episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat; pro eo quia et sciens mala contexit, et correctionem necessariam non adhibuit : sin autem suorum quispiam, eodem nesciente, pro supra dictis capitibus accipiendum esse sibi crediderit; si presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur; si diaconus, quatuor; subdiaconus verò vel clericus, his cupiditatibus serviens, et competenti verbere et debitâ excommunicatione plectendus est. Presbyteri igitur et diaconi baptizabant fideles, eosque consignabant.* — Respondeo 1° textum exponi posse de consignatione presbyteris ab episcopo commissâ. 2° Argumentum nimis probare; consequens enim esset presbyterum et diaconum posse ordinare, quia de tribus Sacramentis ibi agitur, puta Baptismo, Confirmatione, et Ordine. 3° Ne quis in hoc incommodum incidat, textum sensu accommodo exponendum esse.

Urgebis : Synodus hæc duo conjungens (*pro baptizandis consignandisque fidelibus*), apertè indicat eumdem fuisse, qui baptizaret et consignaret. Cur enim Baptismum et consignationem conjungeret, et à cæteris divideret, nisi quia ab eodem ministro simul et semel adhiberentur? — Respondeo id minimè sequi. Gelasius enim I, epist. 9 ad episcopos Lucaniæ, cap. 5, idem, iisdemque ferè terminis prohibet : *Baptizandis consignandisque fidelibus, sacerdotes pretia nulla præfigant*, etc. ; qui tamen, cap. 6, hæc duo sejungit, et non licere *presbyteris ait consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.*

Hactenùs de occidentali ; nunc de orientali Ecclesiâ, in quâ Dallæus presbyteros fuisse ordinarios Confirmationis ministros pluribus argumentis contendit.

Objicit igitur 1° Firmilianum, qui in epistolâ 75 ad Cyprianum, in genere affirmat, nullo episcopi à presbytero discrimine, *majores natu* (id est, presbyteros) *baptizandi et manum imponendi possidere potestatem.* Ita Dallæus, lib. 2, cap. 18. — Respondeo Firmilianum sic habere : *In Ecclesiâ præsident majores natu, qui et baptizandi, et manum imponendi, et ordinandi possident potestatem.* Sed majores natu, qui in Ecclesiâ præsident, quique ordinandi possident potestatem, solos esse episcopos omninò certum est.

Objicit 2° Ambrosiastrum (quem ille putat fuisse Hilarium Luciferianum, qui vixit sedente Damaso pontifice). Is verò de Ecclesiâ Alexandrinâ ita scribit in cap. 4 ad Ephes. : *Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus.* In Ægypto igitur, absente episcopo, presbyteri ex officio confirmabant : quæ Confirmatio etiam cum impositione manuum celebrabatur. Ita Dallæus ibidem ex Salmasio, Blondello, etc.

Huic argumento satisfecerunt, ex Anglicanis episcopalibus, Henricus Hammondus, de Jure episcopatûs, dissertat. 3, pag. 162. Qui *consignationis* nomine solam ait Eucharistiæ consecrationem significari ; idque satis constare ex alio ejusdem scriptoris loco, Quæstionibus, scilicet veteris et novi Testamenti, quæst. 101. Utrumque enim opus ex eodem calamo fluxisse ille existimat, quâ de re in objectione sequenti. Verùm, inquit Dallæus ibidem, *Eucharistiæ confectionem dici simpliciter* consignationem, *nemo, ut opinor, audierit.* Deinde auctor Commentariorum *presbyteralem consignandi, absente episcopo, potestatem, hic ut rem commemorat Ægypto peculiarem. At potestas Eucharistiam, absente episcopo, consecrandi presbyterorum Ægypti peculiaris, Damasi certè temporibus non fuit.*

Ex catholicis Petavius, lib. 2 de Eccles. Hierarch., cap. 6, num. 12, distinguit inter Confirmationem, quam in manuum impositione statuit, et frontis consignationem, quam Confirmationi accidentalem supponit. *Consignâsse*, inquit, *presbyteros in Ægypto, absente episcopo, scripsit suppositititius Ambrosius. Impositionem verò manuum, quæ consignationi adjuncta sæpè fuit, ad dandum Spiritum sanctum ab alio quàm ab episcopo collatam esse, nec ille dicit, nec alius quisquam.*

Thomassinus, tomo 1 Eccles. Discipl., parte 1, lib. 1, cap. 17, concedit hanc quidem unctionem Confirmationi essentialem, sed illam à presbyteris Ægyptiacis, non nisi pontificum auctoritate, administratam fuisse.

Aurelius in Orthodoxo fidei, parte 1, cap. 5, pag. 533, respondet 1° hinc sequi, « eo adhuc tempore « istud nusquàm factum in Occidentis ecclesiis, quan- « doquidem Latinus scriptor, cùm varias ecclesiarum « consuetudines scrutaretur, hujusce exemplum in « Occidente nullum reperit, sed à remotissimis Ægy- « pti Ecclesiis petierit. An enim nosset quid in ultimis « Orientis Ecclesiis fieret; quid in Ecclesiis Occidentis « vulgò fieret non nosset? Hoc ergo teste agnoscen- « dum est Occidentis ecclesias etiam tum Romanæ ac « principis morem secutas, nec earum presbyteros, « nedùm diaconos, neophytorum frontes unxisse. Eâ- « dem operâ refellitur, quod opinaris (Sirmondum « alloquitur) hujus novæ presbyterorum potestatis « initium Constantini principatu ortum : cùm Hilarium « diaconum, qui multò post vixit, audias declarantem « id suâ ætate in Occidentis Ecclesias nondùm inve- « ctum. Habeas ergo tibi Ægypti ecclesias illo teste, « dummodò eodem auctore ecclesias Occidentis omnes « nobis relinquas.

Respondet 2° « de Ægypti quoque ecclesiis meritò « dubitari posse. Primùm quia summa res omnibus « Græcis Orientisque scriptoribus silentibus, ne repu- « gnantibus dicam, Latini unius scriptoris fide nititur. « Nemo alius, nec Græcus, nec Latinus eam confir- « mat, ne Græci illi quidem, qui Photii temporibus « tantâ contentione hâc ipsâ de re cum Romanâ Ec- « clesiâ certârunt. Quare minimè obscurum est narra- « tionem esse leviorem, quàm ut fidei faciendæ sit « satis. Accedit scriptorem istum, quisquis sit, sex- « centis erroribus ac fabulis scatere. Nam ut alia præ-

« tercam, narrat sub Ecclesiæ initia omnibus promi-
« scuè baptizandi et concionandi jus fuisse, etiam
« laicis. Quis miretur chrismandi potestatem ab epi-
« scopis ad presbyteros, in Ægypti Ecclesiis ab eo
« traductam, qui per omnes Ecclesias baptizandi do-
« cendique potestatem à clericis ad laicos traduxerit? »

Respondet 3° auctorem ejusmodi Commentariorum non esse Hilarium diaconum, qui Luciferi partibus adhæsit : *Cùm librorum istorum scriptor præter innumeras mendas certus sit Pelagianus, catholicamque doctrinam passim ac deditâ operâ sic petat ut ab ipso Pelagio factus institutusque videatur. Pelagium verò ac Pelagianos perdiù post Luciferi schisma et post Hilarium illum Romanæ Ecclesiæ diaconum natos nemo ignorat.*

Responderi etiam posset, consignationem illam, non fuisse confirmatoriam, sed purè cæremonialem, qualem plures existimant Gregorium Magnum presbyteris Calaritanis concessisse. Denique responderi posset commentatorem illum, dato, non concesso, quod de confirmatoriâ unctione sermonem habeat, referre quidem quid fieret apud Ægyptum, nec improbare. Quod autem referat, inde non sequitur id esse rectè factum; fiebat enim abusivè. Quod verò non improbet, parùm interest; quia nullius est nominis, imò malè audit apud plures, quibus creditur esse ineptus quidem consarcinator, Aerianâ et Pelagianâ tinctus fuligine. De Aerianâ id ex eodem loco constat, ubi auctor ille episcopos, presbyteros, et diaconos jure duntaxat ecclesiastico distinguit : de Pelagianâ major est difficultas : *Augustinus enim*, inquit Dallæus, lib. 2, cap. 18, *quædam ejus scriptoris verba S. Hilarii nomine non semel recitat :* contra Julianum, lib. 2 Operis perfecti, cap. 164, et contra Pelagium, lib. 4, contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 4.

Sed Hilarium, de quo Augustinus, lib. 2 Operis perfecti, cap. 164, non fuisse diaconum Luciferianum, sed Hilarium Pictavorum antistitem, apparet ex eodem opere, lib. 1, cap. 9, 52 et 70. Alius verò locus nihil concludit, si quis Aurelio credat; « nam, ut alia
« prætercam, » inquit ille in Orthodoxo, parte 1, cap. 5, pag. 534, « Augustinus sanctitatis titulo eum dia-
« conum non ornaret, quem Hieronymus Deucalio-
« nem orbis appellàsset. Etsi enim sanctitatis nomen
« eis temporibus latiùs pateret quàm nunc, nunquàm
« tamen usque eo patuit, ut hæresum ac schismatum
« ducibus ab Ecclesiâ damnatis tribueretur. Alium
« igitur S. Hilarium fuisse oportet, cujus verba retu-
« lerit Augustinus, et ex quo ea descripserit Ambro-
« sianus commentator. Illum fortassis, cujus prolixior
« alter locus in priorem ad Timotheum citatur à pa-
« tribus synodi II Hispalensis S. Hilarii nomine in
» Explicatione epistolæ ad Timotheum, qui locus, cùm
« in commentario Ambrosiano non legatur, facilè in-
« telligitur extitisse olim alium commentarium in epi-
« stolas Pauli à S. Hilario scriptum, Pictaviensi, an
« alio, non temerè id dixerim : quanquàm Pictaviensis
« characterem admodùm refert locus à synodo Hispa-
« lensi allatus. Nec obest quod Ambrosianus com-
ment ator dicat se sub Damaso scripsisse : quia cùm
« hæreticum et impostorem fuisse liqueat, non minùs
« in eo fallere potuit ad captandam antiquitatis lau-
« dem, fugiendamque suspicionem, quam in aliis re-
« fellit. Quare habeatur non minùs Hilarii nomine,
« quod illi offers, quàm Ambrosii, sub quo diù latuit
« alienus, et ad larvatorum scriptorum tenebras reji-
« ciatur. » Utut sit, si non Pelagianus, Aerianus certè fuit; nullum inter gradus ecclesiasticos discrimen jure divino statuens, sed illis munia quæcumque primis Ecclesiæ seculis communia fuisse definiens.

Objicit 3° auctorem Quæstionum in vetus et novum Testamentum, qui sive idem sit, sive diversus fuerit, idem testatur quod Ambrosiaster : *In Alexandriâ*, inquit, *et per totam Ægyptum, si desit episcopus, consecrat presbyter.* Ita ille quæstione 101, apud Augustinum, tomo 4, in appendice. Antiquus hic auctor est : scripsit sedente Damaso, et Augustini nomine laudatur anno 824 à pseudosynodo Parisiensi, de Imaginibus, can. 4 et 6.

Ex hæreticis respondet Hammondus, loco citato, textum de solâ Eucharistiæ consecratione intelligendum esse.

Ex catholicis Sirmondus in Antirrhetico 2 legit *consignat :* editiones tamen omnes habent *consecrat.* Thomassinus, loco citato, intelligit de frontis unctione, quâ veluti sigillo baptizati, jubentibus et absentibus episcopis, in Ægypto à presbyteris, ut reges et sacerdotes consecrabantur. Aurelius eodem loco respondet, *hunc scriptorem esse prorsùs eumdem* (cum Ambrosiastro) *quod arguunt non modò errata et sententiæ eædem, sed etiam oratio multis locis iisdem penè verbis concepta. Quare*, inquit, *quod de priore responsum est, huic accommoda.*

Existimo hunc auctorem loqui de ordinatione, seu ordinandorum consecratione; sed illum in hoc, sicut et in aliis, quæ ibi refert, decipi. Chrysostomus enim in epist. ad Timoth., homil. 11, presbyteris absolutè negat ordinationem : et Hieronymus in epist. 85, ad Evagrium, ut diaconorum elationem deprimeret, presbyterorum munia recensens, ordinationem excipit. Præterea hic auctor, ut dixi, plura eo loci refert, quæ et falsa et hæretica sunt. Ait enim diaconorum esse : *Et altare portare, et vasa ejus, et aquam in manus fundere sacerdoti, et omnia ministeria obsequiorum per ordinem agere, licèt multitudo clericorum faciat*, ut ea non agant. Deinde, quamvis ille diaconos presbyteris jure divino inferiores agnoscat, presbyteros tamen jure divino pares, et jure ecclesiastico inferiores facit episcopis. Quin etiam eos adæquat Apostolis Petro et Joanni, qui ad Samaritanos confirmandos missi sunt. Denique, ut diaconis presbyteros dignitate superiores esse ostendat, refert quòd episcopus presbyteros non aliter quàm *compresbyteros* vocet, et *consacerdotes suos*, diaconos verò *condiaconos suos* nunquàm appellet, quod falsum esse apparet ex epistolis 59 et 138 Augustini, ubi diaconos et clericos *condiaconorum et conclericorum Fratrum* nominibus cohonestat. Fulgentius etiam *Ferrando condiacono* scripsit. Cæterùm si quid valet auctoris

hujus testimonium, adversùs Dallæum disertè concludit; enim in eâdem quæstione 101, probat ille ex Actorum cap. 8 presbyteros non diaconos habere potestatem conferendi Spiritum sanctum per manûs impositionem.

Objicit 4° caput 23 libri 7 Constitutionum apostolicarum, quas ille ad seculum IV revocat, Nicænæ tamen synodo priores facit : *De baptismo, episcopus, aut presbyter, jam ante constituimus, ac nunc rursùs dicimus. Unges autem priùs oleo sancto, deinde baptizabis aquâ, postremò signabis unguento chrismatis.* Sicut igitur episcopus, ita presbyter baptizatos chrismate ungebat. Ita Dallæus, lib. 2, cap. 11 et 18. — Respondeo tria hìc recenseri, olei unctionem, Baptismum, et chrismationem, quæ hìc quidem episcopo et presbytero indeterminatè tribuuntur, non quòd ea uti cuilibet episcopo, ita cuilibet presbytero conveniant; sed quia eorum nonnulla episcopis propria sunt, alia verò ipsis et presbyteris communia. Quænam autem episcopis propria, quæ verò ipsis et presbyteris communia sint, colligi debet ex loco ad quem verba præfata remittunt, videlicet ex libro 3, cap. 16, ubi unctio capitis ex oleo episcopis, Baptismus episcopis vel presbyteris, et chrismatio solis episcopis conceditur.

Objicit 5° Chrysostomum, homil. 11 in 1 ad Timoth. : *Inter episcopum et presbyterum interest fermè nihil. Quippe et presbyteris Ecclesiæ cura commissa est; et quæ de episcopis dixit, ea et presbyteris congruunt;* solâ *quippe* ordinatione *superiores illis sunt : atque hoc tantùm plusquàm presbyteri habere videntur.* Theophilactum, in 1 Epist. ad Timoth., cap. 3, v. 8 : *Cur autem presbyteros prætermisit? quia quæ de episcopis dixit, ea presbyteris etiam conveniunt : nam et ipsis docendi munus, et præfectura Ecclesiæ commissa est, utpote* solâ ordinatione, *μόνῃ τῇ χειροτονίᾳ, inferioribus.* Eadem habet in eumdem Pauli locum Œcumenius. Ita Dallæus, lib. 2, cap. 18, qui citatis auctoribus addere potuisset Hieronymum, in epist. 85 ad Evagrium : *Quid facit, exceptâ ordinatione episcopus, quod presbyter non facit?* Sicut igitur episcopi, ita et presbyteri confirmabant.

Respondeo 1° non deesse theologos qui Chrysostomum et Theophilactum explicent de ordinatione passivâ, quâ consecrantur episcopi : hinc Montanus vertit, *solâ electione inferioribus :* solâ enim consecratione, adeòque Confirmatione, presbyteri ordinatione, aliisque id genus muniis ex consecratione episcopi descendentibus, presbyter episcopis inferior est.

Respondeo 2°, dato, non concesso, quòd Chrysostomus et Theophilactus legantur de *ordinatione*, quâ episcopi ministros ordinant, respondeo presbyteros in Oriente, non ex officio, sed jussu pontificum confirmâsse : solos enim episcopos ex officio confirmare solitos, ætate suâ testatur Chrysostomus, cùm ex facto Petri et Joannis, qui ad confirmandos Samaritanos missi sunt, ita concludit, homil. 18 in Acta : *Unde et coryphæos, non alios ullos, hoc facientes vidimus.* Testatur Hieronymus, in Dialogo adv. Lucifer.: *Si quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum, disce hanc observationem ex eâ auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.* Theophilactus verò Chrysostomi vestigiis ubique adhæret. Œcumenius denique, non ait episcopos solâ ordinandi potestate superiores esse presbyteris; sed episcopis presbyteros à Paulo permisceri; quâ de re alibi, ubi scilicet de distinctione episcopi et presbyteri.

Objicit 6° Palladium, qui in Vitâ Chrysostomi, cap. 9, narrat, cùm Joannes ex ecclesiâ suâ, inimicorum factione pulsus, à pontificalibus omnibus abstinere jussus esset, presbyteros et diaconos, qui ab ejus partibus stabant, competentium tria millia tinxisse, et veste candidâ induisse, adeòque et consignâsse : tincti enim albis statim induebantur, et chrismabantur. Ita Dallæus ibidem.

Quasi verò Hieronymus, in Dialogo contra Lucifer., quem, desinente seculo IV, adeòque Chrysostomi tempore scripsit, referens hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati erant, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurreret, apertè non innuat Baptismum per presbyteros et diaconos sæpè collatum fuisse, Confirmatione ipsum minimè comitante, cùm episcopus abesset aut impeditus esset? id ita factitatum sæpè fuisse apparet ex ipso canone 2 Arausicano, quem Sirmondus et Dallæus tanti venditant.

Objicit 7° Dionysium, cap. 5 de Eccles. Hierarch. docentem : *Presbyterum sine chrismate nunquàm Baptismum perficere; adeòque* (quod ex hoc necessariò et evidenter sequitur) *cum chrismate Baptismum perficere.* Ita Dallæus ibidem qui Dionysii opera ad initium seculi VI revocat.

Dionysius, cap. 5, ecclesiasticam hierarchiam in tres ordines distinguit, pontificum, sacerdotum et diaconorum. Ordinem verò pontificum esse primum et ultimum docet ille, num. 5 : primum quidem, quia sacra omnis potestas ab eo ad inferiores derivatur : ultimum, quia in ipsum omnis ecclesiasticus ordo desinit. Pontifex enim divina quæque sacerdotum mysteria perficit. Nec enim sacerdos Baptismum perficiet, sine unguento; nec Eucharistiam consecrabit sine altari, nec ipse sacerdos erit sine ordinatione. Unguenti autem sanctificatio, et altaris consecratio, et sacerdotum ac diaconorum ordinatio ad episcopos jure divino pertinent. *Nunquàm sacerdos divinam illam regenerationem sine divino unguento consummabit; neque divinæ communionis mysteria consecrabit, nisi,* etc. Quæritur ergo ad quem priora hæc verba, *sine divino unguento,* referri debeant, ad presbyterum baptizantem, an ad episcopum, qui baptizatum deinde consignet. Georgius Pachimeres, celeberrimus Dionysii paraphrastes, qui sub Michaele Palæologo circa annum Domini 1280 floruit, hæc verba refert ad pontificem, hoc sensu : Sacerdos Baptismum nunquàm perficiet sine chrismatis unctione, quâ episcopus baptizatum consignet : *Baptismum,* inquit, *perfectè per se sacer-*

dos non absolvet, quippe opus erit antistite, qui unguento baptizatum inungat : εἰς τὸ χρίσαι τῷ μύρῳ τὸν βαπτίστεντα. Maximus verò, qui eumdem Dionysium seculo VII commentatus est, verba quidem hæc refert ad Baptismatis ministrum, sed unguenti illius usum, sine quo Baptismus perfectè non absolvitur, non explicat. *Nota*, inquit, *et sanctificare et perficere unguentum, non esse presbyterorum : quin nec altare consecrare, nec ordinare; hæc enim solus pontifex perficit, extra quæ presbyter nec baptizabit, nec offeret.* Arcudius verba hæc refert ad presbyterum baptizantem, eaque ad confirmatoriam unctionem hoc sensu determinat : Presbyter perfectè Baptismum nunquàm perficiet sine unguento, quo ipse baptizatum inungat. Quâ quidem interpretatione presbyter, cùm abest episcopus, minister extraordinarius hujus Sacramenti substituitur, sed ordinarius ejus minister ab eodem Dionysio alibi definitur episcopus. *Sacerdotes*, inquit, cap. 2, parte 2, num. 7, *baptizatum indutum albâ veste ad pontificem ducunt, qui divinitùs sacrato oleo virum consignat.* Eadem etiam verba Arcudius alio sensu refert ad presbyterum baptizantem, ita scilicet ut chrismatis usus, quo sacerdos Baptismum perficit, ad aquæ baptismalis consecrationem pertineat : hoc pacto : Presbyter perfectè Baptismum nunquàm peragat sine unguento, quo ipse baptismalem aquam consecret. Hujus enim consecratio, *trinâ unguenti per modum crucis effusione perficitur*, ex Dionysio, cap. 2, p. 2, n. 7; licèt hodierni Græci catechumenorum duntaxat oleum adhibeant.

Objicit 8° Photium in Epistolâ encyclicâ, quâ in Nicolaum primum et episcopos in Bulgariam ab eo missos ita invehitur : « Chrismate inunctos per sacerdotes « denuò chrismate inungere non cohorruerunt, cùm « se presbyteros prædicarent, et presbyterorum chri- « sma inutile quiddam, ac frustra factum comminis- « cerentur. An talem quis insaniam fando unquàm « audivit, quam non cohorruêre insani isti factitare? « ut semel unguento sacro delibutos rursùs inunge- « rent, et augusta illa divinaque christianorum myste- « ria in benè longas nugas, et risum lubentiamque « conversa proculcarent? Porrò sapiens et egregium « eorum responsum... Non enim, inquiunt, licet sa- « cerdotibus, eos, qui sacro Baptismate initiantur, « unguento sanctificare; solis enim pontificibus hoc « lege datum est. Unde hæc lex? quis auctor? quis « apostolorum? an Patrum? an ex synodis aliqua? sed « ubi et quando habita? et quorumnam confirmata « sententiis? » Hæc igitur erat in Oriente recepta et universalis consuetudo, ut presbyteri baptizatos ex officio consignarent.

Plura huic argumento responderi possunt. Primùm quidem Photius hanc frontis consignationem, sive fiat ab episcopis, sive à presbyteris fieri possit, ait esse *augusta divinaque christianorum mysteria*, quæ nunquàm iterata sunt, neque à Latinis in Bulgariam missis sine crimine iterari potuerunt. *Talem* enim *quis insaniam fando unquàm audivit, ut semel unguento sacro delibutos rursùs inungerent?* quæ rectè de merâ simplicique cæremoniâ nemo dixerit 2° Photius quidem hanc esse totius Orientis consuetudinem, ut presbyteri baptizatos chrismate consignent, in illâ epistolâ supponit : sed ejus testimonium hâc in re meritò suspectum est; in eâdem enim epistolâ plura refert vel supponit, quæ certè falsa sunt, v. g., quòd Latini *abominentur nuptias, quia presbyteros sortiri conjuges prohibent : quòd chrisma ex aquâ fluminis conficiant : quòd agnum in Paschâ more Judæorum super altare pariter cum dominico corpore benedicant et offerant.* Videsis epistolam 70 Nicolai I ad Hincmarum, etc. 3° Photius Latinis objicit, quòd *Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere dicant.* Ideòne hæc erat fides totius Orientis ut Spiritus sanctus ex solo Patre procedat? 4° Photius Latinis objicit, *quòd diaconus, nondùm suscepto presbyteratûs officio, in episcopum ordinatur; qui mos erat aliquando Romanis*, inquit Æneas Parisiensis. Ideòne hæc erat totius Orientis consuetudo, ut diaconus nunquàm ordinaretur episcopus, nisi presbyteratûs officio ante functus fuisset? Enimverò ipsemet Photius, ut Nicolaus pontifex in suâ epistolâ rectè arguit, *ex laico subitò tonsuratus, ac monachus factus, saltu ad episcopatûs apicem imperiali favore provectus est.* Quemadmodùm igitur Photius Latinis objiciens, quòd ipsi dicerent Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere; et quòd Romani diaconos aliquando in episcopo ordinàssent; falsò supposuit hanc fuisse totius Orientis fidem, ut Spiritus sanctus ex solo Patre procedat; eamque consuetudinem toto Oriente semper receptam fuisse, ut diaconus nunquàm eligeretur episcopus : ita nihil repugnat, quominùs iisdem Latinis objiciens, quòd apud ipsos soli episcopi consignarent, falsò supposuerit hunc fuisse usum toto Oriente ætate suâ receptum, ut presbyteri, qui tingerent, ipsi etiam ungerent. 5° Hunc illarum orientalium ecclesiarum, in quibus presbyteri consignabant, usum, velut abusum rejecerunt Nicolaus I et omnes Latini, eumque scriptis refutârunt Hincmarus Rhemensis, Æneas episcopus Parisiensis, Odo Bellovacensis episcopus et Ratramnus, monachus Corbeiensis. 6° Nicolaus respondet, his et aliis Photii objectis, non Romanam modò, sed et omnem generaliter, quæ linguâ latinâ utitur, ecclesiam reprehendi : hæc erat igitur consuetudo toto Occidente recepta, ut soli episcopi ex officio frontem ungerent. 7° Nicolaus his Photii objectis opponit omnes *Hesperias regiones*, id est, occidentales ecclesias, *quæ nunquàm à sede beati Petri, in hujusmodi quæstionibus dissonantes inventæ sunt.* 8° Nicolaus ait se Photii objectis plures alias regiones opponere posse, *Ut de aliis*, inquit, *mundi plagis interim taceamus.* 9° Nicolaus hæc Photii objecta veluti *communes Ecclesiæ contumelias repulsat* quibus Photius et ejus asseclæ *traditionibus paternis, divinis testimoniis roboratis, detrahere curaverunt.*

Objicit 9° ex Nicetâ satis superque constare synodum illam, de quâ cogitaverat Photius in encyclicâ suâ epistolâ, habitam fuisse Constantinopoli; et in eâ Latinorum tum hoc de chrismatis ministro dogma, tum alia non pauca de capitibus à Photio memoratis dogmata damnata fuisse : et ipsum Nicolaum Roma-

num pontificem ob intolerabilem in omnes tum Orientis, tum Occidentis christianos tyrannidem anathemate perculsum. Respondetur 1° : Hæc synodus ex parte à Photio ficta et supposita fuit ; *Iste enim falsarius*, inquit Anastasius, in præfatione ad concilium œcumenicum VIII, *falsos homines quasi vicarios orientalium sedium formavit, falsorum excessuum adversùs Nicolaum mendacem codicem compilavit*, mille circiter antistitum subscriptiones falsas interseruit, sibi nemine prorsùs consentiente vel conscribente ex illâ numerosâ episcoporum multitudine, nisi uno et viginti præsulibus. 2° Acta hujus pseudosynodi ab octavâ synodo generali rescissa sunt, quæ *conciliabulum illud, Ephesino latrocinio comparat*, illudque rejicit quasi *veritatis inimicum, et omni falsitate repletum*. 3° Anastasius, quæ in hâc pseudosynodo acta sunt referens, solius anathematis meminit, quo Nicolaus pontifex perculsus est, neque ab Anastasio Nicetas dissentit.

Objicit 10° Gabrielem archiepiscopum Philadelphiensem. Verùm ille quamvis schismaticus, in tractatu de Sacramentis docet, baptizatorum chrismationem ad episcopos primariò ac præcipuè pertinere ; *ecclesiam tamen orientalem suis presbyteris chrismandi jus concessisse, ne quis baptizatorum ejusmodi gratiâ privaretur*. Gabrieli consentit Matthæus Blastarius, alter schismaticus, cap. 31, litter. ε, sui Nomocanonis, ubi docet primùm quidem ex 15 canone concilii Neocæsariensis, *chorepiscopos figuram gerere septuaginta discipulorum, sicut episcopos duodecim apostolorum;* 2° apostolis, non discipulis Christum dixisse : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis*, etc.; 3° apostolos, non discipulos, habuisse potestatem largiendi Spiritum sanctum per manûs impositionem, *ut manifestum est*, inquit, *ex his quæ nobis apostolorum Acta prodiderunt : Philippum scilicet, unum è septem diaconis, in Samariam descendisse, ibique multos baptizâsse; nullos tamen Spiritûs sancti participes effecisse ; quâ de causâ apostoli miserunt Petrum et Joannem, qui manus imponentes baptizatis, Spiritum sanctum nondùm in eos illapsum elargiebantur* ; 4° apostolis, non discipulis, datam potestatem ordinandi presbyteros et diaconos; 5° apostolis episcopos, et discipulis chorepiscopos successisse. Ex quibus ita concludit : *Si ergo chorepiscopi, neque remissionem peccatorum, neque Spiritum sanctum impertire poterant, quamvis plura privilegia, quàm presbyteri, essent sortiti ; multò minùs hi à confessionibus esse poterunt et peccata solvere, ac ligare, nisi hanc potestatem ab episcopis acceperint*. Ex hâc Blastarii doctrinâ, apertè sequitur, chorepiscopos et presbyteros non esse ordinarios ministros utriusque Sacramenti, Confirmationis et Pœnitentiæ.

Objicit 11° hodiernam orientalis Ecclesiæ praxim : Græcorum enim episcopi rarò, presbyteri frequenter consignant. — Respondet Arcudius, id fieri episcoporum auctoritate, adeòque presbyteros non esse ministros ordinarios, sed extraordinarios. Arcudii distinctionem, quasi futilem et ridiculam Dallæus irridet, lib. 2, cap. 19. Verùm Arcudio præierunt plures Græci, licèt schismatici, quos inter Gabriel Philadelphiensis et Matthæus Blastarius, qui certè gentis suæ placita rectiùs quàm Dallæus ipse noverunt. Reponit Dallæus, Arcudium *ludibrium omnibus debere, qui quod passim ac ferè semper in totâ græcanicâ Ecclesiâ fit, id extraordinarium dicit : ordinarium, quod rarò ac ferè nunquàm*. Sed ipse Dallæus ridiculus est, qui, ut Arcudium ridiculum exhibeat, ei tribuit, quod iste minimè dixit; aliud enim est opera quædam ordinaria vel extraordinaria esse : aliud quempiam operum hujuscemodi ministrum esse ordinarium vel extraordinarium : sic antistites sunt ministri ordinarii : simplices verò sacerdotes sunt ministri pœnitentiæ extraordinarii ; quamvis in Occidente, illi quidem rarò, isti frequens peccatores absolvant. Opera dicuntur ordinaria, vel extraordinaria, quæ frequens vel rarò fiunt : sed minister dicitur ordinarius, vel extraordinarius, qui ex officio, vel ex delegatâ sibi potestate aliquid operatur.

Utut sit de Græcorum mente circa baptizatorum chrismationem à presbyteris factam, usum illum improbârunt seculo IX Nicolaus I et universa occidentalis ecclesia ; seculo XII, Innocentius III et Innocentius IV, etc. ; neque desunt theologi, qui nullam hodiè Confirmationem apud Græcos esse existiment, ii scilicet, qui manuum impositionem à chrismate sejunctam huic Sacramento essentialem faciunt : vel qui hoc Sacramentum simplici presbytero negant committi posse. Cæterùm hæc prava consuetudo, toto licèt Oriente recepta, non impedit, quominùs Græci omnes veluti fidei dogma persuasum habeant Confirmationem verum ac legitimum novæ legis Sacramentum esse, quod à diaconis aliisve clericis inferioribus administratum minimè valeat. Viderit Dallæus, qui Græcos objicit, quomodò doctrina hæc cum suâ cohæreat.

Objectiones tertii generis ratiocinia sunt, quibus Dallæus utitur.

Primum refertur lib. 2, cap. 2, n. 2. *Confirmationis Sacramentum episcopi supra presbyterum in ecclesiastico ministerio eminentiam necessariò supponit. Sed illam nescivisse apostolos liquet ex divinis litteris, quæ eumdem fuisse presbyterum et episcopum docent ; et ex Hieronymo, Augustino* (1), *Chrysostomo, et omnibus Patribus qui eadem cum Hieronymo docuerunt, quos ad 44 recenset et vindicat Blondellus in suâ Hieronymi apologiâ.*

Utrùm primis Ecclesiæ temporibus, idem esset episcopus, qui presbyter ; vel inter utrumque aliquod discrimen esset, gravis est difficultas, de quâ alibi. In præsentiarum observâsse satis erit, 1° Ignatium agnoscere episcopi supra presbyteros discrimen et eminentiam in suis epistolis genuinis, non interpolatis. 2° Duobus modis intelligi posse, quòd idem fuerit episcopus, qui presbyter : prior est episcopatum deprimendo ad presbyteratum, ut si quis dicat primis Ecclesiæ temporibus episcopos non fuisse superiores

(1) Epist. 83 ad Oceanum, epist. 85 ad Evagr., et in cap. 1 epist. ad Titum

presbyteris, sed eos inter se æquales fuisse : posterior est presbyteratum evehendo ad episcopatum, ut si quis dicat, quòd primis illis temporibus, quicumque ordinarentur presbyteri, statim consecrarentur episcopi. Priorem modum sequuntur hæretici; posteriorem plures orthodoxi. Prior modus ordinationis Sacramentum destruit; posterior astruit.

Secundum habetur lib. 2, cap. 9 : *Tempus fuit, cùm sæpè sæpiùs contingeret ut ipse baptizaret episcopus, rariùs baptizarent presbyteri et diaconi. Ut ergo eo tempore, quòd ferè semper baptizaret episcopus, id presbyterum jure baptizandi minimè excludebat, sed per accidens fiebat, quòd cùm presbytero major esset episcopus, indecorum fuisset, ipso præsente, presbyterum communes alioqui sacri ministerii actus invadere; ita et de manûs impositione res se habuit : per accidens fiebat, ut eam rarò exercerent presbyteri; non quòd jus non esset; sed quòd episcopis præsentibus eam deferrent.* — Respondeo Dallæum tria supponere, quæ falsa sunt : primum est, presbyterum, absente episcopo, baptizatis manum imposuisse, ut Spiritum sanctum eis conferret, cujus rei nullum in antiquis canonibus vestigium exstat; quin imò contrarium apparet, ex ipso Hieronymo, quem Dallæus pro suâ opinione sæpè laudat, referente in dialogo contra Lucifer., cap. 4 : *Hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat;* 2° presbyteros, absente episcopo, in Ecclesiâ baptizatos olim confirmâsse; 3° presbyteros, absente episcopo, sicut baptizandi, ita confirmandi jus olim habuisse; ex illis enim Patribus et canonibus, qui confirmandi jus presbyteris denegant, nullus est, qui baptizandi potestatem eis auferat : neque canones, qui factas à presbyteris Confirmationes irritas declarant, collata ab iisdem baptismata rescindunt.

Tertium argumentum ibidem proponitur. *Ex Cypriano constat* (citat epistolam decimam, vel ex Rigaltio nonam) *pœnitentibus non solùm episcopum, sed etiam clerum manus imposuisse. Dubitandum ergo non videtur, quin et neophytis pariter presbyteri quoque, præter episcopum manus imposuerint; eamdem enim propemodùm fuisse apud veteres, et initiandorum neophytorum, et reconciliandorum pœnitentium, et admittendorum ex hæresi conversorum rationem ex priscis canonibus satis superque manifestum est.* — Respondeo 1° Cyprianum in hâc epistolâ loqui duntaxat de manuum impositione, ab episcopo et clero simul supra publicos pœnitentes fieri solitâ : *Per manûs*, inquit, *impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiunt*, etc., manu eis ab episcopo et clero impositâ. Quare, si quid valet hæc paritas, id unum inde sequitur, episcopum permittere posse, ut presbyteri neophytis manum secum imponant : episcopus certè simplicibus sacerdotibus permittit, ut ordinandis manum cum ipso imponant, quamvis illi seorsùm ab episcopo id minimè possint. Respondeo 2° diversam, non eamdem fuisse apud veteres et initiandorum neophytorum, et reconciliandorum pœnitentium rationem ex priscis canonibus manifestum esse, licèt eadem propemodùm fuerit admittendorum, non omnium, sed quorumdam hæreticorum, eorum scilicet qui per manuum impositionem et frontis consignationem suscipiebantur, de quibus supra pluribus in locis, et de quibus iterùm infra, ubi de Confirmatione hæreticorum. Qui enim, quæso, canones eamdem propemodùm in publicis pœnitentibus reconciliandis, quàm in neophytis confirmandis rationem præscribunt? ubi frontis chrismatio, ubi confirmatoriæ formulæ deprecatio, aliæque id genus cæremoniæ, huic Sacramento seu essentiales, seu accidentales in publicorum pœnitentium reconciliatione desiderantur?

Quartum argumentum est : Qui ordinarium dicit ministrum, dicit et extraordinarium. Sed non est de fide sacerdotem posse ministrum esse extraordinarium Confirmationis; ergo nec de fide solum episcopum esse ordinarium ejus ministrum. — Respondeo 1° meram esse æquivocationem. Aliquis enim minister ordinarius aut extraordinarius dici potest, vel quia frequens, aut rarò agit, vel quia ex officio, aut ex potestate sibi delegatâ munere quodam fungitur. Posteriori, non priori modò hìc accipitur. Priori, non posteriori modo ordinarius minister extraordinarium præsupponit : episcopus enim ex officio, seu (ut loquitur Eugenius IV, in decreto pro instructione Armenorum) ut minister ordinarius, presbyteros et diaconos ordinat, licèt ipse solus hoc munere fungi possit. Respondeo 2° non deesse theologos qui contendant esse de fide, quòd presbyter esse possit minister Confirmationis extraordinarius. Ita Dominicus Soto, in 4, dist. 7, a. 11; Franciscus à Messanâ, in locis Hieronymi difficilibus, vocabulo *Confirmatio;* Gregorius à Valentiâ, tomo 4, disp. 5, q. 2, punct. 1; et cardinalis Baronius ad annum 94, n. 15.

Ut quibusdam aliis Dallæi objectis occurras, hæc velim observes, scilicet ecclesiasticam functionem canonibus prohiberi posse, vel defectu potestatis è speciali et interiori charactere dependentis; sic ordinatio prohibetur presbyteris : vel defectu jurisdictionis; sic interior peccatorum absolutio presbyteris interdicitur, episcopo minimè permittente : vel defectu utriusque; sic ecclesiasticæ censuræ à laico ferri aut relaxari non possunt : vel defectu juris sibi commissi, seu mandati episcopi, aut alterius superioris; sic virgines à presbyteris velari non possunt, nec altaria ab ipsis consecrari, episcopo minimè committente : vel propter decentiam et reverentiam superiori exhibendam : sic presbyteris olim, præsente episcopo, baptizare aut Eucharistiam consecrare minimè licebat. Ex his defectibus postremus rem illicitam, non invalidam; quatuor verò priores rem illicitam et invalidam efficiunt. Quo defectu collata à presbyteris Confirmatio nulla sit, episcopo contradicente, non satis constat apud theologos : divo Thomæ nulla esse videtur defectu jurisdictionis; non autem ordinis; putat enim ille, posterioribus Commentariis, in 4, d. 7, art. 5, ad 2, hoc Sacramentum episcopis reservari ratione ordinis et jurisdictionis *conjunctim*, non autem *divisim*.

Cùm autem presbyter episcopi vel summi Pontificis auctoritate baptizatos confirmat, nulla tunc ordinis potestas ei communicatur. Cur autem jurisdictionis defectus Sacramentum Confirmationis, non autem Baptismi nullum efficiat, tota ratio est voluntas Christi sic instituentis, cui quidem probabile est ita placuisse propter summam Baptismi necessitatem.

ARTICULUS V.

DE VARIIS THEOLOGORUM PLACITIS CIRCA MINISTRUM CONFIRMATIONIS EXTRAORDINARIUM.

Quæritur utrùm presbyter, tanquàm minister extraordinarius, hoc Sacramentum validè conferre possit. Sunt qui affirment; sunt qui negent: utrique, et multi, et celebres.

Negant Robertus Pullus cardinalis, parte 5 Sentent., cap. 23; Hugo Victorinus, lib. 2 de Sacramentis, parte 7, cap. 2; Petrus Lombardus, lib. 4, Sentent., dist. 7; Guillelmus Altissiodorensis, lib. 4, c. 3; Albertus Magnus, in 4, d. 7, a. 4; Durandus, in 4, d. 7, q. 3 et 4; Gabriel Biel, in 4, d. 7, a. 2, concl. 3; Joannes Major, in 4, d. 7; Hadrianus VI, in 4, d. 7; Alphonsus à Castro, lib. 4 adversùs hæreses, vocabulo, *character*, et vocabulo *Confirmatio*, et lib. 2 de justâ hæreticorum Punitione, cap. 21 et 22; Marianus Victorius Reatinus, qui Tridentinis tertiæ convocationis sessionibus interfuit, scholiis in epist. 85 Hieronymi ad Evagrium; Estius, in 4, d. 7, § 21 et 22; Petrus Aurelius in Anærrhetico, pag. 453, et in Orthodoxo, pag. 531. In eamdem opinionem inclinant Petrus à Soto, qui Tridenti, cùm postremæ sessiones haberentur, obiit, lectione 2 de Confirm., et Covarruvias, lib. 1 variarum Resolutionum, cap. 8. Pro eâdem sententiâ laudari solet S. Bonaventura, in 4, d. 7, a. 1, q. 3; verùm ibi loquitur tantùm de ministro ordinario, ut patebit illum conferenti cum Alexandro Alensi, parte 4, q. 9, membro 5, a. 1, § 3; eædem enim ferè sunt utrobique rationes, eademque ferè objecta: Alensis autem sermonem eò loci habet de ordinario ministro. Accedit quòd Bonaventura, ibidem, in expositione textûs Magistri, dubio 1, doceat: *Pro causâ necessariâ summum Pontificem, in quo est plenitudo potestatis, posse alii, quàm episcopo, committere* administrationem hujus Sacramenti.

Affirmant Jacobus à Vitriaco, cardinalis, qui ait, sermone in vigiliâ Pentecostes: *Hoc Sacramentum aliquando propter defectum, vel paucitatem episcoporum, minoribus sacerdotibus dispensativè est concessum;* Alensis, parte 4, q. 9, membr. 5, a. 1, § 3; S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Aureolus, etc. Eaque opinio in scholis hodiè communior est. Pro eâdem sententiâ à Durando, aliisque nonnullis theologis citatur etiam Magister Sententiarum, lib. 4, d. 7, quasi Gregorii Magni factum ibi referat et approbet. Verùm observationem, quæ illud Gregorii factum refert et approbat, ad marginem primùm appositam apparet ex antiquâ editione Nicolai Keslers; deinde infra textum per modum notulæ additam, apparet ex ipso Magistri textu apud Bonaventuram descripto; denique in ipsum textum irrepsisse, apparet ex Durando, qui Gregorii factum, quasi in textu Magistri relatum et approbatum, citat, lib. 4, d. 7, q. 3, n. 11, et q. 4, n. 2.

Affirmantium multiplex est differentia. Alii enim contendunt, suam sententiam certam esse, imò haberi jam tanquàm de fide; ita Dominicus Soto, in 4, d. 7, a. 11; Gregorius à Valentiâ, tomo 4, disp. 5, q. 2, puncto 1; et Baronius ad ann. 594, n. 15. Alii contra fatentur illam non esse de fide. Alii à solo Papâ committi presbyteris hoc ministerium posse volunt, ut Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura. Alii etiam quemvis episcopum idem posse, si libeat, in suâ diœcesi; ut Ledesma, parte 4, q. 13, a. 3, et apud Valentiam loco laudato. Rursùm eorum, qui soli Papæ hujus potestatis conferendæ jus vendicant, alii aiunt etiam diaconis conferri eam posse, ut glossator capituli *Pervenit*, disp. 95: alii ipsis quoque subdiaconis et clericis inferioribus, ut Panormitanus in cap. *Quanto*, extra de consuetudine, et utraque summa, Rosella et Angelica, vocabulo, *Confirmatio:* alii vel ipsis laicis, modò confirmati fuerint, ut Glossa in cap. *Manus*, de Consecr., dist. 5: quarum quidem opinionum meminerunt Alensis, S. Thomas, Durandus et Aureolus: alii solis presbyteris jus esse eam accipere docent, ut Alensis, S. Thomas, Aureolus, Paludanus, Richardus de Mediavillâ, Arcudius, etc. Ex his jus illud solis presbyteris aliqui concedunt *ex rationabili et urgente admodùm causâ*, ut Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, etc., alii nullâ etiam urgente causâ, ut Arcudius et Goarius, qui Græcorum presbyterorum frequens, et nullâ urgente ratione confirmantium facta defendunt. Denique sunt, qui dispensationem requirunt, ut licitè quidem presbyteri, non autem ut validè confirment: ita auctores illi, de quibus Franciscus Pitigionis, in 4, d. 7, q. 1, a. 10, qui docent solum quidem episcopum esse ministrum ordinarium et necessarium hujus Sacramenti necessitate præcepti, non autem Sacramenti. Inter illos enim auctores, inquit Estius, in 4, d. 7, § 21, qui *hanc divi Thomæ sententiam secuti sunt, hæc diversitas reperitur, quòd nonnuli existiment presbyteros, si tentent hoc Sacramentum conferre, etiam absque commissione apostolicâ, verum conferre Sacramentum, tametsi graviter peccent, sicut verè ordinat episcopus hominem non sibi subditum: alii verò complures sentiant nihil eum prorsùs efficere, non magis quàm si tentaret absolvere quempiam sibi non subjectum.*

SECTIO PRIMA.

Utrùm sit de fide presbyterum ab apostolicâ sede committi posse, ut baptizatos confirmet.

Affirmant Dominicus Soto, Franciscus à Messanâ, Baronius, et Gregorius à Valentiâ locis supra citatis, Dominicus quidem et Franciscus propter Eugenii IV decretum in Armenorum instructione; Baronius autem et Gregorius propter utramque synodum, Florentinam in præfato decreto, et Tridentinam, sess. 7, can. 3, de Confirm., priori loco sic habetur: *Confirmationis ordinarius minister est episcopus:* et paucis

interjectis : *Legitur tamen aliquando per sedis apostolicæ dispensationem ex rationabili et urgente admodùm causâ, simplicem sacerdotem ex chrismate per episcopum confecto, hoc administrâsse Confirmationis Sacramentum.* Posteriori loco ita definitur : *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum, non esse solùm episcopum, sed quemvis simpliciter sacerdotem, anathema sit.*

Hæc tamen non impediunt, quominùs theologi quidam Catholici et eruditi, quorum alii post synodum Florentinam, sed ante Tridentinam scripserunt, ut Gabriel Biel, Joannes Major, Hadrianus VI, et Alphonsus à Castro : alii post sessionem 7 Tridentinam typis mandârunt, ut Marianus Victorius, qui synodo interfuit : Petrus à Soto, primus theologus pontificius in eâdem synodo, Guillelmus Estius, insignis theologus, et Petrus Aurelius cujus opera à clero Gallicano approbata sunt : confirmandi potestatem presbyteris ab apotolicâ sede committi non posse docuerint; quin etiam ex adversariis, hanc opinionem inter theologica, quæ in utramque partem absque fidei discrimine defendi possunt, problemata recensent Thomistæ et Scotistæ ferè omnes. Non igitur videtur esse de fide, quòd presbyter per sedis apostolicæ dispensationem confirmare possit.

Objicitur Eugenii decretum, et concilium Tridentinum, quibus episcopus asseritur ordinarius Confirmationis minister. Episcopus verò dicitur ordinarius minister (inquit Joannes Nicolai), ut extraordinarius alius indicetur. — Respondeo 1° meram esse æquivocationem, quâ de re supra; 2° in eodem Eugenii decreto episcopum asseri ordinarium consecrationis ministrum, quâ presbyteri et diaconi ordinantur : ideòne extraordinarius alius minister indicatur? 3° aliud esse veritatem aliquam indicari, aliud eam definiri. Quæcumque in conciliis definiuntur, non autem quæcumque in iis indicantur, ad fidem attinent.

Instat Dominicus Soto. *Synodus Florentina* (in hoc decreto) *approbat, auctoritate apostolicæ sedis posse Sacramentum hoc simplici sacerdoti committi :* sic enim ait : *Legitur tamen aliquando per apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodùm causâ, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrâsse Confirmationis Sacramentum.*

Responderi potest, quod in aliâ causâ Bellarminus, lib. de Confirm., c. 9, ad 1 object. Kemnitii, quæcumque in hoc decreto habentur, non pertinere ad fidem : *Nec enim omnia, quæ habentur in decretis, aut conciliis, ad fidem pertinent, sed solùm ea quæ definiuntur. Hoc autem, de quo agimus, non definitur, sed tantùm obiter dicitur.* 2° Responderi posset, quod Sirmondus in causâ dissimili, hoc decretum post absolutam synodum Florentinam editum fuisse. 3° Responderi posset cum Estio, in 4, d. 7, § 22, ad 3 : *Concilium non affirmare id aliquando factum esse* (nam reverà factum esse probari non potest); *sed id legi vel in decreto Gratiani, vel apud scholasticos doctores, qui factum Gregorii juxta suam opinionem sunt interpretati : eamque ob causam se addidisse ordinarium, quòd ita opinantibus præjudicare nollet.* 4° Responderi posset cum hodiernis quibusdam theologis Parisiensibus, Eugenium in hoc decreto, non tam ex suo sensu, quàm ex communiori scholasticorum sui temporis opinione locutum esse : dabat enim instructionem Armenis, non definiebat. Enimverò in hâc instructione plura sanè traduntur, quæ in scholis in utramque partem hodiè agitantur. Sic pro materiâ Confirmationis assignatur *chrisma*, quamvis plures theologi eam in solâ manuum impositione constituant. Sic in eo pro materiâ præscribitur *chrisma ex oleo et balsamo*, quamvis nonnulli theologi balsamum Confirmationi accidentale esse contendant. Sic in eo pro eâdem materiâ præscribitur *balsamum per episcopum benedictum*, quamvis aliqui benedictionem essentialem esse negent, alii verò illam fieri posse velint à simplici sacerdote. Sic in eo pro formâ præscribitur : *Signo te*, etc., quamvis Græci, Romanæ etiam ecclesiæ adhærentes, aliam formam adhibeant. Sic in eo dicitur, quòd *loco manûs impositionis, datur in Ecclesiâ Confirmatio.* Quibus verbis, inquit Meratius, tractatu de Confirm., disp. 2, sect. 2 : *Concedendum est Eugenium favere ei sententiæ, quæ asserit apostolos aliquando sine chrismatis unctione per manûs impositionem Confirmationis Sacramentum administrâsse : quo non obstante, licet contrariæ sententiæ tanquàm probabiliori adhærere; cùm quod ab illo dictum est, non fuerit ab eo tanquàm dogma fidei definitum, sed ad uberiorem doctrinæ, quam de Sacramento Confirmationis tenebat, explicationem obiter et ex occasione insertum.* Sic etiam in eodem decreto pro materiâ Eucharistiæ assignatur *panis triticeus*, quamvis Cajetanus, Sirmondus et alii panem minimè triticeum ad validitatem sufficere doceant. Sic in eodem aquam vino admiscendam esse probatur ex supposititiis Alexandri et Julii pontificum epistolis. Sic ibidem pro formâ Pœnitentiæ assignantur hæc verba : *Ego te absolvo*, etc., quæ tamen à Græcis non adhibentur. Sic ibidem pro materiâ Ordinis ea duntaxat assignantur instrumenta, quæ tanguntur : quamvis ex theologis hodiernis alii solam manuum impositionem, alii manuum impositionem cum instrumentis requirant. Sic ibidem pro causâ efficiente Sacramenti matrimonii assignatur mutuus consensus, quamvis Toletus, Petrus de Marcâ, et theologi Gallicanis libertatibus adhærentes solum presbyterum hujus Sacramenti ministrum instituant.

Aliam prætermitto solutionem, quam nonnulli theologi Gallicani repetunt ex cardinale Carolo à Lotharingiâ, qui, cùm Tridenti concilio interesset, ad Brittonem Romæ tunc suo nomine agentem ita scripsit : *Si summus Pontifex quid ego de Florentinâ synodo sentiam à te requisierit, Sanctitatem ejus, velim, moneas, me Parisiensis Academiæ alumnum esse, quæ unà cum Gallicano clero præfatam synodum œcumenicam esse negat, et Basileense concilium admittit.* Exstat hæc epistola in libro cui titulus est : *Mémoires du concile de Trente.*

Quod autem ad Tridentinam synodum attinet, ni-

hil in eâ definitum fuisse, quod utrique parti faveat aut noceat, certum videtur ex Suavi Polano et ex cardinale Palavicino. « Magna (inquit Petrus Suavis, « lib. 2, pag. 241 et 242, apud Dallæum, pag. 19 et « 20) fuit circa tertium articulum difficultas propter « Gregorii Romani episcopi factum, quem constat « confirmandi ministerium simplicibus presbyteris « commisisse. Theologi verò Franciscani, qui cum « Joanne Scoto totoque ferè Francisci ordine, Bona- « venturæ doctrinam sequebantur, soli episcopo hu- « jus ministerii jus attribuentis, et si quid presbyter « hujus generis audeat, id pro nullo habentis, quâ in « sententiâ Hadrianum quoque papam VI habent con- « sentientem ; illi, inquam, respondebant Gregorium « id propriâ quâdam necessitate compulsum, præter « suum ipsius mentem atque voluntatem, sed semel « tantùm ad vitandum gentis illius scandalum invitum « concessisse ; vel certè negabant illam à Gregorio « concessam unctionem, veri nominis Confirmatio- « nem, hoc est, Sacramentum fuisse : sed Thomas « qui videret eâ ratione minimè papam purgari ab « omni omninò errore, illâ solutione repudiatâ, aliò « confugerat, rem ita temperans, ut Confirmationem « quidem episcopi, veluti veri ac genuini ministri « propriam esse concederet, cæterùm illud quoque « tueretur, nihil obstare quin ea interdùm ex pontifi- « cis Romani commissione ac mandato etiam à pre- « sbytero ministraretur. Sed et huic à diversâ parte « objiciebatur absoluta ecclesiæ Romanæ sententia « docentis, à Christo ita institutos sacramentorum « ministros, ut papa tametsi, quod ad ministerii exer- « citium pertinet, iis pro suo jure imperet, nullâ ta- « men ratione efficere possit, ut vel validum sit sa- « cramentum, quod ab alio ministratum fuerit, vel « nullum atque invalidum id quod minister à Christo « institutus, etiam contra ipsius Papæ præceptum ac « voluntatem contulerit. Quo fit ut Papa neque pre- « sbytero conficiendi hujus Sacramenti jus dare pos- « set, si ejus à Christo minister est institutus episco- « pus, neque presbyterum, quominùs id conficiat, « prohibere, si conficiendi jus ei fuit à Christo datum. « Illud certè meritò mirum videri, Christum in aliis « quidem Sacramentis, quorum multò major est ne- « cessitas, ita instituisse, ut proprios singulorum « ministros certò ipse præscripserit, nullâ penitùs « hominibus relictâ de istis secùs statuendi libertate, « in hoc vero uno, quod omnium facillimè potest in « aliud commodius tempus differri, peregrinam quam- « dam ac planè singularem rationem tenuisse, cujus « in sex illis quæ ante Gregorium fluxerant seculis « nulla quantumvis tenuis aut obscura mentio facta « fuerit : mirùm et illud visum iri si de pauculis et « ex aliâ occasione scriptis à Gregorio verbis, fidei « articulus instituatur. Certè si, quod facilè fieri po- « tuit, illa Gregoriana epistola intercidisset, nemini « unquàm in mentem venturam fuisse eam, quam « nunc afferunt, distinctionem, planè in toto hoc ar- « gumento insolitam et inusitatam, ac denique hujus- « modi, quæ, si Gregorianum unum hunc locum tol- « las, nullum usquàm alibi usum vel habuerit unquàm, « vel omninò habere possit. Sed cùm essent quibus « neque horum neque illorum sententia satis place- « ret, suggesserunt aliqui ut nuda Florentinæ synodi « verba hoc loco adhiberentur, neque ultra de his « satageretur. Alii auctores erant ut is tantùm dam- « naretur qui dixerit presbyterum, non solùm autem « episcopum, esse hujus Sacramenti ministrum ordi- « narium ; hæc enim sic dicta utrosque in rem suam « interpretaturos, quòd ex iis liceat et illud conclu- « dere : *Esse ergo hujus Sacramenti, præter episco- « pum, extraordinarium alium ministrum ;* et hoc « etiam colligere : *Ergo nullum Confirmationis alium « esse, præter episcopum, ministrum, cùm sacramento- « rum, nisi ordinarius, nullus sit minister.* Atque hæc « quidem ille hactenùs, inquit Dallæus, jam horum « posteriorum consilia secutos Tridentinos fatetur ab « iis planè ex illorum mente editus canon 3 de Con- « firm., sess. 7 : *Si quis dixerit Confirmationis ordi- « narium ministrum non esse solum episcopum, sed « quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.* »

Palavicinus verò, 1° Suavem arguit, quòd Scotum laudet pro eâ opinione, quæ negat presbyterum committi posse ut consignet ; quandoquidem Scotus Confirmationis definitionem explicans sic habeat : *Minister est episcopus, vel alius cui committi poterit ;* ideò in definitione dicitur in generali *à ministro idoneo.* Verùm Scotus, ut ingenuè fatetur, dubius est. In definitionis expositione favet sententiæ affirmanti ; neganti verò in solutionibus ad Gregorii factum ; nunquàm enim respondet ex dispensatione fieri posse, ut presbyter confirmet. 2° Suavem redarguit, quòd scripserit in eâdem opinione omnes esse Franciscanos, in quâ tamen Aureolus non fuerit, neque Richardus de Mediavillâ, neque aliquot alii. 3° Quòd Suavis innuerit eamdem opinionem fuisse Romani pontificis Adriani VI, qui tamen ad onus Ecclesiæ Romanæ, cùm scriberet super sententias, nondùm assumptus fuerat. Verùm ille pontificiam dignitatem adeptus, à primævâ sententiâ suâ non recedit ; cujus rei fidem facit editio ejusdem operis Romæ facta sub ejus pontificatu. 4° Ait legi Adrianum VI, Nicolaum IV, Joannem XXII, Urbanum V et Leonem X, concessisse ejusmodi privilegium quibusdam presbyteris : quâ de re inferiùs. 5° Providentiæ singulari Dei deputandum esse quòd epistola Gregorii non perierit. 6° Longè ante Gregorium, adeòque et ante schisma Photianorum simplices sacerdotes in Oriente confirmâsse : quâ in re à Palavicino dissentit Aurelius in Antirrhetico, pag. 442, ubi negat ullum dari Græcum auctorem catholicum, qui presbyteris jus chrismandi ante Photium tribuerit. 7° Illam orientalium presbyterorum Confirmationem in Florentino concilio approbatam fuisse. 8° Credibile non videri quòd Gregorius disputavisset in gratiam presbyterorum Calaritanorum, si traditio sibi minimè favisset. 9° Probabile esse, si solius Christi institutionis ratio habeatur, quòd episcopi privilegium idem in suâ quique diœcesi præsbyteris conferre possint, quamvis spectato præsenti rerum

statu, id minimè possint, quemadmodùm dispensare non possunt in quibusdam votis et peccatis, Romanæ sedi hodiè reservatis. 10° Refert in synodo Tridentinâ nonnullos sensisse, sive presbyter committi possit, sive non, in canone absolutè et simpliciter definiendum esse, quòd solus episcopus minister esset Confirmationis; quia reverà solus episcopus est minister virtute propriâ, adeòque solius episcopi simpliciter et sine ullo additamento mentio facienda esset, cùm delegatus, non suâ, sed alienâ virtute agat. Eam tamen sententiam prævaluisse, quæ post Eugenii decretum censebat adhibendam esse vocem, ordinarius: ut potè quâ staret condemnatio dogmatis hæretici, et illæsa remaneret opinio quæ dispensandi potestatem defendit; cui alioqui præjudicium aliquod factum iri videbatur, si prætermissâ hâc particulâ, canon hisce verbis conceptus esset: *Si quis dixerit, ministrum Confirmationis non esse solùm episcopum, sed*, etc. Mens igitur concilii ea fuit, ut suo canone neutri parti faveret.

Objiciunt etiam nonnulli concilium Senonense in decretis morum, cap. 38, ubi confirmandi facultatem presbyteris concedi posse non negat, sed privilegium, quo hujusmodi facultas detur, ostendi exhiberique præcipit.

Verùm nec illa synodus quidquam ibi definit, nec illa œcumenica est, sed particularis, nec à Romanis pontificibus approbata, nec ejus auctoritas urget, inquit Contensonus ubi de ministro Confirmationis.

SECTIO II.

Utrùm presbyter ad neophytos confirmandos committi possit.

Quæstio in scholis, ut dixi, in utramque partem agitatur: utriusque partis momenta referam.

§ 1. *Momenta, quibus affirmans opinio innititur.*

Plura sunt argumenta, quæ ferè omnia supra relata, et præter unum aut alterum soluta sunt.

Primum petitur ex Dionysio, de quo supra. Secundum, ex constitutionibus apostolicis, de quibus supra. Tertium, ex Ambrosiastro, de quo supra. Quartum, ex auctore quæstionum veteris ac novi Testamenti, de quo supra. Quintum, ex Chrysostomo, de quo supra. Sextum, ex Hieronymo, de quo ibidem. Septimum, ex canone 20 concilii I Toletani, de quo supra. Octavum, ex canone 2 concilii I Arausicani, de quo supra. Nonum, ex canone 1 ejusdem concilii, et canone 17 concilii Epaonensis, de quibus supra. Decimum, ex facto Gregorii Magni, de quo supra. Undecimum, ex canone 2 concilii Barcinonensis, de quo supra. Duodecimum, ex Græcorum usu, de quo supra. Decimum tertium, ex concilio Florentino in Eugenii decreto, de quo supra. Decimum quartum, ex concilio Tridentino, supra. Decimum quintum, ex synodo Senonensi, seu Parisiensi, de quo supra. Decimum sextum, ex facultate à quibusdam pontificibus concessâ, de quâ supra. Decimum septimum, ex chorepiscopis, qui olim confirmarent.

Ex his decem et septem argumentis plura sunt, quæ iterùm expendamus oportet, sextum videlicet, nonum, decimum, undecimum, duodecimum et decimum septimum.

Sextum igitur argumentum petitur ex Hieronymo, in epist. 85 ad Evagrium: *Quid facit, exceptâ ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* Presbyter igitur, seu ex officio, seu ex delegatâ sibi potestate, faciebat, exceptâ ordinatione, quidquid facit episcopus; adeòque confirmabat. Hic locus solutu difficilis est.

Respondent nonnulli Parisienses theologi, sensum non esse, nihil omninò facere episcopum, exceptâ ordinatione, quod non faciat presbyter; sed sensum esse quod episcopus nihil fieri facit, exceptâ ordinatione, quod presbyter non faciat. Verùm hæc glossa violenta est (verbum enim *facit* sensu eodem utrobique accipitur) et ad explicandum Hieronymi sensum parùm accommoda; inde enim sequeretur, quòd ordinatio eorum esset, quæ episcopus fieri facit, quamvis illa à presbyteris fieri nequeat. Adde quòd hæc responsio difficultatem non declinet, sed eòdem recidat. Enimverò si episcopus nihil fieri facit, exceptâ ordinatione, quod presbyter non faciat; presbyter igitur, omnia facit, exceptâ ordinatione, quæ episcopus fieri facit; atque ita presbyter confirmat.

Marianus Victorius scholiis in hanc ipsam epistolam ad eadem verba citata sic ait: « *Quod hic omittit* « *Hieronymus, in dialogo contra Luciferianos po-* « *suit: scilicet, quòd baptizatos etiam confirmet episco-* « *pus, ait enim ibi ex orthodoxi personâ: Non quidem* « *abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad* « *eos, qui longè in minoribus urbibus per presbyteros* « *et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem* « *sancti Spiritûs manum impositurus excurrat.* » Et infra: « *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ ba-* « *ptizatus, nisi per manus episcopi, non accipiat Spiri-* « *tum sanctum: disce hanc observationem ex eâ aucto-* « *ritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiri-* « *tus sanctus ad apostolos descendit.* »

Glossa capituli *Legimus*, dist. 93, verbo, *Ordinatione*, respondet, *ordinationis* nomine intelligi ea omnia quæ episcopis conveniunt, v. g., confirmare, consecrare presbyteros, velare virgines.

Hugo, ait ibidem Joannes à Turrecrematâ, ita respondet: *Ego autem dico quòd Hieronymus sufficienter excepit; non enim nomine* ordinationis *intelligitur ordinatio clericorum, sed potiùs ordo episcopalis, per quem intelliguntur omnia, quæ ex illo ordine proveniunt. Exceptâ ergo ordinatione episcopali, id est, exceptis his, quæ competunt episcopis ratione ordinis episcopalis.*

Utcùmque se res habeat, sive illi, sive alii, qui fortè poterunt excogitari, sensus veri sint, Hieronymi verba exponi indigent: chrismatis enim confectionem, ipso etiam concedente episcopo, presbyteris Hieronymi ætate interdictam fuisse constat ex canone 36 concilii III Carthaginensis: manuum

quoque impositionem, quâ neophyti Spiritum sanctum consequebantur, à solis episcopis adhibitam fuisse apparet ex ipsis Hieronymi verbis à Victorio citatis; et ex ipsâ Ecclesiarum consuetudine ab Hieronymo relatâ.

Nonum argumentum ex hæreticorum in Ecclesiam venientium admissione petitur, quæ per unctionem confirmatoriam fieri solebat. Atqui hæc receptio et chrismatio presbyteris permittitur, canone 2 concilii I Arausicani, et canone 17 concilii Epaonensis.

Vulgò respondetur hanc unctionem non fuisse confirmatoriam, sed merè cæremonialem. *Erras admodùm*, inquit Aurelius in Anæretico adversùs Sirmondum, pag. 446, *et hallucinaris, nesciens quænam esset illa chrismatio, benedictio, manùs impositio, quam patres et canones hæreticis ad Ecclesiam venientibus toties fieri præcipiunt. Quâ de re quia non est hùc dicendi locus, satis erit breviter docuisse eam non fuisse sacramentum Confirmationis, nec chrismationem aut manùs impositionem illam eamdem, quæ neophytis in Ecclesiâ tribui solet. Hoc autem ex eo declaratur, quia patres eam dari jusserunt omnibus promiscuè ab hæresi redeuntibus, nihil inter eos discernentes qui episcopalem manùs impositionem et verum sacramentum Confirmationis ab hæreticis accepissent, et eos qui non essent illo imbuti : omnes enim sine discrimine hæreticos ita chrismandos dixerunt, ut patet ex canonum verbis. Hâc ergo ratione planum fecerunt chrismationem ejusmodi non fuisse illam sacramento Confirmationis solemnem, sed cæremoniam meram, quæ tamen presbyteris eodem modo interdiceretur, quo reconciliatio pœnitentium, quia sicut à pœnitentiâ ad Ecclesiam redeuntes, nonnisi ab episcopo admitti poterant, sic neque ad eamdem ab hæresi redeuntes. Sicut autem pœnitentes à presbytero in discrimine vitæ reconciliari Ecclesiæ poterant, per manùs impositionem ut sæpe concilia edicunt; ita et redeuntes ab hæresi in eodem periculo per manùs similiter impositionem et chrismationem in Ecclesiam ab eodem admittebantur. Cur autem hi speciatim chrismate inungerentur et Spiritum sanctum dicerentur accipere commodiùs alibi exponetur.* Hæc Aurelius, qui suis tamen promissis non stetit. De hâc difficultate iterùm infra, ubi de Confirmatione ab hæreticis collatâ.

Decimum argumentum petitur ex facto Gregorii Magni, qui cùm anno 593 Sardorum presbyteris prohibuisset, *ne baptizatos infantes signare in fronte chrismate præsumerent, sed eos tangerent in pectore, ut episcopi postmodùm tangerent in fronte*, et anno proximè sequenti accepisset *quosdam scandalizatos fuisse quòd presbyteros chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuisset*, respondet : *Et nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus : sed si omninò hâc de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant concedimus.* Ita ille, lib. 3, epist. 9 et 26.

Verùm ex illis, qui dispensandi hâc in re jus papæ denegant; respondent aliqui frontis unctionem Confirmationi accidentalem esse ; quare ea licèt presbyteris concessa, non sequitur confirmandi jus illis concessum fuisse. Ita nonnulli ex auctoribus qui Confirmationis essentiam in solâ manuum impositione constituunt.

Respondent alii, unctionem, quam Gregorius concedit, Baptismo priorem esse, adeòque illam non esse confirmatoriam. In pluribus enim codicibus et editionibus, qualis est Parisiensis anno 1553, legitur *baptizandi*, et *baptizandos*, non autem *baptizati*, et *baptizatos*. Ita Estius in 4, d. 7, § 22. Sed hunc locum, cum epistolâ 9 conferenti, manifestè apparebit corruptio ; siquidem in epistolâ 26, ait se id permittere, quod in epistolâ 9 prohibuerat : prohibuerat autem ne presbyteri ungerent in fronte baptizatos. Unde etiam Gratianus, Alexander Alensis, et S. Thomas hunc locum ita citant, ut esse debet.

Concedunt alii frontis unctionem, de quâ Gregorius, Baptismo quidem posteriorem esse, illam tamen confirmatoriam non esse, sed meram cærèmoniam, quam in Ecclesiâ Romanâ presbyteri in pectore adhibere solebant, et Gregorius presbyteris Sardiniensibus in fronte adhiberi permisit vitandæ offensionis causâ : posterioremque à priori solo membro diversam fuisse. Ita Estius in 4, dist. 7, § 22, et Aurelius in Anæretico et Orthodoxo, quorum opinio his argumentis firmari potest. 1° Quia Gregorius usurpatas hactenùs à presbyteris Calaritanis unctiones irritas non declaravit. 2° Quia fideles ejusmodi unctione signatos non monuit ut Confirmationem susciperent. 3° Quia solum usum veterem Ecclesiæ Romanæ, non autem Christi institutionem, nec fidem omnium ecclesiarum attulit, pro ratione suæ prohibitionis factæ, epist. 9. 4° Quia presbyteris Calaritanis facilè concessit indulgentiam ad baptizatos in fronte ungendos. Credibile quippe non est, si de Sacramento sermo fuisset, quòd Gregorius usurpatas ab illis presbyteris unctiones episcopales non declarâsset irritas; nec fideles baptizatos monuisset suscipere legitimam Confirmationem, quam sic uncti non susceperant ; nec aliam suæ primitùs factæ prohibitionis rationem attulisset, quàm usum Ecclesiæ Romanæ ; nec presbyteris illis confirmandi jus ita facilè concessisset.

Dallæus, lib. 3, c. 6, hanc solutionem contemnit, quasi *Estii inventum, quod, tacito licèt ejus nomine, avidè arripuit Aurelius, subjicitque hujus commenti vanitatem, vel hoc inprimis prodire, quòd cùm à quadringentis annis plurimùm in scholis agitatum sit factum illud Gregorii, nemo repertus est* (si duos istos heri natos exceperis), *cui hæc de eo cogitatio in mentem venerit. Thomas, Durandus, Aureolus, Scotus, Gabriel, Major, Soto, Bellarminus, Valentianus, Conink, omnes denique veteres recentioresque, quotquot videre potui, licèt in aliis plurimùm inter se diversi, et in hoc negotio etiam adversi, in eo tamen consentiunt, quòd suæ Confirmationis sacramentum verè fuisse statuunt, id de quo Sardis concessit sive dispensavit Gregorius.* Ita Dallæus, qui hisce verbis parùm se in legendis theologis versatum os ;

tendit. Ex antiquis enim nonnulli, quorum meminerunt S. Thomas in 4, dist. 7, q. 3, a. 1, quæstiunc. 3, in c., et S. Bonaventura in 4, d. 7, in expositione textûs Magistri, hanc ipsam solutionem afferebant : *Quidam dicunt*, inquit S. Thomas, *quòd presbyter simplex non possit ex mandato Papæ confirmare : et quod dicitur de Gregorio ad Januarium scribente, lib. 3, epist. 26, exponunt, quod illi presbyteri ex mandato Papæ non conferebant sacramentum Confirmationis, sed aliquod sacramentale simile illi sacramento : sicut alicui porrigitur panis benedictus loco Eucharistiæ.* Eamdem inter alias amplexus est Adrianus VI in 4, d. 7, art. 3, sub finem : *Dico 2° quòd non constat Gregorium ibi commisisse Confirmationem, quæ est Sacramentum, sed solùm consignationem frontis cum chrismate ; quomodò Sylvester instituisse dicitur quòd sacerdos baptizandum in vertice chrismate deliniret, ne omninò vacui suffragio Confirmationis ab hâc luce decederent ; quod eis quodam modo imperfecto in alio munere per sacerdotem tribuitur : nec est plus hic tunc fictio Sacramenti, quàm in consignatione verticis ; sed applicatio quædam specialis meriti Ecclesiæ ad sic consignatos.* Ex recentioribus verò omnium instar erit eruditissimus Petrus de Marca, in Dissertatione ad canonem concilii 28 Claromontani, anno 1095 habiti. Licèt enim Confirmationis ministerium presbyteris ex gravi causâ committi posse existimet, negat tamen ex eo loco (id est, *exemplo Gregorii I erga presbyteros Sardiniæ*) id confici posse.

Instat Dallæus hoc Gregorii factum in Eugenii decreto indicari, ut pontifex ex eo probet Confirmationis administrationem presbyteris ex dispensatione concedi posse. *Legitur tamen*, inquit, *aliquando per apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodùm causâ simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrâsse Confirmationis sacramentum.*

Respondet Estius : *Concilium non affirmare id aliquando factum esse* (nam reverà factum esse probari non potest), *sed id legi vel in decreto Gratiani, vel apud scholasticos doctores, qui factum Gregorii juxta suam opinionem sunt interpretati : eamque ob causam se addidisse ordinarium, quod ita opinantibus præjudicare nollet*

Responderi posset, ne dicatur Eugenius ad hoc Gregorii factum respexisse, obstare Innocentium III qui de Consuetudine, cap. *Quanto*, asserit *ab apostolorum tempore fuisse solis pontificibus reservatum sacramentum Confirmationis ;* obstare, vel ipsa decreti verba, *ex rationabili et urgente admodùm causâ :* nec enim urgens admodùm causa dispensandi censeri potest quorumdam presbyterorum querela de prohibitione ipsis canonicâ factâ, ex quâ aliud oriri non potest scandalum, quàm acceptum et minimè datum. Denique si Eugenius ad factum illud respexit, non tam ex suo sensu locutus est, quàm ex eorum scholasticorum, qui Gregorii factum juxta opinionem suam interpretantur. Cæterùm Eugenius dabat instructionem Armenis, non definiebat : quare inde sequitur duntaxat Eugenium proposuisse opinionem affirmantem, quasi communiorem et probabilem.

Urget Dallæus Gregorium concessisse frontis chrismationem : et per frontis chrismationem in canonibus ubique designat unctionem confirmatoriam.

Verùm Aurelius duo refert exempla, quibus certum videtur, quamlibet frontis unctionem, licèt episcopalem, minimè confirmatoriam fuisse. Gregorius enim Turonensis, lib. 7, cap. 44, narrat, Agericum Virodunensem episcopum, puellæ energumenæ *frontem oleo sancto perunxisse ;* et Innocentius I in epist. 1 ad Decentium, cap. 6, concedit ut manûs impositio et consignatio super energumenum baptizatum fiat *à presbytero, vel à cæteris clericis*, modò *episcopus id imperet et auctoritatem dederit id efficiendi.* Præterea nihil impedit quominùs Gregorius concesserit, ut unctio merè cæremonialis, quæ Romæ et alibi fieri solebat in pectore, apud Sardinienses fieret in fronte, neque confirmatoria esset ; quia nec ab idoneo ministro, nec cum debitâ formâ conferebatur.

Qui verò admittunt Gregorium in præfatis duabus epistolis agere de Confirmationis unctione, quatuor solutiones afferunt.

Prima est Sardiniensis ecclesiæ perversam hanc fuisse consuetudinem, quam Gregorius primùm improbavit atque prohibuit : postmodùm tamen tolerare coactus est propter Sardiniensium presbyterorum querimonias, permittendo ut veterem suam consuetudinem retinerent, eam tamen non approbando, sed prohibitionem suam revocando : ita veteres Magistri et Gratiani commentatores ; ita Gabriel et Hadrianus VI. *Beatus Gregorius* (inquit Gabriel) *concessit, non potestatem tradendo, sed factum tolerando propter majorem turbationem et scandalum vitandum ; sicut ad duritiam cordis Judæorum, ad cavendum parricidium, concessit Moyses libellum repudii, non approbando, sed tolerando.* Vel quemadmodùm ipsemet Gregorius, inquit Hadrianus VI, de Judæis Paschasio scribens, hortatur, *ut liberam* eis *licentiam* faciat, *observandi celebrandique festivitates suas.* Indulgentissimum fuisse Gregorium, ut animas Christo lucraretur, apparet, ex ejus responso ad Augustinum circa *nefanda* Anglorum *conjugia*, de quo supra. Quod sanè responsum, si legisset Scotus, nusquàm dixisset : *Peccatum iri mortaliter Gregorium, si propter scandalum vitandum concessisset ad tempus, vel magis permisisset, ut presbyteri Sardinienses confirmarent.*

Secunda est Scoti respondentis. *Quod si à principio non licuit sacerdoti simplici ; Papa tamen potuit quemlibet sacerdotem illius regionis facere episcopum, quantùm ad istum actum, non tamen conferendo sibi simpliciter gradum episcopalem, nec quantum ad alios actus. et tunc quilibet eorum verè confirmavit tanquàm episcopus quantùm ad istum actum : et ratio conferendi istum gradum cuilibet sacerdoti quantùm ad istum actum, poterat esse scandalum vitandum.* Quasi verò episcopatus absentibus administrari, et gradus episcopalis (inquit Gabriel) possit dividi, et una pars sine aliâ conferri.

Tertia est Gregorium dispensavisse cum Sardinien

sibus presbyteris, sed ita dispensando errâsse. Ita Durandus, in 4, d. 7, q. 4, n. 20 : *Si solus episcopus est minister, nescio cur non possit dici, quòd Gregorius, cùm fuerit homo et non Deus, potuerit errare.* Durando consentit Major in 4, d. 7 : *Apostolorum processum et determinationes pontificum debemus in materiâ ancipiti fidei imitari, factis pontificum interdùm in contrarium non ponderatis. Ergo factum Gregorii non est curandum, dummodò habeantur apostolorum ritus et pontificum scripta. Sic est in proposito.* Tum adducit Petri et Joannis exemplum Actuum 8 relatum, et declarationes summorum pontificum Innocentii III, pseudo-Eusebii et pseudo-Melchiadis : statimque subjicit : *Mirandum est, si nulla expositio sufficiat beatum Gregorium excusare, quare non sit concedendum, quod in illo facto deliquit, cùm tamen passim doctores teneant Petrum peccâsse in illo facto, ad Galatas 2, cùm esset confirmatus virtute ex alto : qui tamen in judicio particulari fidei, et vitæ sanctimoniâ, omnium judicio longè beato Gregorio anteire dignoscitur.* Et infra : *Sola illa via est tenenda, quòd præcisè ab episcopo Confirmatio est danda. Hoc enim ex apostolorum factis et pontificum determinationibus sufficienter concludimus. Scintillam apparentiæ non video in oppositum. Beatus Gregorius poterat errori opposito assentire, quòd simplices sacerdotes poterant confirmare, sicut beatus Cyprianus et plerique sancti erraverunt, vel pro tempore dissimulare, sive cum peccato, sive sine peccato non refert.* Majori concinit Hadrianus VI, in 4, d. 7, a. 3, sub finem : *Ad secundum principale*, etc., fol. 18, col. 4.

Præter allatas expositiones quarta superest, quæ omnium probabilissima est, Gregorium dispensavisse cum Calaritanis presbyteris, nec errâsse : ita Alexander Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, etc.

Undecimum argumentum petitur ex Græcorum usu, quorum præsules rarò, presbyteri frequenter baptizant et confirmant, *ipsomet præsente antistite*, inquit Arcudius, lib. 2, cap. 10. Græcorum autem Confirmationem in concilio Florentino approbatam fuisse, certum omninò videtur.

Verùm auctores sententiæ negantis, respondent hanc approbationem absoluto concilio factam fuisse. Quâ de re infra, ubi de validitate aut nullitate Confirmationis ecclesiæ orientalis.

Duodecimum petitur ex confirmandi facultatibus, quas nonnulli pontifices presbyteris concesserunt. Sic Nicolaus IV, Joannes XXII, Urbanus V, et Leo V, si Palavicino, hæc in historiâ referenti, credamus, jus illud simplicibus minorum observantiæ sacerdotibus in Indiâ commiserunt. Sic referente Arcudio, lib. 2, cap. 15, Hispali in monasterio S. Francisci diploma pontificium asservatur, quo Hadrianus VI, anno 1521, die 25 aprilis, petentibus fratre Galapione et Francisco de Angelis, concedit pro Indiis et regionibus, ubi non sunt episcopi, ut sacerdos regularis ex minoribus posset cum chrismate ab episcopo consecrato confirmare. Sic eodem Arcudio ibidem referente, Ludovicus Fonseca, Societatis presbyter, cùm ex Brasilio Romam *ad generalem conventum anno* 1593 *venisset*, *munere procuratoris illius provinciæ functurus, affirmabat se solitum esse in illis partibus hoc Sacramentum administrare, ibique hujus auctoritatis concessæ asservari diploma pontificis.*

Verùm qui negantem opinionem defendunt, respondent hæc facta non videri certa satis, ut rem controversam dirimere possint. Deinde de facultate à Nicolao IV, Joanne XXII, Urbano V, et aliis pontificibus concessâ mentionem duntaxat fieri in Hispalensi diplomate, quod suspectæ fidei esse videtur : 1° Quia Hadrianus VI, anno 1522, die 9 januarii electus est ; 2° Quia illud Pitigionis Leoni X, et Arcudius Hadriano VI tribuunt ; 3° Quia Pitigionis hoc diploma adducit ut inde probet chrismatis confectionem presbyteris committi posse, Arcudius contra ait in eo præcipi, ut presbyteri chrismate ab episcopo consecrato utantur. Denique responderi posset pontifices id permisisse, quia in Sacramentorum administratione, cùm necessitas urget, qualis certè in neophytis Indicis ad martyrium expositis urgebat, uti licet opinione probabili; tunc enim satius est dubium, quàm nullum conferre Sacramentum.

Decimum septimum petitur ex chorepiscopis, qui, licèt presbyteri, validè confirmârunt, nisi ex officio, saltem ex delegatâ sibi potestate : quâ de re infra, ubi de chorepiscoporum Confirmatione.

Verùm, qui negantem opinionem tuentur, chorepiscoporum, qui ordinati non essent episcopi, Confirmationes irritas semper habitas fuisse contendunt.

Sunt et alia quædam argumenta è variis paritatibus et ratiociniis petita.

Unus enim est ordo sacerdotii et episcopatûs : si ergo ratione ordinis episcopo convenit Confirmationis administratio, conveniet etiam sacerdoti.

Verùm non levis est difficultas, utrùm episcopus ordine differat à presbytero. Deinde hæc ratio nimiùm probat ; ex eâ enim sequeretur quòd presbyter majores ordines conferre posset. Episcopus igitur, licèt ordine à presbytero non differat, ordinis tamen excellentiâ et amplitudine quâdam differt, quam ei tribuit diversa à sacerdotali consecratio, ratione cujus excellentiæ et amplitudinis ei convenit ordinandi et confirmandi potestas. Ita Hadrianus VI, et ex illo Estius.

Est et aliud ratiocinium quod sumitur ex minorum ordinum et subdiaconatûs collatione, quam summus pontifex simplici sacerdoti committere potest : quidni et Confirmationis administrationem ?

Verùm et antecedens negatur à pluribus theologis et eo concesso nihil concluditur : subdiaconatus enim, uti et minores ordines, juris sunt ecclesiastici ex sententiâ plurium theologorum; sed ex unanimi theologorum consensu Confirmatio juris est divini.

Ultimum petitur ex plenitudine potestatis, quam in Ecclesiâ summus Pontifex habet.

Verùm Durandus respondet plenitudinem potestatis eò non extendi, ut proprium Sacramentorum ministrum mutare possit, uti nec propriam Sacramentorum substantiam. Subjicit potestatem aliam jurisdi-

ctionis esse, aliam consecrationis : priorem, non posteriorem committi posse : ad posteriorem, non ad priorem, pertinere Confirmationis administrationem.

§ 2. *Momenta quibus negativa opinio innititur.*

Plures, pro negativâ opinione, rationes à Durando, Gabriele, Hadriano VI, Estio et aliis referuntur, quas ferè omnes, quâ fieri poterit brevitate, proponam.

Prima petitur ex Innocentio I, Chrysostomo, Hieronymo, Isidoro Hispalensi, Bedâ, Jesse Ambianensi, suppositi Eusebii, Melchiadis, Damasi, et Joannis III epistolis, Ratramno, Œcumenio, Petro Damiani, Goffrido Vindocinensi, et aliis totâ quæstione 1 et appendice citatis, qui confirmandi munus solis episcopis attribuunt.

Verùm ex illis Chrysostomus et Hieronymus apertè satis innuunt presbyteros ætate suâ aliquando confirmâsse : *Inter episcopum*, inquit Chrysostomus, homil. 11 in 1 Timoth., *et presbyterum interest fermè nihil : solâ quippe ordinatione, episcopi superiores sunt presbyteris. Quid facit*, inquit Hieronymus, in epist. 85 ad Evagrium, *exceptâ ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* Innocentius verò, Isidorus, Beda, et alii utuntur verbo, *debetur*, vel aliquâ aliâ simili particulâ, quâ significatur munus illud solis episcopis convenire duntaxat ex officio.

Secunda petitur ex Innocentio III, Gregorio IX, et Innocentio IV, qui factas à presbyteris Græcis Confirmationes irritas declarant. Quâ de re infra, ubi de Græcorum Confirmatione. Cæterùm ex tribus illis pontificibus urget potissimùm auctoritas Innocentii III, qui, cap. 4 de Consuetudine, decernit, ut fideles potiùs careant Sacramento Confirmationis, quàm ut à presbyteris illud accipiant. Nullus autem est rationabilior dispensandi locus, quàm mortis imminentis articulus, in quo etiam omnes reservationes cessant. Ergo si posset summus Pontifex presbyteris confirmandi potestatem facere, eam tum maximè impertire deberet, cùm ob imminentem mortem, fidelis non potest ab episcopo absente confirmari. Et tamen Innocentius satius ait esse, sine Confirmationis sacramento mortem appetere, quàm illud à simplici sacerdote, etiam in ultimo vitæ discrimine, accipere. Existimabat igitur Innocentius confirmandi facultatem episcopis ita propriam esse, ut nullo casu presbyteris communicari possit.

Tertia est, quia *apostoli, præcipiente Domino, illisque denuntiante, ut illi et successores eorum* (apostoli) *tantummodò per manûs impositionem traderent Spiritum sanctum, nulli unquàm ex septuaginta* (quorum formam in Ecclesiâ gerunt presbyteri) *tradere Spiritum sanctum per manûs impositionem permiserunt, eis scientes illicitum fore, dantes successoribus eorum exemplum, ne unquàm talia præsumerent.* Ita supposita Joannis III epistola, cap. 1.

Quarta, quia *nec apostoli, licèt pauci essent, aliquem ex septuaginta* ad Samaritanos confirmandos direxerunt, *sed Petrum et Joannem apostolos per manûs impositionem tradere Spiritum sanctum miserunt, quorum vicem episcopi in Ecclesiâ gerunt, et non chorepiscopi.* Ita pseudo-Joannes, ibidem.

Quinta, quia *nec videtur apostolos, viros humillimos, hâc potestate inferiores privâsse, et sibi solis eam arrogâsse, si ea inferioribus à Christo fuisset data.* Ita Gabriel.

Verùm trium illarum objectionum solutio ex epistolâ ipsâ repeti debet, nempe Christum apostolis præcepisse, ut illi soli confirmarent, et nulli ex septuaginta discipulis confirmare permitterent, ne fortè presbyteri discipulorum successores deinde *talia præsumerent*, et jus illud sibi arrogarent. Præterea, cap. 2 ejusdem epistolæ, Petrus quidem apostolorum princeps dicitur.

Sexta est. Si veteres sibi persuasissent simplicem sacerdotem ex speciali summi pontificis commissione administrare posse Confirmationem, primis Ecclesiæ seculis hæc potestas ad praxim reducta fuisset, ne parvuli in pagis et oppidis per presbyteros baptizati, ex hâc vitâ migrarent absque hoc Sacramento, quod tamen factum fuisse nullibi legimus.

Verùm huic rationi opponi Possunt facta Gregorii Magni, qui presbyteris Calaritanis concessit, ut baptizatos in fronte consignarent; Alexandrinorum, quorum presbyteri confirmabant, ex Ambrosiastro ; et chorepiscoporum, qui, licèt presbyteri, hoc Sacramentum administrabant.

Septima. *De integritate cujuslibet Sacramenti, sunt materia, forma, et minister : sed Papa nihil potest mutare circa materiam et formam ; ergo nec circa ministrum. Igitur aut simplex sacerdos ex divinâ institutione est minister Confirmationis, et tunc absque commissione Papæ potest eam conferre ; aut non est minister, sed solus episcopus, et tunc ex quâcumque commissione nihil potest.* Ita Durandus.

Si quis respondeat discrimen esse, quia *materia et forma sunt intra* Sacramentum, *minister autem se habet extrinsecè ad ipsum, quare variari potest absque præjudicio Sacramenti, quemadmodùm apparet in sacramento pœnitentiæ, in quo fit variatio circa ministrum*, cùm pontifex sacerdoti confert certam potestatem absolvendi.

Durandus contra urget *istud* (exemplum) *non valere, quia Papa circa sacramentum Pœnitentiæ non mutat ministrum ; ejus enim minister est omnis sacerdos, cùm omni sacerdoti dicatur in suâ ordinatione :* « *Accipite Spiritum* « *sanctum, quorum remiseritis,* » etc. ; *sed subtrahit, vel dat ipsi materiam : ex quo enim sacramentum Pœnitentiæ est judiciale, materia ejus est peccator subditus. Potest autem Papa facere, quòd subditus alicui sacerdoti, ei ampliùs non subdatur : et sic subtrahit ei materiam absolvendi, quâ subtractâ, non potest solvere vel ligare : sicut si sacerdoti subtraheretur panis et vinum non posset conficere. Præterea sicut minister se habet extrinsecè ad Sacramentum, ita et suscipiens ipsum. Sed ubi suscipiens est determinatus, sicut in Extremâ Unctione infirmus, vel in Ordine masculus, per Papam non potest mutari ; et si fiat, nullum est Sacramentum, ut si sanus ungatur, vel mulier ordinetur. Ergo nec ubi*

minister determinatus est, nihil omninò mutari potest absque evacuatione Sacramenti, quamvis extrinsecè se habeat ad Sacramentum.

Verùm hæc ratio falsum supponit, videlicet determinatum à Christo Confirmationis ministrum solum esse episcopum; in utroque enim Confirmationis et Pœnitentiæ Sacramento determinatus à Christo minister est, vel episcopus ex officio agens, vel sacerdos ex delegatâ sibi potestate, Sacramentum administrans. Quare alteruter sufficit: videsis Dominicum Soto, d. 7, a. 11, ad 1, ubi docet *Christum neque omnes sacerdotes simpliciter ministros hujus Sacramenti instituisse, sicut Eucharistiæ et Pœnitentiæ; neque verò solos episcopos, sed medio quodam modo: quod Paludanus, in 4, d. 7, q. 4, propè tetigit. Aliquid enim tanquàm necessarium determinavit, et aliquid judicio Ecclesiæ reliquit. Determinavit, ut soli sacerdotes sive ex officio sive ex commissione possent confirmare. Quòd autem episcopi essent ministri huic Sacramento necessarii, arbitratui Ecclesiæ commisit;* nec tamen quæ confirmandi dispensationem presbyteris negans, vel concedens, episcopos hujus Sacramenti ministros necessarios, vel non necessarios efficit. Quamvis igitur episcopi jure divino ministri sint Confirmationis ordinarii, *non tamen necessarii sunt de jure divino, sicut materia et forma Sacramentorum, sed de jure ecclesiastico, super quo ideò Papa dispensare potest.* Ita Sotus.

Octava. Sicut in Baptismo confertur passiva potestas suscipiendi cætera omnia Sacramenta; ita et in episcopi consecratione traditur activa potestas conferendi eadem Sacramenta. Atqui pontifex dispensare non potest, ut ille, qui minimè baptizatus est, suscipiat cætera Sacramenta. Ergo nec dispensare, ut ille, qui non est ordinatus, ea conferat. Ita Durandus, ibidem, n. 16. — Respondeo 1° hanc rationem nimis probare. Inde enim sequeretur nullum Sacramentum, nisi ab episcopo, validè conferri posse. Respondeo 2°: Hæc ratio falsum supponit, scilicet quòd in episcopi consecratione tradatur activa potestas conferendi cætera Sacramenta; potestas enim consecrandi Eucharistiam, offerendi sacrificium, administrandi corpus Christi, absolvendi à peccatis, conferendi matrimonium, et ungendi infirmos, presbyteris in ordinatione conceditur.

Nona. Sicut presbyter jure divino est minister Eucharistiæ et Pœnitentiæ, quia hæc potestas ei conceditur in ordinatione; ita episcopus jure divino est minister Confirmationis, quia hæc ei potestas tribuitur in ejus consecratione. Sicut igitur summus Pontifex dispensare non potest ut diaconus, quia non est presbyter, consecrare possit; ita nec facere, ut presbyter, quia non est episcopus, possit confirmare.

Verùm, tradaturne in episcopi consecratione, vel non tradatur confirmandi potestas, quâ de re infra, respondetur discrimen esse, quòd presbyter jure divino non solùm minister est Eucharistiæ, sed etiam minister necessarius. At episcopus divino quidem jure minister est Confirmationis; sed minister est necessarius jure duntaxat ecclesiastico.

Decima. Confirmandi potestas episcopis convenit, aut ratione jurisdictionis, aut ratione ordinis. Si conveniat ratione jurisdictionis, inde multa sequerentur absurda. Primùm, quòd Papa electus, vel episcopus electus, et à papâ confirmatus, nondùm tamen consecratus, validè confirmare poterit; quia uterque jurisdictionis potestatem ante consecrationem obtinet. Deinde quòd nulla erit Confirmatio, quia episcopus quempiam sibi minimè subditum confirmaverit. 3° Sequitur non modò presbyterum, sed et diaconum, imò et simplicem clericum ex commissione confirmare posse, sicut et excommunicare. 4° Hoc ipsum posse presbyterum, non tantùm ex commissione summi Pontificis, sed etiam proprii episcopi, nisi fortè peculiaris obstiterit reservatio, quæ tamen nusquàm exstat, et si exstaret, tantùm esset juris humani. Sin autem episcopo convenit ratione ordinis: vel ratione sacerdotalis consecrationis, vel ratione episcopalis. Prius dici non potest; alioqui omnibus sacerdotibus communis esset hæc potestas, sicut potestas consecrandi corpus et sanguinem Domini; adeòque necessaria non esset commissio, nisi fortè ad vitandam inobedientiæ culpam; sed verum esset Confirmationis sacramentum, à quocumque presbytero, etiam citra commissionem, collatum, sicut vera est Eucharistiæ consecratio à quocumque sacerdote, etiam suspenso et degradato facta. Hoc autem summorum Pontificum et conciliorum decretis repugnat, quæ chorepiscoporum Confirmationes irritas declarant; de quibus infra. Deinde videri posset ad injuriam sacerdotalis ordinis pertinere, si potestatem ei à Christo annexam perpetuâ lege sibi episcopi reservarent; quâ de re Joannes Viclefus episcopis Ecclesiæ calumniam ingessit. Imò potestas illa frustra data videri queat, cùm vix unquàm permissum fuerit presbyteris eâ uti. Adde quòd illius potestatis nulla mentio fiat in presbyterorum ordinatione. Posterius etiam dici non debet; alioqui hæc potestas committi non posset presbytero, quia licèt episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt, quæ ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradûs clericis demandare. Ex Gregorio IX in Responso ad Astoricensem episcopum, et refertur in decretalibus, lib. 3, tit. 4, cap. *Aqua*, seu cap. 9. Deinde simplex sacerdos, ut qui episcopali consecratione careat, nullâ superioris commissione validè confirmare posset: quomodò nec diaconus, ut qui sacerdotalem consecrationem non habeat, potest ex commissione consecrare corpus Domini, nec à peccatis absolvere. Denique sicut Pontifex efficere non potest ut irritum sit et inane, quod episcopus agit ordinando et confirmando, quia ordinem semel datum evellere non potest; ita nec ratum facere posset, quod simplex sacerdos in confirmando et ordinando, licèt ex commissione, tentaret; quia simplici commissione ordinem, cujus Ordinatio et Confirmatio forent actus, dare nequit. Ita ferè Durandus, n. 13, 14 et 16, et Estius, § 21.

Mirum est profectò, quantùm hæc argumentatio theologorum ingenia vexaverit. Præcipuas duntaxat

solutiones hìc referam, quæ ad quatuor revocari possunt. Alii enim respondent confirmandi potestatem episcopo convenire ratione jurisdictionis, alii ratione ordinis, alii ratione utriusque, alii ratione neutrius.

Prima igitur solutio est Alexandri Halensis, 4 p., q. 9, membro 5, art. 1, § 3, episcopos id posse, non ratione ordinis, neque ratione jurisdictionis, sed ratione institutionis, nempe quia Christus ita instituit ut solus episcopus ex officio, et solus sacerdos ex commissione confirmaret. Sacramentum autem, inquit Hugo Victorinus, quod contra institutionem celebratur, irritum est. Hàc solutione objectis et circumstantiis omnibus occurritur.

Secunda est Faventini, in 4, dist. 7, disput. 27, n. 32 et 33, et aliorum quorumdam Scotistarum, qui docent potestatem quidem conficiendi chrisma esse potestatem ordinis: *Potestatem* autem *conferendi Confirmationem* aiunt *non esse potestatem ordinis, sed jurisdictionis, et esse ordinariam in episcopo, delegatam in sacerdote: non posse tamen extendi ad diaconum et alios inferiores, quia ex institutione divinâ est ordinata ne transferatur ad alios inferiores: et ratio congrua est, quia sicut solus sacerdos habet directam potestatem in corpus Christi verum, ita habet directam potestatem super corpus Christi mysticum ad remittendum peccata, et ministranda alia Sacramenta. Ergo ad illum solum potuit et debuit extendi. Quòd autem hæc potestas in sacerdote conferendi Confirmationem sit jurisdictionis et non ordinis, ex eo probatur, quia potestas ordinis non potest tolli, nec impedire ne effectus fiat, si attentet quis habens talem auctoritatem; et à sacerdote potest ita auferri hæc potestas conferendi chrisma, quòd si attentet, nihil faciat, imò sine commissione si attentet, nihil facit: deinde quia hæc potestas intrinsecè non fluit ab ordine sacerdotali, sed ipsum solummodò constat.* Ex hâc igitur doctrinâ concedi debet validam fore Confirmationem, quam electus Papâ, vel electus et à Papâ confirmatus, nondùm tamen consecratus, episcopus conferret: invalidam autem, si quis episcopus quempiam sibi non subditum confirmaret, vel si quis diaconus hoc Sacramentum etiam ex commissione tentaret. Quæ verò, quantave hodiè sit, et olim fuerit episcoporum auctoritas circa hujus Sacramenti dispensationem explicabitur infra.

Tertia solutio eorum est, qui docent Confirmationis administrationem esse actum ordinis, non autem jurisdictionis: quam quidem doctrinam ut explicent, tres vias ineunt. Quidam enim ut Bellarminus, de Confirm., cap. 11, sive character episcopalis idem sit vel alius à sacerdotali, hoc discrimen inter utrumque statuunt, quòd episcopalis *est potestas absoluta, et perfecta, et independens conferendi Sacramenta Confirmationis et ordinis*, quo fit ut episcopus, prohibente licèt pontifice, hæc duo Sacramenta validè conferat; presbyteralis autem character est quidem *potestas absoluta perfecta, et independens quoad Baptismum et Eucharistiam: inchoata verò, imperfecta, et dependens à voluntate superioris quoad Confirmationem; quocirca nisi perficiatur per dispensationem superioris hæc potestas, presbyter confirmando nihil ageret*, etc., apud Bellarminum, pag. 447. *Unum characterem* (scilicet in episcopo) *esse signum pacti absoluti, alium autem* (scilicet in presbytero) *esse signum pacti conditionati.* Ita Bellarminus, et ex ipso Arcudius, de Confirm., cap. 16, ubi presbyteralem ordinis et characteris facultatem in ordine ad utrumque Confirmationis et Pœnitentiæ Sacramentum in eo distinguit, quòd illa in ordine ad pœnitentiam à superioris voluntate pendeat, velut ab auctoritate, à quâ jurisdictionis potestatem accipit; in ordine verò ad Confirmationem pendeat à superioris voluntate velut à conditione sine quâ non, eo ferè modo quo calefactio pendet ab approximatione. Alii verò qui unum eumdemque aiunt esse characterem episcopi et presbyteri, non aliud discrimen agnoscunt, nisi quod character episcopalis est expedita confirmandi potestas; presbyteralis autem est potestas impedita et ligata per divinam ordinationem, quæ voluit, ut solus episcopus esset minister ordinarius, neque sacerdos sine ejus consensu confirmare posset. Quare ligamen illud solvi non potest, nisi per dispensationem. Et illi rursùs in duo genera dividuntur: alii enim sentiunt hanc presbyteralem confirmandi potestatem ita ligatam esse per divinam illam ordinationem, ut si confirmare tentet sine dispensatione, nihil efficiat: alii contra Confirmationem illicitam quidem aiunt, validam tamen esse; nec enim divina prohibitio rem factam semper irritat. Sic ex mente Cypriani et plurium theologorum à Christo institutum est, ne presbyter sine aquâ vino permixtâ consecret. Sic etiam ex communi theologorum sententiâ, laicis divino præcepto prohibitum est, ne baptizent solemniter, et absque necessitate, quæ tamen Sacramenta secùs administrata non irritant. Si quis autem objiciat confirmationes chorepiscoporum irritas olim habitas fuisse, respondent, pro illâ Confirmatione asserendâ vel negandâ, in utramque partem referri facta exempla de quibus infra.

Præ cæteris, mihi arridet modus ille, quo Aureolus, in 4, dist. 24, a. 2, sententiam suam exponit, quâ quidem ille docet, presbyterum committi posse, ut alios presbyteros ordinet. Nimirùm ille tres gradus superiores in hierarchiâ distinguit: unum, qui ordine seu charactere ab inferioribus differt, ut presbyteratus à diaconatu, diaconatus à subdiaconatu; alterum, qui non charactere, sed characteris ampliatione et extensione ab inferioribus discernitur, ut episcopatus à presbyteratu; tertium, qui nec charactere, nec characteris extensione, sed jurisdictione ab inferioribus distinguitur, ut archiepiscopatus ab episcopatu, primatus ab archiepiscopatu, et papatus à primatu. *Episcopatus* igitur *non est ordo distinctus à sacerdotio, sed ampliatio ejusdem potestatis et ordinis, non quidem per intensionem, sicut diaconatus respectu subdiaconatûs; sed per extensionem ad plures actus, qui tamen non arguunt novam potestatem.* Hæc autem sacerdotalis characteris extensio ad ordinationem in episcopo fit per novam consecrationem, et in presbytero per commissionem; câque extensione adhibitâ vel sublatâ

ordinatio rata est vel irrita. Licèt enim presbyteralis character ordinandi virtutem in se contineat, eam tamen nisi extensus exercere non potest; sicut in rebus naturalibus albedo in modicâ quantitate in se virtutem habet movendi visum, quem non movebit, nisi in pariete extendatur per additionem videlicet novi corporis albi; ita de ordinatione ferè disserit Aureolus: ita de Confirmatione disseri potest.

Quarta solutio est S. Thomæ, in posteriori super Magistrum Commentario, in 4, d. 7, a. 5, ad 2, asserentis Confirmationis actum episcopo convenire *ratione neutrius divisim, sed ratione utriusque conjunctim*, id est, non ratione ordinis, nec ratione jurisdictionis, sed ratione utriusque simul. *Quædam enim est potestas ordinis*, inquit Aureolus, in 4, d. 7, q. 2, *sicut conficere Sacramentum corporis Christi; quædam jurisdictionis, sicut excommunicare; quædam ex his duabus potestatibus mixta: cujusmodi sunt audire confessiones, conferre ordines, ministrare Confirmationem.* De quâ doctrinâ sequitur 1° Papam electum, vel episcopum electum et à Papâ confirmatum validè confirmare posse, quia uterque, licèt nondùm consecratus, et characterem et jurisdictionem habet; 2° episcopum validè confirmare non posse neophytum sibi minimè subditum, quia jurisdictione caret; 3° diaconum committi non posse ut confirmet, quia caret ordine sacerdotali; 4° irritam esse Confirmationem, si quis sacerdos citra commissionem confirmare attentet, quia nullam tunc jurisdictionem habet.

Instabis. Illius potestatis nulla mentio fit in presbyterorum ordinatione. Hæc igitur confirmandi potestas ad characterem sacerdotalem nullo modo pertinet.

Verùm hæc Estii ratiocinatio nihil concludit: 1° Quia in eâdem presbyterorum ordinatione nulla mentio fit potestatis ungendi infirmos, et fideles matrimonio conjungendi: quæ tamen duæ potestates ad presbyteralem characterem pertinent. 2° Non est necesse ut potestatis baptizandi, confirmandi, nubendi, et infirmos ungendi mentio fiat in presbyterorum ordinatione, quia presbyterium est ordo, qui manuum impositione confertur ad conficienda et dispensanda Sacramenta, ut rectè definit Petrus de Marcâ, lib. 2 de Concord., c. 13, n. 3. 3° Quia pari modo adversùs Estium concludi posset confirmandi potestatem non pertinere ad episcopum; ejus enim nulla mentio fit in episcoporum consecratione. Neque dicas episcopum antequàm consecretur, moneri ut Confirmationem administret; monetur enim non solùm ut confirmet, sed etiam ut baptizet, consecret, offerat, et Scripturas interpretetur. *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, et confirmare.* Nemo tamen inde colligat episcopum vi consecrationis accipere potestatem baptizandi, et offerendi; et utramque potestatem ad characterem sacerdotalem minimè pertinere.

Urgebis. *Licèt episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt, quæ ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradùs clericis demandare:* ex Gregorio IX relato, lib. 3 Decretalium, tit. 40, cap. *Aqua*, seu cap. 9. Atqui confirmare pertinet ad dignitatem episcopalem, ex Innocentio I in epistolâ 1 ad Decentium, ex concilio II Hispalensi, cap. 7, et ex Isidoro Hispalensi, Bedâ, etc., qui negant presbyteros chrismare posse neophytos in fronte, quia pontificatûs apicem non habent.

Respondeo 1° verum hujus axiomatis sensum ex ipsâ decretali epistolâ repetendum esse, quâ Gregorius IX Astoricensem episcopum monet: *Simplices sacerdotes ab episcopo committi non posse, ut aquâ per episcopum benedictâ ecclesiam reconcilient, per sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibens: non obstante consuetudine provinciæ Bracarensis* (quæ dicenda potiùs corruptela), *quia licèt episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt; quæ ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradùs clericis demandare.* Ecclesias tamen non vult iterùm reconciliari, sed factas huc usque reconciliationes *misericorditer tolerat*, id est, ex irritis ratas efficit, inquiunt canonistæ. Gregorius igitur nihil aliud intendit quàm prohibere, ne episcopi presbyteros, qui ecclesias reconcilient, de cætero committant, quia licèt episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt; quæ ordinis tamen episcopalis sunt, solus Papa, non autem episcopus, potest inferioris gradùs clericis demandare. 2° Licèt pontifices, concilia, et Patres asserant presbyteros confirmare non posse, quia pontificatûs apicem non habent; hæc tamen non impediunt, quominùs Confirmatio presbyteris committi possit. Eodem enim capite 7 concilii II Hispalensis, presbyteris prohibentur *virginum consecrationes, altarium constitutio, benedictio, vel unctio, chrismate baptizatorum frontem signare, publicè in missâ quemquam pœnitentium reconciliare, et formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc omnia illicita esse presbyteris declaratur, quia pontificatûs apicem non habent:* quæ tamen, nonnulla saltem, presbyteris committi possunt. Virginum enim consecratio, et publica pœnitentium in missâ reconciliatio, quæ canone 3 concilii II Carthaginensis anno 390 presbyteris absolutè interdictæ fuerant, eisdem non prohibentur, nisi *inconsulto episcopo*, can. 32 et 36 concilii III Carthaginensis, anno 397. 3° Hæc omnia pertinere dicuntur ad pontificatûs apicem, non quòd specialem in episcopo characterem et ordinem requirant, sed quia sacerdotalis characteris extensio, vel jurisdictio, quæ ad hæc munia obeunda necessaria est, per episcopi consecrationem obtinetur.

Urget Estius. *Quòd habetur* (ut ipse quidem existimat) extra, de Consecratione ecclesiæ, vel altaris, cap. penultimo: *Quæ consecrationis sunt* (videlicet episcopalis) *ea non consecrato committi non posse. Atqui hâc ratione ex consecratione petitâ potissimùm nitì videntur in supradictis decretis pontifices, quò doceant presbyteris illicitum esse munus confirmandi. Quod et Leo non obscurè indicavit in epistolâ* 88, *cùm ait: Hæc omnia illicita sunt chorepiscopis vel presbyteris, quia quanquàm consecrationem* sacerdotalem *habeant, pontificatûs tamen apicem non habent.*

Respondeo 1° hæc verba, quæ à Durando, Hadriano VI et ab Estio, velut axioma canonicum producuntur, in nullis (quod sciam) decretis canonicis haberi. 2° Sicubi reperiantur, eodem sensu exponi debent quo verba Gregorii IX superiùs citata, nimirùm, quæ consecrationis sunt (videlicet episcopalis), ea non consecrato (scilicet presbytero) committi non posse ab episcopo, posse tamen à summo Pontifice. 3° Distingui potest: si hæc respiciant corpus Domini verum, ut ordinare presbyteros, quorum præcipuus actus est Eucharistiam consecrare, conceditur; si hæc respiciant corpus Domini mysticum, ut confirmare neophytos, negatur. « Cùm enim, inquit S. « Thomas, in 4, d. 7, q. 3, a. 1, in c., episcopatus « nòn addat aliquid supra sacerdotium per relationem « ad corpus Domini verum, sed solùm per relationem « ad corpus mysticum, Papa per hoc quod est episco- « porum summus, non dicitur habere plenitudinem « potestatis per relationem ad corpus Domini verum, « sed per relationem ad corpus mysticum. Et ideò « dicendum, quod promovere ad illas perfectiones, « quæ non respiciunt corpus Domini verum, sed so- « lùm corpus mysticum, potest à Papâ, qui habet « plenitudinem pontificalis potestatis, committi sa- « cerdoti, qui habet actum summum super corpus « Domini verum: non autem potest simplici sacerdoti « committere, promovere ad perfectionem, quæ respi- « cit aliquo modo corpus Domini verum. Quare sim- « plex sacerdos ex mandato Papæ non potest conferre « ordinem sacerdotii, quia ordines sacri habent actum « supra corpus Domini verum, vel supra materiam « ejus. Potest autem concedere simplici sacerdoti, « quòd conferat minores ordines, quia isti nullum « actum habent supra corpus Domini verum, vel su- « pra materiam ejus... Et similiter potest concedere « alicui sacerdoti, quòd confirmet, quia Confirmatio « perficit in actu corporis mystici, non autem habet « aliquam relationem ad corpus Domini verum. » 4° Non desunt theologi et canonistæ qui doceant presbyterum à summo Pontifice committi posse, ut sacerdotes ordinet, adeòque allatum axioma absolutè rejiciant. Ita Hugo antiquissimus et celeberrimus canonista, quem sæpè numerò allegant et magni faciunt Innocentius IV, Raimondus, Henricus, Ostiensis cardinalis, Glossa, et ex theologis Alexander Alensis: ita, inquam, Hugo, referente Joanne de Bacone, in 4, d. 7, q. 1, a. 4, in fine: *Possetne Papa concedere simplicibus presbyteris, ut conferant omnes ordines? credit Hugo, quòd sic, præter episcopalem.* Eadem erat sententia Hugolini seu Hugulini, alterius antiquissimi canonistæ, sæpè à Raimundo, cardinale Ostiensi, et Joanne de Friburgo citati, in 66 distinct., cap. *Porrò*, eodem Joanne de Friburgo ita referente in Summâ confessorum, lib. 3, tit. 22, quæst. 27; item Bernardi, primi decretalium commentatoris, referente Summâ Astensi, lib. 6, tit. 3, art. 1; Sylvestri, antiqui canonistæ, referente Innocentio IV, in cap. *Quanto*, de Consuetudine; Innocentii IV, ibidem, et Nicolai Tudesci primùm abbatis, deinde archiepiscopi Panormitani, in cap. *Quanto*, de Consuetudine, n. 9: è theologis verò antiquis et recentioribus, hanc opinionem, alii ut probabilem existimant, ut Joannes de Bacone, in 4, d. 7, q. 1, a. 4; Gabriel Biel, in 4, d. 24, q. 1; Nicolaus de Orbellis, in 4, d. 7, q. 1, et Gabriel Vasquez, in 3 p., disput. 243, c. 3 et 4. Alii ut probabiliorem defendunt, ut Petrus Aureolus cardinalis, in 4, dist. 24 et 25; Angelus de Clavasio in Summâ, vocabulo *Ordo*, n. 2; Præpositus de sacramento Ordinis, q. 1, n. 124, et Ludovicus Meratius de Ordine, disp. 8, sect. 2.

Urgebis iterùm. Diaconus committi non potest ad ea munia obeunda, quæ ad characterem sacerdotalem pertinent, qualia sunt consecrare corpus Christi, et absolvere à peccatis. Ergo nec sacerdos ad ea exercenda munia, quæ ad characterem episcopalem attinent, cujusmodi sunt confirmare, et ordinare. — Respondeo ex Aureolo, discrimen esse, quia presbyteratus est gradus superior, qui à diaconatu differt ordine et charactere ex quo fluit utraque potestas consecrandi et absolvendi. Sed episcopatus à presbytero non differt ordine et charactere, sed characteris duntaxat extensione. Quæ quidem extensio fieri potest, vel per novam episcopi consecrationem, vel per commissionem Pontificis. Hactenùs de ratione decimâ, alias, quæ supersunt, modò prosequamur.

Undecima igitur ratio hæc est: Si summus Pontifex sacerdotem, qui confirmet, committere potest, poterit et diaconum et subdiaconum, et alios inferiores clericos, imò et laicos, ad idem munus committere: quia si episcopalis character ad id muneris non requiritur, causæ nihil est, cur sacerdotalis censeatur necessarius.

Respondet S. Thomas, in 4, d. 7, q. 3, a. 1, q. 3, in c., discrimen esse, quia *cùm gratia sacramentalis descendat in corpus mysticum à capite, ideò omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Domini verum... Sacerdos* autem *habet actum summum super corpus Domini verum, non autem diaconus.* Quare sacerdos non autem diaconus committi potest ad Sacramenta, si fortè ordinationem excipias, conferenda, quæ corpus mysticum respiciunt. Neque dicas diaconos et alios inferiores clericos, imò et laicos posse committi ut baptizent; hæc enim specialis prærogativa oritur ex summâ Baptismi necessitate.

Thomistæ, quibus non placet hæc S. Thomæ ratiocinatio, respondent sacerdotibus jure divino reservatum esse, ut committi possint ad Confirmationem administrandam. Si quis verò ab illis petat, unde illud ipsis constet? Respondent *id ex perpetuâ Ecclesiæ traditione, optimo divinæ institutionis interprete, prærogativam illam* sacerdotibus *asserente, depromi.* Nunquàm enim talem facultatem aliis à simplicibus sacerdotibus commissam fuisse legimus. Ita Vincentius Contensonus. Verùm ubinam vestigia perpetuæ illius traditionis, quæ confirmandi prærogativam presbyteris asserat? 2° Vix de unâ dispensatione concessâ constat. 3° Etsi de concessâ constaret, non ideò de validè con-

cessâ. 4° Et licèt nonnullæ fortè dispensationes validè concessæ forent, non illæ tamen tantæ quæ numerosam et perpetuam in Ecclesiâ traditionem statuere possint. 5° Antequàm illæ concessæ fuerint, qualescumque tandem illæ sint; verum erat ex doctrinâ opinionis affirmantis presbyterum committi posse ad confirmandum; nec aliquis ex eo, quòd nulla tunc fuisset dispensatio, rectè collegisset presbyterum ad id muneris committi non posse. Itaque pari modo, quamvis nulla huc usque dispensatio cum diacono, clerico, et laico facta fuerit, inde non sequitur munus ad eos pertinere non posse, si pertinere possit ad presbyterum.

Respondent alii, non deesse theologos et canonistas, qui doceant diaconos, subdiaconos, aliosque inferioris ordinis clericos, imò et laicos, modò confirmati fuerint, committi posse ad confirmandum. Ita ex theologis Angelus de Clavasio in Summâ, quæ Angelica; Baptista Trovamala in Summâ, quæ Rosella dicitur, vocabulo *Confirmatio*, et ante ipsos theologi, quorum meminit S. Thomas, in 4, d. 7, q. 3, a. 1, q. 3, in c. *Alii dicunt, quòd auctoritas Papæ tanta est, quòd ejus mandato quilibet potest conferre quod habet, ut confirmatus confirmare, sacerdos sacerdotium conferre, diaconus diaconatum; non autem mandato ipsius potest aliquis conferre quod non habet, ut diaconus ordinem sacerdotalem.* Ex canonistis verò Hugo, referente Alexandro Alensi, 4 p., q. 9, membro 5, a. 1, § 3, *quidam dicunt, quòd ex demandatione domini Papæ ordinatus potest conferre ordinem quem habet, et confirmatus Confirmationem, et quilibet quod habet.* Hoc dicit Hugo. Bernardus, referente Summâ Astensi, lib. 6, tit. 3, a. 1, *quidam dixerunt, quòd Papa potest committere cuilibet clerico, quòd conferat ordinem quem habet; non autem ordinem quem non habet: puta diacono, quòd conferat diaconatum, non autem presbyteratum. Et hujus sententiæ videtur fuisse Bernardus*, extra. de Consuetudine, cap. *Quanto.* Sylvester, referente Innocentio IV, in cap. *Quanto*, de Consuetudine, *dixit quòd ex delegatione domini Papæ, et adminiculo Sacramenti habiti, quilibet clericus potest, quidquid habet, ipse conferre: quod verò non habet, minimè:* quam sententiam Innocentius IV, et abbas Panormitanus, ibidem sequuntur, et argumentis confirmant. Glossæ denique, quæ in recentioribus decreti commentariis extant, eamdem opinionem amplectuntur; Glossa in caput *Pervenit*, dist. 95, *Presbyter chrismando, si suâ auctoritate hoc facit, nihil agit, nec pueri aliquid recipiunt*, extra. de Consuetudine, cap. *Quanto. Sed numquid Papa ei demandare hoc potest? quidam dicunt, quòd sic, ex quo omnia Sacramenta, quæ recipit presbyter, ex delegatione Papæ, conferre potest. Unde diaconus potest conferre diaconatum, et confirmare in fronte*, etc.; *hoc dicit Hugo.* Glossa in caput *Manus*, de Consuetudine, dist. 5, *tamen ex demandatione Papæ, quilibet conferre potest quod habet. Unde ordinatus ordinem quem habet, conferre posset, et confirmatus Confirmationem.* Et annotatio litteralis hujus glossæ, *Ordinatus ordinem quem habet, confert, Papæ delegante.* Innituntur opiniones illæ huic principio, *quilibet quidquid habet conferre potest, delegante summo Pontifice.* Quod canonistarum axioma falsum quidem omninò mihi videtur. Nec enim minister Sacramentum aliquod confert ratione similis Sacramenti suscepti; sed ratione potestatis, ad illud ministerium concessæ per Sacramentum ordinis, quod per episcopalem consecrationem ampliatur, extenditur et perficitur, quatenùs ad plures functiones ex officio deputatur.

Duodecima ratio ita se habet. Si summus Pontifex in Ecclesiâ presbyterum, qui confirmet, committere potest, poterit et quilibet episcopus in suâ diœcesi. Falsum consequens: ergo et antecedens. Sequela majoris ita probatur. Summus Pontifex id posset potestate ordinis, vel jurisdictionis: si potestate ordinis; hæc alia non est à potestate ordinis episcoporum: si potestate jurisdictionis; quidquid potest summus Pontifex in universâ Ecclesiâ, idipsum potest episcopus in suâ diœcesi, nisi per aliquod decretum, aut per aliquid decreto æquipollens, potestas illius restricta sit, qualis restrictio nulla facta legitur. Ita ferè Durandus, n. 15.

Respondet S. Thomas, ibidem, in corp., discrimen esse, quia dispensatio cum presbytero circa sacramentum Confirmationis *oritur ex plenitudine potestatis per relationem ad corpus Christi mysticum.* Quæ quidem plenitudo soli Papæ, ut qui sit episcoporum summus, convenit.

Respondet Vincentius Contensonus, utriusque discrimen ex jure divino repetendum esse. « Ratio, inquit, « cur episcopi presbyteris confirmandi potestatem, « aut Romanus Pontifex diaconis committere non possint: sitque Romano Pontifici id sacerdotibus concedere, jure divino reservatum, ex perpetuâ ecclesiæ « traditione, optimo divinæ institutionis interprete, « prærogativam illam summo Pontifici asserente depromitur, nunquàm enim talem facultatem concessisse, vel concedere potuisse alios à Romano antistites legimus (facta tamen quædam extant de « quibus infra). Et sanè conveniens est, ut ea quæ « totius Ecclesiæ regimen concernunt, qualia maximè « sunt, quæ ad ritus Sacramentorum spectant, universali Ecclesiæ præsidi, vel œcumenicis conciliis « speciali jure attribuantur, ut ea determinent, quæ « Christus singulatim non præscripsit, sed Ecclesiæ « judicio permisit. Et quamvis quidquid Pontifex « summus in universo orbe potest, id etiam episcopo in « suâ diœcesi concessum sit, quia episcopus est diœceseos pastor ordinarius, sicut Papa totius orbis christiani, id tamen intelligendum est de his quæ pertinent, tum ad potestatem ordinis, cùm ad regimen « spirituale ovium: non verò de iis quæ ad universam « Christi familiam pertinent, qualia sunt designatio « materiæ et ministri Sacramentorum, concilii œcumenici congregatio, majorum causarum judicium, « controversiarum fidei definiendarum primaria potestas, in quibus omnibus plura potest Ecclesiæ universæ caput, quàm singularum diœceseon episcopi,

Respondent canonistæ, discrimen repetendum esse ex lib. 3 Decretal., tit. 40, cap. *Aqua*, seu cap. 9, ubi Gregorius IX declarat episcopum in suâ diœcesi posse quidem *inferioris gradûs clericis ea committere, quæ jurisdictionis existunt* (puta, inquit Glossa ex Bernardo, judicare, cognoscere de causis, instituere beneficia, ea conferre, et omnia alia quæ assecutus est episcopus in Confirmatione); *quæ ordinis tamen episcopalis sunt, non posse inferioris gradûs clericis demandare* (puta, inquit Glossa ex eodem Bernardo, clericos ordinare, virgines consecrare, chrisma conficere; et consimilia, quæ ministerium consecrationis desiderant). *Summus verò pontifex*, inquit Glossa in caput *Quanto*, de Consuetudine, *hoc delegare potest simplici sacerdoti, quia Papa non subjicitur legibus. Unde potest committere simplici sacerdoti, ut in dicto capite Pervenit, ubi Gregorius I presbyteris Calaritanis permittit ut in fronte consignent.*

Respondet Palavicinus in Historiâ concilii Tridentini, non esse improbabile, si ratio habeatur solius institutionis, episcopos posse hoc privilegium conferre simplici sacerdoti, quamvis attento rerum statu præsenti, istud minimè possint, uti nec possunt de quibusdam votis dispensare, nec à peccatis quibusdam absolvere.

Respondet Ledesma 1, p. 4, q. 13, a. 3, quemlibet episcopum in suâ diœcesi facultatem habere committendi presbyteros, qui confirment. Et quidem si jus divinum et naturale attendamus, axioma est plurium theologorum et canonistarum: Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias quæ ad universum Ecclesiæ statum pertinent, ut res fidei definire, idipsum potest episcopus in suâ diœcesi, nisi specialiter Pontifex aliquid sibi reservet. Ita ex theologis docent, Alphonsus Tostatus, in cap. 19 Matth., quæst. 87, litterâ E; Nicolaus de Cusâ cardinalis, lib. 2 de Concord. catholicâ, c. 3, Franciscus Victoria in relectione de Matrimonio, p. 1, num. 7; Dominicus Soto, in 4, d. 32, q. 1, a. 3, in fine, et dist. 27, q. 1, a. 4, et lib. 6 de Justitiâ, q. 1, a. 3, ad 2; Henriquez, lib. 6 de Pœnitentiâ, cap. 14, num. 7, in Comment., litterâ K, et lib. 10 de Sacramento Ordinis, cap. 35, num. 2, et lib. 12 de Matrimonio, cap. 5, num. 2, in Comment., litterâ N; Arragonius, 2-2, q. 88, art. 12; ex canonistis verò, Hugo, teste Majolo, lib. 5 de Irregularitate, cap. 51, n. 4; Majolus ibidem; Perez, lib. 3 de Ordinat., tit. 15, lege 5, et tit. 18, lege 2: ex canonistis denique Thomas Sanchez, lib. 1, disp. 61, num. 3, et lib. 7, de Impedim. matrimonii, disp. 1, num. 9. Ratio est quia episcopus est pastor ordinarius in suâ diœcesi, sicut Pontifex in toto orbe. In iis igitur, in quibus Pontifex ejus jurisdictionem non coercet, ordinariam habet potestatem.

Respondet Arcudius, de Confirm., c. 15, presbyteros ad conferendum Confirmationis sacramentum committi posse ab episcopis, non singulis quidem; sed in concilio quodam particulari congregatis. Concilia sanè quædam particularia confirmandi jus concessère chorepiscopis.

Ex his patet dubium esse utrùm episcopi in suâ diœcesi, presbyteros, qui confirment, delegare possint; S. Thomas et Thomistæ illud eis prohibitum esse jure divino existimant. Palavicinus et canonistæ jure duntaxat ecclesiastico, Ledesma neutro. Thomistarum opinio vera mihi non videtur ob facta, quibus mihi quidem certum est, Armentarium chorepiscopum, licèt presbyterum, ab episcopis confirmandi facultatem accepisse, ex concilio Regiensi, seculo 5; presbyteros à Patribus Arausicanis, qui hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, urgente mortis periculo, confirmarent, commissos fuisse, ex concilio I Arausicano, eodem seculo 5; et simplices Græcorum presbyteros, solo suorum antistitum consensu etiam confirmare solitos. Utrùm verò capitis *Aqua* auctoritas hodiè integra vigeat, meritò dubitatur. Præsules enim Gallicani virginum velamen, et alia plura, quæ episcoporum dignitati et ordini canonibus ecclesiasticis reservantur, presbyteris frequens committunt.

Decima tertia ratio petitur ex chorepiscopis, quibus in concilio Meldensi, can. 44, Confirmatio, ecclesiarum consecratio, et presbyterorum ac diaconorum ordinatio, etiam jubente episcopo, interdicitur.

Responderi posset 1° virginum velamen, et pœnitentium reconciliationem, concilio II Carthaginensi, canone 1, presbyteris absolutè prohiberi: deindè concilio III sequenti, can. 32 et 36, permitti, consentiente episcopo. Quidni potuit Confirmatio legibus ecclesiasticis aliquando permitti, jubente episcopo, aliquando absolutè prohiberi? 2° Chrismatis confectio utroque concilio Carthaginensi, presbyteris, etiam consentiente episcopo, interdicitur: quam tamen ipsis permitti posse plures theologi contendunt. 3° Ecclesiarum consecrationem, quæ in objecto canone 44, chorepiscopis interdicitur, presbyteris à summo Pontifice committi posse, docent canonistæ.

Instabis. Plura et pontificum et conciliorum decreta, factas à chorepiscopis, etiam cùm episcopi diœcesani consensu, confirmationes irritas declarant. — Respondeo hâc de re facta et decreta in utramque partem referri, de quibus infra. Opinioni præfatas confirmationes ratas habenti apertè favent concilium Regiense, et Nicolaus I in epistolâ ad Rodulphum Bituricensem.

Decima quarta. Ex summis pontificibus, qui factas à presbyteris Græcis, etiam cum episcoporum consensu, confirmationes nullas habuerunt, de quibus modò agendum est.

SECTIO III.

Utrùm factæ à Græcis presbyteris confirmationes validæ sint.

Hodierni Græcorum episcopi rarò, presbyteri frequens neophytos confirmant. Illas verò confirmationes alii ratas, irritas alii habent. Arcudius et Goarius eas toto conatu defendunt. Præcipuum utriusque argumentum ex concilio Florentino desumitur, in quo ea, quibus Græci et Latini ab invicem dissidebant,

agitata sunt, revocata ad hæc quinque capita, de processione Spiritûs sancti ex Patre et Filio, de azymis et fermentatis, de Purgatorio, de visione Dei, quâ sancti ante futurum judicium fruuntur, de primatu et auctoritate summi Pontificis : ac tandem in unionis decreto comprehensa et definita sunt : quo quidem decreto ab episcopis utriusque partis approbato, Latini et Græci, *sacris vestibus induti, sese mutuis amplexibus, consalutârunt*, et concilio subscripserunt. Orientales igitur et occidentales sua Sacramenta suosque ritus susceperunt. Absolutâ verò synodo Eugenius IV Græcis proposuit quindecim quæstiunculas, quarum sexta hæc erat : *Quare episcopi non inungunt sacro chrismate, sed sacerdotes, cùm hoc pontificibus sit datum? quæ à Latinis objecta* (inquiunt acta synodica) *Dorothæus, Mytilenensis episcopus, canonicè omnia legitimèque dissolvit, præterquàm duo, de quibus Papa significavit imperatori, cur scilicet matrimonia dirimantur, et patriarcha Constantinopolitanus in ipso concilio non eligatur*. Græcorum igitur confirmationes, licèt à presbyteris factas, Eugenius IV cæterique occidentales approbârunt. Idipsum Gregorius protosyncellus qui patriarchæ Alexandrini vicem in eo concilio tenuit, eoque nomine subscripsit, testatur in apologiâ adversùs encyclicam Marci Ephesini epistolam, in quâ Marco Latinos à Græcis iterùm consignatos fuisse objicienti, ita respondet. *Verùm Latini etiam nostros consignabant et chrismatos appellabant. Quòd verò non secundùm rectam rationem hæc fierent, manifestum est ; etenim cùm iniremus concordiam, nihil habuerunt, quod nobis objicerent ; sed cùm essemus orthodoxi, ab orthodoxis orthodoxi judicati sumus*. Quæ verba indicant, 1° Græcorum Confirmationem à Latinis, et Latinorum à Græcis ante celebratum concilium Florentinum improbatam fuisse. 2° Præsentem quæstionem in eodem concilio inter Græcos et Latinos agitatam fuisse. 3° Latinos nihil habuisse, quod Græcis objicerent, Græcos verò rectè sentire hâc de re judicatos fuisse. Græci denique à presbyteris baptizati, cùm ex variis insulis et Græciæ partibus accersiti, Romam accedunt, ut in collirio Gregoriano sacris doctrinis piisque moribus imbuantur, non confirmantur iterùm, sed ita confirmati plerùmque ad sacros ordines promoventur, videnti et tacente summo Pontifice ; qui proinde eorum Confirmationem approbare censetur.

Plura tamen, eaque gravia et antiqua adversùs hanc opinionem præjudicia referri possunt.

Nicolaus enim primus in epistolâ 70 ad Hincmarum, et alios antistites Gallicanos, confirmationes à Photianis presbyteris collatas irritas declaravit, easque scriptis refutârunt Hincmarus Rhemensis, Æneas Parisiensis, Odo Bellovacensis, et Ratramnus, monachus Corbeiensis.

Verùm, Glossa quæ in Gregorii protosyncelli apologiam inserta est, ubi de ratione, quâ *Latini Græcos aliquando sub conditione consignabant*, duas solutiones affert : Prima est, quòd ministri hujus sacramenti excommunicati fuerant, et pro laicis habiti, quales erant in Bulgariâ sacerdotes Photii ; adeòque committi non potuerint. Secunda est, quòd Photiani sacerdotes agerent, ut ordinarii ministri : quâ de re supra, ubi de Photii errore. Tertia posset addi, quòd illi sacerdotes à Photio excommunicato commissi fuissent. Quarta, quòd illi à Photio commissi fuissent in Bulgariâ, atque ita in alienâ diœcesi, et deficiente omni jurisdictione : licèt enim episcopus, etiam depositus, et in suâ, et in alienâ diœcesi (quâ de re dubitatur) validè confirmet ; certum tamen mihi videtur 1° Episcopum depositum, ut qui omni jurisdictione activâ careat, non posse presbyterum committere, ut confirmet : 2° Episcopum, ut qui nullam extra suæ diœceseos limites jurisdictionem habeat, non posse presbyterum in alienâ diœcesi committere. 3° Episcopum quamcumque jurisdictionem habeat, non posse presbyterum majori excommunicatione percussum committere, ut qui cujuscumque jurisdictionis passivæ sit incapax.

Secundum præjudicium sumitur ex Innocentio III relato, lib. 1 Decretal., tit. 4, de Consuetudine, cap. 4, seu cap. *Quanto*, qui Lucio vicario suo apud Constantinopolim constituto hæc scripsit. *Pervenit ad audientiam nostram quòd quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab apostolorum tempore fuerunt solis pontificibus reservata*, ut est sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manûs impositionem conferre, *ad excusandas excusationes in peccatis, solam consuetudinem prætendentes.... Mandamus quatenùs omnibus presbytris districtè prohibeas, ne talia de cætero suâ temeritate præsumant : quæ licet non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate* quæ legem non habet *omittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate* quæ lege damnatur *non sine gravi periculo inaniter conferantur : cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu*. Quo ex capite apparet sacerdotes illos Constantinopolitanos munivisse se consuetudine, quæ cùm vim habeat legis multò magis vim habet consensûs taciti, vel dispensationis apostolicæ. Factum tamen illud presbyterorum Græcorum, quamvis firmatum consuetudine, improbatur ab Innocentio III. Deinde ex eodem textu apparet Confirmationis administrationem *ab apostolorum tempore fuisse solis pontificibus reservatam*. Quæ verba excludere videntur presbyteros à ministerio ipsius etiam extraordinario. Præterea ritum hunc, quem orientales presbyteri usurpaverunt, esse umbram Sacramenti, non Sacramentum. Denique tutius esse Confirmationem, urgente licèt mortis periculo, dimittere quam illam à presbytero suscipere. Respondet Arcudius, lib. 2, cap. 15, pontificem id prohibuisse Latinis non Græcis, *Quando quidem illo tempore Latini dominabantur Constantinopoli, ut tradunt historici : quod ipsemet pontifex clarissimè in suis litteris exprimit, cùm ad quemdam Lucium suum vicarium ita scribit : Mandamus quatenùs omnibus Latinis presbyteris apud Constantinopolim constitutis, districtè prohibeas, ne talia de cætero suâ temeritate præsumant*. Verùm in hisce ver-

bis : quatenùs omnibus Latinis presbyteris : vox *Latinis* deest in antiquis editionibus.

Respondet Panormitanus, inde sequi tantùm, quòd *consuetudo non potest operari, ut clericus non episcopus possit exercere eâ, quæ sunt reservata ordini episcopali.* — Respondet Glossa post Bernardum, inde concludi duntaxat, quòd si Papa prohiberet sacerdotem chrismare, post ipsius prohibitionem nihil conferret, si postea chrismaret. — Respondent alii inde solum inferri, quòd Romani Pontificis consensus et dispensatio ad Confirmationis validitatem requiratur.

Tertium præjudicium sumitur ex Gregorio IX et in epist. ad Barcinonensem episcopum. *Chrismati verò ut verbis tuis utamur, à simplici sacerdote Confirmationis munus minimè receperunt; quia de solis apostolis legitur, quorum sunt episcopi successores, quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant : et ideò tam illi, quàm confirmandi, de cætero à solis episcopis consignentur.* Græcorum sacerdotum confirmare solitorum consuetudo ibi reprobatur. Huic testimonio, eamdem quam priori solutionem Arcudius adhibet.

Quartum præjudicium desumitur ex epistolâ 10 Innocentii IV, qui ab Othone cardinale, tunc ejus vices in Cypro agente, consultus de controversiis inter archiepiscopum Nicesiensem Latinum, et Græcos antistites Cyprios circa plures ritus, Sacramentis, seu essentiales seu accidentales exortis, de ministro Confirmationis ita respondet, cap. 4 : *Soli autem episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet, nisi per episcopos exhiberi, quoniam soli apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manûs impositionem, quam Confirmatio vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur*, tomo 11 conc., pag. 613.

Respondeo Innocentium hisce verbis prohibere quidem, ut Confirmatio à Græcis presbyteris administretur, eam tamen ab illis factam non declarare irritam. Utrùm verò decretum illud à Græcis receptum fuerit, incertum est. *Cùm non solùm in regno Cypri*, inquit Arcudius, lib. 2, cap. 15, *sed in toto fermè oriente ille mos esset. Fortassis legatus Pontificis agnitâ postea difficultate, decretum Pontificis hâc de re publicare prætermisit, neque executioni mandavit, quod commodè fieri haud posset. Quemadmodùm etiam Gregorius Magnus jusserat, ne presbyteri consignarent, sed postea longâ consuetudine intellectâ, concessit ut in absentiâ episcoporum confirmarent. Ob eamdem difficultatem tempore Clementis VIII perbrevis instructio super aliquibus ritibus Græcorum, inter quos recensetur administratio hujus Sacramenti, facta est. Sed ea dirigitur ad episcopos Latinos, in quorum diœcesibus Græci vel Albanenses Græco ritu viventes degunt, quod optimè scirent in Græciâ valdè difficile fore ut hæc constitutio acceptaretur.* Arcudius ibidem duo quædam alia generatim respondet : primum est, summos pontifices improbare hanc Græcorum consuetudinem, quòd illi existimarent auctoritate propriâ presbyteros illud munus usurpâsse, quia in hujusmodi decretis, sæpè invenitur hæc verbum *ne præsumant :* præsumptio autem nullam facultatem concessam supponit, quam tamen illi obtinuerant et longissimo usu stabilierant. Alterum est : *Quidquid sit de revocatione aliorum pontificum, profectò cùm in concilio Florentino post omnes pontifices qui revocârunt, Græci de hâc re interrogati, omnem difficultatem, ut ibi asseritur, legitimè et canonicè diluerent, ipse etiam pontifex Eugenius IV redditæ ab iis rationi acquieverit : hoc vel unum ad omnem controversiam de hâc re sedandam sufficere posse videtur. Recesserit sanè ab usitatâ consuetudine aliorum voluntas pontificum; attamen clarissimè apparet denuò accessisse consensum Eugenii pontificis, dùm Græcorum responsum sine ullâ contradictione admittit.*

Quintum præjudicium petitur ex Eugenii IV decreto, *legitur aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodùm causâ, simplicem sacerdotem administrâsse Confirmationis sacramentum.* Urgens igitur admodùm causa requiritur. Atqui Græci presbyteri nullâ urgente admodùm causâ hoc Sacramentum administrant. Nullum igitur sacramentum conferunt. — Respondeo 1° : Aliud est, urgente admodùm causâ simplicem sacerdotem administrâsse hoc Sacramentum; aliud urgentem admodùm causam requiri : prius, non posterius, in hoc decreto asseritur. 2° Dubium est apud theologos, quæ causa requiratur ad illud Sacramentum presbytero committendum. A Bonaventurâ causa necessaria desideratur; Alensis causa utilis vel necessaria sufficit. 3° Causam esse necessariam, cur Græci presbyteri confirment, docet Gabriel, Philadelphiensis antistes, in tractatu de Sacramentis, capite de Confirmatione : *Ne quis, videlicet, baptizatorum ejusmodi Confirmationis gratiâ privetur, si eum contingat, ut sunt humanæ res, repentinâ atque immaturâ morte ex hâc vitâ migrare.* 4° Dato, non concesso, causam nullam esse necessariam, defectus ille Confirmationem illicitam, non invalidam efficeret.

Sextum præjudicium sumitur ex brevi instructione ad Græcorum usum jussu Clementis XIII factâ, quâ Pontifex Græcos ab episcopis, non à presbyteris, confirmari voluit. Verùm huic argumento Arcudius jam pridem respondit, quòd hæc instructio *dirigitur ad episcopos Latinos, in quorum diœcesibus Græci vel Albanenses Græco ritu viventes degunt*, non ad alios, *quòd Pontifex optimè sciret in Græciâ valdè difficile fore, ut hæc constitutio acceptaretur.*

Septimum præjudicium sic habet : Græci presbyteri hanc confirmandi potestatem sibi commissam habent, vel à concilio œcumenico, vel à summo Pontifice, vel ab ecclesiâ orientali, vel à concilio quodam particulari, vel à singulis episcopis. — Respondet Goarius, à concilio Florentino. Respondet Arcudius ab Eugenio IV. Respondet Gabriel Philadelphiensis ab ecclesiâ orientali. *Ecclesia orientalis*, inquit, *non tantùm pontificibus, sed etiam per ipsos presbyteris, post sacram Baptismatis cæremoniam benignè annuit atque concedit citra ullam culpam unctio*

nem chrismatis : idque propterea, ne quis baptizatorum ejusmodi Confirmationis gratiâ privetur, etc.

Quæres quando usus ille apud Græcos incœperit? — Arcudius in Anæretico adversùs Sirmondum ait : *Nullum dari Græcum scriptorem ante Photium, qui doceat chrismationem episcopalem et Sacramentum Confirmationis à presbyteris conferri posse : sed hoc esse germen degeneris, et in schisma nutantis Græciæ.* Arcudius contra, lib. 2 de Confirm., c. 15, ait *istum Græcorum morem esse antiquissimum, neque cœpto schismate cœpisse.* Denique Sirmondus in Antirrhetico 1, ait *apud Græcos perpetuum hunc morem fuisse.* Cujus opinionis astruendæ causâ referri possunt, Ambrosiaster, qui in cap. 4 ad Ephes. narrat Ægyptios presbyteros consignâsse, absente episcopo : videsis supra. Hieronymus in epist. 86 ad Evagrium, *Quid facit, exceptâ ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* Chrysostomus, homil. 11 in 1 Timoth. : *Inter episcopum et presbyterum interest fermè nihil... Solâ quippe ordinatione superiores illis sunt*, hoc est, episcopi presbyteris, *atque hoc tantùm plusquàm presbyteri habere videntur :* videsis supra. Dionysius, de eccles. Hierarch. c. 5 : *Nunquàm sacerdos divinam illam regenerationem, sine divino unguento consummabit.* Chrisma verò apud Græcos inservit frontis, non verticis unctioni : videsis supra. Denique chorepiscopi, quorum institutio seculum 4 in oriente præcessit, confirmabant, de quâ Confirmatione nunc agendum est.

SECTIO IV.

Utrùm confirmationes à chorepiscopis factæ validæ sint.

Qui chorepiscopos episcopali ordinatione consecratos fuisse putant, confirmationes ab ipsis factas, approbant : qui verò eos in presbyterorum ordinem redigunt, alii ratas, irritas alii habent : et illi quidem in duo genera distinguuntur : quidam enim ordinario jure chorepiscopis eas competivisse docent, ut Petrus de Marcâ, lib. 2, de Concord., c. 14, n. 4 : in quam opinionem Morinus inclinat, in tractatu de sacris Ordinat., parte 3, exerc. 4. Communior tamen sententia eas jure duntaxat extraordinario illis adscribit. Quæstio hæc, et difficilis et implicata, ob varia munia, quæ ipsis tribuuntur, vel negantur, et quorum attributio, vel negatio ex eorum ordinationibus, dignitate, ac variis, sibique reipsà vel in speciem repugnantibus summorum pontificum et conciliorum circa eorum munia, decretis omninò dependent. (De his eruditè scripserunt Franciscus Hallerius, in tractatu de sacris Unctionibus, parte 2, sect. 5, c. 1, art. 2, § 1, et cap. 2, art. 2, § 1, 2, 3, 4 et 5 ; Petrus de Marcâ, lib. 2 de Concord., cap. 13 et 14 ; Joannes Morinus in tractatu de sacris Ordinationibus, parte 3, exercit. 4 ; Ludovicus Thomassinus in Disciplinâ, tomo 1, parte 1, lib. 1, cap. 18, et tomo 2, parte 3, lib. 1, cap. 8 et 10, et lib. 2, cap. 47, n. 9 : viri sanè rerum antiquarum peritissimi, qui de chorepiscopis, eorumque dignitate ac muneribus accuratè disseruerunt.) Quare ne difficultas hæc implicetur magis quàm explicetur, de chorepiscopis plura, quàm institutum nostrum pati videtur, dicamus necesse est.

§ 1. *Nomen, institutio, progressus, et finis chorepiscoporum in oriente et occidente.*

Chorepiscopi dicuntur *vicarii episcoporum à Ferrando diacono*, in breviario canonum : *Vicarii episcoporum super pagos, monasteria, et pagorum sacerdotes*, in canone 62 Nicano-Arabico : *Filii episcoporum*, in canone 63 Arab. *Villani episcopi*, à synodo Ratisponensi, in capitularibus, lib. 7, cap. 187 : et *Villarum ac regionum episcopi*, à Sigiberto in Chronico : quæ duæ postremæ appellationes ex ipsâ nominis etymologiâ desumptæ sunt ; χωρεπίσκοπος enim idem est ac villanus episcopus, ἀπὸ τῆς κωρὰς καὶ ἐπισκόπου.

Chorepiscopi instituti sunt in Oriente, et seculo 3 cœpisse videntur. Nihil enim de iis habent S. Ignatius, Clementis constitutiones, et canones apostolorum, qui cæteros ordines ecclesiasticos, etiam minimos, commemorant ; nihil Patres Illiberitani, qui non modò majoribus ordinibus, sed etiam subdiaconis, aliisque clericis leges præscribunt ; nihil Cornelius pontifex, et Cyprianus, qui cæteros ordines, ille quidem Romæ, iste verò Carthagini recensent. Si gradus his ipsis cognitus fuisset, cùm ex omnium sententiâ superior esset presbyteratu, et ad dignitatem episcopalem proximè accederet, eum illi procul dubio non præteriissent. Præcedit tamen hæc chorepiscoporum institutio concilia Ancyranum et Neocæsariense, quæ ante Constantini I imperium in universum orbem, cùm sæviret postrema persecutio, celebrata sunt. Nam in iis non agitur de chorepiscopis creandis, sed de eorum potestate coercendâ, et episcoporum auctoritati submittendâ, à quibus jam se eximere tentabant : quapropter cùm concilia hæc fuerint orientalia, et in Asiâ minore celebrata, duo ex dictis consequi videntur : prius in Galatiâ et Ponto vicinisque regionibus ordinem illum cœpisse, et inde in plerasque ulterioris ordinis regiones disseminatum : posterius, ad finem tertii seculi à quibusdam synodis provincialibus institutum fuisse.

Morinus quidem in tractatu de sacris Ordinat., exercit. 4, cap. 1, n. 3, chorepiscoporum institutionem præcessisse Novatianam hæresim inde colligit, quòd in actione 1 concilii Calcedonensis constat Novatianos habuisse chorepiscopos. Institutionem enim ab Ecclesiâ post eorum hæresim decretam improbaturi potiùs videntur, quàm amplexuri. Verùm hæc hæresis, Cornelii et Cypriani temporibus exorta est, qui cùm ecclesiasticos gradus enumerant, nullam chorepiscoporum mentionem faciunt. Accedit quòd simili ratiocinio concludi posset chorepiscoporum ordinem præcessisse, non modò Novatianorum originem, sed et Quartodecimanorum, quos habuisse chorepiscopos apparet, ex eâdem actione 1 in quâ Eutychius Quartodecimanorum princeps, et Zeno Quartodecimanus, ambo chorepiscopi ejuratâ hæresi suâ, fidem catholicam amplectuntur.

Chorepiscopi igitur post exortam Novationorum hæresim instituti sunt : quo anno, et à quibus conciliis, incertum est. Brevi autem in oriente propagati

sunt. Eorum enim auctoritas coercetur canone 13 concilii Ancyrani : subscripsêre duo concilio Neocæsariensi ; quindecim verò concilio Nicæno, videlicet Cappadociæ provinciæ quinque, Isauriæ quinque, Syriæ duo, Bithiniæ duo, Ciliciæ unus. Concilium Antiochenum, quæ sint eorum munia statuit, can. 8 et 10. Athanasius in apologiâ 2 negat in Maræotide regione, unquàm fuisse episcopum vel chorepiscopum, sed singulos regionis istius vicos habere solitos sacerdotes Alexandrino patriarchæ subjectos. Basilius, in epist. 181, quam ille ad chorepiscopos suæ diœceseos rescribit, conqueritur quòd illi officium ab antiquis canonibus sibi commissum negligenter exequerentur. Concilii Ephesini actione primâ Cæsarius Arcensis, seu Sartensis chorepiscopus sedet initio sessionis inter episcopos, et in fine ejusdem actionis inter eosdem condemnationi Nestorii decernens subscribit nomine proprio (id est, velut episcopus subscripsit actioni 6). Concilium Chalcedonense canone 2 eos inter majores ordines post episcopos recenset. Actionibus ejusdem concilii quatuor aut quinque subscripserunt alieno nomine. Concilium Nicænum II, canonem 2 Chalcedonensem repetit canone 5, et antiquum chorepiscoporum privilegium de ordinandis lectoribus renovat, can. 14. Theodorus Balsamon, patriarcha Antiochensis, qui desinente seculo 12 floruit, in canonem 13 Ancyranum testatur chorepiscoporum gradum ætate suâ omninò exolevisse : *Chorepiscoporum gradus omninò exolevit*. Et in canonem 57 Laodicenum ait *periodeutis*, seu chorepiscopis successisse *exarchas, qui ab episcopis promoventur, pagos circumcursant, delicta animæ observant, et fideles perficiunt*. Quæ de patriarchatu Constantinopolitano et Antiocheno intelligi debent : res enim contrario eventu contigit in patriarchatu Alexandrino, in quo si vera sint, quæ Petrus de Marca ex Cyrillo refert, lib. 2 de Concord., c. 14, n. 9. *Deletis episcopis soli chorepiscopi curam patriarchæ in administratione ecclesiarum levant : quod ducentis ab hinc annis inductum fuisse testatur Cyrillus Alexandriæ patriarcha iis litteris, quas in Valachiâ scripsit anno* 1612. Hic est Cyrillus Lucar seu Lucaris, qui paucis post annis Hollandicâ pecuniâ tentatus, ad Calvinismum defecit; et ejusdem pecuniæ ministerio, corruptis aulæ turcicæ primoribus, in sedem Constantinopolitanam provectus, meritas pœnas dedit, quòd à veteri ecclesiæ illius traditione desciscens, et ab Hieremiæ patriarchæ censurâ, quâ confessionem Augustanam olim notaverat, aliquot articulis professionis Hollandicæ subscripsisset.

Hactenùs de oriente, nunc de occidente, in quo chorepiscoporum gradus multò seriùs invaluit. Illius enim prima mentio facta est in concilio Regiensi, anno 439 celebrati, in quo Armentarius in episcopum Ebrodunensem perperam ordinatus chorepiscopatûs officio fungi permittitur : nulla tamen synodus alia occidentalis septem primis Ecclesiæ seculis chorepiscoporum meminit; nullus enim auctor, quod sciam (si fortè Gennadium excipias) ex septem primis Ecclesiæ seculis testatur eos in occidente viguisse. Gennadium excepi, qui lib. de Viris illustribus, de Salviano loquens, hæc ait : *Scripsit expositiones extremæ partis ecclesiastis ad Claudianum episcopum Viennensem*. Rescribendum enim chorepiscopum existimat Petrus de Marcâ, lib. 2 de Concord., cap. 14, n. 5, nunquàm enim Claudianus episcopatum Viennensem obtinuit, cùm illi Mamertus ejus frater superstes fuerit.

Inde patet chorepiscopos, septem primis Ecclesiæ seculis, in occiduis partibus raros admodùm fuisse. Nulli certè temporibus illis in Italiâ et Africâ extitisse mihi videntur. Nihil enim moror epistolam 5 Damasi ad Prosperum et cæteros antistites Africanos, epistolam 88 (aliàs 86) Leonis I ad episcopos Germaniæ et Galliæ, et epistolam Joannis III ad eosdem Germaniæ et Galliæ episcopos : quas quidem epistolas suppositiias eruditis omnibus hodiè persuasum est. Ferrandus verò diaconus chorepiscopos quidem commemorat, sed compendii sui, non consuetudinis patriæ, necessitate ductus; faciens enim Græcorum canonum compendium, cùm ad Ancyranos et Neocæsarienses canones pervenit, tum necessariò chorepiscoporum illi memoria facienda fuit.

De presbyteris autem vel chorepiscopis non loquitur canon 7 Hispalensis concilii, sicut habet Suriana editio, sed de solis presbyteris, quemadmodùm antiqua exemplaria, è quibus Garcias edidit istos canones, repræsentant. Patres enim decretum ferunt adversùs Agapium Cordubensem episcopum, qui canonum ignarus, frequenter presbyteros delegabat ad ea agenda, quæ ex conciliorum decretis ad solos episcopos spectabant, illiusque prævaricationis occasione renovant antiqua canonum statuta, qui presbyteris severè prohibent, ne ordinationes, Confirmationem, ecclesiarum consecrationem, et multa ejusmodi conferant. Probabilius quidem ex Isidoro Hispalensi, lib. 2 de Officiis eccles., cap. 6, non tamen necessariò probatur chorepiscopos in Hispaniâ usitatos fuisse. Cùm enim ille eorum munera explicando, tres illos canones, Ancyranum, Neocæsariensem et Antiochenum, nullo sigillatim numerato conjunxerit; inde sanè non colligitur necessariò eos in Hispaniâ usurpatos, sed Isidoro, quid de iis antiqui canones Græci decreverant, cognitum fuisse. Nolim tamen negare septimo seculo, atque etiam antea in Hispaniâ institutos fuisse chorepiscopos, licèt hoc monumenta ecclesiastica, quæ nobis supersunt, non referant; cùm enim Ancyrani, Neocæsarienses, et Antiocheni canones Martino Braccarensi, Isidoro Hispalensi, aliisque Hispanis cogniti, et œcumenica concilia Nicænum, Ephesinum, et Chalcedonense, ipsis quoque cognita, chorepiscopos probaverint, facilè fieri potuit ut chorepiscopos constituendi occasio nobis incognita sese dederit.

Utcumque sit, illos certè in Galliâ et Germaniâ seculo VIII jam frequentes fuisse apparet ex dissidiis circa eorum ministeria eorumque conservationem, vel extinctionem, seculis VIII et IX exortis, quæ ad Sedem Apostolicam relata, et in conciliis Germanicis et Gallicanis tractata sunt. De illorum enim ministerio, Pipinus Majordomus Francorum, anno 744, ut

Baronio placet, vel anno 747, ut Petro de Marcâ videtur, per Ardobanium presbyterum retulit ad Zachariam pontificem, qui canonem 10 concilii Antiocheni servandum esse respondit, in epistolâ 7 ad Pipinum, cap. 1. Eo responso plenè satisfactum non est iis dubitationibus, quæ ancipites tenebant Gallicanos episcopos, quibus comperta erat definitio synodi Antiochenæ; sed de verborum genuino sensu erat quæstio. Chorepiscopis igitur à muniorum episcopalium usurpatione non desistentibus, necessaria fuit altera relatio, quæ temporibus Caroli Magni missa est ad Leonem III, qui ab eodem imperatore per Arnonem archiepiscopum consultus, factas à chorepiscopis presbyterorum, diaconorum et subdiaconorum ordinationes, neophytorum confirmationes, dedicationes ecclesiarum, et virginum consecrationes irritas declaravit: *Prædictos autem chorepiscopos omnes præcepit damnare, et in exilio detrudi.* Ista verò, subjicit Carolus, lib. 7 Capitul., c. 187: *Omnes, maximè regni nobis à Deo commissi episcopi, cum eodem Arnone, permittente præfato apostolico, mitius tractantes in synodo Reginisbruk* (id est, Ratisponæ) *jam dictos villanos episcopos inter presbyteros statuerunt, ita ut ampliùs nihil de episcopali ministerio præsumerent, nec ipsi deinceps à quoquam fierent* (episcopo) *qui gradûs sui periculum vitare vellet.* Idem quod Ratisponense concilium, decrevit imperator, lib. 6 Capitul., cap. 119: *Placuit, ne chorepiscopi à quibusvis deinceps fiant, quoniam hactenùs à nescientibus sanctorum Patrum et maximè Apostolorum decreta,* (alludit ad suppositas Damasi, Leonis I et Joannis III epistolas) *suisque quietibus et delectationibus inhærentibus facti sunt, idcircò et olim persæpè* (tribus nimirùm illis pontificibus) *et nostro à sanctâ apostolicâ sede tempore* (Leone videlicet III) *sunt prohibiti, et ne deinceps à quoquam tam ordinante, quàm ordinari cupiente talis præsumptio assumatur, à cunctis nostri regni episcopis in synodo* (Ratisponensi) *canonicè prohibitum est.*

Licèt autem chorepiscoporum ministerium damnatum fuerit à Leone et à synodo totius regni, vetitumque ne ipsi deinceps à quoquam fierent episcopo, qui gradûs sui periculum vitare vellet, attamen eruperunt iterùm, egeruntque altas radices in Galliis. In synodo Noviomensi anno 814 chorepiscopi duo sedent post episcopos, sed abbates et presbyteros præcedunt. Ludovicus Pius anno 828 missis dominicis dedit in mandatis, primùm quidem ut inquirerent, quales essent episcopi, *deinde quales essent adjutores ministerii eorum, id est, chorepiscopi, archipresbyteri, archidiaconi, et vice domini, et presbyteri per parochias eorum.* Imperante igitur Ludovico pio floruerunt iterùm in Galliis chorepiscopi, regebant ecclesias, confirmabant, et alia quædam jura episcopalia usurpabant. Eorumque Confirmationes, modo consenserint legitimi episcopi, Rabanus anno 819 approbavit, lib. 1 de Institutione clericorum, cap. 5; sed repressa est eorum audacia à concilio Parisiensi anno 829, lib. 1, cap. 27, quod factas ab ipsis Confirmationes irritas declarat, episcopos verò monet, *ne aliud eis agendum permittant, nisi quod ad eorum officium propriè pertinet, et in sacris canonibus præfixum habetur.* Chorepiscoporum tamen ordinationem non prohibet, sed illam juxta canones faciendam esse decernit.

Mirabitur fortè aliquis, ait Marca, c. 14, n. 7, *nec immeritò quis redivivos excitaverit chorepiscopos: et undè tanta illorum pervicacia proficisceretur, ut rebus tam gravi auctoritate definitis, stare nollent. Sed omnem admirationem deponet, si quis consideraverit imperfectam esse legem quæ vetat, sed quod contra factum sit non irritum decernit, cujus generis erat hæc interdictio, ne chorepiscopi ordinentur. Quare ab arbitratu episcoporum pendebat hæc institutio.* Hactenùs ille; sed pace tanti viri dixerim, chorepiscoporum ordinationes tandem irritæ et nullæ declarantur, lib. 7 Capitul., cap. 318. Huic tamen decreto, episcopis minimè parentibus, chorepiscopi eâdem ratione quâ fovebantur olim à quamplurimis episcopis, ab iisdem vel retenti vel restituti sunt. Causa verò, quæ gratiosos episcopis reddebat chorepiscopos, ea est, quòd in se susciperent omnem curam et laborem episcopalis ministerii, et desidiæ episcoporum *suis quietibus et delectationibus inhærentium* patrocinarentur, ut elicitur è Capitularibus, lib. 6, c. 119, et è synodo Meldensi anno 845 celebratâ, quæ canone 44 prohibet, 1° *ne chorepiscopus sanctum Spiritum tradere tentet, nec ecclesias consecret, neque ecclesiasticos, qui per impositionem manûs tribuuntur, id est, non nisi usque ad subdiaconatum, et hoc jubente episcopo, et in locis quibus canones designant agere præsumant.* 2° Ne ulla munia episcopalia obeant, licèt *episcopus civitatis, sive propter desidiam, sive propter secularem pervagationem, sive propter infirmitatem consenserit.* 3° *Si civitatis episcopus obierit, nihil ex episcopali ministerio specialiter episcopis debito attentet; quia ex hoc magnum scandalum, et divisionem rerum ecclesiasticarum, atque dilationem in canonicè ordinandis episcopis, Dei ecclesiis accidisse conspeximus.* Cùm videlicet prætextu ministerii, quod vacantibus ecclesiis cathedralibus à chorepiscopis impendebatur, principes ab electionibus concedendis cessarent, ecclesiasticis promoventibus ad suam suorumque utilitatem revocatis. Quâ de re Hincmarus Rhemensis ad Leonem IV scripsit, apud ipsum conquestus, *quòd terrena potestas episcopo quolibet defuncto, per chorepiscopum solis pontificibus debitum ministerium perageret, et res ac facultates ecclesiæ secularium usibus expenderentur: et ab illo requirens de his quos temeritas chorepiscopalis ordinare, vel quibus spiritum Sanctum consignando tradere præsumebat.* Ita Flodoardus, lib. 3 Historiæ Rhemensis, cap. 10. Periit enim Hincmari epistola, sicut et Leonis rescriptum, quod nihil aut parùm virtutis habuit. Variis enim exortis episcoporum contentionibus, quæstio iterùm revocata est in dubium, et ad Nicolaum I relata, qui anno 864 consultus à Rodulpho archiepiscopo Bituricensi de presbyterorum et diaconorum ordinationibus à chorepiscopis in Gallià collatis, respondit validas quidem esse ordinationes illas: *Ad formam enim septuaginta,* inquit, *chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitat episcoporum habuisse officia?* sed

vetuit similia à chorepiscopis præter regulas tentari. Non obtinuit tamen apud Belgicos episcopos hæc responsio, ut colligere licet ex synodo Metensi, quæ anno 888 coacta, statuit, canone 8, *ut basilicæ à chorepiscopis consecratæ ab episcopis consecrentur : quia juxta decreta Damasi papæ, Innocentii et Leonis, vacuum est et inane quidquid in summi sacerdotii chorepiscopi egerunt ministerio ; quod ipsi iidem sunt, qui et presbyteri.* Nullam etiam illius decreti Nicolai I rationem habuit Leo VII in epistolâ ad Gallos et Germanos. Interrogatus enim ad annum 937 à Gerardo archiepiscopo Luriacensi, « si à chorepiscopo ecclesiæ debeant consecrari, aut presbyteri ordinari, vel consignatio chrismatis et manûs impositio fieri, » respondet : *Hæc omnia à chorepiscopis, ne fiant, interdicimus juxta canonum decreta.* Nullum (quod sciam) post hæc vestigium exstat chorepiscoporum. Quare illos seculo X in Occidente penitùs desiisse necesse est.

Illis in Oriente successerunt exarchi ex Balsamone in canonem 57 Laodicenum, et ex Harmenopulo in Epitome canonum, sect. 1, titulo 9.

In Occidente verò successerunt archipresbyteri et archidiaconi, non quòd illi post extinctum chorepiscoporum ordinem tum primùm instituti fuerint ; de chorepiscopis enim simul ac archipresbyteris et archidiaconis anno 836 meminit synodus Aquisgranensis II, can. 4 ; sed quia munera chorepiscopis tribui solita, deinde archipresbyteris et archidiaconis ex parte saltem concessa sunt. Hinc Sigibertus in Chronico chorepiscopos et archidiaconos confudit : *Damasus* (inquit) *papa decrevit ne quid contra episcopos præsumant archidiaconi, qui dicuntur chorepiscopi, id est, villarum et regionum episcopi.*

§ 2. *Causa institutionis, electio, ordinatio et dignitas chorepiscoporum.*

Chorepiscoporum originem Rabanus, in opusculo de Chorepiscopis, quod exstat ad calcem tomi 8 conciliorum Labbæi, acceptam refert à 70 discipulis, et præsertim à Lino et Cleto, qui à Petro solo consecrati episcopi, ex ejusdem præcepto diaconos et presbyteros in Romanâ diœcesi ordinârunt, cæteraque munia episcopalia peregerunt : quæ quidem ex pontificali pseudo-Damasi excerpta sunt.

Occasionem instituendi chorepiscoporum ordinis, ex dilatione evangelicæ prædicationis per oppida, pagos et vicos, mihi sumpsisse videntur episcopi. Antiquissimus enim Ecclesiæ mos fuit, ut nullus nisi in civitatibus episcopus ordinaretur. Hoc nos docent non modò veteres canones, sed et Apostolorum traditio. Videmus enim eos in celeberrimis quibusque urbibus evangelium prædicâsse, et ecclesiis in eis constitutis, exinde in oppida et pagos disseminâsse. Lapsu igitur temporis, diffusâ per universum territorium urbis fidelium multitudine, difficile fuit episcopo urbis per tot loca exercere munia episcopalia, præsertim ubi diœceses circa urbem longè latèque diffundebantur. Erant equidem in singulis pagis presbyteri aut diaconi, qui populum in ecclesiasticâ disciplinâ continerent, et moribundis baptisma conferrent ; sed plura erant alia munia quæ soli episcopi gerebant ; episcopum verò semper accersere, aut ipsum adire, et episcopo et diœcesanis longè distantibus molestum erat. Deinde erant aliqui presbyteris et aliis clericis ruranis præficiendi, ne officii sui negligentes essent. His igitur et similibus de causis visum est conciliis provincialibus in oppidis quibusdam à primâ sede remotis minores episcopos creare, subditos quidem majori episcopo ; sed propter diœcesis commodum, nonnullis episcopalibus prærogativis donatos. Quæ autem fuerint illæ prærogativæ inquiremus infra, ubi de chorepiscoporum muniis. Hæc fuit primaria chorepiscorum institutionis occasio ; eorum enim multiplicatio tribuitur et episcoporum desidiæ, qui chorepiscopos ordinabant, ut eorum ministerio sollicitudine pascendi gregis levarentur ; et principium cupiditati, qui vacantibus ecclesiis cathedralibus chorepiscopos præficiebant, ut redditus ecclesiasticos ad suam suorumque utilitatem revocarent. Videsis Capitularia, lib. 6, c. 119, synodum Meldensem anno 845, c. 44, et suppositas Damasi, Leonis et Joannis III epistolas.

Fiebat chorepiscopus ab episcopo civitatis, cui subjiciebatur ex canone 10 Antiocheno ; modus autem quo fieri solebat refertur canone 58 Nicæno-Arabico, nimirùm : *Eligebat episcopus virum, vel ex ipsis presbyteris, vel ex probis doctisque monachis deserta incolentibus : et stans tunc diaconus altâ voce exclamabat : Jam eligimus N. ut sit chorepiscopus in totâ nostrâ jurisdictione, ut sciant omnes eum in illâ dignitate constitutum esse... Deinde consuetas, et ad id præstitutas fundebat super illum orationes, et benedicebat : tùm verò tradebat illi nomina omnium ecclesiarum et monasteriorum quæ in suâ erant jurisdictione, et ipse chorepiscopus eligebat aliquos ex illis qui erant in eis ecclesiis et monasteriis, quæ erant in ejus potestate, idoneos et sermone quoque potentes, quorum nonnullos præficiebat ad visitandas ecclesias, et nonnullos ad visitanda monasteria, ita tamen ut neque ecclesiasticos monasteriis, neque monachos ecclesiis præficeret.* Hæc ordinatio solemnis erat, eamque presbyterorum consecrationi præponit œcumenica synodus Chalcedonensis, can. 12, cùm sacros ordines enumerat : *Si quis ordinaverit, per pecunias, episcopum, aut chorepiscopum, aut presbyterum, aut diaconum* (en majores ordines), *vel quemlibet ex iis qui connumerantur in clero* (en minores ordines), *aut promoverit, per pecunias, œconomum, vel defensorem, vel mansionarium, vel quemlibet qui est subjectus regulæ*, etc. (en officia ecclesiastica). Synodus, ut apparet, sacros ordines, et à minoribus, et ab officiis distinguit. Chorepiscopatum inter ordines sacros recenset, eumque subjicit episcopatui, presbyteratui verò præficit. Unde conjicere liceret chorepiscopatum fuisse ordinem sacrum à Deo institutum, medium verò inter episcopatum et presbyteratum, nisi ex utriusque, orientalis et occidentalis, ecclesiæ patribus certò constaret hierarchiam sacram ex solis episcopis, presbyteris et diaconis olim compositam fuisse. In eo igitur canone chorepiscopi ab officialibus secernuntur, quòd eorum jurisdictio et

functio merè spiritalis esset; medii verò recensentur inter episcopos et sacerdotes, quòd illis subessent, istis præessent; eorumque dignitas, licèt ecclesiastico jure invecta, inter utrosque media foret. Quemadmodùm autem episcoporum et sacerdotum, ita et chorepiscoporum ordinatio, per orationes et manûs impositionem fieri solebat. Orationis meminit canon Arabicus; manuum impositionis canon Chalcedonensis : *Si quis ordinaverit*, etc., χειροτονήσῃ, *episcopum*, *chorepiscopum*, etc. Utriusque rituale Maroniticarum ordinationum, quod nobis specialem formulam exhibet ordinationis chorepiscopalis, in quâ, cùm consecratur episcopus, manûs impositio orationi conjungitur. Ritualis ille liber de Maronitarum ordinationibus integer exstat apud Morinum, tractatu de sacris Ordinationibus, parte 2, pag. 379, 380, etc. Et in eo integra chorepiscoporum ordinatio speciali capite ad id deputato enarratur.

Utrùm etiam in occidente, sicut et in oriente chorepiscopi specialem ordinationem haberent, negat Morinus in eodem tractatu, parte 3, exerc. 4, c. 2, n. 17, *Eò quòd serò admodùm apud Latinos admissus fuit novus iste chorepiscoporum ordo, et vix tribus seculis viguit. Deinde non modò recentiores rituales Latini, verùm etiam antiquissimi, nullos ritus consecrationis dignitatum ecclesiasticarum, si episcopalem excipias, nobis repræsentant.* Verùm synodus VI Parisiensis, anno 829 celebrata, lib. 2, c. 27, licèt factas ab ipsis confirmationes et ordinationes irritet, eosque ad exemplum et formam septuaginta discipulorum esse definiat, statuit tamen ut eorum ordinatio fiat, prout jura canonum decernunt. Particularem igitur in eis ordinationem requirit.

Qualis verò et quanta esset eorum dignitas apparet ex canone 13 Ancyrano, ubi *episcoporum vicarii* dicuntur; ex canone 14 Neocæsariensi, ubi *sacra faciunt*, præsente episcopo, *oblationem distribuunt, et honorantur* ut *episcoporum comministri* ; ex canone 8 Antiocheno, quo illis committitur, ut *canonicas* dent litteras, *pacificas*, seu communicatorias et formatas; quod solis episcopis licebat ex concilio II Hispalensi, c. 7 : item ex eorum arrogantiâ : ut enim episcopis sese æquarent, ambiebant ordinari à patriarchis, vel à metropolitis ; quam superbiam represserunt Patres Antiocheni, can. 10, statuentes, ut illi à civitatis episcopo promoverentur. Præterea ex synodo Regiensi, anno 439, can. 3, unde apertè sequitur, juniores episcopos, *pro ætatis reverentiâ*, plerùmque cedere solitos chorepiscopis. Ibi enim chorepiscopatus Armentario deposito ex misericordiâ conceditur, non amplus quidem et diffusus, sed ambesus, certisque legibus restrictus, quas inter, hæc est, *Ne ulli episcoporum in rudimentis suis huic, in aliquo, quasi pro ætatis reverentiâ, cedere liceat.* Postremò chorepiscoporum dignitas apparet ex citato Maronitarum rituali, quod clericorum ordinationes suo quaslibet gradu et ordine referens, chorepiscopos solis episcopis immediatè subjicit, cæteris præponit; primùm enim exhibet *ordinationem psaltæ*, mox *lectoris*, deinde *subdiaconi*, tum diaconi, archidiaconi, presbyteri et archipresbyteri, postea chorepiscopi, episcopi et patriarchæ. Capite verò de Ordinatione episcopi, disertis terminis asserit consecrandum episcopum sumi ex ordine chorepiscopi, qui excelsior est, et dignior archipresbytero. Quid igitur sibi volunt Nicæni canones Arabici, qui archidiaconos chorepiscopis æquales, vel etiam loco superiores faciunt? ambo enim dicuntur duæ manus et duæ alæ, quibus volat episcopus, ex canone 58 ; ambo præeunt funeri episcopi civitatis, *quemadmodùm filii præeunt funeri patris sui*, ex canone 65; utriusque funeri præit episcopus, *Quemadmodùm pater præit funeri filii sui*, ibidem ; *ambo pastores et patres cuncti gregis dicuntur*, ibidem ; *utriusque funeri cunctus grex interest, quia pastores et patres illis omnibus erant*, ibidem ; *ambo sedent hinc et inde in sedilibus ecclesiæ*, ex canone 70 ; *Cùm deambulat episcopus, sive in ecclesiâ, sive alibi, archidiaconus stat ad dexteram, chorepiscopus ad sinistram, ipse verò in medio eorum tanquàm pater inter filios*, ibidem; *cùm stat episcopus in oratione in fronte templi ad medium altaris, ut pastor et gubernator, post illum ad latus dextrum stat archidiaconus, ut ejus vicarius, et omnibus eleemosynis, et Ecclesiæ rebus, et negotiis præfectus; chorepiscopus verò stat post archidiaconum ad latus sinistrum episcopi, quia ipse quoque vicarius est episcopi super pagos, monasteria, et pagorum sacerdotes.* Hæc sanè non conveniunt cum ambitu chorepiscoporum, qui eò tandem devenerant, ut jura episcopalia usurpare, et sese episcopis exæquare præsumerent : quo fit ut nonnulli eos veros episcopos existimaverint. Quâ de re § 3, vel § 4 sequenti.

§ 3. *Munia chorepiscoporum.*

Munia chorepiscoporum, alia jurisdictionis, alia ordinis potestatem respiciebant. Amplissima eorum in oriente potestas fuisse videtur.

1° Chorepiscopus, ut dixi, litteras dabat *canonicas* et *pacificas;* ex canone 8 Antiocheno.

2° Offerebat, præsente episcopo, et oblationem distribuebat; ex canone 14 Neocæsariensi.

3° Regebat omnes ecclesias pagorum et cuncta monasteria; ex canone 58 Nicæno-Arabico. Quid autem in illis regendis præstaret exponit Ebbo, archiepiscopus Remensis, qui floruit ab anno 820 ad annum 855, in appendice ad Flodoardum in historiâ ecclesiæ Rhemensis, « Chorepiscopi ministerium est omnem sacer-« dotalem totius regionis sibi commissæ conversatio-« nem corrigere atque dirigere, id est, in conficiendis « divinis sacramentis et baptisterio omnium intelle-« ctum aperiens excitare, populum regionis prædi-« care, confessiones exigere, pœnitentiam cum dis-« cretione cautè imponere, hospitalitatem sectari, « infirmos visitando, obsequia benignitatis et benedi-« ctionis et sanctæ unctionis inferre, communioni « sanctæ dignos fieri populos assiduâ communione « exercere, mortuos cum commendationibus animæ « et orationibus, dignis obsequiis sepulturæ venerabi-« liter tradere, pro vivis etiam ac defunctis totius « Ecclesiæ filiis rationabili assiduitate exorare, insu-« per verò omnia quæcumque intra Ecclesiam et extra

« ecclesiam in claustro et in omnibus habitationi-
« bus à maximo usque ad minimum, quemcumque vi-
« derit negligere, secundùm ecclesiasticum correptio-
« nis modum semper corripiat, et omnem veram Reli-
« gionem prior ipse faciendo omnes facere doceat. »

4° *Omnes pagorum sacerdotes bis quotannis congregabat ad salutandum episcopum, videlicet principio hyemis, et in solemnitate resurrectionis Domini. Monachos verò semel in anno, si ita placeret chorepiscopo.* Ex canone 60 Nicæno-Arabico.

5° Neophytos in agris et villis consistentes confirmabant. *Chorepiscopi*, inquit Isidorus, lib. 2 de Officiis eccles., c. 6, *instituti sunt propter sollicitudinem pagorum.* Quæ verò esset hæc sollicitudo, exponit Rabanus, lib. 1 de Institut. clericor., c. 5, in fine, *Ordinati sunt autem chorepiscopi propter pauperum curam, qui in agris et villis consistunt, ne eis solatium Confirmationis deesset.* Canon 59 Nicæn.-Arabic. præscribit duntaxat, ut filiis et filiabus ad clerum et monasteria segregatis, manus imponant, et Confirmationis signaculum adhibeant.

6° Non modò confirmabant, sed etiam ecclesias et virgines consecrabant. Nusquàm enim legitur aliquo orientali canone illis prohibitum, sacramentum Confirmationis ministrare, ecclesias et virgines consecrare.

7° Lectores et subdiaconos, atque exorcistas constituebant, etiam præter conscientiam episcopi civitatis, ex canone 10 Antiocheno. Concilium tamen Nicænum II anno 787 habitum, can. 14, ubi meminit de lectorum Ordinatione à chorepiscopis fieri solitâ, episcopi permissum requirit ex antiquâ consuetudine.

8° Ea olim erat consuetudo, *Ut qui ecclesiæ ministrabant, non nisi diligentissimè et accuratissimè probati admitterentur. Omnis eorum vitæ agendæ ratio curiosè inquirebatur, an non essent maledici, an non ebriosi, an non prompti ad pugnas, an suam juventutem erudirent ac castigarent, ut possent sanctificationem rectè gerere, sine quâ nemo Dominum accipiet. Et hæc quidem examinabant presbyteri et diaconi, qui cum eis versabantur. Referebant autem ad chorepiscopos, qui testificantibus susceptis suffragiis, et eorum admonitis episcopis, ita ministrum in sacerdotalem numerum cooptabant.* Ita Basilius Magnus, in epist. 88, qui conqueritur de suis chorepiscopis, quòd illi, ut omnem in se transferrent auctoritatem, de ministris in sacerdotalem numerum cooptandis nihil ad episcopum referrent. *Nunc autem nobis primùm exclusis, nec ad nos referre in animum inducentes, omnem in se auctoritatem transferunt.*

9° Non desunt viri eruditi, qui ex hoc Basilii textu, et ex orientalibus canonibus inferant, chorepiscopos in oriente diaconos et presbyteros, annuente tamen civitatis episcopo, ordinâsse, quâ de re § sequenti.

Omnia ferè hæc chorepiscoporum munia paucis complexus est Isidorus, lib. 2 de Officiis ecclesiast., c. 6. Chorepiscopi, id est, vicarii episcoporum, juxta quod canones ipsi testantur (Ancyranus 13, Neocæsariensis 14, et Antiochenus 10), ordinantur : tomo 10 biblioth. Patrum, et apud Morinum, exercit. 4, pag. 54, n. 10. Amplissima est (ut apparet) ea potestas quam illis tribuit secundùm canones Græcos Isidorus, eâque, nemine conquerente, in oriente utebantur.

Eâdem potestate illos in occidente usos esse seculo V certum videtur ex concilio Regiensi anno 439, quo Armentario chorepiscopatus conceditur, insignitus quidem jure *consecrandi virgines in ecclesiâ in quâ ordinatus fuerit : neophytos confirmandi in castellis ac vicis : offerendi ante presbyteros* (eosque loco præcedendi) : *plebi, quam acceperit, ex constitutionibus hujus* (synodi) *permissu, benedicendi :* (decurtatus verò potestate) *in civitatibus, vel sub episcoporum absentiâ offerendi et ordinandi, vel ultimum clericum, nec in eâ quidem ecclesiâ, quæ illi fuerit attributa.*

Sed multi occidentis episcopi seculis retrò sequentibus ægrè admodùm tulerunt ista chorepiscopos audere, et quâ potuerunt auctoritate ab his cœptis eos prohibuerunt. Hoc severissimè illis interdicunt seculo VIII suppositæ pontificum epistolæ; Damasi epist. 4; Leonis epist. 88; Felicis IV epist. 1; Joannis III epist. unicâ; concilium Parisiense VI, lib. 1, c. 27; Meldense, cap. 44; Metense, cap. 8, et capitularia, lib. 5, cap. 168; lib. 7, cap. 187 et 324. Cùm enim lapsu temporis in omnes ferè episcoporum prærogativas involarent, omnia quoque episcopalium muniorum privilegia illis Galliæ et Germaniæ episcopi resciderunt, ut videre est locis jam citatis, quibus factæ ab ipsis neophytorum Confirmationes, virginum et ecclesiarum consecrationes, diaconorum et presbyterorum ordinationes, irritæ declarantur. De quibus modò agendum est.

§ 4. *De variis opinionibus circa episcopatum et ordinationes ac Confirmationes chorespicorum.*

Quæritur utrùm chorepiscopi essent veri episcopi, diaconos et presbyteros ritè ordinarent, et neophytos validè confirmarent. Quatuor sunt sententiæ : Prima docet eos verè episcopos fuisse, licèt eamdem, quam episcopi, dignitatem non haberent, nec pari honore ac reverentiâ colerentur. Ita Franciscus Hallerius, de sacris Electionibus, 2 parte, sect. 5, c. 2, a. 2, § 2, n. 7, 8, 9. Secunda existimat chorepiscopos verè episcopos non fuisse, sed presbyteros auctoritate in collegas donatos; eos tamen, non ex officio quidem, sed ex consensu episcoporum, validè confirmâsse, neophytos et diaconos ac presbyteros ritè ordinâsse. Ita Morinus, de sacris Ordinat., 3 p., exercit. 4. Tertia putat chorepiscopos nec episcopos fuisse, nec diaconos aut presbyteros validè ordinâsse, validè tamen neophytos confirmâsse. Ita Petrus de Marcâ, lib. 2 de Concord., cap. 13 et 14. Quarta sentit chorepiscopos nec episcopos fuisse, nec factas ab ipsis ordinationes et Confirmationes ratas fuisse. Ita Petrus Aurelius, in Orthodoxo, parte 2, quæ opinio communior est. De singulis opinionibus seorsim agendum est.

§ 5. *Utrùm chorepiscopi essent veri episcopi.*

Quæritur itaque utrùm chorepiscopi fuerint verè episcopi, an verò tantùm presbyteri aliquâ dignitate aucti, non secùs ac archidiaconi nihil aliud sunt, quàm diaconi, sed auctoritate in collegas donati. Affirmant

ex antiquis Rabanus in opusculo de Chorepiscopis, et ex recentioribus Franciscus Hallerius in opere de sacris Electionibus. Negant plures antiqui et recentiores.

Affirmans opinio hisce argumentis statui potest.

I. Quia chorepiscopi inter episcopos sedent, definiunt et subscribunt conciliis, Neocæsariensi, Nicæno, Ephesino et Chalcedonensi, de quibus supra. Nec enim presbyteri inter episcopos sedent. Ita Rabanus.

II. Quia Cæsarius, Arcensis seu Sartensis chorepiscopus, qui concilii Ephesini actione primâ sedet initio sessionis inter episcopos, eique velut chorepiscopus subscribit, idem velut episcopus subscripsit actione 6.

III. Quia synodus Ancyrana, can. 13, permittit chorepiscopis, ut presbyteros civitatis ordinare possint cum licentiâ ejusdem civitatis episcopi litteris mandatâ. Ita Rabanus et Hallerius.

IV. Quia, canone 14, Neocæsariensi vocantur συλλειτουργοί, quo nomine episcoporum collegæ sæpè intelliguntur. Ita Hallerius.

V. Quia, canone 57 Laodicæno præscribitur, *Quòd non oportet in vicis et pagis episcopos constitui, sed periodeutas* (hoc est, circumcursatores, seu visitatores) *eos autem, qui priùs constituti fuerunt, nihil agere sine mente episcopi, qui est in civitate, seu, ut Isidorus habet, præter conscientiam episcopi civitatis; similiter autem et presbyteros nihil agere sine mente episcopi.* Videtur hoc canone vetari, ne deinceps episcopi in vicis constituerentur, sed solùm presbyteri visitatorum officio functuri : quod tamen observatum non est. Ubi verò episcopi in vicis constituti fuerint, præcipi, ut sine conscientiâ civitatis episcopi, nihil moliantur, ne pax atque unitas Ecclesiæ turbaretur. Unde colligitur fuisse isto tempore constitutos in pagis episcopos, εν τοις χωρίοις επισκόπους, qui non modò à presbyteris, sed etiam à periodeutis distincti, et ipsis superiores essent. Quid autem ἐν τοις χωρίοις ἐπισκοποι, nisi archiepiscopi?

VI. Quia concilium Antiochenum, canone 8, permittit solis chorepiscopis, ut dent litteras communicatorias, quod solis episcopis licebat, ex concilio II Hispalensi, can. 7.

VII. Quia idem concilium Antiochenum, can. 10, chorepiscopos episcopis accenset, et episcopalem consecrationem suscepisse refert, ut patet tum ex iis verbis : *Etiamsi episcoporum ordinationem, manuumve impositionem acceperint;* vel sicut habet Dionysii versio : *Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manûs impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint*, etc. Tum ex canonis ipsius sententiâ, qui nempe presbyteros et diaconos, ex consensu episcopi diœceseos, ordinare chorepiscopis permittit.

VIII. Quia episcopi recens ordinati pro ætatis reverentiâ chorepiscopis loco plerùmque cedebant.

IX. Quia Leo I, epistolâ 86, aliàs 88, ait chorepiscopos quanquàm consecrationem habeant, pontificatûs tamen apicem non habere, id est, licèt ordinem episcoporum habeant, dignitatem tamen et locum episcopi non habere.

X. Quia in lege græcâ Justiniani ad Marcianum præfectum, cap. de Episcop. et Clericis, chorepiscopi periodeutis, et periodeutæ aliis sacerdotibus præponuntur.

XI. Quia Justus, qui sub Hillidio Arvernorum episcopo, chorepiscopatûs munere fungebatur, episcopus dicitur in tabulâ marmoreâ, cui hoc epitaphium appositum est. *Ibi requiescit sanctus justus Avernorum episcopus.*

XII. Quia Claudianus quoque, Mamerci Viennensis frater, à Gennadio, lib. de Viris illustribus, ubi de Salviano, episcopus nominatur. Scripsit Salvianus expositiones extremæ partis Ecclesiastis ad Claudianum episcopum Viennensem. Claudianus verò, quem Sidonius Apollinaris, lib. 4, epist. 11, ante fratris obitum decessisse testatur, non alia sub eodem quàm chorepiscopatûs munia obibat : illum enim Sidonius, ibidem, fratris consiliarium in judiciis, vicarium in ecclesiis, et procuratorem in negotiis fuisse observat, et antistitem ordine in secundo esse scripsit.

Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce levans episcopali.
Nam de pontificis tenore summi
Ille insignia sumpsit, hic laborem.

Nemo est, qui non videat merum chorepiscopum ibi describi, qui vices episcopi gerit.

XIII. Quia Nicolaus I, in epistolâ 39, quæ responsio est ad Rodulphum, archiepiscopum Bituricensem, officia episcopalia chorepiscopis disertè asserit, presbyterorum ac diaconorum ordinationes ab ipsis factas tanquàm validas approbat, et in ordine ipsos episcopos, quamvis certis conditionibus eorum limitanda potestas dicatur, constitutos refert. Ita Hallerius, qui postremum istud argumentum ait *esse efficax pro eâ sententiâ testimonium.* Verba sunt Nicolai : *Ad formam septuaginta chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet episcoporum habuisse officia? sed quia sacri canones vetant ne omnes omnia sibi vindicent, ac per hoc dignitas episcoporum ad chorepiscopos suos videatur transferri, fiatque vilior honor episcopi, decernimus in hoc nihil præter regulas effici.*

XIV. Quia libro 7 Capitularium cap. 318, chorepiscopi, antequàm eorum ordinatio prohiberetur, veri asseruntur episcopi.

Ad hæc argumenta responderi potest, nempè,

Ad primum respondeo 1° contigisse aliquando ut ex chorepiscopis nonnulli fuerint episcopi, sicut dictum est. 2° Conciliorum subscriptiones plerùmque variatas et mutatas fuisse, adeò ut nullum ferè argumentum ex illis certò colligi possit. Hinc Cæsarius initio primæ actionis Ephesinæ dicitur simpliciter chorepiscopus, *Cæsario chorepiscopo*, et in eâdem actione apud synodum Chalcedonensem relatâ, dicitur chorepiscopus Arcesenæ, *Cæsario chorepiscopo Arcesenæ.* In subscriptionibus verò ejusdem primæ actionis Ephesinæ vocatur civitatis Aleæ chorepiscopus, *Cæsarius civitatis Aleæ chorepiscopus subscripsit*, etc. Et in subscri-

ptionibus actionis 6 Ephesinæ, nuncupatur episcopus civitatis Sartæ : *Cæsarius episcopus civitatis Sartæ subscripsit.* 3° Ex illis chorepiscopis plures aliorum vice subscripsisse, quales ii omnes, qui subscripserunt actionibus concilii Chalcedonensis, unde conjicere licet idem in aliis synodis factitatum fuisse, sed in nominibus subscriptis plures contigisse temporum serie mutationes.

Ad secundum respondeo, Cæsarium in concilio Ephesino vocari modò *chorepiscopum Arcesenæ*, *modò civitatis Aleæ chorepiscopum*, modò *episcopum civitatis Sartæ* ; adeòque vel Cæsarium, qui dicitur episcopus civitatis Sartæ, alium esse à Cæsario, qui nominatur *civitatis Aleæ*, vel *Arcesenæ chorepiscopus*, vel mendum irrepsisse in subscriptionibus, et pro *episcopo* legendum esse *chorepiscopum*. Ita enimverò si pro civitate *Sartæ* substitui potuit civitas *Aleæ* et *Arcesenæ* : quantò magis episcopus pro chorepiscopo. Ex eo verò, quòd Cæsarius inter episcopos sederit, vel subscripserit, nihil sequitur. Eusebius enim, licèt presbyter, et Photinus, licèt archidiaconus, inter episcopos sedent et subscribunt, actione 8 et 15 Chalcedonensi ; quòd episcoporum vices agant.

Ad tertium respondeo 1°, canonem illum Ancyranum vitiatum fuisse, quâ de re § sequenti. 2° Non deesse theologos et canonistas, qui doceant simplices sacerdotes committi posse, ut presbyteros ordinent. Quâ de re supra.

Ad quartum respondeo, συλλειτουργοὺς idem significare ac *comministros*, quæ quidem vox episcoporum collegas minimè designat. Clericos enim inferioris ordinis Augustinus *comministros* vocat, quos tamen ejus in episcopatu collegas nemo dixerit. Præterea, canone 35 concilii IV Carthaginensis, episcopus dicitur *collega presbyterorum. Episcopus collegam se presbyterorum cognoscat.* Si episcopus dicitur collega presbyterorum, igitur et presbyteri dici possunt episcoporum collegæ. Denique nulla ratio subest, ut collegæ nomen ad æqualitatem officii significandam transferatur, cùm collegæ dici possint, qui sunt ejusdem collegii, quamvis unus alteri præsit, collegiique caput sit, alii verò minimè, ut ex eo patet, quòd Cyprianus passim Cornelium et Stephanum summos Pontifices, collegas vocet (videsis Cyprianum, epist. 4 ad clerum Romæ, epist. 41 ad Cornelium, epist. 52 ad Antonianum, epist. 67 ad Stephanum, epist. 68 et 71 ad Quintum, epist. 73 ad Jubaianum) ; quòd Lucius papa Cyprianum collegam appellet (Lucii epistolâ, inter Cyprianæas 79) ; quòd in concilio Africano, can. 21, 22 et 31, episcopi omnes Africani collegæ dicantur, cùm tamen episcopi Carthaginensis inter ipsos ea fuerit prærogativa, ut illo inconsulto, nihil cæteris facere licuerit. Videsis Pamelii notas in epist. 4 Cypriani.

Nec dicas, episcopum et presbyteros diversi esse collegii.

Enimverò, si ex concilio IV Carthaginensi, episcopus est collega presbyterorum, ejusdem cum ipsis collegii sit necesse est. Deinde *quid est episcopus*, inquit, apud Augustinum, auctor Quæstionum veteris ac novi testamenti, quæst. 101, *nisi primus presbyter, hoc est, summus sacerdos? quid episcopatus, nisi summum sacerdotium?* Accedit doctrina S. Thomæ, qui negat episcopatum à presbyteratu ordine distingui. Dato vero, quòd uterque ordine et charactere differat nihilominùs *sacerdotium*, inquit Hallerius, in opere de sacris Electionibus, pag. 377, *tanquàm unicus ordo constituitur, qui postea in episcopatum et presbyteratum, non tanquàm in membra adæquatè distincta, sed tanquàm in membra inadæquatè diversa, quorum unum alterum includit, distribuitur : eoque sensu diversi ordines aliquando negantur, quòd episcopatus sit tantùm presbyteratûs perfectio, et presbyteratus sit episcopatus imperfectus ; unde sacerdotium non tam ordines duos, quàm* ordinem bipartitum, *dixit Anacletus*, epist. 3.

Ad quintum respondeo, canonem Laodicenum loqui de episcopis, non autem de chorepiscopis ; eoque canone idipsum statui quod canone 6 Sardicensi, nempe *licentiam dandam non esse ordinandi episcopum aut in vico aliquo, aut in civitate modicâ, cui sufficit unus presbyter ; quia non est necesse ibi episcopum fieri, ne vilescat nomen episcopi et auctoritas :* quâ de re videsis Gratianum, distinct. 80.

Ad sextum respondeo 1°, canones in iis quæ ad disciplinam attinent, plerùmque diversos esse : sic, canone 7 concilii II Hispalensis, formatarum quarumlibet epistolarum concessio presbyteris interdicitur : canone contra 8 Antiocheno, vicanis etiam presbyteris permittitur, ut communicatorias dent litteras ad viciniores, non autem ad remotiores episcopos. *Presbyteri, qui sunt in agris, canonicas epistolas dare non possunt ; ad solos tantùm vicinos episcopos litteras destinabunt. Chorepiscopi autem, qui sunt irreprehensibiles, dare possunt pacificas, id est, generales epistolas.* Ita Dionysius Exiguus : paulò aliter Isidorus Mercator, *Neque presbyter ad regiones longinquas formatas*, (id est, canonicas), *epistolas dare : et nisi ad finitimos episcopos, simplices epistolas mittere præsumat. Vicariis verò episcopi, qui à Græcis chorepiscopi vocantur, formatas facere liceat.* Græca verò editio sic habet : *Neque presbyteri, qui sunt in pagis, dent canonicas epistolas ;* SED AD SOLOS VICINOS *episcopos emittant epistolas. Chorepiscopi autem qui sunt irreprehensibiles dent pacificas.* Non rectè igitur vertit Gentianus Hervetus : *Vel ad solos vicinos*, etc. Particula enim ἢ apud Homerum plerùmque usurpatur pro ἀλλὰ : eamque in hoc canone ita usurpandam esse apparet, tum ex ipso textu qui particulam adversativam requirit, tum ex ipso sensu, qui aliàs ineptus esset. Vox sane, μόνους, id est, solos, illud apertè indicat, illa enim vel ibi superflua est, vel particulam ibi adversativam præsupponit. 2° Canon Hispalensis loquitur de simplicibus presbyteris, Antiochenus verò de chorepiscopis, sive (ut vertit Isidorus) *vicariis episcoporum.* Mirum autem esse non debet, si chorepiscopi, episcoporum vice agentes, distinguantur à simplicibus presbyteris, et canone Antiocheno facultatem obtineant, quæ canone Hispalensi denegatur simplicibus presbyteris, et episcopis propria declaratur. 3° Canon Antiochenus lo-

quitur duntaxat de pacificis litteris, quas à chorepiscopis dari permittit; Hispalensis verò de formatis quibuscumque epistolis, quas simplicibus sacerdotibus concedi prohibet. Ecclesiasticæ litteræ quarum commercio unius Ecclesiæ catholicæ servari, ac proinde probari solebat unitas, *formatæ* dicebantur, eoque nomine appellabantur, quòd certâ quâdam formâ conciperentur. Videsis appendicem tomi 8 conciliorum, Labbæi, pag. 1892, ubi nonnulla earum exstant exempla. Erant autem varia formatarum genera, communicatoriæ, canonicæ, pacificæ, commendatitiæ, dimissoriæ, et confessoriæ, quibus addunt nonnulli tractorias, tractatorias, synodicas, encyclicas, seu catholicas et clericas. De quibus videsis Balsamonem, Zonaram; Baronium, in epitome ad annum 142, n. 6, 7, 8 et 9; Binium, in notis ad vitam Sixti I, et ad canonem 25 Illiberitanum; Garsiam, Loaysiam, in notis ad canonem 7 Hispalensem; Sirmundum, in notis posthumis ad canonem 9 Arelatensem; Albaspinæum, in notis ad canonem 25 Illiberitanum, ad canonem 7 Arelatensem, et ad canonem 11 Chalcedonensem; et Cabassutium in notitiâ ecclesiasticâ. Communicatoriæ, canonicæ, et pacificæ, laicis concedebantur: dimissoriæ clericis: commendatitiæ clericis et laicis honoratis: confessoriæ peregrinis: clericæ sede vacante à clero scribi solebant: confessoriæ à confessoribus: canonicæ verò et pacificæ, aliæ generales erant, quæ ad omnes episcopos, aliæ simplices, inquit Isidorus Mercator, quæ ad viciniores episcopos dirigebantur: priores ex concilio Antiocheno à solis episcopis, eorumque vicariis; posteriores ab ipsis etiam vicanis presbyteris concedi poterant. De his alibi fusiùs.

Ad septimum respondeo 1°, priora hujusce canonis verba, si græcus sermo attendatur, dubium sensum habere: εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, id est, *quamvis manuum impositionem episcoporum acceperint*: quæ verba sic possunt accipi, *quamvis manûs impositionem ab episcopis acceperint*, vel *quamvis eamdem, quam episcopi, manuum impositionem acceperint*. Ex priori sensu nihil sequitur: simplices enim presbyteri per manûs impositionem ab episcopis suis ordinantur: posteriorem sensum in suâ versione amplexi sunt Dionysius Exiguus, et Isidorus Mercator, sed priorem probabilem existimant viri eruditi, quos inter Thomassinus, parte 1, lib. 1, c. 18, n. 6. 2° Hæc verba posteriori sensu accepta nihil officiunt opinioni quæ chorepiscoporum ordinationem civitatis episcopo tribuit, eosque in presbyterorum numero recenset: sed exceptionem adhibent, ut sensus sit: *Ii qui sunt in vicis vel pagis, quique dicuntur chorepiscopi, quamvis manûs impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint, tamen sanctæ synodo placuit, ut modum suum recognoscant*: id est, quamvis accidere possit ut eorum nonnulli, ut episcopi consecrati fuerint, ut cùm præter regulam chorepiscopatus ab episcopo aliquo exercetur, sui tamen ministerii modum excedere non debent.

Ad octavum respondeo, solutionem ex eodem canone petendam, ubi juniores episcopi chorepiscopis loco plerùmque cedere dicuntur, *pro ætatis*, non autem pro dignitatis, *reverentiâ*.

Ad nonum respondeo 1°, epistolam suppositam esse. 2° In eâ doceri et probari, quòd *chorepiscopi* non sint episcopi, sed *juxta canones Neocæsarienses, sive secundùm aliorum decreta Patrum iidem sunt, qui et presbyteri*. 3° De presbyteris perinde ac de chorepiscopis asseri, quòd quanquàm consecrationem habeant, pontificatûs tamen apicem non habent.

Ad decimum respondeo, inde quidem colligi chorepiscopos à periodeutis distinctos, eisque superiores fuisse, contra quàm Marca sentit, lib. 2 de Concord., c. 13, n. 6; non autem illos fuisse episcopos. Presbyteris enim præsunt archipresbyteri, et istis vicarii generales, quos nullus ideò episcopos dixerit.

Ad undecimum respondeo 1°, non legi, quòd Justus sub Hillidio chorepiscopatûs munere fungeretur. 2° Mendum aliquod in hanc tabulam marmoream irrepsisse; Hillidius enim, ex Gregorio Turonensi, l. 1 Histor., c. 40, Justum habuit archidiaconum.

Ad duodecimum respondeo, Gennadii locum emendandum esse, et rescribendum esse, *ad Claudianum chorepiscopum Viennensem*: nunquàm enim episcopatum Viennensem obtinuit, cùm illi Mamercus superstes fuerit. Joannes quidem Savaro, in notis ad Sidonium, putabat Claudianum archidiaconi munus exercuisse in ecclesiâ Viennensi, unde adeptus esset *antistitis* nomen *ordine in secundo*. Verùm hæc explicatio aliena est à modo loquendi Veterum, qui presbyteros in secundo ordine, diaconos in tertio, et subdiaconos in quarto ordine constituunt: hinc Hieronymus, in epistolâ ad Fabiolam, presbyteros vocat *secundi ordinis præceptores*: hinc synodus IV Romana, sub Symmacho, c. 6, presbyterum appellat *hominem secundi in Ecclesiâ ordinis*: hinc Montanus, episcopus Toletanus, in epist. ad fratres territorii Palentini, presbyteros curatos *in secundo dignitatis gradu* à Deo statutos definivit: hinc ipse Sidonius, lib. 4, epistolâ 25, Joannem Cabilonensem electum episcopum nuncupavit *secundi ordinis sacerdotem*: hinc Theodulphus Aurelianensis in Commonitorio ad parochos, presbyteri gradum ab episcopi gradu *secundum* esse monuit: hinc Optatus, lib. 5 contra Parmenianum, ait Diaconos *in tertio*, presbyteros *in secundo sacerdotio* constitutos, episcopos verò omnium principes et sacerdotes: hinc Leo Magnus, epist. 84, c. 4, constituit subdiaconos in hoc ordine, qui quartus à capite est: leviticum ministerium in tertio: presbyteralem honorem *in secundo*; et episcopalem excellentiam *in primo ordine*. Itaque archidiaconus erat primicerius tertii ordinis diaconorum; sed chorepiscopus erat *antistes ordine in secundo*.

Ad tredecimum respondet Aurelius in Orthodoxo, parte 1, cap. 6, hanc epistolam, quam Sirmondus ipsi objecerat, Nicolai nomine suppositam fuisse. Nicolaus enim, inquit, « Rodulpho rescribere dicitur, hoc « modo: Ad formam enim septuaginta chorepiscopi fa« cti sunt, quos quis dubitet episcoporum habuisse

« officia? ac deinceps presbyterorum et diaconorum « ordinationes ab iis factas ratas habet, et repeti vetat, « ab iisque ordinatos tuetur, quo quid stolidius, et à « perpetuo Ecclesiæ Romanæ et Gallicanæ sensu dis- « crepantiùs fingi potuit? Nam ut omittam nemini « unquàm in mentem venisse septuaginta discipulos « episcoporum officia, idque sine ullâ dubitatione, ha- « buisse; ut omittam synodos, Parisiensem, lib. 1, c. « 27; Meldensem, can. 44; Metensem, can. 5; aliasque « paulò ante habitas, quarum decretis, citatum illius « epistolæ caput comminuitur; claræ sunt voces Leo- « nis III papæ, qui non ita multò ante à Carolo Magno « missis Romam legatis, consultus, respondit, quid- « quid episcopalis officii chorepiscopi attigissent, id « velut inane et irritum, ab episcopis refici oportere; « atque hoc à majoribus suis et episcoporum synodis « sæpiùs decretum, nec in controversiam revocan- « dum :... quæ omnia relata sunt in capitularia Caroli « Magni, lib. 7, c. 189, et publicâ lege sancita, ac « deinceps pluribus synodis et capitularibus firmata. « Ex quibus perspicitur, incredibile esse dictu, vel « Rodulphum, Bituricensem archiepiscopum, de his, « velut ignotis ac dubiis, Nicolaum papam consuluisse; « vel Nicolaum ea respondisse, quæ tam apertè ma- « jorum suorum decretis, et Galliæ non synodis tan- « tùm, sed legibus publicis refellerentur. Præterea « eodem illo Nicolai ævo celeberrimi Galliæ antistites « ea de chorepiscopis docuêre, quæ adumbratæ isti « Nicolai doctrinæ velut è regione adversantur, ut vi- « dere est in eorum capitularibus à te ipso editis, ca- « pitul. Isaaci, Lingonen. episcopi, c. 30 et 31. Deni- « que nihil loci est fictitio illius epistolæ capiti cujus « etiam nemo meminit, ne ii quidem, qui alia memo- « rant à Nicolao papâ ad Rodulphum scripta. » Urget Sirmondus : « At manuscriptus codex illud exhibet. » Respondet Aurelius : « Non fuit igitur prudentis cri- « tici, ex ambigui ignotique testis fide de re tantâ « sententiam ferre, spretis tot et tam illustribus sum- « morum virorum testimoniis. Decuit potiùs eorum « moderationem imitari, qui hanc epistolam cum eo- « dem capite, pluribus ante te annis (etsi dissimules) « ita ediderunt, ut nullum judicium interposuerint; « sed lectori integrum reliquerint : » Joannem Cordesium intelligit, qui primus omnium hanc aliasque nonnullas Nicolai epistolas edidit in primo Hincmari opusculo.

Idem cum Aurelio sentit Ludovicus Thomassinus, tomo 2 disciplinæ, parte 3, lib. 1, cap. 10, n. 5, 6 et 7. « Qui enim, » inquit, « fieri potuit, ut « Nicolaus papa Rodulpho Bituricensi, adeòque Gal- « licano archiepiscopo rescribens, asseruerit ne- « minem esse, qui dubitet septuaginta discipulos « fuisse episcopos, indeque collegerit chorepiscopos, « qui illis successerunt, episcopalibus officiis fungi « potuisse? cùm hæc doctrina decretis summorum « Pontificum et Gallicanorum antistitum è diametro « opponeretur. Quomodò pontifex eruditus sanè, rigi- « dusque traditionis observator, doctrinam illam Gal- « licano episcopo præscribere potuisset? Deinde « synodus Metensis, quibusdam post annis (anno « videlicet 888) congregata, hanc certè epistolam mi- « nimè notam habebat, cùm jussit, *ut basilicæ à chor-* « *episcopis consecratæ, ab episcopis consecrentur, quia* « *juxta decreta Damasi papæ, Innocentii, et Leonis va-* « *cuum est atque inane, quidquid in summi sacerdotii* « *chorepiscopi egerunt ministerio : et quòd ipsi iidem* « *sint, qui et presbyteri, sufficienter invenitur.* » Præterea Hincmarus (tomo 2, pag. 260), Nicolao et Rodulpho coætaneus, qui chorepiscoporum sæpè meminit, ordinationem Gottescalci, qui, vacante post Ebbonis archiepiscopi depositionem sede Remensi, à Rigboldo Remorum chorepiscopo ad annum 844, presbyter ordinatus fuerat, contra regulas factam fuisse disertè asserit : Quique, inquit, à Remorum chorepiscopo, qui tunc erat, contra regulas presbyter ordinatus est. Postremò quâ fronte Hincmarus (ibid. pag. 756) cùm in illos inveheretur episcopos, qui *pro suâ quiete et voluptatibus ordinabant chorepiscopos, et eis, quæ summis Pontificibus conveniunt, agere permittebant*, sola Romanorum pontificum decreta eis opposuisset? *quos*, inquit, *apostolica sedes sæpiùs reprobavit, et apostolico mucrone rescidit, sicut in decretalibus eorum, qui voluerit recensere, inveniet.*

Petrus de Marcà, qui hanc epistolam, uti germanam recipit, respondet, lib. 2 de Concord., c. 14, n. 9, hanc Nicolai responsionem, à canonibus omninò alienam esse : Nicolaum tamen excusat *quòd diversis occupatus negotiis, cursim respondere coactus fuerit.* Hoc solum quidem pro Nicolai defensione proferri potest, quòd *cursim* responderit, *ecclesiasticis occupatus negotiis, et innumeris impeditus necessitatibus*, urgente reditum suum misso Rodulpho, adeò ut hæc, inter tanta ecclesiasticorum negotia positus, vix saltem summatim mittenda decerpserit. Ita Nicolaus ipse excusatum se habet apud Rodulphum in eâdem epistolâ.

Ad decimum quartum respondeo, vitium aliquod in illud capitulare irrepsisse, cujus emendationem repetes ex capitularibus, seu canonibus Isaaci Lingonensis, tit. 11, cap. 30, ubi objectum capitulare describitur. *Si quis, non ab episcopo, sed à chorepiscopo, qui non est episcopus, sed vicarius episcopi, priusquàm prohibiti essent, fuerit confirmatus, reiterari aliis benedictionibus debet. Nam chorepiscopi, ante apostolicam atque synodalem prohibitionem, non ex numero apostolorum, sed ex septuaginta discipulorum, ut sacri canones testantur, ordine erant, quos nunquàm Spiritum paracletum tradidisse novimus. Sed quia olim, ut dictum est, jam dicti chorepiscopi prohibiti sunt, ideò modò nihil sunt, nec Spiritum paracletum ullo unquàm tempore tradere potuerunt, nec modò possunt.*

Opinio verò negans chorepiscopos verè fuisse episcopos, his momentis innititur.

1° Quia chorepiscopos ad formam septuaginta discipulorum institutos fuisse, docent concilium Neocæsariense, can. 13; Isidorus Hispalensis, lib. 2 de Officiis, cap. 6; suppositæ Damasi, Leonis et Joannis III epistolæ; capitularia, lib. 7, c. 310, 318 et 329; synodus VI Parisiensis, lib. 1, c. 27; Isaacus Lingo-

nensis, tit. 11, c. 30. Sed ex omnibus illis ferè auctoribus, apostolis episcopi, et septuaginta discipulis presbyteri successerunt.

2° Quia chorepiscopos fuisse veros episcopos disertis terminis negârunt, Leo III; synodus Ratisponensis; capitularia, lib. 6, cap. 284, et lib. 7, c. 187, 310, 318, 328 et 329; synodus VI Parisiensis, lib. 1, c. 27; Isaac Lingonensis, tit. 11, c. 30; synodus Meldensis, c. 44; et Metensis, c. 8.

3° Quia canone 14 Neocæsariensi, statuitur, ut chorepiscopi, *ut comministri propter studium in pauperes offerant, honorati.* Honorantur ut comministri: et propter quid? propter studium in pauperes. Quis hoc tribuat episcopis, ut propter studium in pauperes potissimùm honorentur? Hoc argumento Patres concilii VI Parisiensis utuntur, lib. 1, c. 27. Duo quædam honoris privilegia chorepiscopis tribuit concilium Neocæsariense; comministri censentur, et sacrificium offerunt coram episcopo et presbyteris civitatis. Quod ut intelligatur, repetendus est canon 13, quo decernitur *vicanum presbyterum in ecclesiâ, præsentibus episcopo vel presbyteris civitatis, offerre non posse, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrigere. Sin autem absint, et ille ad precationem vocatus fuerit, ea posse.* Patres verò, postquàm hunc honorem denegârunt vicanis presbyteris, eumdem canone sequenti chorepiscopis concedunt, quia constituti sunt *ad exemplum septuaginta discipulorum;* sunt *comministri*, seu *consacerdotes;* et *pauperes curant.* Si veri episcopi ab illis Patribus habiti fuissent, numquid dubitatum fuisset, an liceret eis cum presbyteris urbicis sacrificare? an hoc episcopis tantùm concessum dici potest propter studium quod in pauperes exhibent, et quia septuaginta discipulorum vice fungerentur? Urget hoc Morinus, cui fortè responderi posset ex Rabano, lib. 1 de Institut. clericor., c. 2, studium illud erga pauperes non fuisse inferius quoddam, sed episcopale officium, videlicet Confirmationis administrationem. *Ordinati enim fuerunt chorepiscopi propter pauperum curam, qui in agris et villis consistunt, ne eis solatium Confirmationis deesset.*

4° Quia canon 10 Antiochenus episcoporum et chorepiscoporum ordinationes distinguit; illos enim innuit à pluribus episcopis, istos vult à solo civitatis episcopo ordinari. Confirmatur ex ipso canonis sensu qui nec obscurus est, nec impeditus. Nolunt Patres Antiocheni, ut chorepiscopi, quicumque illi sint, jus habeant et diaconos et presbyteros ordinandi, inconsulto civitatis episcopo. Occurrunt autem Patres difficultati, quæ moveri poterat, an scilicet eorum decretum ad eos etiam extenderetur episcopos, quos aliquando contingit chorepiscoporum officio fungi. Docebimus enim infra, veros episcopos certis de causis aliquando, rarissimè tamen, chorepiscopatûs officio fungi. Cui difficultati Patres respondent se ejusmodi chorepiscopos ab aliorum classe non eximere, sed velle eos iis regulis et statutis contineri: ac proinde, licèt episcopi sint, posse tantùm, sicut cæteri, minores ordines et subdiaconatum pro arbitrio conferre, majores verò cum episcopi proprii scientiâ et consensu. Favet huic canonis expositioni Zonaras in eumdem canonem. *Chorepiscopos canon ultra potestatis suæ limites progredi vetat. Sed ecclesiarum*, inquit, *sibi subjectarum administratione contenti, lectores, subdiaconos, exorcistasque constituant. A diaconis sacerdotibusque creandis absque urbani episcopi facultate, etiamsi episcopali ordine aliquando* (non igitur semper) *insigniti fuissent, abstineant.*

5° Quia chorepiscopus à solo civitatis episcopo consecrabatur, ex can. 10 Antioch. et ex Isidoro, lib. 2 de Officiis, et ex Rabano, lib. 1 de Instit. clericor. *Quòd si à duobus episcopis episcopus non potest consecrari, quomodò ille episcopus erit*, qui ab uno fuerit ordinatus? Ita ratiocinantur capitularia, lib. 7, c. 310, quorum ratiocinatio confirmari potest auctoritate concilii Regiensis anno 439 celebrati, quod canone 1, Armentarii in Ebrodunensem episcopum *ordinationem irritam definivit, et vacuandam esse censuit, quòd prætermissa esset trium episcoporum præsentia: à duobus enim tantùm episcopis consecratus fuerat.*

Respondet Hallerius validam esse episcoporum ordinationem, licèt ab uno solo antistite factam, quia constitutiones apostolicæ, lib. 8, c. 27, aiunt ab uno episcopum ordinari posse, quando propter persecutiones, aut aliâ de causâ plures haberi non possunt, dummodò plurium afferatur decretum. Deinde referente Bedâ, lib. 1 Histor. Anglic., c. 27, Gregorius Magnus Augustino respondit, quia solus in Angliâ esset episcopus, et à regionibus nimiùm longinquis accersendi essent episcopi, eum posse alios episcopos ordinare, cæterorum ordinationi postea cooperaturos. Denique Pelagius I pontifex à duobus episcopis et uno presbytero, videlicet à Joanne de Perusio et Bono de Ferentino episcopis, et Andreâ presbytero de Ostiâ, in episcopum ordinatus est, ex libro pontificali, quem Baronius et Ciaconius sequuntur.

Plura his objectis responderi possunt; textui præsertim Gregorii Magni, quem Hallerius ipse, ut qui sit obscurus, in utramque partem agitat.

Verùm hoc genus oppositionis nihil ad rem, de quâ agimus, pertinet. Ex dictis enim et exemplis allatis, hoc tantùm sequitur, episcopum in magnâ necessitate ab uno episcopo posse ordinari. At chorepiscoporum, de quibus verba faciamus, ordinationes ab uno episcopo factæ, sunt ordinariæ, legitimæ et canonicæ. Nulla est in iis necessitatis causa, nullus prætextus, nec ullum igitur cum istis exemplis commercium. Præterea chorepiscopalis ordinatio, sicut et presbyteralis, naturâ suâ unum exposcit episcopum: episcopalis verò tres episcopos requirit. Chorepiscopalis igitur convenit cum presbyterali, nullo modo cum episcopali. Antiqui etiam Patres, qui tanto consensu prohibent ne ordinationes episcopales alio modo quàm à tribus episcopis fiant, cæteris per rescriptum consentientibus, iidem volunt chorepiscopi ordinationem ab uno episcopo fieri. Diversæ igitur sunt ordinationes. Denique quid magis ludicrum et nugatorium quàm severissima illa canonum prohibitio ne episco-

pus ab episcopis minùs quàm tribus ordinetur, si citra omnem necessitatem, publicè, et jubente canone, episcopalis ordinatio, licèt ab uno episcopo facta, chorepiscopis ritè et legitimè traditur?

Nulla igitur episcopalis olim erat chorepiscoporum ordinatio. Cui quidem conclusioni non repugnat, quòd aliquando contingeret quemdam ex istis chorepiscopis verum esse episcopum. Id enim rarissimum erat et planè fortuitum. Duobus verò modis secundùm canones id contingere poterat. 1° Cùm duo erant in urbe episcopi, catholicus unus, alter hæreticus : si enim hæreticus ad catholicam fidem converteretur, tunc catholicus pacis causâ poterat illi permittere, ut in aliquâ parte diœcesis chorepiscopum ageret; licèt de Novatianis id tantùm decernant Nicæni Patres, can. 8. 2° Cùm episcopus ob crimina deponebatur. Patres enim misericordiâ tunc commoti, poterant ei indulgere, ut extra diœcesim, in quâ peccaverat, chorepiscopatûs ministerio, permittente diœcesano antistite, fungeretur. Hæc canonum praxis, licèt admodùm rara, colligitur ex facto concilii Regiensis, quod Armentario, quamvis à duobus solùm episcopis, adeòque et illicitè et irritè ordinato (quantò magis si validè ordinatus fuisset), permisit, ut quædam chorepiscopatûs munia extra diœcesim Ebrodunensem exerceret. Sed quid est his extraordinariis actionibus, quæ vix uno aut altero seculo, semel aut bis contingebant, commune cum ordinario, legitimo et diuturno chorepiscoporum statu à canonibus stabilito et definito?

§ 6. *Utrùm chorepiscopi, licèt veri non essent episcopi, diaconos et presbyteros validè ordinarent, proprio consentiente episcopo.*

Negant Petrus de Marcâ, lib. 2 de Concord., c. 14; Thomassinus, tom. 1 Disciplinæ, parte 1, lib. 1, c. 18, n. 6 et 11; Cabassutius in Notitiâ eccles., ubi de canone 10 Antiocheno, et alibi. Affirmat Joannes Morinus.

Pro affirmante opinione hæc afferri possunt.

I. Synodus Ancyrana, can. 13, *Chorepiscopis non licere presbyteros vel diaconos ordinare, sed neque urbis presbyteros, nisi cùm litteris ab episcopo permissum fuerit, in alienâ paræciâ :* seu, ut Rabanus habet, *in unâquâque paræciâ;* ita enim canonem illum exhibet opusculo de Chorepiscopis, eumque refert, ut inde probet chorepiscopos habuisse facultatem ordinandi presbyteros et diaconos, jubente tamen proprio episcopo. *Attende*, inquit, *quòd non dicit chorepiscopis non licere penitùs diaconos aut presbyteros ordinare, sed non aliter licere, nisi ex præcepto episcopi sui, vel litteris in unâquâque paræciâ.*

At ille canon mendosus est, et emendatus nihil concludit. Mendosus quidem est; alioqui sensus esset, chorepiscopis prohiberi presbyteros et diaconos ordinare, imò etiam presbyteros urbicos, sine litteris episcopi, in alienâ paræciâ. Quo quid absurdius dici possit, non video. Anne cui vetita est presbyteri vicani ordinatio, non etiam potiori jure vetita est urbici? ut de hâc re iterùm urgenda non sit interdictio; quasi de re minoris momenti ageretur, quæque superiori prohibitione non esset comprehensa. Deinde quid est illud, in alienâ paræciâ? quasi verò chorepiscopis libera esset ordinatio presbyteri in suâ paræciâ sine litteris, vel ab iis tentari posset ordinatio presbyterorum cum episcopi consensione ac litteris in alienâ paræciâ. Laborat Morinus in hujusce canonis emendatione, cap. 4, n. 9 et 10, eumque ita emendandum contendit : *Chorepiscopis non licere presbyteros vel diaconos ordinare, nisi ab episcopo illis permissum fuerit, sed nullo modo urbis episcopos.* Petavius, notis in Epiphanium, animadv. in hæresim 65, quæ Arianorum est, putat expungenda esse ista verba : *sed neque presbyteros civitatis*, quibus sublatis, planum et perspicuum eorum sensum pollicetur. Verùm nec si verba ista expunxeris, planus adhuc sensus erit; redundabunt enim adhuc verba ista, *in alienâ paræciâ.* Canon emendari debet ex capitulari Aquisgranensi Caroli Magni, cap. 9; ubi ita refertur. *Vicariis episcoporum, quos Græci chorepiscopos dicunt, non licere presbyteros, vel diaconos ordinare; sed nec presbyteris civitatis, sine episcopi præcepto, ampliùs aliquid jubere, vel sine auctoritate litterarum ejus in unâquâque paræciâ aliquid agere.* Sic autem emendatus pro affirmativâ opinione nihil concludit.

II. Synodus Antiochena, can. 10, quem ex Græco textu, integrum referamus oportet, *Ii qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur chorepiscopi, quamvis episcoporum manûs impositionem acceperint, visum est sanctæ synodo, ut suum modum noverint, et subjectas sibi ecclesias administrent, earumque curâ et sollicitudine gerendâ contenti sint : ordinent autem lectores, subdiaconos, et exorcistas : et eorum promotionem sibi sufficere existiment : nec presbyterum, nec diaconum ordinare audeant, sine urbis episcopo, cui subjicitur ipse et pagus. Si quis autem ea, quæ definita sunt, transgredi audeat, ipse quoque deponatur ab eo honore quem habet. Fiat autem chorepiscopus ab episcopo civitatis, cui subjicitur :* chorepiscopi duplicis generis ibi distinguuntur aut præsupponuntur, ex Petro de Marcâ, Morino, Cabassutio, Thomassino, aliisque viris eruditis; alii enim erant insigniti charactere episcopali, alii eo carebant. Utrisque munus suum præscribitur : utrisque permittitur, ut lectores, exorcistas, et subdiaconos ordinent sine consensu episcopi; diaconos verò et presbyteros, non nisi episcopo consentiente. Huic expositioni favet utraque Dionysii Exigui, et Isidori Mercatoris versio : Favet et Zonaras in hunc canonem : *Chorepiscopos canon ultra potestatis suæ limites progredi vetat; sed ecclesiarum*, inquit, *sibi subjectarum administratione contenti, lectores, subdiaconos, exorcistasque constituant. A diaconis sacerdotibusque creandis absque urbani episcopi facultate, etiamsi episcopali ordine aliquando insigniti fuissent, abstineant*, etc.

Huic argumento tres solutiones afferuntur.

Prima est Balsamonis, et ex eo Petri de Marcâ et Thomassini, hæc verba *sine urbis episcopo* interpretantium, non pro eo quod est, *sine ejus mandato;* sed pro eo quod est, *sine illius consecratione*, seu *ordinatione;* ita ut sensus sit : Chorepiscopi, nec presbyterum, nec diaconum ordinare audeant, nisi conjungatur

illis urbis episcopus, qui cum ipsis ordinet. *Illud autem*, inquit Balsamon, ad hunc canonem, *sine episcopo qui est in urbe, non accipitur pro eo quod est, sine ejus mandato, sed pro eo quod est, sine illius consecratione. Etsi enim fuerit chorepiscopo mandatum, ut presbyterum ordinet, et hoc fecerit; irrita erit ordinatio, quòd non sit ei à canonibus data presbyterum ordinandi potestas.* Quam expositionem velut *absurdam*, et *Balsamonis meram dormitantis oscitantiam* rejicit Morinus, de sacris Ordinationibus, parte 3, exercit. 4, c. 4, n. 8, et meritò: nam si chorepiscopus ex sacris canonibus nihil potest in presbyterorum ordinatione, quid opus erat Patribus illis præcipere, ne ordinet, nisi conjungatur illi urbis episcopus? deinde licèt presbyteri unà cum episcopo ordinandorum capitibus manus imponant; ea tamen est communis theologorum opinio, illos à solo episcopo ordinari. Atqui canone Antiocheno chorepiscopi presbyteros et diaconos ordinare dicuntur. Ad earum igitur ordinationem alio modo concurrunt, quàm presbyteri unà cum episcopo manum imponentes. Præterea interpretationis istius absurditas apud Græcos evidentior est, quàm apud Latinos. Episcopus enim Græcus, cùm presbyteros ordinat, solus iis manus imponit: nulla, ut apud Latinos, assistentium presbyterorum manùs impositio insequitur. Denique hæc verba canonis, δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, *sine urbis episcopo*, eodem sensu accipi debent ac illa canonis 9, δίχα τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου, *sine metropolis episcopo*. Atqui hæc posteriora significant sine consensu et mandato episcopi metropoleos. Igitur et priora *sine consensu et mandato episcopi urbis*.

Secunda est Cabassutii asserentis diaconorum et presbyterorum ordinationem solis chorepiscopis, qui veri essent episcopi, cum urbicani episcopi consensu, hoc canone permitti. At verò mirum sanè est, quòd hæc interpretatio in nullius antiquorum mentem venerit, nullusque ante Cabassutium inde collegerit diaconorum et presbyterorum ordinationem solis chorepiscopis, qui veri essent episcopi, hoc canone permitti. 2° Sensus canonis nec obscurus est, nec impeditus. Nolunt Patres ut chorepiscopi, quicumque illi sint, jus habeant diaconos et presbyteros ordinandi inconsulto proprio diœceseos episcopo. Occurrentes autem difficultati, quæ moveri poterat, an scilicet hoc decretum extendendum esset ad eos etiam chorepiscopos, qui veri erant episcopi (supra enim diximus episcopos certis de causis aliquando, rarissimè tamen, chorepiscopatûs officio fungi), respondent se ejusmodi chorepiscopos ab aliorum classe non eximere, sed velle eos iis regulis et statutis contineri, quibus cæteri: ac proinde licèt veri episcopi sint, posse tantùm, sicut cæteri, minores ordines pro prudentiâ et arbitrio conferre, majores verò cum episcopi sui scientiâ et consensu. Verba textûs aliam interpretationem pati non possunt: *Etiamsi episcoporum manùs impositionem acceperint.* Conjunctio illa, *etiamsi*, idem necessariò enuntiat de sequenti, quòd de antecedenti: et docet prioris adjunctum posteriori assumpto etiam convenire. 3° Ambo membra hujusce periodi: *Ordinent autem lectores, subdiaconos, et exorcistas: et eorum promotionem sibi sufficere existiment: nec presbyterum, nec diaconum ordinare audeant sine urbis episcopo, cui subjiciuntur*, de iisdem personis, ut legenti apparebit, evidenter affirmantur. Utrisque igitur chorepiscopis ambæ partes conveniunt. 4° Si periodum dividas, et dicas priorem partem convenire chorepiscopis simpliciter presbyteris, posteriorem chorepiscopis charactere episcopali fulgentibus, orationis tenor planè repugnabit, in quâ omnia sunt perfectissimè conjuncta, et in quâ nulla umbra diversitatis, aut ad varias personas relationis. 5° Si dicas totam periodum ad solos chorepiscopos referri, qui veri sunt episcopi: omnes habebis adversarios, qui ultrò fatentur chorepiscopos quoslibet habuisse facultatem conferendi minores ordines: idque certè colligitur ex canone 14 concilii Nicæni II, ex canone 44 concilii Meldensis, anno 845, et ex Isidoro Hispalensi, lib. 2 de divinis Offic., c. 6. Deinde contra mentem canonis, nihil in eo ageretur de chorepiscopis, id est, de chorepiscopis simpliciter presbyteris, sed de iis tantùm episcopis, qui per accidens, fortuitò, et præter suæ ordinationis formam et scopum, chorepiscopatûs munere fungebantur; quod est contra mentem canonis, refutaturque postremâ canonis pericope: *Fiat autem chorepiscopus ab episcopo civitatis, cui subjicitur.* Canon ergo loquitur de iis potissimùm chorepiscopis, qui fiunt ab episcopo civitatis, cui subjiciuntur. Isti autem sunt presbyteri, non episcopi, cùm ab uno, non tribus episcopis ordinentur. Mens igitur canonis est potissimùm chorepiscopis presbyteris hoc privilegium indulgere, ut omnes ordinationes episcopatu, et chorepiscopatu inferiores conferre possint, minores quidem pro prudentiâ, majores cum episcopi sui conscientiâ. Denique Isidorus Hispalensis, lib. 2 de divinis Officiis, c. 6, canonem illum de chorepiscopis simpliciter presbyteris interpretatur, eisque ordinationes hoc canone præscriptas attribuit. Textum infra referemus.

Tertia solutio est Baronii, ad annum 341, respondentis canones Antiochenos, ut qui ab episcopis Arianis sanciti fuerint, à posterioribus orthodoxis Patribus rejectos fuisse, licèt ab aliquibus fuerint admissi collectoribus: integrum enim concilium Antiochenum ex Arianis constitisse putat illustrissimus annalium conditor. Certum tamen est Patres, qui Antiochiæ convenerant, majori ex parte orthodoxos fuisse; cùm è numero 97 aut 99 episcoporum, ex quo conventus ille constabat, triginta tantùm Eusebianas partes sequerentur, et clanculùm hæresi Arianæ faverent, etsi apertè à communione catholicâ non discessissent. De auctoritate verò canonum Antiochenorum disseruerunt Baronius, ad annum 341 et alibi; Perronius in Replicâ; Antonius Augustinus....; Petrus de Marcâ, lib. 3 de Concord., cap. 3; Joannes Cabassutius, in Notitiâ ecclesiasticâ, sed præ cæteris Emmanuel Schelestrates in suâ Antiquitate illustratâ, parte 2, diss. 2, cap. 5. Eam elevare conantur Baronius et Perronius, et canonem Antiochenum à summis Pontificibus Ju-

lio, in causâ Athanasii, et Innocentio, in causâ Chrysostomi rejectum; sed illam egregiè defendit Schelestrates. Hâc de re, Deo dante, alibi agemus. Interim, quod ad illum, quem versamus, canonem attinet, laudatur ille et admittitur à Zachariâ pontifice, in epistolâ 7 ad Pipinum, cap. 1, ad annum 745, in capitulari Aquisgranensi Caroli Magni, cap. 9, anno 789, et à Leone VII, in epistolâ 3 ad Gallos et Germanos, ad annum 937.

III. Pro affirmante opinione adducitur Basilius Magnus, in epist. 88. Textum retulimus supra.

IV. Joannes Scholasticus, Antiochiæ presbyter et apocrysiarius, et postmodùm, Eutychio, patriarchâ Contantinopolitano, in exilium pulso, in ejus locum à Justiniano imperatore suffectus, qui, in collatione canonum, titulo 21, canonem 13 Ancyranum ita exhibet : *Chorepiscopis non licere presbyteros vel diaconos ordinare, sed neque urbis presbyteros, nisi cùm litteris ab episcopo permissum fuerit, in unâquâque parochiâ.* Et canonem 10 Antiochenum : *Constituant autem lectores, subdiaconos et exorcistas, et eorum promotionem sufficere existiment; nec presbyterum, nec diaconum ordinare audeant, absque urbis episcopo.*

V. Isidorus Hispalensis, lib. 2 de divinis Offic., c. 6 : *Chorepiscopi, id est, vicarii episcoporum, juxta quod canones ipsi testantur, instituti sunt ad exemplum septuaginta seniorum, tanquàm sacerdotes propter sollicitudinem pauperum. Hi in vicis et villis instituti, gubernant sibi commissas ecclesias, habentes licentiam constituere lectores, subdiaconos, exorcistas : presbyteros autem et diaconos ordinare non audeant præter conscientiam episcopi, in cujus regione præesse noscuntur. Hi autem à solo episcopo civitatis, cui adjacent, ordinantur.* Canonem ille Antiochenum eodem, quo nos, sensu interpretâtur.

VI. Capitulare Aquisgranense Caroli Magni, anno 789, c. 6 : *Constituere autem his permittitur lectores, et subdiaconos, et exorcistas; quibus sufficiat istorum tantùm graduum licentiam accepisse : non autem presbyterum, non diaconum audeant ordinare præter conscientiam episcopi civitatis,* etc.

VII. Alexius Aristenus, diaconus ecclesiæ Constantinopolitanæ, in epitome canonum, quam jussu Joannis Comneni imperatoris anno 1130 edidisse Allatius, lib. de Collatione ordinum, observavit, ubi canonem Ancyranum 13 ita abbreviat : *Chorepiscopus non ordinat* (presbyterum nempe et diaconum) *sine licentiâ episcopi.*

VIII. Harmenopulus in epitome canonum, sect. 1, tit. 9, canonem 10 Antiochenum, et 13 Ancyranum sic abbreviat : *Chorepiscopus, absque permissu episcopi, presbyterum vel diaconum non ordinato lectores autem, subdiaconos, et exorcistas, hoc est, catechetas ordinato. Qui aliter fecerit, gradu excidat.* Nec desiderari, nec fingi potest quid ad hoc probandum evidentius. Confirmatur scholio sequente : *Canon verò 14 synodi VII ne quidem lectores ut ordinet, concedit nisi permissu episcopi.* Quibus verbis observat, synodum VII longè esse in chorepiscopos severiorem. Nam concedit Antiochena, ut lectores, exorcistas, et subdiaconos pro arbitrio ordinent, diaconos verò et presbyteros tantùm cum episcopi sui licentiâ. At synodus VII ne quidem illis concedit lectorum ordinationem, sine consensu ejusdem episcopi. Quando autem Harmenopulus vixerit, incertum est. Vulgò habetur multò antiquior, quàm reverà sit, post Balsamonem.

Pro sententiâ verò negante adduci possunt,

1° Synodus Ancyrana, can. 13 : *Chorepiscopis non licere presbyteros vel diaconos ordinare.* 2° Presbyterorum, diaconorum et subdiaconorum ordinationes, dedicationes ecclesiarum, virginum consecrationes, neophytorumque Confirmationes à chorepiscopis factas Leo III, à Gallicanis episcopis consultus, nullas et irritas declaravit, ut videre est in capitularibus, lib. 7, c. 187. 3° Idem, quod Leo, statuerunt Gallicani episcopi in synodo Reginisbruk habitâ, quemadmodùm refertur ibidem. 4° Idipsum iterùm confirmârunt Galliarum antistites, lib. 6 Capitul., c. 284, lib. 7, cap. 310, 318, 328 et 329. 5° Concilium Meldense, anno 845, can. 44, Confirmationes, ecclesiarum dedicationes, virginum consecrationes, et omnes clericorum ordinationes, *quæ per impositionem manûs tribuuntur*, chorepiscopis diœcesano licèt episcopo consentiente, interdicit; cæteras verò quæ manuum impositionem minimè requirunt, ut subdiaconorum, lectorum et exorcistarum, illis permittit, jubente episcopo. 6° Idipsum illis prohibet Leo VII, ad ann. 937, in epist. 3 ad Gallos et Germanos.

Quæ quidem omnia, ut diluas, quatuor aut quinque velim observes. 1° Fidelium Confirmationes, ecclesiarum dedicationes, consecrationes virginum, et presbyterorum et diaconorum ordinationes, à chorepiscopis factas, repugnante, vel inconsulto civitatis episcopo, nullas sacris canonibus declarari. 2° Illas, jubente, vel consentiente episcopo, factas, ratas sacris canonibus habitas fuisse, donec supposita Damasi epistolâ emerserit, quæ illas irritas declaravit. 3° Chorepiscopis sæpè VIII et IX seculis interdictum fuisse, ne præfata munia obirent, etiam consentiente civitatis episcopo. 4° In dubium revocari posse, utrùm hæc munia à chorepiscopis peracta, consentiente quidem proprio civitatis episcopo, sed repugnante Sede apostolicâ, vel nationali, vel provinciali concilio, valida forent. Nullus est, quantùm memini, canon, qui hæc irrita et nulla definiat. 5° Canones variâsse circa subdiaconorum ordinationes à chorepiscopis factas præter conscientiam episcopi civitatis. Illas enim validas declarant synodus Antiochena; Isidorus Hispalensis; Zacharias pontifex, epist. 7, c. 1; capitulare seu concilium Aquisgranense, et Leo VII, in epist. 3 : invalidas autem Leo III, relatus lib. 7 capitul., cap. 187; synodus Reginisbruk celebrata, de quâ ibidem; et capitularia, lib. 6, cap. 284, et lib. 7, c. 328 et 329.

Superest difficilis objectio. Nam si chorepiscopi, licèt veri non essent episcopi, diaconos et presbyteros ex consensu episcopi civitatis ordinare potuerunt; sequi videtur inde presbyteros potestate dele-

gatâ, non modò diaconos, sed et presbyteros ordinare posse.

Verùm reponderi potest, 1° non deesse theologos et canonistas, qui existiment presbyteros ab Ecclesiâ committi posse, ut diaconos et presbyteros ordinent : quâ de re supra. 2° In ejusmodi rebus extraordinariis nihil ultra ea, quæ nobis à Patribus tradita sunt, pronuntiandum esse, juxta illud Basilii, in epist. 60 ad ecclesiam Antiochenam : *Mentis nostræ partus non audemus tradere, ne verba pietatis censeantur humana; sed quæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea nos interrogantibus annuntiamus.* Videmus autem sacros canones et Patres privilegium illud chorepiscopis asseruisse, nec illud in cæteros presbyteros diffudisse. Illud igitur ulteriùs prorogare nobis religio esse debet. Nescimus, inquit Morinus, cap. 4, n. 3, an quid esset peculiare in chorepiscoporum ordinatione, ratione cujus ista prærogativa illis tribueretur, licèt nullo modo essent episcopi. In ejusmodi factis extraordinariis, quæ à traditione derivant, parùm urget argumentum à paritate aut similitudine. Nam sæpè tota ratio institutionis est voluntas instituentis, quæ licèt fuerit rationabilis, nos tamen sæpissimè latet. In his tenenda est 28 regula juris canonici, *quæ à jure communi exorbitant, nequaquàm ad consequentiam sunt trahenda.*

Posset etiam objici Chrysostomus, homil. 11 in 1 Timoth. : *Solâ*, inquit, *ordinatione episcopi superiores sunt presbyteris.* Chrysostomi igitur ætate, episcopi non autem presbyteri, adeòque nec chorepiscopi, ordinabant.

Morinus respondet, 1° raros tunc fuisse per diœceses chorepiscopos, ideòque Chrysostomum ad illos non attendisse ; 2° chorepiscopos sub episcoporum nomine comprehendi : dicebantur enim vicani et rurales episcopi ; 3° Chrysostomum de officiis ordinariis episcoporum et presbyterorum esse locutum, non de iis quæ extraordinariè et per delegationem presbyteris committi possunt.

Respondeo 1° non deesse interpretes, qui Chrysostomum intelligant de passivâ ordinatione, quâ episcopi consecrabantur : quâ de re supra. Dato verò, non concesso, quòd ille loquatur de activâ ordinatione, quâ episcopi alios ordinant,

Respondeo 2° ordinationem tunc ex mente Chrysostomi restringendam esse. Ille enim, ut qui presbyter esset Antiochenus, ignorare non poterat canonem 10 Antiochenum, quo saltem ex omnium consensu, chorepiscopis conceditur facultas ordinandi lectores, exorcistas, et subdiaconos. Illam verò ad ordinationem, non diaconalem aut presbyteralem, sed episcopalem, quæ à solis re et nomine episcopis fieri potest, contrahendam esse colligitur ex eodem canone, qui chorepiscopis permittit, ut diaconos et presbyteros cum episcopi civitatis permissu ordinent; nec non ex Basilio, qui testatur hunc fuisse morem orientalis ecclesiæ, ut chorepiscopi diaconos, *admonitis eorum episcopis, in sacerdotalem numerum cooptarent.* Dato verò, quòd ibi sermo sit de quâcumque ordinatione activâ,

Respondeo 3° negando consequentiam. Ex ipsis quidem verbis Chrysostomi sequi videtur, episcopos non autem presbyteros, ordinâsse; verùm inde non sequitur, chorepiscopos minimè contulisse ordines. Nec enim canones sacri chorepiscopos sub presbyterorum nomine comprehendunt, sed illos ubique à simplicibus presbyteris, quin et ab ipsis presbyteris civitatis, archidiaconis, archipresbyteris, et periodeutis distinguunt, ut videre est in conciliis Ancyrano, can. 13; Neocæsariensi, can. 13 et 14; Antiocheno, can. 8; Regiensi, can. 3, 4 et 5; Chalcedonensi, can. 12; et in lege Græcâ Justiniani ad Marcianum præfectum, cap. de Episcopis et Clericis. Illis enim omnibus erant superiores, licèt episcopis inferiores essent, ex can. 5 Regiensi. Postremò sacri canones sæpè chorepiscopis, nusquàm simplicibus presbyteris, ordinandi facultatem concedunt.

Objici denique posset illud Hieronymi, in epist. 85 ad Evagrium : *Quid facit, exceptâ ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* Nulli igitur presbyteri, adeòque nec chorepiscopi ordinabant.

Respondeo hunc esse Hieronymi sensum, nihil exceptâ ordinatione episcopus facit, quod in aliquâ Ecclesiæ parte presbyter non faciat, vel ex officio, vel ex potestate sibi delegatâ. At verò Patres et canones chorepiscopos sub simplici nomine presbyteri comprehendere non solent.

§ 7. *Utrùm chorepiscopi, licèt veri non essent episcopi, validè confirmarent, consentiente vel jubente civitatis episcopo.*

Affirmant Joannes Morinus, et Petrus de Marcâ. Negat Aurelius.

Certum mihi videtur chorepiscopos validè confirmâsse in oriente. 1° Quia Confirmatio longè minor est sacris ordinationibus, quas à chorepiscopis in oriente factas fuisse constare videtur, ex canone 10 Antiocheno, Basilio Magno, et Harmenopulo. 2° Quia, ex Nicæno canone Arabico 59, chorepiscopi *ex pueris et puellis vicanis aliquos segregabant, quos primùm signabant cum oratione et precibus, eisque manus imponebant, deinde constituebant ex eis ministros secundùm singulorum vocationem, et distribuebant illos per omnes ecclesias, et monasteria, ut erudirentur, et boni redderentur clerici.* Pueros igitur antequàm ad clerum adsciscerentur; et puellas antequàm ingrederentur monasteria, confirmabant. Ita canones Nicæno-Arabici, ex novâ versione Abrahami Echellensis, quos quidem canones seculo VII editos putat Launoius, in tractatu de Extremâ Unctione. 3° Quia nullo orientali canone legitur chorepiscopis prohibitum esse, sacramentum Confirmationis administrare.

Certum quoque mihi videtur septem primis Ecclesiæ seculis, chorepiscopos in occidente validè confirmâsse. Synodus enim Regiensis, quæ, anno 439, Armentarii ordinationem ad episcopatum Ebrodunensem, licèt à duobus episcopis peractam, *irritam et vacuandam esse censuit*, clementer ei tamen concessit, ut chorepiscopatûs munere fungi posset in aliquâ parœciâ, si quis episcopus eam illi conferre voluerit; sed

certis legibus, quæ chorepiscopatum illum in angustias redigunt. Vetatur enim, *ne unquàm duarum ecclesiarum gubernationem obtineat; ne quis ei locus decernatur, quem curiæ et civitatis species, aut ordo nobilitat: ne vel ultimum clericum ordinet in eâ etiam ecclesiâ, quæ illi cujuscumque misericordiâ fuerit attributa: ne unquàm in civitatibus, vel sub episcoporum absentiâ, offerre præsumat.* Hoc unum chorepiscopatûs vestigium ei relinquetur, ut *in ecclesiâ, quam cujusquam misericordiâ fuerit adeptus, neophytos confirmare in castellis ac vicis, et ante presbyteros offerre possit, et consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum jus habeat.* Recisæ illæ, vel relictæ facultates satis evincunt ordinario jure chorepiscopis eas in occidente concessas fuisse, etsi aliis probationibus destitueremur. Altera tamen probatio superest ex Rabano Mauro petita, qui, lib. 1 de Institut. Clericorum, c. 5, testatur ordinarium chorepiscoporum munus esse Confirmationis administrationem in pagis et vicis. *Ordinati sunt*, inquit, *chorepiscopi propter pauperum curam, qui in agris et villis consistunt, ne eis solatium Confirmationis deesset.*

In eos tamen ita irascuntur pontifices et occidentis concilia seculis VIII, IX et X celebrata, ut ne hoc quidem munus illis permittant, ob quod illos præcipuè institutos fuisse Rabanus asserit; cujus quidem rei originem et causam in suppositas octavo seculo Damasi, Leonis I, et Joannis III epistolas refundendam existimo. Desinente igitur seculo VIII, vel ineunte seculo IX, querela in Galliis et Germaniâ excitata est de Confirmatione à chorepiscopis concessâ, plurimis laicis suos liberos ab iis confirmari nolentibus, *ne magis vulnus, quàm benedictionem acciperent.* Cùm hæc quæstio variis et nutantibus sententiis agitaretur, ejus decisio per Arnonem archiepiscopum relata est ad Leonem III, qui Confirmationes, ecclesiarum dedicationes, consecrationes virginum, et subdiaconorum, diaconorum, et presbyterorum ordinationes factas à chorepiscopis, irritas et nullas esse definivit. Leonis definitionem amplexi sunt Germani et Gallicani episcopi in synodo Reginisbruk, eamque sequuntur capitularia, lib. 6, cap. 284, et lib. 7, c. 187, 310, 318, 328 et 329; et concilium Parisiense anno 829, lib. 1, c. 27: ei tamen non adhæserunt omnes episcopi, ac inprimis Rabanus, qui, lib. 1 de Instit. clericorum, quem anno 819 edidit, cap. 5, de Chorepiscopis, ita disserit: *Episcopi apostolorum vicem in Ecclesiâ tenent: et chorepiscopi, qui vicarii sunt episcoporum, ad exemplum Septuaginta seniorum constituti sunt: nec aliquid eis magis licet in Ecclesiâ ordinare, aut constituere, nisi quantùm eis conceditur à legitimis episcopis, qui sedem et regimen integrum in ecclesiis obtinent. Ordinati sunt autem chorepiscopi propter pauperum curam, qui in agris et villis consistunt, ne eis solatium Confirmationis deesset. Dicti sunt autem chorepiscopi, quia de choro sunt sacerdotum* (falsa quidem hæc est Rabani etymologia, sed ejus mentem declarat). *Hi autem à solo episcopo civitatis, cui adjacent, ordinantur, sicut presbyteri.* Hinc ille paulò post edidit opusculum de chorepiscopis (exstat illud opusculum ad finem tomi VII conciliorum Labbæi) in quo expendit, *si liceat chorepiscopis presbyteros et diaconos ordinare, et manus baptizatis imponere, cum consensu episcopi sui.* Aliis enim affirmantibus, aliis verò negantibus, inde *excitabantur sectæ, invidiæ, iræ, rixæ, æmulationes, dissensiones, et contentiones: per quæ multi de populo videntes magistrorum dissensionem, non mediocriter scandalizabantur.* Affirmativam verò partem ille sequitur et probat primùm quidem Lini et Cleti exemplis, « qui, « referente Damaso papâ in codice de episcopis Romà- « næ ecclesiæ » librum de Vitis pontificum intelligit Damaso perperam adscriptum, « ex præcepto beati « Petri, ordinationes presbyterorum fecerunt; » licèt *illi Petro non successerint*, sed *Clemens*: deinde, can. 13 Ancyrano, præterea canone 10 Antiocheno; ipsâ denique chorepiscoporum ordinatione, qui licèt ab uno episcopo ordinentur, *consecrationem episcopalem habent*, et canone 10 Antiocheno, *manûs impositionem episcoporum percipere, et sicut episcopi consecrati dicuntur.* Unde ille colligit chorepiscopos in episcoporum ordine haberi; idque hoc ratiocinio probat: *Si enim*, inquit, *in episcoporum ordine chorepiscopos non licet habere, nullatenùs inter trecentos decem et octo Patres, qui in concilio Nicæno affuerunt, annumerentur, in quorum catalogo ampliùs quàm duodecim chorepiscopi inserti sunt, ubi nullus presbyterorum, vel diaconorum in numero præfinito Patrum, sed solummodò metropolitani, et episcopi, atque chorepiscopi, nominatim recensiti inveniuntur.* Rabanus igitur factas à chorepiscopis cum urbis episcopi consensu ordinationes et Confirmationes eâ potissimùm ratione defendebat, quòd illi; licèt ad exemplum septuaginta seniorum instituti, et ab uno civitatis episcopo ordinati, veri tamen essent episcopi. Alii contra negabant illos esse episcopos, ideòque factas ab illis ordinationes et Confirmationes improbabant, ut videre est in citatis capitularibus. Quare cardo difficultatis in eo potissimùm versabatur seculis VIII et IX, utrùm chorepiscopi episcopali charactere insigniti essent.

Querelà igitur post Leonis III obitum minimè sopitâ, Hincmarus Remensis consuluit Leonem IV, cujus responsum periit, et, quibusdam post annis, Rodulphus Bituricensis Nicolaum I consuluit, qui Rabani doctrinæ responsum conforme dedit, asserens Septuaginta discipulos, quibus chorepiscopi successerunt, obiisse munera episcopalia. Isaacus Lingonensis, in suis canonibus, tit. 11, cap. 30 et 31, Hincmarus Remensis et alii quamplurimi, adhæserunt Leoni III, pauci Nicolao I. Renovata iterùm est in Germaniâ et Galliis quæstio, sedente Leone VII, qui à Gerardo archiepiscopo Lauriacensi interrogatus, idem, quod Leo III respondit. Hæc fusiùs supra.

SECTIO V.

Utrùm diaconi, subdiaconi aliique inferiores clerici, imò et laici confirmati, possint à summo Pontifice committi ad sacramentum Confirmationis administrandum.

Auctores, qui partem affirmativam sequuntur, recensui supra. Eam quidem opinionem pluribus argu-

mentis refellere in mentem mihi venerat; sed re attentiùs perspectâ, à proposito destiti: illa enim nullo veterum testimonio aut exemplo stabiliri potest.

ARTICULUS VI.

DE VARIIS THEOLOGORUM PLACITIS CIRCA MINISTRUM CONFIRMATIONIS ORDINARIUM.

Quæritur 1° utrùm valeant Confirmationes ab hæreticis, et in hæresi factæ: 2° utrùm factæ ab episcopis schismaticis, et excommunicatis excommunicatione majori: 3° Utrùm ab episcopis orthodoxis in alienâ diœcesi factæ, inconsulto proprio diœcesis episcopo: 4° Utrùm ab episcopo factæ, prohibente summo Pontifice.

SECTIO PRIMA.

Utrùm Confirmationes ab hæreticis et in hæresi factæ valeant.

Affirmans theologorum opinio adeò communis est, ut oppositam Alphonsus à Castro hæreticam existimet, lib. 2 de justâ hæreticorum Punitione, c. 22. Neganti tamen sententiæ adhærent Innocentius IV, Nicolaus Tudescus, abbas Panormitanus: Antonius Augustinus, archiepiscopus Tarraconensis, Joannes Maldonatus, Jacobus Sirmondus, et Joannes Morinus. Hujusce quæstionis, quæ mihi quidem difficillima semper visa est, solutio pendet ex quibusdam aliis difficultatibus, quas sequentibus paragraphis proponam. Enimverò si chrismatio, vel manuum impositio, per quam hæretici in Ecclesiam catholicam admittebantur, confirmatoria fuerit, concessam ipsis in hæresi Confirmationem nullam fuisse oportuit.

Hæretici ad Ecclesiam redeuntes, alii à religione catholicâ deficientes, in eâ priùs baptizati fuerant; alii verò Baptisma susceperant in ipsâ hæresi. Ex istis, alii valido, ut Ariani; alii invalido, ut Paulianistæ, Baptismo initiati fuerant. Ex illis denique, qui in ipsâ hæresi validè baptizati fuerant, alii suscipiebant Confirmationem, ut Donatistæ; alii eam aspernabantur, ut Novatiani. Quo fit, ut in eâ, quam versamus, materiâ hæreticos quadruplicis generis distinguamus oportet. De singulis ordine agendum est.

§ 1. *Quomodò hæretici extra hæresim baptizati, in Ecclesiam olim admitterentur.*

ASSERTIO PRIMA. — Hæretici in Ecclesiâ catholicâ baptizati, qui cùm defecissent à fide, postea ad ipsam redibant, admittebantur per *manûs impositionem.*

Probatur ex Cypriano, epist. 71 et 74; ex Crescente à Cirtâ, et ex Cassio à Macomatibus in concilio Carthaginensi sub Cypriano; ex Stephano 1 ad Cyprianum, epist. 74; Leone Magno, epist. 79, c. 6; Vigilio papâ, epist. 2 ad Eleutherium.

ASSERTIO II. — Hæc autem manûs impositio erat *in pœnitentiam*, non autem *in Spiritum sanctum.*

Probatur 1° ex Cypriano, epist. 71:

Quos constat hìc (in Ecclesiâ catholicâ) *baptizatos esse, et à nobis ad hæreticos transisse, si postmodùm, peccato suo cognito et errore digesto, ad veritatem et matricem redeant, satis est in pœnitentiam manum imponere.* Et ex epistolâ 74: *Qui baptizati in Ecclesiâ priùs fuerant, et sic ad hæreticos transierant hos oportet cùm redeunt, actâ pœnitentiâ per manûs impositionem solam recipi.*

2° Ex Crescente à Cirtâ, qui concilio Carthaginensi cum Cypriano aderat: *Hæretici sive schismatici*, inquit, *qui ad catholicam Ecclesiam venire voluerint, et qui in Ecclesiâ catholicâ fuerint ante baptizati per manûs impositionem in pœnitentiam Ecclesiæ reconcilientur.* Neque apud Cyprianum alicubi, vel apud episcopos Cypriano consentientes aut ab eo dissentientes invenies hujusmodi hæreticos per impositionem manûs in Spiritum sanctum admissos fuisse.

3° Ex Stephano, apud Cyprianum, epist. 74. *Si quis ergo à quâcumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.*

4° Ex Siricio papâ, epist. 1, c. 1: *Baptizatos ab impiis Arianis, nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem septiformis Spiritûs, episcopalis manûs impositione, catholicorum conventui sociamus.* Et epist. 4, c. 8: *Venientes à Novatianis vel Montensibus per manûs impositionem* (illam scilicet, quam in epist. 1 dixit esse *invocationem septiformis Spiritûs*) *suscipiantur, præter eos quos rebaptizant*, id est, præter apostatas, quos à fide catholicâ deficientes, et ad Novatianorum hæresim transeuntes rebaptizant. Negat igitur Siricius apostatas, qui ad Novatianorum hæresim transeunt, in Ecclesiam catholicam admittendos esse per manuum impositionem in Spiritum sanctum.

5° Ex Leone Magno, epist. 129, aliàs 79, qui à Nicetâ, episcopo Aquileiensi, interrogatus, respondit, cap. 6, illos qui à fide ad hæresim transeuntes, *ad iterandum Baptismum, vel metu coacti, vel errore traducti fuerant,.... in societatem nostram non nisi per pœnitentiæ remedium, et per impositionem episcopalis manûs recipi.* Alios autem hæreticos, cap. sequenti, docet in Ecclesiam admitti, *solâ invocatione Spiritûs sancti per impositionem manuum.*

6° Ex Vigilio, epist. 2, qui de eâdem quæstione ab Eutherio consultus, postquàm examinavit, *quid per singulos ordines, vel ætates antecessorum suorum decreta censuerunt*, idem, quod Leo, respondit. *Eorum*, inquit, c. 3 (loquitur de Arianis iterùm baptizatis) *reconciliatio non per illam impositionem manûs, quæ per invocationem sancti Spiritûs fit, operatur, sed per illam, quâ pœnitentiæ fructûs acquiritur, et sanctæ communionis restitutio perficitur.*

Neque dicas, ex Hieronymo, in dialogo adversùs Lucifer., cap. 2, manuum impositionem, quâ publici peccatores olim reconciliabantur, dici manuum impositionem in Spiritum sanctum. *Sacerdos*, inquit, *pro laico offert oblationem suam, imponit manum subjecto, reditum sancti Spiritûs invocat, atque ita eum altari reconciliat.*

Primùm enim hæc dicuntur à Luciferiano, non autem à catholico. Deinde aliud est sacerdotem offerendo oblationem, et imponendo manus, invocare reditum Spiritûs sancti: aliud sacerdotem conferre manuum impositionem in Spiritum sanctum: prior manuum impositio est cæremonialis; posterior videtur sacramentalis et confirmatoria: prior agit ex opere operantis; posterior ex opere operato: prior, quæcumque illa sit, sive cæremonialis, sive pœnitentialis, advocat Spiritum sanctum indirectè et tanquam causa per accidens, seu tanquàm causa removens prohibens; posterior advocat directè, et tanquàm causa per se. Producti sanè Patres utramque manuum impositionem inter se opponunt; una igitur ab aliâ secerni debet.

Assertio III. — Hæc igitur manuum impositio quâ præfati hæretici admittebantur, pœnitentialis, merèque reconciliatoria erat, non autem confirmatoria.

Assertio hæc ex duabus aliis propositionibus sequitur; eaque isto ratiocinio firmari potest. Illi enim hæretici, de quibus in hoc § agimus, in Ecclesiâ catholicâ baptizati, adeòque confirmati fuerant. Ecclesia verò nec suum Baptismum, nec suam Confirmationem unquàm iteravit.

Assertio IV. — Denique pœnitentia hæc, in quam præfatis illis hæreticis manus imponebatur, levior erat, modò illi, nec in hæresi rebaptizati, nec rei capitalis criminis essent; tunc enim pœnitentiæ publicæ subjiciebantur. Excipi ab hâc regulâ debent Manichæi, quos Ecclesia difficiliùs et severiùs admittebat ob ipsorum in hæresi pertinaciam et simulatam conversionem: quâ de re alibi.

Hæc propositio constat quatuor partibus, quæ pluribus exemplis et testimoniis probari possent. Ex multis quatuor aut quinque seligemus.

Joannes Climacus, in Scalâ, gradu 15, refert, quòd licèt *in hæresim labi gravius sit, quàm fornicari, nihilominùs Ecclesia catholica hæreticos, cùm hæresim priorem toto animo repudiaverint, atque anathematizaverint, suscipit ad sanctorum mysteriorum communionem, et ut idoneos, admittit; eum verò, qui in fornicationem lapsus fuerit.... per annos aliquot à venerandis immaculatisque mysteriis ex traditione apostolicâ separat.* Inde manifestum est hæreticos post fidei professionem nullâ aut levi pœnâ impositâ admissos fuisse. Rigida fortè videbitur pœnitentia, quam Illiberitanum concilium eis imponit, can. 22, *ut decem annis agant pœnitentiam, et post decem annos præstetur eis communio.* Sed remissam illam esse pœnitentiam facilè concedet, qui severitatem aliorum hujusce concilii canonum attenderit. Indulgentiùs agunt cætera concilia, si fortè canonem 60 concilii Agathensis excipias, quem integrum renovat concilium Toletanum XVII, cap. 13, quo quidem canone asseritur, *grandem redeundi difficultatem sanxisse antiquos Patres* iis qui in catholicâ fide baptizati in hæresim prolabuntur. Verùm canon ille non debet intelligi de quibuscumque hæreticis, sed de hæreticorum antesignatis, vel de iis qui baptizati fuerant, vel qui grave aliquod crimen hæresi conjunxerant. Synodus enim IV Aurelianensis, post Agathensem 39 annis celebrata, nullam gravem pœnam hæreticis propter ipsam hæresim decernit, can. 8; sed omnia episcopi arbitrio permittit.

Innocentius I, epist. 2, cap. 8: *Ut venientes à Novatianis vel Montensibus per manûs impositionem suscipiantur; quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati præter eos, si qui fortè à nobis ad illos transeuntes, rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes, et ruinam suam cogitantes, redire voluerint, sub longâ pœnitentiâ satisfactione admittendi sunt.* Quanta verò et quàm longa esset hæc pœnitentia, explicat Felix III, epist. 7 ad universos episcopos, datâ anno 488, ubi vult, 1° episcopos, presbyteros, vel diaconos in hæresim lapsos, qui *seu optantes, seu coacti rebaptizati fuerint, usque ad exitûs sui diem in pœnitentiâ, si resipiscunt, jacere; nec orationi non modò fidelium, sed ne catechumenorum omnimodis interesse; eisque communionem laicam tantùm in morte reddendam esse;* 2° *clericos, monachos, puellas Dei, aut seculares, qui nullâ necessitate, nullius rei timore, aut periculo, se, ut rebaptizentur, hæreticis impiè dederunt; si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes esse, septem annis subjacere inter pœnitentes manibus sacerdotum; duobus autem annis non offerre;* 3° *illis, seu clericis, sive monachis, seu laicis, utriusque sexûs personis, quos violentiæ periculis coactos iterationem Baptismatis subiisse constiterit, pœnitentiam per triennium durare;* 4° catechumenos, qui à fide christianâ recedentes, ab hæreticis baptizati fuerint, *tribus annis inter audientes esse, et postea cum catechumenis per manûs impositionem communionis catholicæ gratiam percepturos.*

Tharasius, patriarcha Constantinopolitanus, actione 1 et 3 synodi VII œcumenicæ, loquens de hæreticorum antesignanis:

Plurimi jam canonici, canctarumque synodorum et Patrum libri lecti sunt, qui docent nos, reversos ab hæresi recipere debere, modò non subsit improba aliqua causa. Si qua igitur subesset improba causa, jam illi non admittebantur statim, sed duriori pœnitentiæ subjiciebantur.

Denique Augustinus, in Commonitorio de susceptione Manichæorum, quod habetur in fine tomi 10, et emendatum legitur tomo 4 Conciliorum Labbæi, pag. 1662, monet, *ne Manichæi facilè admittantur ad Baptismum, si catechumeni sint,* nec ad reconciliationem, si pœnitentiæ locum acceperint, nisi periculo mortis urgente.

Assertio V. — Præfati illi hæretici, neque in occidente, neque in oriente admissi videntur per chrismatis unctionem.

Nullus enim, quod sciam, in ecclesiâ occidentali canon aut textus exstat, quo constet illos inunctos fuisse; nullus etiam in ecclesiâ orientali ad Methodium usque patriarcham Constantinopolitanum, cujus decretum, mutilatum quidem et interpolatum, refertur tomo 6 Biblioth. Patrum, et exinde à Baronio ad ann.

842, n. 20, integrum verò à Goario, in Euchologio, pag. 876, 877, etc.; in eo autem fideles apostatæ facti, deinde verò ad Ecclesiam redeuntes triplicis generis distinguuntur. Qui enim à fide recedunt, vel pueri sunt, vel adulti : si adulti, vel *propter tormenta*, vel *suâ sponte* fidem negârunt. Primi et secundi generis vult chrismate inungi, ut solent inungi qui baptizantur : postremos verò ad *flentium ordinem omni vitæ suæ tempore* amandari. Decretum illud tribuit Arcudius Methodio schismatico, qui sedem Constantinopolitanam obtinuit ad annum 1240; Goarius illud vindicat S. Methodio confessori, qui obiit anno 847; illud genuinum contendit Goarius, adulterinum Arcudius, adulteratum saltem Joannes Morinus. Quovis modo sese res habeat de antiquitate et auctoritate hujus decreti, de quo uberiùs infra, ubi de iteratione Confirmationis, Georgius Cedrenus, qui scribebat anno Christi 1065, enarrat, Zilicam hæresim exstinctam simul ac natam, S. Methodii laboribus et industriâ, moxque ejus sectatores cum principe suo Zilice, qui à secretis erat imperatori, ad veram Religionem conversos fuisse, divinoque unguento unctos et perfectos.

Objiciet fortè aliquis adversùs ea, quæ de occidentali ecclesiâ asseruimus, exemplum Lanthildis, sororis Clodovæi regis, quæ in hæresim Arianorum dilapsa, post fidei professionem chrismata est, ex Gregorio Turon,, lib. 2, c. 31.

Verùm hæc in Arianorum hæresim lapsa dicitur, non quòd à fide catholicâ secesserit ad hæresim, sed quòd à paganismo ad Arianismum transierit.

§ 2. *Quomodò hæretici in ipsâ hæresi invalidè baptizati, in Ecclesiam admitterentur.*

Hæreticos extra Ecclesiam catholicam baptizatos triplicis generis supra distinximus, de quibus modò agendum est.

Paulianistæ, Photiniani, Montanistæ, Eunomiani, Sabelliani, aliique hæretici quorum baptisma invalidum erat, in Ecclesiam admittebantur per iterationem Baptismi, ut videre est de Paulianistis, in concilio Nicæno, c. 19; de Photinianis, in concilio II Arelatensi, can. 6; de Montanistis, Eunomianis, et Sabellianis, in concilio Laodicæno; can. 8, et in concilio Constantinopolitano, can. 7.

Neque dicas, Photinianorum et Montanistarum baptisma probari, eosque per solam unctionem, vel manuum impositionem admitti : Photinianos quidem, can. 7 Laodicæno, *eos qui ex hæresibus, hoc est, Novatianis, sive Photinianis, vel Tessaradecatitis convertuntur, et qui apud illos dicuntur fideles* (id est, baptizati sunt, ut vertit Dionysius), *fidei symbola discentes, et sancto chrismate inunctos, sic sancto mysterio communicare :* Montanistas verò, cap. 8 epistolæ 4 Siricii ad Africanas ecclesias, *venientes à Novatianis, vel Montensibus per manûs impositionem suscipiantur.*

Vocem enim *Photinianis* in canonem Laodicænum indeque in versionem Dionysianam irrepsisse Baronius contendit : et meritò quidem; deest enim in versione Isidori Mercatoris; deest in plerisque scriptis codicibus, ex Baronio; deest in græcâ synopsi canonum Aristeni, quam ille anno 1130 edidit, jussu Joannis Comneni imperatoris; deest in græcâ epitome canonum Simeonis Magistri Logothetæ Aristeno posterioris. Deinde Photiniani iidem erant, qui Paulianistæ. Sed Paulianistarum baptisma canone 19 Nicæno reprobatur. Hinc Ruffinus canonem illum Nicænum abbrevians, lib. 1 Histor. eccles., c. 6, ubi illum facit vigesimum primum : ut Paulianistæ, qui sunt Photiniani, rebaptizentur. Præterea Photinianorum baptismus rejicitur can. 6 concilii II Arelatensis. Accedit quòd synodus II œcumenica, quæ, canone 1, omnem hæresim vult anathematizari, et specialiter Eunomianorum, Semi-Arianorum, Pneumatomachorum (sive, ut Dionysius vertit) Macedonianorum, Sabellianorum, Marcellianorum, Photinianorum, et Apollinaristarum; deinde referens, can. 7, qui sint hæretici, quorum baptisma ratum vel irritum est, inter hæreticos, quorum validus est baptismus, recenset duntaxat Arianos, Macedonianos, Sabellianos, Novatianos, et Apollinaristas, nullâ Photinianorum, vel Marcellianorum, quos tamen animo præsentes habebat, mentione factâ; inter illos verò, quorum invalidus est baptismus enumerat *Eunomianos et Montanistas, et alias hæreses*, à quarum recensione abstinet, *quoniam in eo capite multi sunt hæretici.* Photinianos igitur, sicut et Marcellianos, ad postremum hæreticorum genus revocat. Denique Theodoretus, lib. 2 hæretic. Fab., affirmat Photinianos eadem sensisse cum Paulianistis, quos concilium Nicænum venientes ad Ecclesiam rebaptizari voluit. Donatistas verò, non Montanistas, per *Montenses* intelligi, probabimus infra, paragrapho 8.

Nec etiam objicias Hieronymum, in Dialogo advers. Luciferian., cap. 9, asserentem : *Synodus Nicæna omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis;* quibus ille verbis innuit à Nicænâ synodo quorumlibet hæreticorum ipsâ priorum, exceptis Paulianistis, baptisma susceptum fuisse.

Hæc enim verba Hieronymi sobriè intelligi debent, cùm Irenæus, lib. 1 advers. hæreses, c. 18, verba portentosa referat, quibus impius Marcus, celeberrimus Valentini discipulus, ejusque asseclæ, formulam Baptismi adulterabant; et cùm ipsa synodus œcumenica II, can. 7, Sabellianorum et Cataphrygum baptisma nullum apertè declaret. Eâdem ratione sobriè intelligi debet Innocentius I, in epist. 22, cap. 5, ubi ait *de ipsis tantùm* (Paulianistis ad Ecclesiam redeuntibus) *esse præceptum, ut baptizarentur.*

Cæterùm præter illos quinque hæreticos enumeratos, recensentur alii à Gennadio, lib. de eccles. Dogmatibus, cap. 52, nimirùm Procliani, Barboritæ, Siphori seu Tonosiani, Manichæi, Cerdoniani, Marcionitæ, Sethiani, Valentiniani, Cerinthiani, Ebionæi, Artomoniani. Alii etiam enumerantur à Timotheo presbytero, qui postea patriarcha fuit Constantinopolitanus, numero 47, ut videre est ex Nicephori chronicis, circa annum Christi 500, sub Anastasio imperatore, videlicet, Marcionitæ, Tascodrugitæ, Saccophori, Apotaclitæ, Valentini, qui etiam Basilidii, et Hermæi appellantur : Nicolaitæ, Pepuzeni, Manichæi,

Cerinthiani, Menandriani, Ebionæi, Simoniani à Simone Mago, Carpocratini à Carpocrato, Saturniani, et qui ab impio Marco, vel ab Apelle, vel à Theodoro Coriario initium duxêre : Helcesæi, Pelagiani, et Melchisedechitæ. Ita Timotheus, in fragmento quod exstat tomo 6 Biblioth. Patrum, pag. 407 et 408, et ex eo Theodorus Studita, vel potiùs Timotheus ex Theodoro Studità, celeberrimo sacrarum imaginum defensore, qui claruit anno 820, in epist. ad Naucratium, quæ refertur tomo 2 Bibl. Patrum, pag. 739.

Verùm ex illis hæreticis Manichæi, Nicolaitæ, Pelagiani, et alii quidam excipi debent, qui licèt illicitè, validè tamen baptizabant. De Nicolaitis constat, ex Hieronymo advers. Lucifer., c. 8; de Pelagianis, ex Leone Magno, epist. 86; et de Manichæis, ex Augustino in Commonitorio de susceptione Manichæorum.

Modum verò, quo illi hæretici per Baptismum in Ecclesiam recipiebantur, exhibent in eodem canone 7 Patres Constantinopolitani : *Quicumque ex his rectæ fidei adscribi volunt, ut gentiles admittimus; et primo quidem die ipsos Christianos facimus :* quod per orationes speciales fieri solebat, ut videre est in rituali Petaviano : *secundo catechumenos : deinde tertio exorcizamus, sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum et aures insufflando : et sic eos catechizamus sive initiamus, et curamus ut longo tempore versentur in ecclesiâ, et audiant Scripturas : et tunc eos baptizamus. Baptismum autem proximè sequebatur Confirmatio.*

§ 3. *Quomodò hæretici, validè quidem baptizati, sed nondùm confirmati admitterentur.*

Assertio. — Hæretici in ipsâ heresi baptizati, nondùm tamen confirmati, quòd in eâ essent hæresi quæ sacramentum Confirmationis reprobaret aut contemneret, in Ecclesiam per ritum confirmatorium, admittebantur, eâ tamen lege ut criminis capitalis rei non essent; tunc enim ad pœnitentiæ labores et stationes remittebantur.

Hinc Novatiani in oriente suscipiebantur per confirmatoriam chrismatis unctionem, cum hâc verborum formulâ : *Signaculum donationis Spiritûs sancti*, ex canone 7 concilii I Constantinopolitani; in occidente verò per confirmatoriam manûs impositionem, ex Siricio, epist. 4 ad Africanas ecclesias, c. 8, et ex Innocentio I, epist. 2, c. 8, quia suos neophytos minimè confirmabant, ex Theodoreto, lib. 3 hær. Fabul., cap. de Novato, seu potiùs Novatiano. *Novatiani*, inquit, *iis qui ab ipsis tinguntur sacrum chrisma non præbent : quocirca eos etiam, qui ex hâc hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, benedicti Patres ungi jusserunt.* Idem ante Theodoretum Pacianus docuerat, et epist. 3 ad Sympronianum : *Vestræ plebi unde Spiritus, quam non consignat unctus sacerdos?* Illos tamen Cypriani tempore, hoc est, initio hæresis suæ, confirmare solitos, constare videtur ex epistolâ 76 ejusdem Cypriani, qui à Magno interrogatus, utrùm Novatianorum baptisma valeret, probat illorum, cæterorumque hæreticorum, sive schismaticorum, baptisma nullum esse; quia si dare Spiritum sanctum non possunt per manûs impositionem; ergo nec baptizare. Sic enim ille de Catholicis, qui Novatianorum, aliorumque schismaticorum baptisma defendebant : « Qui Novatiano sive cæteris ejusmodi schismaticis « patrocinantur, frustra contendunt baptizari et sanctificari illic aliquem salutari Baptismo posse, etc. « Dolendum christianos antichristis assistere; qui « quoniam pertinaces aliàs et indociles vel hoc tamen « confitentur : quòd universi, sive hæretici, sive schismatici non habent Spiritum sanctum, et ideò baptizare quidem possint, dare autem Spiritum sanctum « non possint : in hoc ipso à nobis tenentur, ut ostendamus nec baptizare omninò eos posse, qui non habeant Spiritum sanctum. Nam cùm in Baptismo « unicuique peccata sua remittantur : et per eos solos « peccata possint dimitti, qui habeant Spiritum sanctum, » quod ille probat exemplo apostolorum, quibus Christus ait : *Accipite Spiritum sanctum*, etc., et Joannis Baptistæ, qui Christum Dominum baptizaturus, accepit Spiritum sanctum, cùm adhuc esset in utero matris, « manifestum est, baptizare non posse « nisi eos qui habeant Spiritum sanctum. Itaque qui hæreticis sive schismaticis patrocinantur, respondeant « nobis, habeantne Spiritum sanctum, annon habeant : « si habent, cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, « manus imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum, « cùm jam utique illic acceptus sit, ubi, si fuit, dari « potuit? si autem foris cuncti hæretici et schismatici non habent Spiritum sanctum, et ideò apud « nos manus imponitur, ut hic accipiatur, quod illic « nec est, nec dari potest; manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse, quos « constet Spiritum sanctum non habere. »

Utrùm præter Novatianos alii fuerint hæretici, qui suos neophytos minimè confirmarent, in controversiam adduci potest. Petrus de Marcâ, *in dissertatione ad concilium Claromontanum*, ubi de canone 28, negat Confirmationem ab Arianis, Sabbatianis, Quartodecimanis, Macedonianis, et Apollinaristis administratam fuisse.

Verùm hæc gratis asseruntur; nullus enim in antiquis Patribus et conciliis textus vel canon exstat, quo negetur Arianos, aliosque à Novatianis hæreticos hoc sacramentum administrâsse. Is sanè ritus erat apud antiquos communis, et æquè apud hæreticos, si Novatianos excipias, ac apud Catholicos receptus, ut Baptismum Confirmatio sequeretur; maximè cùm hæretici gloriarentur habere se Spiritum sanctum, qui per Confirmationem conceditur. Hinc Donatistæ non modò suos baptizabant simul et ungebant, sed et nostros, si qui ad ipsos accederent, rebaptizabant, iterùmque ungebant.

§ 4. *Quomodò hæretici foris validè baptizati et confirmati, in ecclesiam occidentalem admitterentur.*

Hæretici foris quidem et extra Ecclesiam, validè tamen baptizati et confirmati, *cùm ad Ecclesiam veniunt*, inquit Hugo Victorinus, tract. 5 summæ Sentent., c. 8, *instruuntur de fide, et per manûs impositionem accipiunt Spiritum sanctum. Manûs impositio*

aliquando unctione chrismatis fit, aliquando sine chrismatione, oratione dictâ super hominem. Quæritur ergo quomodò in Ecclesiam admissi fuerint, an per manuum impositionem, an per chrismatis unctionem, an per utramque. De occidente agemus in hoc §, de oriente in sequenti.

ASSERTIO PRIMA. — Occidentalis ecclesia primis quatuor seculis hæreticos illos per manuum impositionem admisit, nullâ factâ mentione chrismationis.

Id certum videtur, 1° ex dissidio Cypriani, et Africanorum antistitum; quorum Cyprianus et antistites ejus parti adhærentes, baptizandos esse hæreticos asserebant, postea confirmandos per manûs impositionem, sicque in Ecclesiam admittendos; alii verò, approbato eorum baptismo, per solam manûs impositionem in Spiritum sanctum recipiendos esse contendebant. Hinc Cyprianus, epist. 72, scribit : *Eis qui sunt foris extra Ecclesiam tincti, quando ad nos venerint, parùm esse eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant et Ecclesiæ Baptismum, tunc enim demùm plenè sanctificari, et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur.* Hinc apud eumdem Cyprianum, epist. 73, episcopi ab ipso dissentientes probant hæreticos non rebaptizandos, sed per solam manûs impositionem in Spiritum sanctum admittendos esse, quia *super eos, qui in Samariâ baptizati fuerant, advenientibus apostolis Petro et Joanne, tantùm manus imposita est, ut acciperent Spiritum sanctum, rebaptizati tamen non sunt.* Hinc in synodo Carthaginensi sub eodem Cypriano habitâ, Nemessianus episcopus à Thubunis antistitum sibi oppositorum sententiam ita refert, et refellit : *Malè ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant* (quòd hæretici ad Ecclesiam redeuntes) *per manûs impositionem Spiritum sanctum accipiant, et sic recipiantur; cùm manifestum sit utroque sacramento debere eos renasci in Ecclesiâ catholicâ.*

2° Ex auctore anonymo, qui Cypriano æqualis aut suppar fuit, in tractatu de Baptismo adversùs eumdem Cyprianum, ubi quæstionem controversam ita proponit : *Utrùm vetustissimâ consuetudine ac traditione ecclesiasticâ post illum, quem foris quidem, sed in nomine Jesu Christi dominicum acceperunt Baptismum, tantummodò imponi eis manus ab episcopo ad accipiendum Spiritum sanctum sufficeret: an verò etiam iteratum Baptisma his necessarium esset, perinde ac si nunquàm baptizati in nomine Jesu Christi forent.* Vetustissima igitur hæc erat consuetudo, ac traditio ecclesiastica, ut hæreticis extra Ecclesiam validè baptizatis tantummodò manus ab episcopo imponeretur ad accipiendum Spiritum sanctum.

3° Ex concilio Arelatensi I, quod canone 8 statuit Donatistas, qui in nomine Trinitatis baptizati fuerint, admitti per manûs impositionem : *Manus ei tantùm imponatur, et accipiat Spiritum sanctum.*

4° Ex aliis auctoribus, qui quatuor primis seculis in occidentali ecclesiâ floruerunt, quorum nullus est, qui chrismationis, per quam hæretici admitterentur, meminerit.

ASSERTIO II. — Hinc usum, quo hæretici per solam manuum impositionem admitterentur, ecclesia Romana constanter retinuit.

Constat illud ex Romanis pontificibus.

1° Ex Siricio, ep. 1, c. 1, qui ab Himerio, Tarraconensi episcopo, consultus, utrùm Ariani ad catholicam Ecclesiam redeuntes essent baptizandi, ita respondit : *Baptizatos ab impiis Arianis, nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritûs, episcopalis manûs impositione, Catholicorum conventui sociamus. Quod etiam totus oriens, occidensque custodit.* Et epist. 4, c. 8 : *Venientes à Novatianis vel Montensibus per manûs impositionem* (illam scilicet, quam in epist. 1, dixit *esse invocationem septiformis Spiritûs*) *suscipiantur, præter eos quos rebaptizant.*

2° Ex Innocentio, epist. 2, c. 8 : *Venientes à Novatianis vel Montensibus per manûs tantùm impositionem suscipiantur,* etc. Et epist. 22, c. 4 : *Nostræ lex est ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manûs impositionem, laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatûs honorem vel exiguum subrogare.* Observa, quæ tunc lex esset ecclesiæ Romanæ.

3° Ex Leone Magno, epist. 37 ad Leonem Ravennatem, c. 2 : *Si ab hæreticis baptizatum fuisse quempiam constiterit, erga hunc nullatenùs sacramentum regenerationis iteretur; sed hoc tantùm, quod ibi defuit, conferatur, ut per episcopalem manûs impositionem virtutem sancti Spiritûs consequatur.* Loquitur generatim de quibuscumque hæreticis. Epistolâ verò 79 ad Nicetam, c. 6 et 7, hoc discrimen statuit inter hæreticos, qui in catholicâ fide baptizati ad hæresim transierunt, et eos qui in ipsâ fide baptizati sunt, quòd illi per manûs impositionem in pœnitentiam, isti per manuum impositionem in Spiritum sanctum admitti debeant. *Nam hi,* inquit, *qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cùm baptizati antea non fuissent, solâ invocatione Spiritûs sancti, per impositionem manuum confirmandi sunt.* Loquitur ibidem de quibuslibet hæreticis. Denique, epist. 92, inquisit. 18, à Rustico, Narbonensi episcopo, interrogatus, *de his qui in Africâ vel Mauritaniâ venerunt, et nesciunt in quâ sectâ sint baptizati, quid circa eos debeat observari;* ita respondet : *Non se isti baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerint, qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur. Unde quolibet modo formam Baptismatis acceperint, baptizandi non sunt; sed per manûs impositionem, invocatâ virtute Spiritûs sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.* Hæreticos igitur ritè, cujuslibet sectæ fuerint, ecclesia Romana, per manûs impositionem in Spiritum sanctum admittebat.

4° Ex Vigilio, epist. 2, qui ab Eutherio consultus, quomodò ii suscipiendi essent, *qui Baptismatis gratiâ salutaris acceptâ, apud Arianos iterùm baptizati fuerant :* postquàm variis authenticis seu decretis, è Ro-

mano scrinio petitis, examinavit, *quid per singulos ordines, vel ætates antecessorum suorum decreta censuerunt*, respondet *eorum reconciliationem faciendam, non per illam impositionem, quæ per invocationem sancti Spiritûs fit, sed per illam quâ pœnitentiæ fructus acquiritur, et sanctæ communionis restitutio perficitur*. Duas ille, ut apparet, manuum impositiones distinguit; *alteram, quâ invocatur sanctus Spiritus; alteram, quâ pœnitentiæ fructus acquiritur, et sanctæ communionis restitutio perficitur*. Per primam vult admitti Arianos extra Ecclesiam baptizatos; per secundam Arianos, qui à fide catholicâ deficientes, ab Arianis iterùm baptizati fuerant.

5° Ex Gregorio Magno, lib. 9, epist. 71. Quirinus aliique Hiberniæ episcopi, Gregorium consuluerunt, utrùm Nestoriani, *cùm ad catholicam Ecclesiam revertuntur, debeant baptizari, an certè solius veræ fidei confessione, ejusdem matris Ecclesiæ visceribus adjungi*. Inde verò maximus ille pontifex occasionem sumens enarrandi omnes recipiendorum in Ecclesiâ hæreticorum modos, et antiquos et suo tempore usurpatos, ita respondet: *Et quidem ab antiquâ patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim, in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manûs, aut solâ professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manûs occidens, per unctionem verò sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ catholicæ oriens reformat: Monophysitas verò et alios ex solâ verâ confessione recipit: quia sanctum Baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impositionem manûs Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti*. Quibus verbis Gregorius quatuor præstat, primum quidem observat differentiam in hâc causâ orientis ab occidente circa hæreticos in ipsâ hæresi validè baptizatos; 2° illos ait tribus modis admitti solitos, per manûs impositionem, per unctionem, et per solam fidei professionem; 3° notat eamdem esse uniuscujusque modi virtutem; 4° tres illos modos *ab antiquâ Patrum institutione* derivâsse, et Gregorii ætate jam antiquos esse. De manuum impositione id constat ex dictis; constabit ex dicendis de chrismatis unctione, quam in Galliis seculo V et in oriente seculo IV institutam videbimus. Denique susceptionem quorumdam hæreticorum ante Gregorium jamdudùm factam fuisse per solam fidei professionem, constat ex Nestorianis, Pelagianis, Eutychianis, Severianis, Monothelitis, Iconoclastis, aliisque similibus hæreticis post tertiam synodum œcumenicam exortis, qui per solam hæreseos abjurationem in Ecclesiam admissi sunt. Quin etiam Leo Magnus, epist. 86, Nicetam, Aquileiensem episcopum, redarguit, quòd Pelagianos et Cœlestianos absque erroris ejuratione et fidei professione susciperet. Indulgentiores erant ecclesiæ in illis hæreticis ad suam communionem admittendis. Nunc verò ad secundam propositionem nostram redeamus. Hæc igitur,

6° Probatur ex Zachariâ, in ep. 6 ad Bonifacium: *Tua benè compertum habet sancta fraternitas, quòd quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, nullo modo baptizari debet, sed per solam manûs impositionem purgari*.

7° Ex pseudo-Damaso, in Vitâ Eusebii: *Hic hæreticos invenit in urbe Româ, quos solâ manuum impositione reconciliavit*.

8° Ex pseuso-Eusebio, initio epistolæ 1: *Scitote nos eos, qui in sanctæ Trinitatis fide baptizati sunt, per impositionem manûs suscipere*. Et in fine epistolæ 3: *Hæreticos omnes, quicumque Dei gratiâ convertuntur et in sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ ecclesiæ regulam tenentes, per manûs impositionem reconciliari præcipimus. Manûs quoque impositionis sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quòd ab aliis perfici non potest, quàm à summis sacerdotibus: nec tempore apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis apostolis legitur aut scitur peractum esse: neque ab aliis, quàm ab illis, qui eorum locum tenent, unquàm perfici potest, aut fieri debet: nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica unquàm reputabitur sacramenta*. Observa quænam esset Romanæ ecclesiæ regula seculo VIII.

9° Ex codice Siculo, qui ex Cassinensi bibliothecâ Romam ad eminentissimum cardinalem Franciscum Barberinum anno 1641 allatus est, quique ante sexcentos et ampliùs annos scriptus est charactere Longobardico, ex Lucâ Holstenio, Barberinæ bibliothecæ præfecto, in litteris ad Joannem Morinum, datis eodem anno 1641, 4 kalendas martii. In hoc manuscripto duæ exstant orationes, ubi de reconciliatione hæreticorum, quarum alteri præfixus est hic titulus: *Reconciliatio cum impositione manuum redeunti ab Arianis*: alteri verò iste: *Benedictio cum impositione manuum super eos qui de diversis hæresibus veniunt*.

Ex iis omnibus evidenter colligitur canonem illum B. Sylvestro non rectè adscriptum fuisse in secundæ synodi Romanæ epilogo: *Sylvester constituit ut presbyterum Arianum nemo susciperet, nisi episcopus ejusdem loci eum reconciliaret et sacrosancto chrismate per episcopalis manûs impositionem sancti Spiritûs gratiâ, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret*. Hic ritus Galliæ, Hispaniæ aut alicujus peculiaris provinciæ Italicæ proprius est, non ecclesiæ Romanæ. De suppositione illius synodi ejusque epilogi disseruimus supra.

Assertio III. — Ecclesiæ Romanæ consuetudinem aliquandiù imitata est Gallicana ecclesia.

Hinc synodus Arelatensis prima, de quâ supra, can. 1, decernit Donatistas validè baptizatos admitti per solam manûs impositionem. Hinc Eutherius, ultimâ quæstione in Acta apostolorum: *Ab hæreticis venientes non baptizantur à nobis, si baptizatos constat in nomine Trinitatis, nisi impositio tantùm manûs ad fidem rectam conversis adhibetur, ut per hanc Spiritûs suscipiatur infusio*.

Assertio IV. — In Galliis tamen seculo V manuum impositioni addi cœpit chrismatis unctio.

Istud videre est in concilio Arausicano 1, can. 1 : *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit episcopus, à presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placuit.* 2° In concilio Arelatensi II, can. 17, *Bonosiacos ex eodem* (Photinianorum seu Paulianistarum) *errore venientes, quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manûs impositione in Ecclesiâ recipi sufficit.* 3° Apud Faustum, episcopum Regiensem, lib. 1 de Libero Arbitrio, cap. 15, *Hæretico in nomine Trinitatis regenerato, tantùm per se virtus ipsa mysterii confert, ut si postmodùm ad fidem Christi transeat, Baptismatis iteratione non egeat; sed ita operante gratiâ ablutus judicetur, ut benedictione tantùm chrismatis induatur.* 4° Apud Gennadium, presbyterum Massiliensem, de Eccles. Dogmatibus, cap. 52 : *Si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, et veniunt ad nos, recipiantur quidem ut baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio vel confessio annulletur : sed doceantur ante et instruantur, quo sensu sanctæ Trinitatis mysterium in Ecclesiâ teneatur : et si consentiunt credere, vel acquiescunt confiteri, purgati jam fidei integritate, confirmentur manûs impositione. Si verò parvuli sunt vel hebetes qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos offerunt juxta morem baptizandi : et sic manûs impositione communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur. Illos autem, qui non in sanctæ Trinitatis invocatione apud hæreticos baptizati sunt, et veniunt ad nos, baptizari debere pronuntiamus.* Hæreticos ille dividit in duo genera, quorum alii validè, alii invalidè baptizati sunt : et sub priori genere comprehendit quoslibet hæreticos validè baptizatos. 5° In concilio Epaonensi, can. 16 : *Presbyteros propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis et decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petunt, chrismate permittimus subvenire : quod omnes conversuri, si sani sunt, ab episcopo noverint expetendum.* 6° Apud Gregorium Turonensem, qui plura et illustria Arianorum ad fidem conversorum exempla refert in Historiâ suâ : Lanthildis, Clodovæi regis soror, quæ in hæresim Arianorum dilapsa fuerat, *confessa æqualem Filium Patri et Spiritum sanctum, chrismata est* : ex libro 2, cap. 31. Gundobaldus Burgundiorum rex, *cùm cognovisset assertiones hæreticorum nihil esse à S. Avito episcopo Viennensi, Christum Filium Dei et Spiritum sanctum æqualem confessus, clam, ut chrismaretur, expetiit :* ex libro 2, cap. 34. Brunechildis, Athanagildi Hispaniæ regis filia, nupta Sigeberto, *per prædicationem sacerdotum, atque ipsius regis communionem* (fortè commonitionem) *conversa, beatam in unitate confessa Trinitatem credidit, atque chrismata est :* ex libro 4, cap. 26. Glassuintha, Brunechildis soror primogenita, antequàm Chilperico regi, fratri Sigeberti nuberet, *jam in lege catholicâ conversa fuerat et chrismata :* ex libro 4, cap. 27.

Denique Walafridius Strabo, lib. de Rebus eccl., cap. 26, sic habet : *Quicumque vel ab hæreticis in Trinitate baptizantibus, vel ab alio quolibet homine, sub appellatione legitimâ ejusdem sanctæ Trinitatis fuerit baptizatus, rebaptizari non debet; sed chrismate et manûs impositione, quod imperfectum erat, perfici debet.* Hoc in canonibus et decretis Patrum frequens habetur. Omnes prorsùs hæreticos validè baptizatos Gallicana ecclesia per manûs impositionem, et chrismatis unctionem suscepisse mihi videtur; quâ in re ab Ecclesiâ Romanâ semel et iterùm differebat, quæ Gregorii Magni ætate ex illis hæreticis alios per manûs impositionem sive chrismationem admittebat, alios per solam fidei professionem.

ASSERTIO V. — È Galliis mos ille transiisse videtur ad Hispanias.

Hinc Isidorus, lib. 2 de divinis Officiis, cap. 24 : *Hæretici, si tamen in Patris, Filii, et Spiritûs sancti attestatione docentur baptisma suscepisse, non iterùm baptizandi, sed solo chrismate et manûs impositione purgandi.* Cujus moris illustria sunt exempla, quæ Isidori seculo contigerunt, ut Herminichildi, regis Gothorum in Hispaniâ filii, qui, ut refert Gregorius Turonensis, lib. 5, cap. 38, Ingundis, Sigiberti regis filiæ, conjugis suæ, prædicatione *conversus est ad legem catholicam et dùm chrismaretur, Joannes est vocatus* : Recharedi regis, qui (ut Gregorius idem narrat, lib. 9, cap. 15) cùm Arianus esset, *se catholicæ legi subdidit, et accepto signaculo beatæ crucis cum chrismatis unctione, credidit Jesum Christum Filium Dei æqualem:* Catharici, regis Suevorum in Gallecià, de quo idem Gregorius, de Miraculis S. Martini, lib. 1, cap. 6 : *Rex unitatem Patris, et Filii, et Spiritûs sancti confessus, cum omni domo suâ chrismatus est :* gentium denique Gothicarum, quæ (inquit Recharedus in longâ oratione, quam ad concilium Toletanum III habuit) *deterso antiquo errore per unctionem sacrosancti chrismatis, vel manûs impositionem paracletum intra Dei Ecclesiam acceperunt Spiritum, ejusque dono in sinu Ecclesiæ catholicæ collocatæ sunt :* ubi particula *vel* non est eo loco disjunctiva, quâ de re supra, parte 1.

Concilium quidem Hispalense II, cui præfuit Isidorus, nullam, capite 2, mentionem unctionis expressam facit : *Nec licet presbyteris*, inquit, *per impositionem manûs fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Spiritum paracletum tradere.*

Verùm hæc synodus interpretanda est per Isidorum illius præsidem, et Gregorium Turonensem, qui testantur seculo VII hæreticos in Hispaniâ per unctionem et manûs impositionem admissos. Manûs igitur impositio, de quâ concilium, non excludit unctionem, sed illam connexam habebat.

§ 5. *Quomodò hæretici foris validè baptizati et confirmati admitterentur in Oriente.*

ASSERTIO PRIMA. — Quatuor primis Ecclesiæ seculis orientalis ecclesia ad Laodicenam usque synodum hæreticos illos admisisse videtur per solam manuum impositionem.

Firmilianus, Cæsareæ in Cappadociâ episcopus, in epistolâ ad Cyprianum, sæpè commemorat manuum impositionem in Spiritum sanctum, docetque hæreticis post Baptisma repetitum imponendas esse manus

sed unctionis non meminit. Hinc Dionysius, Alexandrinus episcopus, apud Eusebium, lib. 7, cap. 2, referens controversiam inter Cyprianum et Stephanum papam, nullius unctionis mentionem facit, sed solius Baptismi et manûs impositionis : *Quæstione haud modicâ*, inquit, *tum temporis motâ, an debeant qui ex quâvis hæresi convertuntur, Baptismate repurgari, cùm priscus mos esset, solâ oratione erga illos cum impositione manuum uti.* Hinc synodus Nicæna I, can. 8, decernit Catharos seu Novatianos in Ecclesiam admitti, *impositis eis manibus.* Licèt autem de solis Novatianis loquatur, idem tamen innuit de cæteris hæreticis validè baptizatis ; Ariani enim et alii eodem ritu, quo Novatiani, admittebantur, ex Siricio et Innocentio I, locis supra citatis.

Assertio II.— Synodus Laodicena, omnium prima, meminit unctionis, cap. 7, quo jubet Novatianos et Thessaradecatitas hæresis suæ abjuratione, *fidei symbola discentes, et sancto chrismate inunctos, sanctis mysteriis communicare.*

Quo tempore celebrata fuerit hæc synodus, dubitatur. Baronius et Spondanus ad annum 314, et Binius ad hunc canonem, Neocæsariensi quidem posteriorem, Nicænâ verò anteriorem faciunt. 1° Quia ex Hieronymo, præfatione in librum Judith, hunc librum synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computare; qui tamen in serie Scripturæ à Patribus Laodicenis, can. 6, omissus est : quod minimè contigisset, si eum Nicæni ante approbâssent. 2° *Cùm reperiantur quinque canones Laodiceni concilii* (videlicet 3, 5, 7, 12 et 20) *eadem omninò continere quæ in Nicæno statuta sunt* (can. 2, 7, 8, 14 et 18), *nec in eis ulla habeatur mentio Nicæni eadem statuentis, argumentum est ea priùs Laodiceæ decreta fuisse : si quidem vel non oportuerat ea paulò post iterùm sanciri à provinciali concilio, quæ nuper decreta fuerant in œcumenico ; vel saltem ad majorem euis legibus auctoritatem conciliandam, debuerant Patres meminisse Nicænorum canonum ; sicut in aliis conciliis factum esse reperitur, et in hoc ipso Laodiceno servatum, dùm can. 1 decretum est, bigamos debere ad breve tempus pœnitere idque secundùm ecclesiasticum canonem, nempe canonem 3 concilii Neocæsariensis, unde manifestum est, concilium Laodicenum celebratum fuisse post Neocæsariense.* Hactenùs Spondanus ad an. 314, n. 13. Verùm hæ duæ rationes illustrissimi annalium conditoris parùm efficaces mihi videntur.

Prior quidem nihil concludit; quia vox illa, *legitur*, quâ ibi utitur Hieronymus, de aliquo intelligitur scriptore, cui fortassè nullam, vel levem fidem ille adhibebat; ipse enim librum Judith excludit à canone divinarum Scripturarum, ut videre est in prologo Galeato, ubi ait, librum Judith apocryphum esse, perinde ac librum, quem commemorat, *pastoris*, et in cap. 1 Aggæi, ubi librum Judith expungit à serie divinorum librorum : hoc idem repetit, epist. 11 ad Furiam, et in epist. 115, hanc mentem universæ attribuit Ecclesiæ : *Judith et Tobiæ, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit.* Similiter Athanasius, in Synopsi, quam post plures à concilio Nicæno annos edidit, libros Judith, Tobiæ, Sapientiæ, et Ecclesiastici declarat minimè divinos seu canonicos esse, subjicitque eam ob rem non legi à fidelibus. Gregorius quoque Nazianzenus, in suo de sacris Scripturis carmine, non recenset in illarum serie Judith, Tobiam, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos et Apocalypsim : suoque catalogo ita subjungit : *Si quis profertur alius liber ab his recensitis, non est germanus.* Ruffinus pariter, Nicænâ synodo longè posterior, in Symbolum apostolorum, sacris libris non recenset librum Judith et alios quosdam, quia illis ab Ecclesiâ non fuerunt adscripti. Non igitur Nicænum, sed posteriora Ecclesiæ concilia libro Judith divinam adjudicârunt auctoritatem.

Posterior autem ratio levior est, ejusque levitas deprehenditur non modò ex pluribus conciliis posterioribus, quæ priorum sanctiones, nullâ eorum factâ mentione, innovant; sed etiam ex ipso concilio Laodiceno, quod canone 3 ita decernit : *Non oportet neophytum promoveri ad ordinem sacerdotalem :* neque canonis hujus confirmandi gratiâ, Pauli idipsum statuentis auctoritatem, canonibus certè Nicænis majorem, adducit.

Laodicenum igitur concilium Nicæno posterius esse mihi constat, 1° ex antiquissimo codice canonum, quo Romana utebatur ecclesia, priusquàm Dionysius Exiguus suam compilâsset collectionem; sive existimes illum codicem, eum esse quem Justellus, sive eum ipsum quem postea Quesnellus in lucem edidit. 2° Ex synodo Quinisextâ, in quâ texitur ille conciliorum ordo : *Confirmamus et cæteros sanctorum canones et synodos, id est, Nicænam, Ancyranam, Neocæsariensem, Gangrensem, Antiochenam, Laodicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam primam*, etc. 3° Ex Leone IV, qui, in epistolâ ad episcopos Britanniæ, Laodicenam synodum mediam inserit inter Antiochenam et Constantinopolitanam. 4° Ex Alexio Aristeno et Simeone Logothetâ, qui in Synopsi canonum, Laodicenam synodum post Antiochenam et ante Constantinopolitanam abbreviant. 5° Ex accuratiore Dionysii editione, necnon ex Isidorianâ et aliis omnibus posterioribus.

Mitto rationem ex canone 7 Laodiceno petitam, ubi mentio fit Photinianæ hæreseos, non nisi post Nicænum concilium exortæ. Illam enim in hunc canonem irrepsisse ostendimus supra, § 2.

Quo verò anno hæc synodus habita fuerit, facilè non judicabis; Gratianus, dist. 16, cap. 11, eam revocat ad tempora Theodosii episcopi Laodicensis, qui Nicænæ synodo subscripsit. Verùm ille fuit episcopus Laodiceæ Syriæ; synodus verò de quâ nunc agimus, coacta est Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ. Labbæus refert in annum 357 sub Liberio; alii ad annum 364 sub eodem Liberio ; alii ad annum 367 sub Damaso. Petrus de Marcâ, lib. 3 de Concord., cap. 3, n. 1, putat in annum 365 conjici posse : illo etenim anno synodus habebatur ab episcopis Asianæ diœceseos, ad quos litteras suas et synodicam Illiriciani concilii Va-

lentinus imperator transmisit, cum hâc epigraphe, apud Theodoretum, lib. 4, c. 8 : *Episcopis diœcesis Asianæ, Phrygiæ, Cataphrygiæ, Pacatianæ.* Synodus verò Laodicena *ex diversis Asiæ provinciis congregata est Laodiceæ quæ est urbs metropolis Phrygiæ Pacatianæ ;* ut testatur inscriptio synodi.

ASSERTIO III. — A synodo igitur Laodicenâ orientis Ecclesia in illis hæreticis admittendis unctionem adhibuit.

Auctor quæstionum et responsionum ad orthodoxos, inter opera Justini martyris, quæst. 14, interrogatus, cur hæreticus ad orthodoxiam rediens, non rebaptizetur; respondet : *Hæretici ad orthodoxiam transeuntis lapsus corrigitur, pravæ quidem opinionis, mutatione sententiæ; Baptismi autem, unguenti sancti unctione.*

Basilius, in epistolâ canonicâ ad Amphilochium, can. 1, interrogatus de modo suscipiendi eos, qui ab Ecclesiâ separati sunt, respondet illos ab antiquis ad tria genera revocari, hæreses, schismata, et parasynagogas. *Hæreses quidem ait esse eos, qui omninò abrupti sunt, et secundam ipsam fidem abalienati : schismata autem, eos qui propter aliquas ecclesiasticas causas et medicabiles quæstiones inter se dissident : parasynagogas verò, congregationes quæ fiunt à rebellibus presbyteris, vel episcopis, et indoctâ plebe.* Primi generis exemplum proponit, *Manichæos, Valentinos, Marcionitas et Pepuzenos :* secundi verò, *Catharos, Encratitas, Hydroparastatas et Apotactitas :* tertii generis, *veluti cùm quis criminis convictus, ideòque sacro ministerio prohibitus, canonibus non se subjicit, sed sibi præsulatum, et ministerium vindicat, et quidam unà cum eo secedunt, relictâ Ecclesiâ catholicâ.* Primi generis ait rebaptizandos, quia *in formâ nobis traditâ minimè baptizati sunt.* De secundo genere, ait ab antiquis dubitatum, utrùm illi per Baptismatis innovationem pariter essent suscipiendi. Ipse verò licèt Cypriani et Firmiliani sententiæ adhæreat, permittit, *unumquemque regionis suæ morem sequi,* et propter multorum œconomiam et dispensationem, eorum hæreticorum *baptisma suscipi,* eâ tamen lege, *ut qui ex illorum baptismo accedunt, ungantur à fidelibus, et sic mysteriis participent.* Denique tertium genus vult *convenienti pœnitentiâ suscipi.*

Secunda synodus œcumenica, can. 7, hæreticos foris baptizatos in duas classes dividit : alii enim validum, alii invalidum Baptisma susceperunt; in primâ classe ponit Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quartodecimanos, et Apollinaristas : in secundâ *Eunomianos, Montanistas, Sabellianos, et alias hæreses.* Primæ classis ex subjectâ consuetudine recipiebantur, primùm quidem *dantes libellos, et omnem hæresim anathematizantes;* deinde *sigillo* eos episcopus signabat, *idem ungebat sancto unguento, et frontem et oculos, et nares, et os, et aures; eosque consignans dicebat : Signaculum doni Spiritûs sancti.* Secundæ verò classis per iterationem Baptismi.

Canon ille septimus describitur integer, et admittitur in Trullanâ synodo, can. 95.

Ritus eodem illo canone septimo comprehensus præscribitur, lib. 4 Juris orientalis, pag. 290, ubi legitur epistola anonymi cujusdam patriarchæ Constantinopolitani, ad Martyrium, episcopum Antiochenum, in quâ explicatur, *quo pacto sint recipiendi hæretici ad sanctam universalem Ecclesiam redeuntes :* alii enim catechumeni fiunt, exorcismis purgantur, et baptizantur; alii dant libellos; hæresim suam et omnem aliam anathematizant, unguento sacro unguntur, frons, nares, pectus, *et omnes sensus;* atque inter ungendum dicitur : *Signaculum donationis Spiritûs sancti.*

Exstat lib. 5 ejusdem Juris Orientalis, Balsamonis responsio ad interrogationem 29 Marci patriarchæ Alexandrini, quærentis, quâ ratione Nestoriani, Jacobitæ et alii hæretici recipi debeant. Balsamon verò nihil aliud illi quàm Trullanum canonem 95 proponit, ex quo hæc infert : *Itaque juxta canonis hujus tenorem, alii quidem hæretici lavacro sanctificantur ; alii autem sacro duntaxat unguento consecrantur :* Alexius Aristenus qui florebat anno 1130, imperante Alexio Comneno, ad canonem 8 Nicæni concilii, triplicem hæreticorum reconciliationem distinguit; alii baptizantur, alii chrismate unguntur, alii solùm anathematizant hæresim ; Novatianos verò, de quibus Nicænus canon, ad secundam classem revocat.

Idem ante Aristenum docuerat Theodorus Studita, celeberrimus ille Christi confessor et sacrarum imaginum defensor, qui obiit, Michaele Balbo imperante, anno 826. Interrogatus ille à Naucratio, quâ ratione hæretici in Ecclesiam admitterentur, tres modos refert; alii enim baptizantur, alii unguntur, alii nec baptizantur, nec unguntur : *Baptizantur Marcionitæ, Tascodrugitæ, Manichæi, et quæ sunt ejusdem ordinis, usque ad Melchisedechitas viginti quinque hæreses : inunguntur autem sacro chrismate, Tetraditæ, Novatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ, simul quinque; qui verò nec baptizantur, nec unguntur, sed solùm propriam, et omnem aliam hæresim anathematizant ; Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, et Acephali.* Ita Theodorus, in epistolâ 4 ad Naucratium : cujus fragmentum exstat tomo 2 Bibliothecæ Patrum, pag. 739, et tomo 3, pag. 161. Hos ipsos tres recipiendorum hæreticorum modos, ante Theodorum tradiderant tria euchologia, Barberinum sancti Marci, Cryptoferratense, et regium, de quibus supra, parte 1 : *Eunomianos unicâ immersione baptizatos, et Montanistas, et Manichæos et Sabellianos, cunctosque tales hæreticos, velut gentiles recipimus illosque baptizamus.... Arianos, et Macedonianos, et Tessaradecatitas, et Apollinaritas, cùm dederint libellos, et suscipimus, et ungimus chrismate,* etc.... *Nestorianos verò et Eutychianistas oportet libellos proferre, et propriam hæresim anathematizare, et Nestorium, et Eutychem, et Dioscorum, et qui eadem, quæ illi, sentiunt, et omnes supradictas hæreses : et sic fieri sanctæ communionis participes.* Quæ quidem postremæ phrases, cùm eædem sint, quibus canon 95 in Trullo desinit, apertè innuunt in hoc canone mentionem fieri, non solùm de duobus, ut vult

Balsamon, sed etiam de tribus hæreticorum generibus, quorum alii baptizantur, ut *Paulianistæ, Sabelliani et Montanistæ* : alii duntaxat inunguntur sacro chrismate, ut *Ariani, Macedoniani, Novatiani, Quartodecimani, et Apollinaristæ : alii hæresim suam anathematizant, et Nestorium, et Dioscorum, et Severum, et qui eadem, quæ illi, sentiunt, et omnes prædictas hæreses; et sic fiunt sanctæ communionis participes,* ut Manichæi et Acephali.

Denique tres illos suscipiendi modos ante synodum Trullanam recensuit Timotheus presbyter, qui deinde ad sedem Constantinopolitanam evectus est ad annum 500, si tamen ejus sit opusculum, seu fragmentum, quod refertur, tomo 6 Biblioth. Patrum, p. 407. In illo hæretici *in tres ordines* dividuntur, *primus quidem eorum est, qui sancto Baptismate indigent, ut Tascodrugitæ, Marcionitæ*, etc., de quibus supra, § 2. *Secundus eorum qui non baptizantur, sed sancto chrismate inunguntur, ut Tetraditæ, Novatiani, seu Sabbatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ. Tertius eorum, qui neque unguntur, neque baptizantur, sed solùm suam et omnem aliam hæresim anathematizant, ut Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, et eorum socius Dioscorus, Severus, Jacobus, et reliqui Acephali : Marcianitæ qui à Marciano Trapezitâ; Messaliani, qui etiam Euchitæ, et Enthusiastæ et Choreutæ : Lampetiani, Adelphiani, et Eustachiani, Aposchitæ, qui et Doxarii, et Antroprosceptæ.*

Fragmentum illud Timotheo, patriarchæ Constantinopolitano, tribuunt Antonius Possevinus, in Apparatu, verbo, *Timotheus*, qui omnium primus illud edidit : Franciscus Turrianus, qui opus integrum nactus, illud fecit Latinum : Jacobus Goarius in Euchologio, pag. 889, qui illud scriptum existimat circa annum 480. Morinus contra, lib. 9 de Pœnit., c. 12, n. 8, illud vult exaratum post absolutam synodum in Trullo, et ante exortam Iconoclastarum hæresim, quia hujus hæreseos non meminit; quare illud, ex mente Morini, intra annos 680 et 750 conjiciendum esset.

Verùm illud fragmentum non solùm ipsâ synodo Trullanâ, quod Morino placuit, sed et ipsâ Theodori Studitæ epistolâ ad Naucratium posterius mihi videtur. Enim verò utrobique hæretici dividuntur in tres ordines; hæretici verò qui debent iterùm baptizari iidem sunt prorsùs in fragmento, qui in epistolâ Theodori; neque pauci, sed viginti quinque numero referuntur. Eos igitur Theodorus ex Timotheo, vel ex Theodoro Timotheus descripsit. Atqui Theodorus testatur se illos ex variis capitibus Epiphanii decerpsisse. Præterea utrobique iidem hæretici numero viginti quinque recensentur, qui debent tantùm inungi; 3° Hæretici, qui per solam hæreseos ejurationem admitti debent, iidem utrobique, iisdemque terminis enumerantur : *Qui verò*, inquit Theodorus, *nec baptizantur, nec unguntur, sed solùm propriam et omnem aliam hæresim anathematizant, Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, et Acephali, qui neque unguntur* (inquit auctor Fragmenti), *neque baptizantur, sed solùm propriam et omnem aliam hæresim anathematizant, ut Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ et eorum socius Dioscorus, Severus, Jacobus, et reliqui Acephali : Marcianitæ*, etc. Fragmenti igitur auctor epistolam Theodori, vel Theodorus fragmentum illud legerat. Præterea quæcumque in Theodori epistolâ referuntur, leguntur in fragmento : contra, plura sunt hæreticorum nomina in fragmento, quàm in epistolâ : fragmentum igitur epistolâ posterius sit oportet. 4° Theodorus in suâ epistolâ refert, ætate suâ Meletianos, Nestorianos, Eutychianistas, et Acephalos non ungi, sed per solam erroris ejurationem suscipi : auctor verò fragmenti refert illos ætate suâ inungi, et priorem consuetudinem *nuper* immutatam fuisse : *Jam verò videmus in magnis et universalibus ecclesiis, seu patriarchalibus et metropolitanis, et reliquis, quod et Armenios, et Jacobitas, et Nestorianos, et reliquos Acephalos, et quicumque eis similes ad fidem orthodoxam convertuntur, inungunt et non baptizant, eorum solùm duces auctoresque anathematizantes, et hoc propter justas causas nuper necessariò constitutum est.* Scripsit igitur auctor ille post Theodorum. Neque urget Morini ratio, alioquin simili argumento probaretur, Theodorum Studitam, ante natam Iconoclastarum hæresim scripsisse ad Naucratium; cùm nullam eorum mentionem in hâc epistolâ fecerit.

Assertio IV. — Triplicem igitur hanc hæreticorum reconciliationem sequenti modo et ordine invectam existimo.

Primùm quidem synodus II œcumenica, canone 7, decrevit hæreticos omnes suscipi per Baptismatis innovationem, vel unctionem chrismatis; eaque consuetudo viguit ad tertiam usque synodum œcumenicam. Exortos deinde hæreticos Ecclesia, ut erga illos indulgentiorem se præberet, suscipi permisit per solam erroris ejurationem, fideique professionem, clericis eorum ad fidem redeuntibus, concesso gradu et ordine, quem hæretici priores admittebant. Hinc Nestoriani, Pelagiani, Eutychiani, Severiani, Jacobitæ, et reliqui Acephali, Monothelitæ, Iconoclastæ, aliique hæretici post synodum III œcumenicam exorti, per solam fidei professionem in Ecclesiam admissi sunt. Morem illum Trullana synodus canone 95 confirmavit, statuens ex hæreticis alios per Baptismatis innovationem, alios per unctionem chrismatis, alios per hæreseos detestationem suscipi. Hanc disciplinam Græci tribus illis euchologiis, de quibus supra, inseruerunt. Eamdem præscripsit Theodorus Studita, in epistolâ ad Naucratium. Mutata est deinde hæc consuetudo. *Nuper* desierat ætate auctoris fragmenti Timotheo adscripti. Restituta videtur tempore Aristeni qui floruit anno 1150. Contempta vel neglecta saltem videtur ætate Balsamonis, qui vixit Gregorio Xiphilino patriarchâ Constantinopolitano, cui dedicavit suum opus. Xiphilinus autem sedere cœpit anno 1191, ex Baronio.

Assertio V. — Unctio illa per quam hæretici in

ecclesiâ orientali admittebantur, non excludebat manûs impositionem.

Hinc synodi Laodicena, can. 7, et Constantinopolitana I, can. 7, aiunt Novatianos per chrismatis unctionem admittendos, quos tamen Nicæna, can. 8, per manûs impositionem suscipiendos decernit. Hinc eadem synodus Constantinopolitana, eodem can. 7, Arianos aliosque hæreticos validè baptizatos vult admitti per chrismationem, quos tamen *in toto Oriente* per manûs impositionem suscipi testatur Syricius eidem synodo æqualis, in epist. 1 ad Himerium, c. 1. Hinc tria antiqua Græcorum euchologia, regium, Barberinum sancti Marci, et Cryptoferratense, utrumque ritum hæreticis validè baptizatis, cùm ad Ecclesiam redeunt, unctionem scilicet et manuum impositionem adhiberi præscribunt. Ut videre est § sequenti.

§ 6. *De ritibus et orationibus quibus hæc unctio, vel manûs impositio, in oriente et occidente fieret.*

Rituum et orationum, quibus hæc unctio vel manûs impositio, in occidente fieret super hæreticos, nullum vestigium exstat in Sacramentario Gregorii, aliisque Ritualibus, in Bibliothecâ Patrum editis. Duo sunt antiqui codices, qui de iis mentionem aliquam fecerunt, Petavianus, quem Thomasius Romæ nuper edidit; et Siculus qui in Francisci Barberini bibliothecâ ineditus asservatur. In priori codice, lib. 1, cap. seu num. 85 et 86, duæ referuntur orationes; altera pro Arianis, cap. 85, altera pro aliis hæreticis, cap. 86: utramque cum suis titulis hic describam: *Benedictio super eos qui de Arianâ ad catholicam redeunt unitatem. Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui dignatus es famulos et famulas tuas ab errore et mendacio hæreseos Arianæ eruere; et ad Ecclesiam tuam catholicam eos perducere: tu, Domine, mitte in eos Spiritum paracletum sanctum sapientiæ et intellectûs, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, et adimple eos, Domine, Spiritu Dei, in nomine Jesu Christi Dei Salvatoris nostri, per quem, et cum quo est tibi honor et gloria in secula seculorum. Amen.* Et cap. 86: *Item pro eis qui de diversis hæresibus veniunt. Sancte Pater, omnipotens Deus, qui famulum tuum ab errore hæreseon dignatus es eruere, et ad sanctam Ecclesiam catholicam revocare, quæsumus te, Domine, immitte in eum paracletum Spiritum tuum septiformem, Spiritum sapientiæ et intellectûs, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis: adimple famulum tuum Spiritu timoris Dei: per Dominum nostrum Jesum Christum.* Quæ quidem orationes illi omninò similes videntur quæ in eodem codice refertur ad Confirmationem administrandam: exstant et duæ orationes cum his duobus titulis in Siculo codice: *Reconciliatio cum impositione manuum redeunti ab Arianis. Domine Deus, Pater omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui dignatus es famulum tuum ab errore et mendactio hæreseos Arianæ eruere, et ad Ecclesiam tuam catholicam eum perducere: tu, Domine, mitte in eum, Spiritum paracletum sanctum sapientiæ et intellectûs, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, et adimple eum, Domine, Spiritu timoris Dei, ut in nomine Domini nostri Jesu Christi, et signo crucis signatus, pervenire mereatur ad vitam sine fine mansuram: per eumdem Dominum nostrum. Item benedictio cum impositione manuum super eos qui de diversis hæresibus veniunt. Sancte Pater, omnipotens Deus,* etc., ut in codice Petaviano.

Quod verò attinet ad orientalem ecclesiam, ritus et orationes quibus hæc unctio et manûs impositio in oriente adhiberetur accuratè nobis exhibent antiqua Euchologia, regium, Cryptoferratense, et Barberinum, quorum verba referunt, regii quidem, Petrus de Marcâ, notis ad can. 28 Claromontanum; Cryptoferratensis verò, Jacobus Goarius, in Euchologio, p. 885; et Barberini, Joannes Morinus, lib. 9 de Pœnit., c. 9, n. 13. Cùm similia sint in hoc capite, satis erit unius ex illis verba describere.

« Arianos quidem, et Macedonianos, et Sabbatianos, et Novatianos, et Tetraditas sive Quartodecimanos, et Apollinaristas recipimus, dantes libellos, et anathematizantes suam et omnem aliam hæresim, etc.; qui postea signantur, sive unguntur sacro unguento. Antea tamen quàm ad rectam fidem adducuntur, cùm tempus professionis instat, jejunare eos oportet dies decem aut quindecim, et mane et vespere orationibus incumbere, catechumenorum instar, et tunc hâc orthodoxâ fide digni censentur et imbuuntur. Collocat autem unumquemque eorum sacerdos coram divino baptisterio, ipsique hæc dicit: Dic anathema huic N. et dogmatibus ejus, et iis qui consentiunt ei, vel idem cum eo sapiunt. Abrenuntio enim illi, et omni hæretico dogmati, et credo in sanctam et consubstantialem Trinitatem, secundùm expositionem sanctorum Patrum qui verbum veritatis explicaverunt. Et ad singula respondet ille qui revertitur. Cætera persequitur sacerdos, et ter dicit: Credis in sanctam et consubstantialem Trinitatem? Et respondet qui revertitur: Credo. Si loqui nescit, ipsius susceptor respondet.

« Postea eo, qui revertitur, caput inclinante, sacerdos illius capiti manum imponens, hanc facit orationem. Deus, Servator noster, qui vis homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, suscipe hunc servum tuum ex errore resipiscentem et ad agnitionem veritatis accedere concupiscentem: tu enim dixisti, Domine: Alias quòque oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me reducere, et vocem meam audient et fient unum ovile, et unus pastor. Pasce illum sensu veræ tuæ cognitionis, juxta sanctorum tuorum et gloriosorum apostolorum expositionem: Et dignare illum signaculo divini unguenti, etc., et adventu Spiritûs sancti, et participatione venerandi corporis et sanguinis Christi: et ipsum redde perfectum servum tuum, ut et ipse ovili tuo connumeretur in gloriam et laudem magnitudinis tuæ. »

(Quæ sequuntur *exclamando* proferebantur, ex codice

Cryptoferratensi : unde sequitur hanc orationem altâ voce proferri solitam) « quia tuum est regnum, et « virtus, et gloria, Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, « nunc et semper, et in secula seculorum.

« Et ungit eum unguento, sicut et recens illumina- « tos (id est, neophytos), eamdem super ipsum for- « mulam proferens (videlicet : Signaculum doni Spi- « ritûs sancti) : atque iterùm deprecatur sacerdos, « dicens : Dominum deprecemur. Domine. Deus no- « ster, qui dignatus es perfectum reddere servum « tuum per orthodoxam in te fidem, et signaculum « sancti mysterii tui : tu, Domine omnium, conserva « in eo veram in te fidem, adaugens in eo justitiam, « eumque donis omnibus et gratiis, quæ à te pro- « fluunt, exornans.

« Post hæc communicat, et mandata recipit, septem « illis diebus carnem non comedere, neque vultum « lavare ; sed ut baptizati solent, ita omninò se gerere : « et octavâ die abluitur, » seu ablutus dimittitur. Ita Euchologium Barberinum sancti Marci : idem habetur in regio et Cryptoferratensi. Post hæc subjicitur Nestorianos et Eutychianistas per hæreseos detestationem : Eunomianos autem, Montanistas, Manichæos, et Sabellianos per innovationem Baptismi suscipiendos esse. Unde apparet hanc formulam longè antiquiorem esse utroque Euchologio, Barberino et regio ; cùm recentiores hæretici, quorum, illa meminit, sint Eutychiani, qui in concilio Chalcedonensi damnati sunt ; nullorumque hæreticorum Eutychianis posteriorum mentionem faciat.

§ 7. *Utrùm manuum impositio, seu chrismatis unctio per quam hæretici in ipsâ hæresi, validè baptizati, imò et confirmati, in Ecclesiam admitterentur, Confirmationis esset sacramentum.*

Quæstio hæc agitata fuit in concilio Rothomagensi, anno 1581, quemadmodùm apparet ex sextâ difficultate summo Pontifici propositâ. Cùm enim quæsitum esset *an, redeuntibus ad Ecclesiam Calvinistis, omnes cæremoniæ* (in Baptismo) *à Calvinistis omissæ, essent adhibendæ et supplendæ ; negârunt plerique, quoniam legebant in antiquis redeuntes ab hæreticis, recipiendos cum manuum impositione, quam existimabant esse Confirmationis sacramentum. Alii dicebant apud antiquos de baptizatis in hæresi cum debitis circumstantiis intelligi, quibus redeuntibus dabatur manuum impositio, quæ non esset Confirmationis sacramentum, sed absolutionis, et reconciliationis cæremonia. Semper verò fuisse assuetum in antiquâ Ecclesiâ, ut supplerentur omissæ cæremoniæ Baptismi*, etc. ; *conclusum tandem, de hoc consulendam esse Sedem apostolicam, ut sopirentur contentiones. Gregorius verò XIII respondit, cæremonias Baptismi, supplendas esse præcedente in adultis abjuratione hæresis, et reconciliatione.* Quæstionem autem, quâ inquirebatur, utrùm manûs impositio, per quam admitterentur olim hæretici, esset confirmatoria, intactam reliquit, et meritò quidem ; quæstio enim est solutu difficillima, quæ sine fidei dispendio in utramque partem à viris eruditis agitatur.

Certum mihi videtur, 1° manuum impositionem, per quam hæretici, qui in Ecclesiâ baptizati, à fide recesserant, deinde in Ecclesiam admittebantur, non fuisse confirmatoriam : quâ de re supra, § 1.

Certum mihi videtur, 2° hæreticos in ipsâ hæresi invalidè baptizatos, in Ecclesiam admissos fuisse per Baptismum et manuum impositionem : quâ de re supra, § 2.

Certum mihi videtur, 3° manuum impositionem seu chrismationem, per quam hæretici foris validè baptizati, nondùm tamen confirmati, in Ecclesiam admittebantur, veram fuisse Confirmationem ; quâ de re supra, § 3.

Certum mihi videtur, 4° hæreticos, qui foris validè baptizati, et confirmati, in Ecclesiam per solam hæreseos ejurationem et fidei professionem admittebantur, non fuisse admissos per sacramentum Confirmationis : quâ de re § 4.

Difficultas est de illis hæreticis qui foris validè baptizati, quique confirmati, per manûs impositionem, vel per chrismationem admittebantur, utrùm hæc manûs impositio seu chrismatio esset confirmatoria : negat Bellarminus, lib. 2 de Confirmatione, negat Petrus de Marcâ, notis in canonem 28 Claromontanum, asserens illam unctionem in hæreticis minimè confirmatis sacramentalem et confirmatoriam esse ; meram autem cæremoniam et reconciliationem in aliis qui in ipsâ hæresi confirmati fuerant : negat Jacobus Goarius, in Euchologio, pag. 889 et 890, num. 5, ubi sentit idem, quod Marca ; id tamen addens, unctionem illam et manûs impositionem hæreticis jam confirmatis adhiberi, ut hoc ritu Confirmatio priùs suscepta, quæ nullum in hæresi effectum habuerat, vires suas exerceret, et suum effectum sortiretur. *Quidni*, inquit, *antiqua unctio, ut non sit irrita, aliâ simili unctione, merè pœnitentiali, priorisque emendatrice, non poterit denuò propter Ecclesiæ propositum et preces et lapsi pœnitentiam exsuscitari, in priorem statum reduci ?* negat Arcudius, de Concord., lib. 2 de Confirm., cap. 17, ubi ait quæcumque in contrarium afferri possunt testimonia, *ea satis commodè explicari posse, vel de hæreticis non confirmatis ; vel de hæreticis invalidè confirmatis ex defectu ministri, quales sunt plerique hæreticorum nostri temporis, quì veri sacerdotii sunt expertes, vel de hæreticis per manûs impositionem catholicorum antistitum non quidem confirmatis, sed solùm reconciliatis.* Negat Petrus Aurelius, in Anæretico, pag. 446, ubi Sirmondum canonem 2 (aliis 1) Arausicanum de frontis chrismatione hæreticis adhibitâ interpretantem ita refellit : « Erras « admodùm, et hallucinaris, nesciens quænam esset « illa chrismatio, benedictio, manûs impositio quam « Patres et canones hæreticis ad Ecclesiam venienti- « bus toties fieri præcipiunt. Quâ de re, quia non est « hìc dicendi locus satis erit breviter docuisse, eam « non fuisse sacramentum Confirmationis, nec chrisma- « tionem, aut manûs impositionem illam eamdem, quæ « neophytis in Ecclesiâ tribui solet. Hoc autem ex eo « declaratur, quia Patres eam dari jusserunt omnibus

« promiscuè ab hæresi redeuntibus, nihil inter eos de-
« cernentes, qui episcopalem manûs impositionem et
« verum sacramentum Confirmationis ab hæreticis acce-
« pissent, et eos qui non essent illo imbuti. Omnes enim
« sine discrimine hæreticos ita chrismandos dixerunt,
« ut patet ex canonum verbis. Hâc ergo ratione planum
« fecerunt, chrismationem ejusmodi non fuisse illam sa-
« cramento Confirmationis solemnem, sed cæremoniam
« meram, quæ tamen presbyteris eodem modo interdice-
« retur, quo reconciliatio pœnitentium; quia sicut à pœ-
« nitentiâ ad Ecclesiam redeuntes, non nisi ab episcopo
« admitti poterant : sic neque ad eamdem ab hæresi
« redeuntes. Sicut autem pœnitentes à presbytero in
« discrimine vitæ reconciliari Ecclesiæ poterant per
« manûs impositionem, ut sæpè concilia edicunt; ita
« et redeuntes ab hæresi in eodem periculo per manûs
« similiter impositionem et chrismationem in Eccle-
« siam ab eodem admittebantur. » Aurelio adhærere solent doctores Parisienses : eaque opinio communior est apud theologos.

Affirmant Antonius Augustinus, archiepiscopus Tarraconensis, in Epitome juris pontificii, lib. 23, titulo 8; Joannes Maldonatus, tomo 1 de Sacramentis, quæst. 1 et 2 de Confirm.; Jacobus Sirmondus, in Antirrhetico 1 et 2 adversùs Aurelium, in notis posthumis (exstant ad calcem tomi 1 conciliorum Labbæi) ad can. concilii 1 Arelatensis, et in notis posthumis (exstant ad calcem tomi 3 conciliorum Labbæi) ad can. 1 concilii 1 Arausicani; aliique viri eruditi, quos inter eminet Joannes Morinus, lib. 9 de Pœnit., cap. 11, 12 et 13, ubi hanc quæstionem sagaciter ventilavit, ac sententiam deinde suam mutavit. Momenta, quibus utraque opinio firmari potest hìc referam.

§ 8. *Referuntur momenta, quibus affirmans opinio statui potest.*

Primum quidem petitur ex dissidio Cypriani, Firmiliani, et Africanorum quorumdam, Arianorumque antistitum cum Stephano cæterisque episcopis. Utriusque enim partis episcopi, licèt inter se dissiderent de validitate aut de nullitate Baptismi ab hæreticis collati, in eo tamen conveniebant, hæreticos, qui ad Ecclesiam redeunt, per impositionem manuum suscipiendos esse; eam verò manuum impositionem ex consensu utriusque partis fuisse sacramentalem et confirmatoriam, non autem meram cæremoniam, quâ hæretici admitterentur ad pœnitentiam, ut deinde reconciliarentur, luculentis, ni fallor, rationibus ex Cypriano, Firmiliano, etc., desumptis, supra demonstravimus.

Secundum sumitur ex auctore illo anonymo qui Cyprianum impugnavit eique fuit æqualis, aut suppar, cujus testimonia supra relata, parte 1, evidenter ostendunt, illam manuum impositionem ex consensu utriusque partis fuisse confirmatoriam : neque video, quid illis duobus argumentis responderi possit.

Tertium petitur ex canone 8 concilii I Arelatensis, quo decernitur *ut si ad Ecclesiam aliquis de Afrorum seu Donatistarum hæresi venerit, et in Patre, et Filio, et Spiritu sancto baptizatus est, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.*

Bellarminus, lib. 2 de Confirm., c. 6, concedit canonem illum de Confirmatione intelligendum esse, sed contendit in eo agi de *hæreticis, qui Baptismum dare solebant, sed non Confirmationem.* Idem docet Arcudius, lib. 2 de Confirm., c. 7.

Verùm Donatistas Confirmationis sacramentum non modò suis, sed et nostris, si qui ad ipsos accederent, administrâsse, apparet ex Optato, lib. 7 : *Numquid nos exterminamus oleum vestrum*, etc. *Seduxistis homines, rebaptizâstis, iterùm unxistis*, etc.; apparet etiam ex Petiliano Donatistâ, apud Augustinum, lib. 2 contra litteras Petiliani, c. 104, ubi unguentum Aaron, de quo psal. 132, interpretatur de Confirmationis unguento, quo plebis *ungitur unitas :* quam interpretationem approbat Augustinus : *Verum dicis*, inquit; et pluribus interpositis : *In hoc unguento sacramentum chrismatis vultis interpretari*, etc. Et paulò post Petilianum sic urget : *Nulline apud vos luxuriosi, nulli avari*, etc.? *nulline apud vos tales unguntur?*

Quartum petitur ex canone 7 concilii I Constantinopolitani, quo statuitur, ut Ariani, Macedoniani, Sabbatiani, Novatiani, Quartodecimani, et Apollinaristæ in Ecclesiam admittantur, primùm quidem per hæreseos ejurationem, deinde per chrismalem frontis, oculorum, narium, oris, et aurium unctionem. Quam quidem unctionem confirmatoriam fuisse probavimus supra. Arcudius, cap. 7, et Petrus de Marcâ concedunt in hoc canone agi de sacramento Confirmationis, sed negant illos hæreticos administrâsse illud sacramentum. De Novatianis quidem Theodoretus ita refert. Sed de aliis neque Theodoretus, neque Epiphanius, neque ullus veterum simile quidpiam docet : inde apparet P. de Marcâ non rectè concludere à pari, quasi de cæteris idem sentiendum sit, ac de Novatianis, quia eodem canone copulantur. Alioqui de Marcâ pari modo concludere posset, idem sentiendum esse de Montensibus seu Donatistis, quod de Novatianis, quia Siricius et Innocentius I illos eodem decreto copulant, et utrosque decernunt eodem modo recipi; cùm tamen Donatistæ, non autem Novatiani, Confirmationis sacramentum adhiberent.

Quintum argumentum petitur ex Basilio Magno, qui, can. 1 epistolæ canonicæ ad Amphilochium, cuique liberum relinquit arbitrium, ut pro more suæ ecclesiæ hæreticos secundi generis, sine iterato Baptismo suscipiat, eâ tamen lege ut illos chrismate inungat, et post unctionem participes efficiat Eucharistiæ : *Omni autem ratione statuatur, ut qui ex illorum baptismo ad nos accedunt, chrismentur à fidelibus, et sic mysteriis participent.* Fatetur Arcudius, c. 7 et 17, hæreticos hìc *reconciliari per Confirmationem et Eucharistiam*, sed vult hanc reconciliationem *fieri per sacramenta, quæ ab ipsis fuerant omissa.* Quasi verò omnes hæretici secundæ classis, quos Basilius *schismaticos* appellat, Confirmationem et Eucharistiam contemnerent aut rejicerent. Donatistæ si quidem ad *schismaticos*, non autem ad *hæreses*, ex Basilii mente

revocari debent : qui tamen et suos et nostros ungebant. Præterea Basilius per hæreticos secundæ classis, non eos intelligit, quorum baptisma pro certo nullum erat, ut Valentinianorum et Pepuzenorum : sed quorum baptisma *Magno Dionysio*, videlicet Alexandrino, et *nonnullis Asiaticis* ratum : irritum autem *Cypriano et Firmiliano* videbatur, non defectu materiæ aut formæ, sed defectu fidei. Quis verò sibi persuaserit, omnes omninò hæreticos, qui ex more et instituto Ecclesiæ baptizabant, Confirmationem rejecisse? recole superiùs dicta, parte 1.

Sextum argumentum petitur ex Siricio papâ, epist. 1, cap. 1 : *Baptizatos ab impiis Arianis, nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritûs episcopalis manûs impositione, Catholicorum conventui sociamus; quod etiam totus oriens occidensque custodit.* Agnoscit Petrus de Marcâ eò loci sermonem haberi de Confirmatione, resque per se ipsa loquitur : quid enim invocatio septiformis Spiritûs, cum episcopalis manûs impositione, nisi Confirmatio? Quid etiam manûs impositio seu chrismatio per quam Novatiani admitterentur, nisi Confirmationis mysterium? totus igitur oriens et occidens, *Arianos*, *aliosque hæreticos* per Confirmationem suscipiebat.

Reponet fortè illustrissimus archiepiscopus Siricium exponendum esse de aliis hæreticis, qui Confirmationem non administrabant.

Verùm quâ auctoritate id asseret, vir doctissimus? cùm nullus sit auctor vel canon antiquus, quo constet alios à Novatianis hæreticos contempsisse Confirmationis sacramentum. Præterea Siricius generatim et indefinitè loquitur, adeòque de multis, non de paucis hæreticis. Denique Siricius Novatianis conjungit illos etiam hæreticos, qui suos confirmabant, videlicet Montenses seu Donatistas; quemadmodùm ex sequenti argumento apparebit.

Septimum igitur argumentum petitur ex eodem Siricio, epist. 4, c. 8 : *Venientes à Novatianis, vel Montensibus per manûs impositionem suscipiantur præter eos quos rebaptizant.* Et ex Innocentio I, epist. 2, cap. 8: *Venientes à Novatianis, vel Montensibus, per manûs tantùm impositionem suscipiantur.* 1° Manûs impositio, per quam admittebantur Novatiani, erat confirmatoria. 2° Novatiani et Montenses per eamdem manûs impositionem suscipiebantur. 3° Montenses iidem erant qui Donatistæ, qui ab urbe Româ exclusi, in quâdam montium vicinorum speluncâ conventicula celebrabant : tradit Optatus inde eos nomenclaturam accepisse, ut dicerentur *Montenses*, quo etiam nomine ab imperatore, lib. 43, cod. Theod. de Hæretic., et à S. Hieronymo, epist. 133, et adversùs Luciferianos, cap. ultimo, appellantur. 4° Donatistæ suis, et nostris ad ipsos deficientibus, Confirmationem adhibebant. Quid igitur sibi vult eruditissimus Petrus de Marcâ, cùm hæc duo Siricii et Innocentii I testimonia producit, ut inde probet, *consignationem chrismatis dictam fuisse ab antiquis manûs impositionem*, confirmatoriam videlicet, de hâc enim ibi loquitur? Et pluribus interjectis ait *Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quartodecimanos, et Apollinaristas* (ad Ecclesiam redeuntes consignari) *eâ scilicet ratione, quia apud suos post Baptismum non erant consignati.*

Octavum argumentum petitur ex eodem Innocentio, epist. 22, c. 4 et 5 : *Nostræ verò lex est ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manûs impositionem, laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatûs honorem vel exiguum subrogare. At verò hi, qui à catholicâ ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet, nisi, per pœnitentiam suscipi, apud vos non solùm pœnitentiam non agunt, verùm etiam honore cumulantur.* Ex oppositione posterioris partis evidenter colligitur manûs impositionem in priori parte intelligendam esse in Spiritum sanctum. Sed manûs impositio in Spiritum sanctum est confirmatoria. Manûs etiam impositio, quæ manuum impositioni in pœnitentiam opponitur, eadem certè non est, quæ manûs impositio in pœnitentiam.

Nonum argumentum petitur ex canone 1 concilii 1 Arausicani : *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit episcopus, à presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placuit.* Hæreticis, qui sub mortem convertuntur, indulget synodus, ut à presbyteris chrismate et benedictione consignari, hoc est, confirmari possint : quod alioqui, si sani essent, per episcopos præstandum foret, ut declarat synodus Epaonensis, can. 16.

Decimum ex canone 17 concilii II Arelatensis : *Bonosiacos cum chrismate et manûs impositione in Ecclesiâ recipi sufficit.*

Arcudius, cap. 7, agnoscit ibi sacramentum Confirmationis, sed Bonosiacos in hæresi baptizatos quidem, non autem confirmatos fuisse contendit.

Verùm quo fundamento Arcudius hæc asserit? Bonosus enim, episcopus Macedo, qui anno 389 in synodo Capuensi damnatus est, non videtur errâsse circa chrismatis unctionem. Imò ejus baptismata et ordinationes in eodem concilio approbata sunt. Neque Ambrosius, qui eidem synodo interfuit, in eo aliud redarguit, epist. 5 ad Theophilum et Anysium episcopos, nisi quòd negaret Virginem Mariam post Christi partum illibatam fuisse.

Undecimum petitur ex Leone Magno, epist. 27, c. 2, epist. 79, cap. 6 et 7, et epist. 92, inquisit. 18. Tres illos textus descripsimus supra, § 4, assert. 2. Primo et secundo textu loquitur generatim de hæreticis in ipsâ hæresi validè baptizatis, et in tertio de hæreticis rectè baptizatis cujuslibet *sectæ* et *fidei* fuerint, et *quolibet modo*, id est, in quâcumque hæresi *formam baptismatis acceperint.* Præterea his tribus locis disertè exprimit episcopalis manûs impositionem in Spiritum sanctum. Quin etiam secundo loco hanc manûs impositionem, vocat confirmatoriam; eamque opponit manuum impositioni in pœnitentiam, per quam hæretici, in ipsâ catholicâ ecclesiâ, antequàm deficerent, baptizati, suscipiebantur.

Duodecimum petitur ex Vigilio, qui, in epist. 2, idem asserit quod Leo. Textum descripsimus ibid.

Decimum tertium ex Gennadio, qui, cap. 52 libri de eccles. Dogmat., refert, quoslibet hæreticos, non solùm adultos, sed et *parvulos vel hebetes*, modò fuerint validè baptizati, admitti per fidei professionem factam quidem ab adultis per se ipsos, à parvulis autem vel hebetibus *per illos, qui eos offerunt juxta morem baptizandorum :* deinde verò *confirmari manuum impositione.* Textum integrum descripsimus § 4, assert. 4.

Decimum quartum ex concilio II Hispalensi, cap. 1 : *Nec licet eis* (presbyteris) *per impositionem manûs fidelibus baptizatis vel conversis ex hæresi paracletum Spiritum tradere.* Ubi episcopalis manûs impositio fidelibus baptizatis, vel hæreticis concessa pro eâdem habetur.

Decimum quintum ex Isidoro Hispalensi, lib. 5 de divinis Officiis, c. 24: *Hæretici, si tamen in Patris, et Filii, et Spiritûs sancti attestatione docentur Baptisma suscepisse, non iterùm baptizandi, sed solo chrismate et manûs impositione purgandi sunt.* Deinde, cap. 25, exponit quid sit illud chrisma, videlicet unguentum, quo, *omnis Ecclesia consecratur*, et quo *post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur.* Capite verò 26 explicat, quid sit hæc manuum impositio, ea nempe, *quâ post Baptismum per episcopos datur Spiritus sanctus :* et cujus mentio fit Actorum 8 et 19.

Decimum sextum ex tribus Euchologiis, Regio, Barberino, et Cryptoferratensi, qui formulam exhibent, ex quâ apparet, unctionem et manûs impositionem, per quam hæretici foris validè baptizati admittuntur, ipsissimum esse Confirmationis sacramentum, quod Græci neophytis conferunt : formulam descripsimus supra, § 6.

Decimum septimum ex codice Petaviano, qui eamdem ferè in Arianis et aliis quibuslibet hæreticis admittendis orationem exhibet, quæ in eodem codice refertur ad sacramentum Confirmationis administrandum. Vid. § 6.

Decimum octavum ex pseudo-Eusebio, epist. 3, cujus textum descripsimus § 4, assert. 2 ; licèt enim hæc epistola adulterina sit, morem tamen seculi VIII, quo supposita fuit, nobis exhibet.

Decimum nonum ex Walafrido, de Rebus eccles., c. 26. Textum retulimus § 4, assert. 4. Uterque et pseudo-Eusebius et Walafridus loquitur de quibuscumque hæreticis validè baptizantibus.

Vigesimum petitur ex hoc ratiocinio : Hæretici Confirmationis sacramentum administrantes per eamdem manûs impositionem et chrismatis unctionem admittebantur quo Novatiani, qui illud negligebant. Id patet ex canone 7 concilii 1 Constantinopolitani, ubi Ariani, Macedoniani, Sabbatiani, Quartodecimani, et Apollinaristæ, eodem quo Novatiani, modo suscipiuntur ; et ex Siricio ac Innocentio I, supra citatis, apud quos Novatiani et Montenses seu Donatistæ per eamdem manûs impositionem admittuntur. Sed Novatiani suscipiebantur per confirmatoriam manûs impositionem.

Vigesimum primum petitur ex præclaris et magnificis elogiis, quæ huic unctioni seu manuum impositioni tribuunt antiqui Patres, quæque de nudâ cæremoniâ vix affirmari possunt. Nihil enim videtur vero sacramento tribui posse, quod Patres isti manuum impositioni et unctioni non tribuerint.

Maldonatus et Morinus pro eâdem opinione citant Augustinum, quia, lib. 5 de Baptismo, c. 26, dixit : *Manûs impositio, non sicut Baptismus repeti non potest.* Verùm ille favet oppositæ sententiæ, de quâ nunc disserendum.

§ 9. *Referuntur momenta quibus opinio negans statui potest.*

Primum argumentum petitur ex responso Stephani papæ ad Cyprianum : *Si quis ergo à quâcumque hæres venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Hæc igitur manûs impositio erat in pœnitentiam non autem in Spiritum sanctum.

Hanc rationem, quæ pluribus videtur efficax, et instantias, quibus confirmari potest, dissolvimus supra, parte 1, quæst. 1, ubi de mente Cypriani adversùs Dallæum.

Secundum ex Optato, lib. 7, ubi Parmenianum Donatistam sic alloquitur : *Numquid nos exterminamus oleum vestrum, ut meritò nos muscas morituras appelletis? quod vestrum est, apud vos est. Etsi à vobis ad nos aliquis transitum fecerit, sic à nobis servatur, quomodò à vobis dimittitur. Quomodò dicitis, quia nos sumus muscæ morituræ, suavitatem olei corrumpentes cùm post vos nihil tale facimus?* Et postea: *Si nos exterminaremus à vobis confectum oleum, meritò nos muscas morituras appellare possetis; sed dùm, quod à vobis unctum est, tale servamus, quale suscipimus, muscæ morituræ esse non possumus.* Verba non egent expositione, aperta sunt. Optatus concessam à Donatistis chrismatis unctionem admittit.

Tertium ex Augustino, lib. 5 de Baptismo, c. 20, et homiliâ 8 inter Carthusianas : quæ duo loca clara sunt : eaque descripsimus, parte 1, ubi de mente Augustini. Utrobique Augustinus confirmatoriam Donatistarum chrismationem approbat.

Respondebis fortè : Ex Morino, lib. 9 de Pœnitentiâ, c. 11, n. 18, 19, 20, 21 et 22, in Donatistarum Confirmatione duo distingui : chrismationem et manûs impositionem in Spiritum sanctum. Hoc verò proprium fuisse Donatistarum, ut cùm ab ecclesiis Romanâ, Africanâ, Gallicanâ et Hispanicâ susciperentur, probaretur quidem eorum chrismatio, sed manûs impositio repeteretur. Hinc Augustinus, lib. 3 contra Donatistas, c. 16 : *Manûs autem impositio non sicut Baptismus, repeti non potest. Quid est autem aliud, nisi oratio super hominem?* Hinc Alcimus Avitus, archiepiscopus Viennensis, qui Epaonensi concilio præfuit anno 517, interrogatus à Stephano episcopo Lugdunensi, quâ ratione esset admittendus Donatista, respondit : *Manûs impositionem personæ, de quâ scribitur, adhibete: quam constat, si reverà in supradictis chrismatis professione versata est, cum ministerio baptismatis etiam chrismate consignatam.* Ita ille, epist. 24.

Verùm hæc solutio sustineri posse mihi non vide-

tur. Concessam enim à Donatistis manuum impositionem, Optatus et Augustinus ratam vel irritam habuerunt. Si ratam, quorsùm eam iterârunt? nec enim illa sicut nec Baptismus sine sacrilegio iterari potest: sin autem irritam; quî fieri potest ut chrismatis unctionem ratam, et manûs impositionem irritam habuerint, cùm utraque ad idem Confirmationis sacramentum pertineat? Ingenuè fatendum est utrumque, et Optatum et Augustinum sententiæ neganti favere. Primùm quidem Cypriano à pari argumentante, Baptismum hæreticorum nullum esse, quia nulla erat eorum Confirmatio, anonymus auctor, aliique Africani episcopi Stephano adhærentes, negârunt unum ex alio concludi posse; quo fit, ut hæreticos per manûs impositionem in Spiritum sanctum admitterent; in eâdem erant opinione tempore concilii I Arelatensis, cujus canone 8 statuitur, ut Donatistæ ad Ecclesiam redeunti, *manus tantùm imponatur ut accipiat Spiritum sanctum*. Qui verò Africani postea exorti Donatistas impugnârunt, ut ab hâc paritate sese extricarent, administrata juxta Ecclesiæ formam quæque hæreticorum sacramenta susceperunt; quam sententiam Optatus et Augustinus secuti sunt.

Quartum argumentum petitur ex Hieronymo, qui, cap. 3, Luciferianum redarguit, quòd Arianum per invocationem sancti Spiritûs recipiat: *Tu verò qui ab Arianis recipis baptizatum, et ei tribuis* (hoc est, concedis illum habere) *Baptisma, quod perfectum est, quo pacto, quasi modicum quid ei defuerit, sanctum invocas Spiritum: cùm Baptisma Christi sine Spiritu sancto nullum sit?* Item, cap. 4, eum redarguit, quòd leges Ecclesiæ, quibus statuitur, neophytis in Ecclesiâ baptizatis ad invocationem sancti Spiritûs manum ab episcopo imponendam, *ad hæresim transferat*, quasi et ipsis Arianis ab hæresi redeuntibus eadem manus imponi debeat: *Quia episcopus, si imponit manum, iis imponit, qui in rectâ fide baptizati sunt, non aliis*. Capite verò 8 ait: Nicolaitas, quorum baptismum approbat, non per manûs impositionem in Spiritum sanctum, sed per pœnitentiam admittendos esse: *Numquid dixit* (Angelus) *rebaptizentur, qui in Nicolaitarum fide baptizati sunt? vel imponatur eis manus, qui eo tempore apud Pergamenos crediderunt, qui disciplinam tenebant Balaam? quin potiùs, age*, inquit, *pœnitentiam*. Denique, cap. 9, approbat, quod Hilarius diaconus in suis libellis confessus fuerat, videlicet *à Julio, Malcho, Sylvestro, et cæteris veteribus episcopis urbis Romæ, similiter in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos*.

Responderi potest inde quidem colligi Hieronymum in eâ fuisse opinione, confirmatoriam manuum impositionem non adhibendam hæreticis extra Ecclesiam baptizatis et ad eam redeuntibus, quâ de re disseruimus supra, parte 1: inde verò minimè sequi quòd ille concessam in ipsâ hæresi Confirmationem, validam existimaverit: imò apertè colligi illam ex ejus mente invalidam esse.

Quintum petitur ex Theodoreto, lib. 3 hær. Fabul., cap. de Novato, seu Novatiano, ubi scribit Patres, canone videlicet 7 concilii Constantinopolitani, statuisse Novatianos ad Ecclesiam sese referentes unctione confirmandos, quia *iis, qui ab ipsis baptizantur, sacrum chrisma non tribuunt*. Significat igitur Patres jussuros non fuisse Novatianis eam unctionem impendi, si ante à suis illam consecuti essent; atque adeò eos, qui chrismationem baptizatis ab Ecclesiâ sacramento Confirmationis tribui solitam, ab hæreticis accepissent, eamdem, cùm ad Ecclesiam remigrarent, rursùs non accepisse. Ita Petrus Aurelius, in Orthodoxo, parte 1, cap. 5, sub finem.

Verùm nullam esse Aurelii consequentiam testantur relata superiùs Siricii et Innocentii I testimonia, quibus asseritur Novatianos et Montenses seu Donatistas per eamdem manûs impositionem susceptos fuisse: suos enim et nostros Donatistæ unctione confirmabant, ex Optato et Augustino. Nimirùm sacramentum alicui conferri potest, vel quia nullo modo concessum est, vel quia illi invalidè concessum putatur: priori de causâ Ecclesia paganos fidem poscentes baptizat; posteriori Paulianistas ad fidem revertentes: priori de causâ Novatianis Confirmationem olim administrabat, posteriori Donatistis.

Sextum ex sancto Alcimo Avitâ, episcopo Viennensi, epist. 24 ad Stephanum Lugdunensem: *Manuum impositionem personæ, de quâ scribitis adhibete: quam constat si reverà in supradicti* (Donatistarum) *schismatis professione versata est, cum ministerio Baptismatis etiam chrismate consignatam*. Confirmatoriam ille chrismationem à Donatistis factam approbat.

Septimum ex diversâ ratione suscipiendi hæreticos secundùm Ecclesiæ formam baptizatos et confirmatos; alii enim post factam fidei professionem et ejuratam hæresim sacro chrismate ungebantur vel manuum impositionem accipiebant, ut Ariani, Macedoniani, Sabbatiani, Novatiani, etc.; alii non ungebantur, sed solùm suam et omnem aliam hæresim anathematizabant, ut Nestoriani, Eutychiani de quibus supra § 4, assert. 2, ubi de Gregorio Magno, et § 5, assert. 3 et 4. Cur verò alii per unctionem seu manuum impositionem, alii verò sine illâ susciperentur, nisi quia isti, non autem illi, unà cum Baptismo Confirmationem in hæresi acceperant et acceptam in hæresi Confirmationem Ecclesia approbabat?

Verùm hanc rationem factam esse apparet ex diversâ orientalis ecclesiæ consuetudine, quæ eosdem hæreticos, videlicet Nestorianos, Eutychianos, etc., per solam hæreseos ejurationem adhuc recipiebat ætate Theodori Studitæ, postea verò per sacri chrismatis unctionem tempore auctoris fragmenti Timotheo presbytero adscripti. Vera ratio repeti debet ex § 5, assert. 4, ubi diximus hanc fuisse consuetudinem Ecclesiæ, ut hæreticos omnes in ipsâ hæresi baptizatos Ecclesia per chrismatis unctionem vel manuum impositionem in Spiritum sanctum admitteret: perseverâsse morem illum ad tertiam usque synodum œcumenicam: deinde verò mutatum fuisse circa Nestorianos, aliosque hæreticos post illam synodum exortos, quos quidem Ecclesia, ut erga illos sese in-

dulgentiorem præberet, sine unctione seu manuum impositione suscepit, ne illos gradu suo deponeret. Hæc enim unctio seu manuum impositio, quamvis esset confirmatoria et in Spiritum sanctum; nihilominùs in hæreticis lugubris erat, quia non solùm erat *in Spiritum sanctum*, sed et in pœnitentiam et *detestationem erroris*, ex Hugone Victorino, tractatu 5 summæ Sentent., c. 8 : non modò significabat *Spiritûs sancti sanctificationem*, sed et *imaginem pœnitentiæ* publicæ præferebat, ex Innocentio I, epist. 18, c. 3 : quo fit, ut hæreticorum clerici per illam admissi gradu suo privarentur, et solam communionem laicam haberent, ex eodem Innocentio, ibidem, et epist. 22, c. 4.

Octavum petitur ex concilio Tridentino, sess. 7, de Sacramentis in genere, can. 9 : *Si quis dixerit in tribus sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in animâ*, etc., *unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Verùm decreti verbis satisfacit qui hoc de Confirmatione ab episcopis Catholicis datâ intelligit, quam validam esse, characterem imprimere et iterari non posse certissimum est. Idem verò dicendum esse de eâ, quam hæreticî conferunt, ex hoc canone colligi non potest.

Si quis instet : Baptismus foris datus validus est : ergo et Confirmatio.

Nullam esse consequentiam probavimus supra, parte 1. Quo enim jure nititur hæc consequentia? Baptismus à laico, à muliere, ab ethnico datus in formâ Ecclesiæ, validus est : ergo et Confirmatio. Baptismum foris datum valere certissimum est, non ex hoc canone, sed ex Patrum testimoniis. Quæ verò baptismum hæreticorum iterari prohibent, eadem Confirmationem ab iis dari non posse testantur. Quemadmodùm apparebit locos præcedentibus paragraphis citatos expendenti.

Si quis urgeat : Facta ab hæreticis ordinatio valet : quidni Confirmatio?

Responderi potest, 1° antecedens dubium esse, seu spectes antiquos patres, seu veteres theologos. *Hanc enim quæstionem perplexam* (inquit magister, lib. 4 Sent., dist. 25) *ac penè insolubilem faciunt doctorum verba, qui plurimùm dissentire videntur.* Ipse verò disputando longè perplexiorem reddit. Relatis enim antiquorum patrum de hâc difficultate diversis et in specie contrariis sententiis, quatuor diversas doctorum sui temporis de earum conciliatione opiniones explicat, sed quæ vera, quæ falsa, quæ probabilior sit, non indicat. Licèt verò affirmans opinio à pluribus annis trita sit apud scholasticos, hactenùs tamen nullo Ecclesiæ decreto quæstio hæc obscura decisa est. 2° Responderi potest, nullam esse consequentiam. Patres enim si fortè Optatum, Augustinum, et Avitum excipias, qui factas ab hæreticis ordinationes approbare videntur, collatas ab ipsis unctiones confirmatorias improbant, cùm sinant eas iterari. Hinc *plenaria* synodus Capuensis prohibet Bonosianorum baptismata et ordinationes, non autem eorum Confirmationes iterari, ex Africanâ Collectione, cap. 15 : nec immeritò; illos enim *cum chrismate et manûs impositione in Ecclesiâ recipi* constat ex canone 17 concilii II Arelatensis. Mirum fortè cuipiam videbitur, quamobrem iidem Patres hæreticorum ordinationem validam, Confirmationem verò invalidam habuerint. Sed mirari desinet, qui attenderit, characteris episcopalis virtutem in hæreticis ab Ecclesiâ suspendi posse, ut si velint agere nihil producant : quâ de re alibi.

Nonum argumentum : Sacramentum novæ legis est causa per se gratiæ sanctificantis : atqui manûs impositio, per quam hæretici admittebantur, erat duntaxat causa per accidens, seu causa removens prohibens, id est, causa removens obicem, quo impediebatur, ne Baptismus in hæresi susceptus conferret gratiam sanctificantem, et peccata remitteret.

Verùm potest responderi, 1° retorquendo circa manuum impositionem, et unctionem per quam Novatiani admittebantur, illam enim fuisse confirmatoriam constat ex Theodoreto. Eadem tamen erat ac illa, per quam Ariani, Macedoniani, Sabbatiani, Apollinaristæ, et Montenses seu Donatistæ suscipiebantur. 2° Præfata unctio seu manûs impositio non erat causa removens obicem remissionis peccatorum, sed illum obicem remotum supponebat. Priùs enim reduces convertebantur, quàm ungerentur, ex auctore quæstionum et responsionum apud Justinum, quæst. 14. Conversio verò obicem auferebat. Priùs fidei professionem emittebant, ex canone 7 concilii II œcumenici. *Sanctum verò Baptisma, quod* (reduces) *sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm illi... propter professionem veræ fidei, sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti*, ex Gregorio Magno, lib. 4, epist. 61. Priùs hæresim suam et omnem aliam ejurabant, ex eodem canone : *Purgati verò jam fidei integritate, confirmabantur manûs impositione*, ex Gennadio, c. 52 de Ecclesiast. Dogmat.; priùs jejunabant dies decem aut quindecim, et mane ac vespere orationibus incumbebant, ex tribus Euchologiis, regio, Barberino Marci, et Cryptoferratensi; atque ita jejunio et orationibus pravos mentis et cordis affectus purgare conabantur. Eas omnes ferè rationes paucis complexus est anonymus Cypriano coætaneus, qui Baptismi virtutem et reviviscentiam invocationi nominis Jesu in Baptismo tribuit. *Quæ tamen*, inquit, *invocatio nominis Jesu correctione erroris, et agnitione fidei veritatis, et abscissâ omni labe, præteritæ conversationis, mysterio Dei, circa ejusmodi homines* (hæreticos) *ritè perpetrata, locum, quem habitura non erat, obtinet, et ad integritatem signi præstandam non obest, supplemento ejus quod deerat accedente.* 3° Nihil impedit quominùs chrismatis unctio et manûs impositio, quibus ritibus tota consistit materia Confirmationis, dicatur in hæreticis causa removens prohibens, seu causa per accidens remissionis peccatorum, et nihilominùs sit verum sacramentum. Hæc enim manûs impositio in illis, de quibus hìc agitur, hæreticis, spectari potest, vel in ordine ad culpæ originalis, aliorumque peccatorum ei adhærentium remissionem, quæ est effectus Baptismi; vel in ordine ad uberiorem Spiritûs sancti effusionem, quæ est pro-

prius Confirmationis effectus. Priori modo est causa removens prohibens : *Sanctum enim Baptisma*, inquit Gregorius, *quod* (reduces) *sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm illi per impositionem manûs Spiritum sanctum acceperint, vel propter professionem veræ fidei sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.* Posteriori modo est causa per se, causa vera et influens eodem modo, quo legis novæ sacramenta dicuntur largiri gratiam sanctificantem.

Decimum argumentum : Si hæc unctio seu manûs impositio, per quam hæretici admittebantur, esset confirmatoria, sequeretur Confirmationis sacramentum conferre primam gratiam, remittere peccata, supplere vices Baptismi, et homini nondùm justificato conferri posse. Falsum consequens : ergo et antecedens.

Verùm responderi potest, 1° retorquendo circa manuum impositionem, per quam Novatiani admittebantur, et quam adversarii fatentur confirmatoriam fuisse. Quod illi de Novatianis, id ipsum de cæteris hæreticis respondebitur. 2° Nihil repugnat, quominùs dicatur Confirmationem aliquando conferre primam gratiam, et supplere vices Baptismi. Apparet enim ex testimoniis citatis, Confirmationis sacramentum à patribus æquiparari sacramento Pœnitentiæ, hoc est, idem præstare sacramentum Confirmationis erga hæreticos extra Ecclesiam baptizatos et ad eam redeuntes, quod sacramentum Pœnitentiæ erga hæreticos in Ecclesiâ baptizatos, qui redeuntes per pœnitentiam ex Ecclesiæ decreto recipiuntur. Deinde non desunt theologi, qui doceant Confirmationem producere primam gratiam sanctificantem in eo, *qui ad illam non perfectè contritus accedit, dummodò non fictus accedat.* Ita S. Thomas, 3 p., q. 72, a. 7, ad 2. Quin etiam Cajetanus, ad hunc locum, et Dominicus Soto, in 4, d. 7, a. 7, ubi disputat de præparatione ad Confirmationem necessariâ, illud privilegium extendunt ad quæcumque sacramenta, modò suscipiens contritum se existimet. Non desunt quoque scholastici, quos inter Suares, de sacramento Extremæ Unctionis, disp. 7, n. 5, Yzambertus, ubi de Extremâ unctione, et Navarrus, in Manuali, c. 22, n. 13, qui doceant Extremam Unctionem dari posse infirmo attrito, qui confiteri non potest, eamque *in tali casu supplere vices sacramenti Pœnitentiæ, quia est aliquid ejus consummativum, et remittere mortalia prædicto infirmo attrito*, etc.; ita Suares. Quidni Confirmatio, ut quæ sit Baptismi perfectio, ejus vices aliquando supplere poterit? 3° Nihil nos cogit asserere Confirmationem conferre primam gratiam; Patrum enim testimonia tantùm probant per confirmatoriam manuum impositionem suscitari et reviviscere gratiam Baptismi, quam hæresis suspenderat, impediendo ne Baptismus vires suas exereret : quare primæ gratiæ productio non Confirmationi tribuenda est, sed Baptismo, cujus vires per hæresim ligatas Confirmatio solvit. 4° Ne cogimur quidem affirmare, ligatas Baptismi vires per Confirmationem dissolvi. Confirmatio enim obicem illum non tam removet, quàm remotum supponit, uti jam probatum est.

Undecimum argumentum : Confirmatio in eis confessionem præsupponit, qui rei sunt peccati mortalis. Sed nullus canon nullumque testimonium exstat, quo probetur hæreticos teneri peccata sua confiteri, antequàm per manûs impositionem vel unctionem recipiantur. Hæc igitur unctio seu manûs impositio non erat confirmatoria.

Responderi potest, 1° retorquendo circa Novatianorum unctionem. Ubi enim legunt adversarii Novatianos teneri peccata sua confiteri antequàm ungerentur? Hæc igitur unctio ideòne confirmatoria non erit? 2° Si hæretici foris baptizati, cùm ad Ecclesiam redirent, peccata non aperirent; quorsùm igitur qui occulti criminis capitalis rei essent ad pœnitentiæ publicæ labores emandabantur? crimina enim capitalia, licèt occulta, subjiciebantur publicæ pœnitentiæ. 3° Confessionem ab adultis olim præmissam fuisse Confirmationi, docet S. Thomas, ex concilio Aurelianensi, quod accepit à Gratiano, de Consecr., dist. 5, c. 6, et ante Gratianum annis, et eo ampliùs, sexaginta, in decretum suum retulerat Ivo, parte 1, c. 234, et ante Ivonem annis centum Burchardus, lib. 4, c. 60. 4° Confirmatio ordine et naturâ suâ Pœnitentiæ sacramentum præcedit; si verò subsequatur aliquando, hoc fit per accidens, et contra sacramentorum ordinem vitioque nostro. Neque desunt concilia et theologi, qui negent confessionem huic sacramento ex necessitate præmittendam. 5° Dato, non concesso, quòd jure divino confessio præmitti Confirmationi debeat in hæretico, qui in Ecclesiâ catholicâ baptizatus, ab eâ recedit, deinde verò ad illam accedit; vel in adulto catholico, qui gratiam baptismalem amisit, inde non sequitur, quòd illa præmitti debeat in hæretico, qui foris baptizatus, ad fidem catholicam revertitur. Ratio discriminis est, quòd in duobus primis peccata remittuntur virtute sacramenti pœnitentiæ, quod confessionem complectitur; in eo verò qui foris baptizatus est, virtute ipsius Baptismi, qui vires suas ab hæresi retusas, suspensas et cohibitas tum primùm exerit, et dona sua diffundit. Longè igitur alia ratio est hæretici in Ecclesiâ, et hæretici extra Ecclesiam baptizati. Prior ad Ecclesiam revertens alio modo, quàm per solam fidei professionem reconciliari debet, ut illius crimina deleantur. Virtus enim Baptismi, quantùmlibet efficax, bis non operatur. Semel autem in corde, de quo loquimur, operata est. Non potest igitur iterùm per fidei professionem reviviscere : est enim per hæresim subsequentem exstincta, per antecedentem verò fuerat tantùm suspensa, ideò prior ille hæreticus per aliud sacramentum, videlicet Pœnitentiam, reconciliandus est. Posterior verò, in quem propter hæresim, in quâ baptizatus est, Baptismus vires suas effundere non potuit, obice per fidei professionem aut manûs impositionem ablato, gratiam baptismalem suscipit.

Hinc ratio colligi debet cur hæreticus in Ecclesiâ baptizatus, vel adultus catholicus et reus, si ad Confirmationem nondùm confessus accesserit, post acceptam Confirmationem teneatur peccata confiteri, non autem hæreticus foris baptizatus, nempe quia in

ultimo, non in duobus primis, peccata virtute Baptismi remittuntur.

Dices : Adultus, qui ex conscientiâ fictus ad Baptismum accedit, baptizatur, et antequàm fictionem auferat, plura peccata committit, eadem peccata confiteri tenetur. Quidni idem sentiendum erit de hæretico foris baptizato, qui post susceptum Baptismum, sæpiùs peccat, antequàm fidem profiteatur, hæresim ejuret, et per unctionem seu manuum impositionem admittatur?

Verùm antecedens mihi falsum videtur. Recedente enim fictione, Baptismus vires suas effundit, neque solum originis peccatum delet, sed et ea (saltem per accidentariam concomitantiam) quæ ante ipsum, vel post ipsum perpetrata sunt. Quare cùm illa per Baptismi gratiam remissa fuerint, non videntur confessionis sacramento subjicienda.

Neque dicas, fictionis ablationem pertinere ad sacramentum Pœnitentiæ. Alia enim est fictionis ablatio, quæ in adultis Baptismum præcedit, alia quæ Baptismum inefficacem subsequitur : alia quæ Baptismi efficaciam consequitur, ut cùm quis post amissam gratiam baptismalem dolet de peccatis post hæc commissis. Prima non pertinet ad sacramentum Pœnitentiæ; tertia pertinet; de secundâ dubitatur. Opinio negans mihi probatur ob illud Augustini, lib. 1 de Bap., c. 12, ubi loquens de adulto fideli, qui fictus ad Baptismum accedit, baptizatur, *et tamen cor ejus in malitiâ vel sacrilegio perseverat; et odium fraternum in ejus animo perseverat. Et deinceps reus est non solùm præteritorum, sed etiam consequentium peccatorum : deinde verò piâ correctione et veraci confessione purgatur*. Augustinus totam illam purgationem refundit in Baptismum, qui tunc valere incipit ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recedit. *Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit ut non denuò baptizetur, sed ipsâ piâ correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit : sic etiam iste, qui Baptisma Christi*, etc.; comparat ille catechumenum, qui fictus ad Baptismum accessit cum hæretico foris baptizato.

Nec etiam dicas, concilium Tridentinum, sess. 14, c. 5, docuisse, *integram peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere*. Id enim theologus, qui à propositâ Augustini doctrinâ recedere noluerit, explicabit de peccatis post acceptam gratiam baptismalem, non autem ante illam commissis : idque certò colligi videtur ex ipsâ naturâ sacramenti Pœnitentiæ, quod à Patribus dicitur *secunda post naufragium tabula*. Non est igitur prima, sed secunda tabula, quæ passum naufragium post primam tabulam supponit.

Nolim tamen hodiernam praxim improbare, quâ Calvinistæ in quibusdam diœcesibus Gallicanis, postquàm in Ecclesiæ gremium admissi sunt, quæcumque commisêre peccata confitentur, antequàm Confirmationis unctionem accipiant : quâ in re prudenter sese gerunt episcopi, communiori et receptæ jampridem in scholis opinioni adhærentes.

§ 10. *Expenditur utraque sententia.*

Multa retulimus momenta, aliaque plura referri possent, quibus alterutra opinio confirmaretur vel infirmaretur. Momenta, quibus affirmans opinio stabilitur, graviora sunt : leviora verò, quibus negans opinio statuitur, si petitas ex Augustino rationes exceperis, cujus, inquit Auxilius, lib. 1 de Ordinationibus à Formoso pontifice factis, c. 13, *auctoritas ad instar solis in totâ fulget Ecclesiâ :* quo fit, ut utraque opinio suâ se probabilitate tueri possit.

SECTIO II.

Utrùm Confirmationes factæ ab episcopis schismaticis, depositis, et excommunicatis excommunicatione majori, valeant.

Pro asserendâ vel negandâ validitate Confirmationis ab episcopis schismaticis et depositis administratæ, nonnulla suppetunt exempla, quorum duo in utramque partem referemus.

Primum erit pseudo-papæ Constantini, qui Romanam Sedem invasit anno 767, statimque ex laico clericus, subdiaconus, diaconus, presbyter, et episcopus à Gregorio Prænestino ordinatus est. Presbyteros autem octo, diaconos quatuor, et episcopos octo ordinavit anno 768, ac tandem in Romanâ synodo depositus est anno 769. Atqui synodus ordinationes, *et quæcumque idem Constantinus in ecclesiasticis sacramentis ac divino cultu egit, iterari jussit, præter sacramentum Baptismi, atque sanctum Chrisma*. Ita refertur in Vitâ Stephani III papæ : *Hæc igitur synodus, improbatis Constantini ordinationibus, facta ab eo Baptismata, factasque Confirmationes approbavit.*

Neque dicas esse duas lectiones, quarum altera refert, à synodo statutum fuisse, ut Stephanus episcopos eos, presbyteros, aut diaconos *consecraret*, altera verò *conciliaret*.

Auxilius enim, qui floruit desinente seculo IX, exemplum illud sibi objiciens, lib. 2 de Ordinationibus à Formoso factis, c. 4, fatetur in eâ synodo sancitum fuisse, ut illi *iterùm à papâ Stephano consecrarentur*.

Alterum erit Photii, cujus Confirmationem (Græcè *unguentum*, τὸ μύρον) legati pontificis Romani (Nicolai I) in Bulgariam missi reprobârunt, omnesque Bulgariæ principes et subjectos chrismate iterùm inunxerunt. Ita synodus VIII generalis, in Epistolâ Græcâ ad Hadrianum II : desunt enim hæc verba in Latinâ versione Anastasii. Neque Photius in suis litteris encyclicis ad orientis patriarchas, quibus graviter apud eos conquestus est de injuriâ sibi illatâ, quòd sui in Bulgariâ à Latinis iterùm chrismate delibuti fuissent, privatim ille queritur de repetitione unctionis à se, vel à presbyteris à se ordinatis collatæ, sed generatim de repetitione unctionis à presbyteris concessæ, quasi unctionis illius conferendæ impotes essent presbyteri, pertineretque ad solos episcopos hæc prærogativa. Græca tamen synodi epistola nullâ interpretationis suspicione laborat. Photii verò licèt schismatici,

et sedis Constantinopolitanæ invasoris ordinationem ratam agnovit Joannes VIII, in epist. 199 ad Basilium Constantinum, et Alexandrum imperatores, quia illum absque ullâ ordinationis iteratione, *in verâ dilectione fratrem; in pontificali officio comministrum, et in pastorali magisterio consacerdotem, pro Ecclesiæ Dei pace et utilitate, amodò, Christo favente, recipit et habet* (eâ tamen lege), *ut misericordiam coram synodo secundùm consuetudinem postulet.* En facta quæ, ut vides, in utramque partem referri possunt, et quæ tamen non ita secum invicem pugnant, ut nullâ ratione possint conciliari; nec, etiamsi conciliari non possent, inde sequeretur ordinationes et Confirmationes ab episcopis excommunicatis factas, irritas prorsùs esse et invalidas. Sed eâ de re alibi, nempe ubi de sacramentis in genere agitur, et de qualitatibus in ministris sacramentorum prærequisitis, vel etiam ubi de ministro ordinationis in tractatu de sacramento Ordinis.

QUÆSTIO TERTIA.

DE CAUSA EXEMPLARI SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Causa exemplaris Confirmationis (quo nomine, ubi de sacramentis agitur, figuras intelligo veteris testamenti) nulla est, ex S. Thomâ. *Confirmatio enim*, inquit ille, 3 p., q. 72, a. 1, ad 2, *quia est sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid respondens in veteri Testamento; quia nihil ad perfectum adduxit lex, ut dicitur ad Hebr.* 7.

Aliud tamen sentiunt Tertullianus, Optatus, Augustinus, Job monachus, et Isidorus Hispalensis, quorum testimonia descripsimus ubi de traditione. Tertullianus enim, lib. de Bapt., ait Confirmationis unctionem descendere *de pristinâ disciplinâ, quâ ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant, ex quo Aaron à Moyse unctus est.* Augustinus ait illam significatam fuisse per unguentum quod è capite in barbam Aaron defluebat: Optatus verò et Isidorus per unctionem, quâ sacerdotes et reges consecrabantur: catechumenus enim, dùm baptizatur, fit rex et sacerdos, quocirca ejus caro mox ungebatur, ut anima consecraretur. Utriusque unctionis, judaicæ, et christianæ, relationem paucis quidem, sed accuratis, verbis explicuit Job monachus, dum ait catechumenos, cùm in ecclesiam admittuntur, tribus sacramentis initiari, baptismo, Confirmatione et Eucharistiâ: eamque consecrationem in Mosaicâ consecratione adumbratam fuisse. *Primò*, inquit, *nunc baptizamur, deinde unguento ungimur, inde pretioso sanguine dignamur. Sic prorsùs et Moyses hæc adumbrans, abluit primò aquâ eos qui consecrabantur, mox induit et cingit, deinde confert olei unctionem, et tum sanguine aspergit atque ad panis sumptionem adducit.* Alludit Job ad Mosaicam sacerdotum consecrationem Exodi 30, et Levit. 8 descriptam. Primùm enim futurum sacerdotem abluebant, eumque statim induebant subuculâ lineâ et tunicâ hyacinthinâ; mox caput ejus tiarâ coronabant; deinde caput ungebant: immolabant sacrificia: carni panibusque oblatis participabat sacerdos: quibus absolutis ritibus manebat septem diebus in tabernaculo, die ac nocte observans custodias Domini; atque ita complebatur ejus consecratio. Eosdem ritus, eodemque ordine in antiquis catechumenis observare licet. Primùm quidem abluebantur; mox induebant tunicam albam; deinde coronabantur, ungebantur in fronte, Eucharistiæ sacrificium offerebatur pro illis, participabant corpori et sanguini Christi, septem diebus in ecclesiâ mane et serò incumbebant orationi, ejus consecrationis solemnitas octavâ die, seu dominicâ in albis desinebat: is erat antiquus ordo. Coronatio quidem aliquibus in locis eucharistiæ participationem sequebatur: hinc Severus patriarcha Antiochenus, lib. de Baptismo: *Elevant baptizatos ad altare, eisque dant mysteria et sertis coronat eos sacerdos.* Alibi verò post indutam vestem albam fieri solebat. Hinc ordo Baptismi secundùm usum Æthyopum: *Tum induunt, qui baptizati sunt vestem albam et coronam super capita sua ex myrtho et palmâ.* Hinc Honorius Augustodunensis, lib. de Gemmâ animæ, cap. 112: *Deinde mitra capiti ejus imponitur, veste albâ induitur, quia in regnum et sacerdotium assumitur. Per mitram corona regni, per albam sacerdotis dignitas exprimitur, quia videlicet Christi regis et sacerdotis membrum efficitur.* Cæterùm Mosaicam sacerdotis unctionem Hebræorum magistri tradunt sic factam fuisse, ut oleum ejus capiti primò effunderetur, inde illiniretur super oculos in formam Græcæ litteræ Chi, hoc modo X. Verba sunt Maymonidis apud Schikardum, lib. de Jure regio Hebr., c. 1: *Quomodò ungebant sacerdotem? effundebat oleum capiti ejus, et illiniebat inde super oculos ad speciem Chi Græci, taliter X.* Ex quibus liquet pene eamdem fuisse illam veterem Mosaici sacerdotis unctionem cum eâ quam postea in fronte fecerunt christiani. Utraque enim in crucis formam ducebatur, hoc tantùm discrimine, quòd Judaica decussatam, christiana rectam crucem referat. Præterea unguentum, ex quo fiebat hæc unctio Judaica, sanctum erat. Laico non licebat illud tangere, vel odorari, ejusque sanctitas et compositio, quæ ex pluribus erat aromatibus, accuratè describitur, Exodi 30. Eadem est unguenti christiani ratio, cujus sanctitas apparet ex patribus citatis ubi de traditione, præsertim ex Optato: et cujus compositio in oriente ex triginta et ampliùs odoribus fieri solet, quamvis in occidente fiat ex oleo tantùm et balsamo. De variis figuris Mosaicis per quas confirmatoria unctio adumbrabatur, videsis auctorem sermonis de unctione apud Cyprianum.

Manuum quoque impositionem in veteri Testamento figuratam fuisse per impositionem manuum, quâ Jacob suis nepotibus benedixit, asserit Tertullianus in eodem libro de Baptismo. *Dehinc*, inquit, *manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum*, etc., *sed est hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Joseph, Ephraim, et Manassem, Jacob capitibus impositis et intermutatis manibus benedixerit*, etc. Judæi actiones religiosas facturi manus solebant iis imponere, quorum causâ actiones

illas instituebant. Benedicturi manus imponebant, ita Jacob Ephraimo et Manasse manum imposuit, Geneseos 48. Dona quædam spiritualia impertituri manus imponebant. Sic *Josue repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas*, Deuteron. 34. Sacrificaturi manus super hostiam imponebant; sic Aaroni et filiis ejus præcipitur ut vitulum coram testimonii tabernaculo mactaturi, *manum applicent super caput illius*, Exodi 29. Ducem aliquem constituturi manus ei imponebant; sic Moyses *posuit manum super Josue, ut audiret eum omnis synagoga filiorum Israel*, Numerorum 27. Similiter in novo Testamento Dominus noster Jesus Christus, ipsiusque apostoli manuum impositionem in variis actionibus usurpàrunt. Eos quoque imitata est Ecclesia christiana; tribus verò potissimùm Sacramentis antiquitas nomen impositionis manuum indidit, Confirmationi, Pœnitentiæ et Ordini; Sacramentum Confirmationis vocat *manûs impositionem in Spiritum sanctum;* Sacramentum Pœnitentiæ, *manûs impositionem in Pœnitentiam;* Ordinis verò Sacramentum, *manûs impositionem* simpliciter.

Denique proprium Confirmationis effectum in veteri Testamento adumbratum fuisse asserit Tertullianus, lib. de Baptismo, c. 8 : *Tum ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens à Patre descendit*, etc., *ne hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodùm enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum* (ut ita dixerim) *mundi, pacem cœlestis iræ, præco columba terris annuntiavit demissa ex arcâ, et cum oleâ reversa; quod signum etiam apud nationes paci prætenditur : eâdem dispositione spiritalis effectus, terræ, id est, carni nostræ, emergenti de lavacro post vetera delicta, columba sancti Spiritûs advolat pacem Dei afferens, emissa de cœlis, ubi ecclesia est, arca figurata.*

QUÆSTIO QUARTA.

DE SUSCIPIENTE SEU CAUSA SUBJECTIVA CONFIRMATIONIS.

De ætate ad Confirmationem requisitâ, et dispositionibus ad illam necessariis hìc agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CONNEXIONE UTRIUSQUE SACRAMENTI BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS, ET DE ÆTATE IN SUSCIPIENTIBUS REQUISITA.

Utrumque Baptismi et Confirmationis Sacramentum primis Ecclesiæ seculis semper connexum fuisse, adeò ut Baptismum Confirmatio statim sequeretur, cùm adesset episcopus, trita hæc est eruditorum doctrina. Ista tamen duo Sacramenta in Corinthiis ad quos Paulus scripsit, separata fuisse Irenæus apertè innuit, lib. 4 adversùs Hæreses, cap. 75, et in Fragmentis : *Paulus*, inquit, *Corinthiis ait : « Lac vobis « potum dedi, non escam; nondùm enim poteratis por- « tare; » hoc est, humanam Christi præsentiam didicistis : sed Spiritus Patris, ob vestram infirmitatem, nondùm super vos requiescit. « Cùm enim sit inter vos « zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundùm « hominem ambulatis? » id est, necdùm Patris Spiritus cum illis erat, propter imperfectionem eorum, et infirmitatem conversationis Quemadmodùm igitur Apostolus poterat quidem dare escam* (quibuscumque enim manus imponebant apostoli, recipiebant Spiritum sanctum, qui est esca vitæ), *illi autem non poterant illam recipere, propterea quòd sensa mentis adhuc imbecillia et inexercitata ad res divinas haberent, sic et ab initio poterat quidem Deus homini conferre perfectionem. Sed hic nuper productus non poterat, aut illam accipere, aut acceptam capere, aut captam continere.* Igitur ex mente Irenæi Paulus Corinthiis jampridem baptizatis non dederat escam, id est, Spiritum sanctum, qui est esca vitæ; et quem fideles per manûs impositionem ab apostolis accipiebant. Paulus tamen ad Hebr., c. 6, confirmatoriam manûs impositionem cum baptismo conjungit : *Rursùm jacientes*, inquit, *fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum;* eaque praxis ac consuetudo conjungendi utriusque Sacramenti in Ecclesiâ diù perseveravit. Hinc Tertullianus, Cyprianus, Patres Illiberitani, Patres Laodicenses, Optatus, Pacianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, aliique Baptismum et Confirmationem conjungunt. Baptismum enim Confirmatio proximè sequebatur, cùm adesset episcopus; cùm verò abesset, primà datâ occasione; unde Hieronymus, dialogo adversùs Luciferianos, testatur hanc fuisse tempore suo ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati erant, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurreret.

Omnis igitur ætas, sive infantilis, sive adulta, erat idonea Confirmationi, quia omnis ætas idonea erat Baptismo, cui Confirmatio adhærebat; hinc S. Thomas 3 p., q. 72, a. 8, probat hoc Sacramentum omnibus exhibendum esse, quia *per illud promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturæ, multò magis de intentione Dei ex cujus imitatione hoc natura participat omnia ad perfectionem producere. Anima autem, ad quam pertinet et spiritualis nativitas et spiritualis ætatis perfectio, potest, sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi; ita tempore juventutis vel pueritiæ consequi perfectam ætatem.* Hinc ad 2, ait de hâc ætate perfectâ, quam pueri confirmati consequuntur, dictum esse, Sap. 4 : *Senectus venerabilis est non diuturna, neque numero annorum computata.* Hinc ibidem asserit quòd *multi in pueritiæ ætate propter robur Spiritûs sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.*

Usus verò confirmandi pueros in Ecclesiâ diù multùmque permansit. Meminit Innocentius I, in Epistolà ad Decentium, cap. 3, de Consignandis Parvulis; meminit Augustinus, tractatu 6 in 1 Joannis Epistolam; meminit Gennadius, cap. 52 libri de eccles. Dogmat.; meminerunt Ordo Romanus, aliique libri rituales seculorum VIII, IX, X, XI, rituum, quibus parvuli consignari debent. Odo episcopus Parisiensis, qui Mauritio successit anno 1196 vel 1197, in syno-

dicis Constitutionibus statuit : 1° *Ut sacerdotes frequenter moneant populum ad Confirmationem puerorum ;* 2° *quòd post Baptismum debet suscipi Sacramentum Confirmationis ;* 3° *ut sæpè dicatur laicis, ne expectent diù ad confirmandum pueros , adventum episcopi, sed ducant eos ad eum , nisi adesse audierint propè.* Richardus Poore, episcopus Sarumensis in Angliâ, in suis Constitutionibus, cap. 24, quatuor edicit : 1° *Cùm Sacramentum Confirmationis ad robur detur parvulis, frequenter sacerdotes moneant populum ad Confirmationem puerorum ; post Baptismum enim suscipi debet Sacramentum Confirmationis ;* 2° *si ultra quinque annos ad plus puer fuerit per negligentiam et injuriam parentum non confirmatus , tam pater quàm mater ab ingressu Ecclesiæ tamdiù suspendantur , quousque puer confirmetur ;* 3° *simili pœnæ subjacebit sacerdos, qui circa hoc negligens extiterit ;* 4° *si adultus in Quadragesimâ, vel alio tempore ad communionem venerit , nondùm confirmatus* (quod diligenter inquirendum est) *mittatur ad episcopum confirmandus.* Constitutiones illæ vulgò referuntur ad annum 1217 ; verùm illæ anno 1222 posteriores sunt cùm in earum capite ultimo mentio fiat Oxoniensis concilii anno 1222 celebrati. S. Edmundus archiepiscopus Cantuariensis in suis Constitutionibus, cap. 39, ad annum 1236 : *Sacerdotes frequenter moneant populum ad Confirmationem puerorum ; post Baptismum enim suscipi debet Sacramentum Confirmationis.* Synodus Oxoniensis in Angeliâ, anno 1287 , c. 3 : *Quoniam in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam, eò quò nobis est magna et gravis colluctatio adversùs principem tenebrarum ;* quapropter (observa rationem quæ præcessit) *sacerdotibus parochialibus districtè præcipimus , ut parochianos suos sæpiùs moneant, quatenùs parvulos suos , quos priùs baptizatos esse constiterit , procurent quàm citiùs poterunt , confirmari. Et ne ob parentum negligentiam ipsos contingat absque Confirmatione diutiùs remanere , statuimus ut parvuli, infra triennium à tempore ortûs sui, Confirmationis recipiant Sacramentum ; dùm tamen proprii vel alieni episcopi copia habeatur : alioquin parentes ex tunc quàlibet sextâ feriâ in pane et aquâ jejunent , donec pueri confirmentur.* Rigidos se canonum ad Confirmationem pertinentium observatores exhibuerunt Angli.

Aliter se res habuit in Germaniâ , Galliis et Italia. Synodus Coloniensis, anno 1280, c. 5 , id unum edicit : *Presbyteri moneant parentes ut pueros nondùm confirmatos ad episcopum, qui solus potest confirmare, ducant septennos, vel majoris ætatis.* Idem ferè habet synodus Lingonensis anno 1404. Synodus Coloniensis anno 1536, parte 7, c , 9 , ait *se non definire an expediat imitari consuetudinem, quâ observatur, ut nedùm adultis, sed et infantibus detur Confirmatio ; convenientius tamen et utilius esse, si infans supra septimum ætatis annum progressus fuerit, ut ea quæ aguntur intelligat.* Concilium Mediolanense I, anno 345 , parte 2, c. 3 : *Minori septennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur.* Concilium V Mediolanense , anno 1579, parte 1, c. 8, postquàm episcopum monuit ut ægrotantes nondùm confirmatos *charitate paternâ invisat et ritè confirmet*, subjicit : *Alio decreto, quod in concilio provinciali primo sancivimus , cautum est , ne Confirmationis Sacramentum iis præberetur, qui annis septem minores natu sint : si tamen episcopus ob aliquam causam justam, atque adeò necessariam , parvulo et infanti, qui non modò eam ætatem expleat , sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit , ne sit vetitum.* Synodus Turonensis, anno 1583, c. 7 : *Ut Confirmationis Sacramentum decentiùs conferatur, statuit ne ad illud facilè minores septennio admittantur.* Synodus Bituricensis, anno 1584 , titulo 30, can. 4 : *Non offerantur ad Sacramentum Confirmationis, nisi qui septimum annum attigerint, ut symbolum fidei profiteri per se possint.* Synodus Aquensis , anno 1585 , cap. de Confirmationis Sacramento : *Ne episcopi hoc Sacramentum minoribus natu annis septem ministrent, nisi illis justa aliqua causa aliter videatur.* Synodus Tolosana, anno 1590, parte 2, c. 3, n. 4 : *Nisi summa quædam impellat necessitas , septennio minores pueri nequaquàm veniant ad Confirmationem admittendi.* Synodus Narbonensis, anno 1609, c. 15 : *Pueri non admittantur ad hoc Sacramentum nisi sint perfectæ ætatis, vel ad minùs qui annum septimum attigerint ;* sic paulatim antiqua disciplina defecit. Synodus Coloniensis, anno 1280, liberum reliquit ut pueri ante vel post septem annos confirmarentur ; idem sentit Lingonensis, anno 1404. Coloniensis, anno 1536 , dicit convenientius et utilius esse ut post septem annos susciperent illud Sacramentum. Mediolanensis I, anno 1565, decrevit septennium requiri ; quod generali et receptæ duodecim et eò ampliùs seculis in Ecclesiâ praxi contrarium animadvertens, Mediolanensis V , decretum illud emollivit , permittens ut parvuli ante septennium *ob aliquam causam justam* confirmari possent. Turonensis, anno 1583, prohibuit ne id *facilè* fieret ; Aquensis, 1585, ne id fieret , *nisi justâ de causâ ;* Tolosana, anno 1590, *nisi summa* esset *necessitas ;* Narbonensis , anno 1609, absolutè prohibuit : quin etiam eò inclinat ut pueri non modò septimum annum, *sed et perfectam ætatem* attigerint , antequàm confirmentur. Veterem tamen usum retinendum innuit pontificale Romanum jussu Clementis VIII editum : *Pontifex infantes, pueros , vel alios sacri Baptismatis undâ perfusos confirmare volens*, etc. Cæterùm qui adultos ægrotos vel parvulos, eos etiam qui antequàm ad rationis usum pervenerint, moriuntur, confirmare vel confirmari negligunt, attendant, quæso , ad hæc verba S. Thomæ 3 p., q. 72, a. 8, ad 4 : *Etiam morituris hoc Sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundùm illud ad Ephes.* 4 : « *Donec occurramus omnes in virum perfectum , in mensuram ætatis plenitudinis Christi ;* » *et ideò Hugo de sancto Victore dicit omninò periculosum esse, si ab hâc vitâ sine Confirmatione migrare contingeret ; non quia damnaretur, nisi fortè propter contemptum , sed quia detrimentum perfectionis pateretur ; unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur , sicut et hic majorem obtinent gratiam.* Divo Thomæ

consentit Matthæus Galenus, catechesi 119, p. 367: *Debet*, inquit, *hoc Sacramentum etiam pueris infantibusque conferri; de quibus pessimè merentur, qui in septimum vel decimum annum differunt: cùm enim ea vis, quam diximus, exerat sese in eos omnes qui non obturant rivos fluentis gratiæ, profectò iis omnibus charismatibus infantes spoliat, tantùmque cœlestis gloriæ detrahit, quibus hinc properatâ morte præreptis noluit hoc dari Sacramentum, quantùm beneficiorum Christi per hoc labrum eis communicari vetuit.*

De amentibus idem quod de pueris, sentiendum mihi videtur ex Gennadio, c. 52 libri de Dogmat. eccles.: *Si parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos offerunt juxta morem baptizandi, et sic manûs impositione, et chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur. Sicut enim infantilis ætas non patitur fictionem, quâ sacramenti effectus impediatur*, ex S. Thomâ, in 4, d. 7, q. 3, a. 2, ita nec rationis privatio in amente.

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONIBUS AD ILLUD SACRAMENTUM REQUISITIS.

Eædem olim erant dispositiones ad Confirmationem, quæ ad Baptismum; utrumque enim simul conferebatur. Quin etiam Paulus ex mente Irenæi plura in Corinthiis requisivit ad Confirmationem quàm ad Baptismum, ex capite superiori. Verùm quantæ ad illud Sacramentum dispositiones olim necessariæ judicarentur, nemo ex antiquis luculentiùs innuit quàm Tertullianus, libro de Baptismo, cùm docet Baptismum non conferre Spiritum sanctum, sed delictorum ablutione vias præparare superventuro per Confirmationem Spiritui sancto, sicut Joannes Christo venturo vias præparabat. Textum descripsimus ubi de mente illius auctoris, parte 1, col. 585.

Si quis verò synodos posteriores consulat, tres aut quatuor dispositiones ab illis requiri observabit, doctrinam, sanctificationem, orationem et jejunium.

Doctrinam olim in Oriente in quibusdam saltem ecclesiis præcessisse Confirmationem, apparet ex Chrysostomo, Eulogio Alexandrino, et Maximo martyre, locis supra citatis, col. 746. Chrysostomus enim, homilià 9 in caput 6 ad Hebræos, ad hæc verba: *Baptismatum, doctrinæ, impositionis quoque manuum* (virgulâ inter vocabula *baptismatum* et *doctrinæ* interpositâ), tria distinguit, baptismum, doctrinam et manuum impositionem; quocirca ex illius mente uberior ad Confirmationem quàm ad Baptismum doctrina requirebatur. Verùm doctrina de quâ Chrysostomus, longè alia erat ab ea quam synodi recentiores postulant. Illa enim de quâ Chrysostomus, doctrina erat quâ neophyti, antequàm manuum impositionem acciperent, *docebantur quid agere deberent, et quid non deberent*, ista verò, de quâ synodi recentiores ipsissima est doctrina christiana quam vulgus scire tenetur. Hinc synodus Narbonensis, anno 1609, c. 15, non solùm ab adultis, sed etiam à pueris exigit *ut orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, et decem præcepta Decalogi nôrint.*

Sanctificationem verò necessariam esse concedunt omnes theologi; Confirmatio enim vivorum dicitur, non mortuorum Sacramentum.

Orationem denique et jejunium, non modò privata, sed publica et totius Ecclesiæ prærequisita fuisse apparet ex synodo Bituricensi, anno 1584, quæ titulo 20, can. 7, innuit, eam ætate suâ fuisse praxim, ut episcopi Confirmationem post jejunium quatuor temporum celebrarent. *Curent episcopi hoc Sacramentum post jejunium quatuor temporum de more celebraturi, ut dominicâ præcedente per singularum paræciarum rectores et prædicatores moneatur populus de ejus necessitate, virtute, cique debitâ reverentiâ.* Apparet etiam ex synodo Briocensi, anno 1300, quæ cap. 5 decernit ut fideles, duabus licèt vel tribus abhinc leucis distantes, ducente eos pastore, comitantibus sacerdotibus, et cruce præcedente, accedant ad episcopum visitationis munere fungentem, sermonem audituri, et Confirmationem ab eo accepturi, *etiam jejuni, si fieri potest.*

Is enim mos erat antiquus, ut pontifices et fideles hoc Sacramentum jejuni ministrarent et acciperent. Constat ex Ordine romano, et ex libro de divinis Officiis, qui Alcuino tribuitur, vel ipsos infantes etiam lactentes, ad serotinum usque tempus jejunâsse, ut sabbato sancto baptizati, vespere Spiritum sanctum per manûs impositionem susciperent. Concilium Aurelianense, c. 3, *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis.* Ita refert Gratianus de Consec., dist. 5, cap. *Ut jejuni;* quæ tamen verba, quod sciam in Aurelianensi concilio non leguntur, sed habentur in Capitulis Herardi archiepiscopi Turonensis, anno 858 editis, c. 75. Synodus Meldensis, cap. 6, ut episcopi non nisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant, exceptis infirmis et morte periclitantibus. Ita Gratianus, ibidem cap. *Ut episcopi.* Verùm nec illa verba in aliquo Meldensi concilio leguntur, sed in Parisiensi anno 829 coacto, lib. 1, c. 33, quo Patres prohibent *ne episcopi post perceptionem cibi et potûs, per impositionem manuum tradant Spiritum sanctum,* 1° *quia id tam excellenti ministerio prorsùs non convenit;* 2° *quia sicut apostoli unanimes existentes, Deumque collaudantes et benedicentes, ita nimirùm jejunantes accipere meruerunt paracletum Spiritum sanctum;* 3° *quia apostolos non nisi jejunos, sicut eorum Acta docent, aliis Spiritum sanctum tradidisse manifestum est;* 4° *sicut Baptismus exceptâ infirmorum causâ, non nisi à jejunis celebratur sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritûs sancti, exceptâ præmissâ causâ infirmorum, non nisi à jejunis celebranda est pontificibus. Dignum quippe est, ut pontifices Christi primùm jejunando et orando in cordibus suis domum præparent Spiritui sancto, et sic per impositionem manuum cæteris fidelibus eum tradant orando.* Concilium Rothomagense anno 1072, c. 7: *Donum sancti Spiritûs non detur nisi jejunis, et à jejunis.* Synodus Bajocensis, anno 1300, c. 5, vult ut fideles, duabus licet, vel tribus abhinc leucis distent, accedant ad pontificem, accepturi ab eo Confirmationem, *jejuni etiam, si fieri potest.* Synodus Coloniensis, anno 1536, parte 7, c. 9: *Jejuni ad Confirmationem veniant.* Sy-

nodus Mediolanensis IV, anno 1576, parte 2, c. 3 : *Admoneant ut jejuni illud suscipiant, cùm mane ministratur*. Synodus Tolosana, anno 1590, parte 2, c. 3 : *Parochus ad illud* (Sacramentum) *debitè suscipiendum adultos jejunos accedere hortetur*. Synodus Narbonensis, anno 1609, c. 15 : *Adultos jejunos accedere hortentur, si horâ matutinâ hoc Sacramentum conferatur*. Liberum igitur reliquit ut illud Sacramentum post comestionem horis pomeridianis administretur. Sic etiam quoad illud caput antiqua disciplina paulatim defecit. Primùm quidem synodi præceperunt ut Confirmationem suscepturi jejuni accederent; deinde hortatæ sunt; denique liberum fecerunt. Antiquam tamen praxim retineri vult Pontificale Romanum jussu Clementis VIII editum, ut *confirmandi deberent esse jejuni*.

Veniamus modò ad confessionem quam Confirmationi prærequiri affirmant alii, alii negant.

Affirmanti opinioni favent concilium Aurelianense, c. 3, de quo Gratianus de Consecr., dist. 5, c. 6, *Ut jejuni*. Et ante Gratianum Ivo, parte 1, c. 254, et ante Ivonem Burchardus, lib. 4, c. 60 : *Moneantur confessionem facere priùs, ut mundi donum sancti Spiritûs valeant accipere*. Herardus episcopus Turonensis, in suis capitularibus, anno 858, cap. 75 : *Moneantur confessiones dare priùs, ut mundi donum sancti Spiritûs valeant accipere*. Odo episcopus Parisiensis, qui floruit desinente seculo XII, c. 4 : *Si confirmandus adultus fuerit, confiteatur priùs, et postea confirmetur*. S. Edmundus episcopus Cantuariensis, in Constitutionibus, anno 1236, c. 39 : *Si confirmandus adultus fuerit, monendus est per sacerdotem loci, ut priùs confiteatur, et postea confirmetur*. Synodus Coloniensis, anno 1280, c. 5 : *Confirmandi si fuerint decem annorum vel ultra, priùs suis sacerdotibus confiteantur, quàm confirmentur*. Synodus diœcesana Bajocensis, anno 1300, c. 5 : *Adulti qui debent confiteri, et qui confirmandi fuerint, priùs confiteantur, si tempus habent confitendi*. Synodus diœcesana Lingonensis, anno 1404 : *Priusquàm quis confirmetur aut chrismetur, confiteatur peccata sua, et sit jejunus si fieri potest*. Synodus diœcesana Trecensis anno.... : *Si confirmandus est adultus, antequàm confirmetur instruatur ut confiteatur peccata sua*. Synodus diœcesana Senonensis, anno 1524 : *Illud Sacramentum pœnitentes et confessi, et si fieri potest, jejuni recipiant*. Synodus diœcesana Carnutensis (refertur apud Bochellum, lib. 2 Decret. eccles. Gallic., c. 58), anno 1526 : *Suscepturos hoc Sacramentum, ut sint jejuni, si commodè fieri posset, et si adulti fuerint, sint contriti et confessi*. Synodus provincialis Coloniensis, anno 1536, c. 9 : *Moneantur confessionem sacramentalem facere, priusquàm accesserint*, etc. Synodus diœcesana Parisiensis (apud Bochellum ibid. c. 66), anno 1557 : *A cibo abstinens, si commodè potest, et sacramentali confessione purgatus, Confirmationis Sacramentum religiosè suscipiat*. Synodus provincialis IV Mediolanensis, anno 1576, c. 3 : *Qui adultâ ætate confirmandi sunt, primò de peccatis confiteantur*. Synodus provincialis Rothomagensis, anno 1581, cap. de Confirm. : *Adultis non nisi confessis et profitentibus Symbolum apostolicum, tradant hoc Sacramentum*. Synodus provincialis Remensis, anno 1583, cap. de Confirmat. : *Conferant illud Sacramentum iis qui aliquem usum rationis habent, confessis, et si commodè fieri potest, jejunis*. Synodus provincialis Remensis, anno 1584, c. 7 : *Adulti non nisi prævià peccatorum confessione admittantur*. Synodus provincialis Bituricensis, anno 1584, titulo 20, can. 8 : *Moneantur omnes confirmandi, ut ante hujus Sacramenti susceptionem peccata sua confiteantur*. Synodus provincialis Aquensis, anno 1585, c. de Confirmatione : *Qui adultâ ætate confirmandi sunt, primò de peccatis confiteantur*. Synodus provincialis Tolosana anno 1590, parte 2, c. 3 : *Adultos peccata confiteri hortetur*. Synodus provincialis Mechliniensis, anno 1607, titulo 4, cap. 2 : *Moneant confessionem præmittendam à confirmandis*. Synodus provincialis Narbonensis, anno 1609, c. 15 : *Adultos peccata confiteri hortentur*. Catechismus Tridentinus : *Ut qui adultâ jam ætate confirmandi sunt, si quidem hujus Sacramenti gratiam et dona consequi capiant, eos non solùm fidem et pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere oporteat. Quâ in re laborandum est, ut peccata etiam priùs confiteantur, et pastorum cohortatione ad jejunia et alia pietatis opera suscipienda incitentur, admoneanturque laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem renovandam esse, ut non nisi jejuni hoc Sacramentum susciperent*.

Pro eâdem affirmante sententiâ laudari possunt synodus provincialis Cameracensis II, et diœcesanæ Atrebatensis sub Francisco Richardoto, Audomarensis sub Joanne VI, et Yprensis sub Martino Rythovio, ex Sylvio, 3 p., q. 72, a. 7.

Pro negante vero opinione stant conventus Melodunensis, anno 1579 : *Adulti inconfessi accedere haud præsumant, aut saltem sine maximo peccatorum dolore commissorum, et proposito confitendi*. Synodus provincialis Burdigalensis, anno 1583 c. 10 : *Moneantur etiam, qui adulti sunt, ut ad tantum Sacramentum non accedant, nisi præmissâ peccatorum confessione, aut saltem maximo peccatorum dolore, et maturè confitendi proposito*. Synodus diœcesana Burdigalensis, anno 1624 : *Curent ut adulti, vel antea de peccatis confiteantur, vel compuncto animo Sacramentum recipientes, quamprimùm ad pœnitentiam accedant, ne quid scilicet præposterè, inordinatè et sine fructu fiat*. Pontificale Romanum jussu Clementis VIII editum : *Adulti debent priùs peccata confiteri, et postea confirmari; vel saltem peccata, quæ admiserunt, doleant*. Trita hæc est theologorum sententia, quorum tamen rationes et momenta levia mihi videntur.

Cæterùm difficultas, quam supra proposuimus, de libertate vel necessitate confessionis in hæreticis, qui foris baptizati, ad Ecclesiam redeunt, et statim confirmantur, nihil habet affine cum eâ quam modò versamus quæstione. Hic enim agitur de Catholicis qui post susceptam gratiam baptismalem peccaverunt, antequàm confirmentur, atque adeò quorum peccata virtute solius pœnitentiæ remitti possunt.

Pars tertia.

DE EFFECTU CONFIRMATIONIS.

Confirmatio est Sacramentum quod gratiam sanctificantem adauget, christianum perfectum efficit, et characterem imprimit.

QUÆSTIO PRIMA.

DE PRIMO CONFIRMATIONIS EFFECTU, SEU GRATIA SANCTIFICANTE.

Tria hìc inquiremus : Quid hæretici senserint, quid fides catholica doceat, quid controvertatur apud orthodoxos.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ERRORIBUS CIRCA PRIMUM CONFIRMATIONIS EFFECTUM.

Potissimus Confirmationis effectus, est gratia sanctificans, quæ dicitur gratia perfectionis, roboris et virtutis, seu *gratia quæ datur ad augmentum et firmitatem justitiæ*, ex S. Thomâ, 3 part., q. 72, a. 7, ad 1, quia regeneratis, qui sunt *quasi modò geniti infantes*, robur et vires confert ad superandas tentationes, et fidem coram tyrannis confitendam. Hæc est Catholicorum doctrina, quam recentiores hæretici totis viribus impugnant.

Lutherus, lib. de Captivitate, virtutem confirmandi tribuit Eucharistiæ. Eâ enim martyres ad pugnam olim roborabantur. Kemnitius, in Examine concilii Trident., ait *pontificiam doctrinam de Confirmatione cum insigni injuriâ et contumeliâ Baptismi conjunctam esse : pontificios dicere in Baptismo non dari Spiritum sanctum ad pugnam contra diabolum; et tamen in actione Baptismi multis verbis, et exigi, et fieri abrenuntiationem Satanæ. Dicere pontificios in Baptismo non dari Spiritum tuentem et defendentem, et tamen baptistam in ipsâ actione Baptismi orare : « Qui te regeneravit ex aquâ, »* etc., *custodiat te in vitam æternam.* Confirmationis igitur virtutem Baptismo tribuit.

Kemnitium Lutherani sequuntur.

Calvinus verò, cæteris audacior, adversùs præfatam doctrinam ita insurgit, lib. 4 Instit., c. 19, n. 8 : *Verùm propiùs adhuc inspiciamus, quot monstra foveat altaque hæc pinguedo. Dicunt isti unctores, Spiritum sanctum in Baptismo ad innocentiam dari, in Confirmatione ad gratiæ augmentum. In Baptismo nos regenerari ad vitam, in Confirmatione nos ad pugnam instrui. Et ideò nihil eos pudet, ut negent Baptismum ritè sine Confirmatione perfici posse. O nequitiam!* Et post alia : *Videte malitiam et sonticam Satanæ fraudem, qui ex Deo estis. Quod verè in Baptismo dabatur, in suâ Confirmatione dari mentitur; ut furtim incautos à Baptismo abducat. Quis jam dubitet, hanc Satanæ esse doctrinam quæ promissiones Baptismi proprias, à Baptismo abscissas aliò derivat et transfert?* Ut autem illos effectus Baptismo proprios esse probet, tria refert testimonia : Primum ad Rom. 6, v. 4, ubi asseritur quòd *vetus homo noster in Baptismo confixus est, quo nos in novitate vitæ ambulemus.* Quid est instrui ad pugnam, nisi hoc est? Secundum ex concilio Milevitano : *Qui dicit Baptismum in remissione peccatorum dari tantùm, et non adjutorium futuræ gratiæ, anathema sit.* Tertium ad Gal. 3, v. 27, ubi *omnes qui in Christo baptizati sunt,* dicuntur *Christum induisse cum suis donis.*

In Antidoto verò concilii Trident., ad canonem 2 de Confirm., sess. 7 : *Crepent licèt, nihil proficient, negando se in Spiritum Dei esse contumeliosos, ejus virtutem dùm ad putidum oleum referunt.* Ex his apparet Calvinum Baptismo tribuere virtutem Confirmationis.

Utriusque hæresiarchæ, Lutheri et Calvini doctrinam amplectitur Dallæus Calvinista, lib. 1 de Confirm., c. 2 : *Causantur spirituali robore ad mystica adversùs persecutores certamina opus fuisse : quasi verò Spiritus ille, quem in genitali Christi undâ hausimus, in eis sit vel ignavus, vel cor non confirmet panis ille, quem in Domini mensâ invadimus.* Quod ut probet, adducit illud 2 ad Timoth., c. 1 : « *Non dedit nobis Spiritum « timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. Noli « itaque erubescere testimonium Domini.* » *Vel ergo negatum nos Spiritum et in Baptismo et in Eucharistiâ accipere; vel certè confitere, quod res est, post donata cœlestia illa præsidia, nullam nobis suscipiendæ unctionis istius tuæ necessitatem.* Adducit et illud Cypriani in epist. 56 ad Thibaritanos : *Milites Christi considerent idcircò se quotidiè calicem sanguinis Christi bibere ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Adducit et aliud ex epist. 54 ad Cornelium : *Non morientibus, sed viventibus communicatis,* etc., quo loco Cyprianus duo docet : Prius, Eucharistiâ nos ad prælia christiana *armari, muniri, protegi;* eam *contra adversarium protectionem, tutelam,* ac *munimentum* esse; alterum idoneum esse non posse ad martyrium, cui Eucharistia denegatur. *Quomodò docemus, aut provocamus eos in confessione nominis Christi sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodò ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos priùs ad bibendum in Ecclesiâ poculum Domini jure communicationis admittimus?* Et post alia : *Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesiâ non armatur ad prælium; et mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit et accendit.* Denique profert ipsum S. Thomæ ratiocinium, 3 p., q. 73, a. 1, in c. : *In vitâ corporali specialis quædam perfectio est, quòd homo ad perfectam ætatem perveniat, et perfectas ho-*

minis actiones agere possit. Et inde est etiam quòd præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis ducitur ad perfectam ætatem. Sic igitur et vitam spiritualem homo accipit per Baptismum, qui est spiritualis regeneratio. In Confirmatione autem homo accipit quasi quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ. Quibus Dallæus : *Imò, ô Thomâ, non in tuâ Confirmatione, sed in Domini Eucharistiâ perfecta illa ætas accipitur. Certè tua ratiocinatio id conficit. Nam in naturâ, unde tu argumentaris, notum est nos, quibus nutrimur, iisdem augeri et crescere, et ita ad ætatem perfectam perduci. Cùm ergo in spiritualibus nos per Eucharistiam nutriri, et clarum sit, et confessum, simile illud tuum (si valet) efficit ut per Eucharistiam quoque spirituale incrementum habeamus, atque ita ad ætatem perfectam deducamur. Quinimò, si res ad tuum simile exigatur, apparebit Confirmationem malè ad eum, quem urges, augmenti motum esse comparatam : Eucharistiam optimè. Nam ut in naturâ non simul ac semel, sed sensim paulatimque crescimus, et ad ætatis perfectionem pervenimus, non semel, sed sæpiùs, iterùm atque iterùm cibis utentes ; ita et in gratiâ ex eâdem à te constitutâ analogiâ, decet nos id, per quod crescimus, Sacramentum sæpiùs sumere ; quod, ut omnes vident, Eucharistiæ quidem convenit, à Confirmatione verò, quam vos iterari vetatis, alienum est.*

Quam igitur Confirmationi virtutem tribuunt orthodoxi, eam Lutherus adscribit Eucharistiæ; Kemnitius, Lutherani, et Calvinus Baptismo; Dallæus utrique Sacramento.

ARTICULUS II.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

Catholicorum, ut dixi, doctrina hæc est, Confirmationem producere gratiam sanctificantem, quæ datur ad perfectionem, robur, virtutem, augmentum et firmitatem justitiæ per Baptismum acquisitæ; seu per Pœnitentiam reparatæ.

Quòd illa gratiam sanctificantem conferat, totâ ferè parte primâ demonstratum est.

Gratia verò perfectionis dicitur à Patribus Illiberitanis, can. 38 : *Si baptizatus supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manùs impositionem perfici possit;* et can. 77 : *Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Ab Ambrosio, lib. 3 de Sacramentis, c. 2 : *Post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* A Photio in epist. ad patriarchales sedes Orientis : *Baptizat sacerdos baptizatum perficiens,* etc. Ab Ivone Carnutensi, sermone de Sacramentis neophytorum : *Hoc sacramento, post aquam perfectio fit.* A Gofrido Vindocinensi, opusculo 8 : *Confirmatio fieri jubetur ab episcopis ad totius perfectionis similitudinem : quæ idcircò fieri jubetur in fronte, quia perfectorum est. Apostoli antequàm hâc unctione ungerentur et Spiritu sancto confirmarentur, nondùm perfecti erant, adhuc timebant,* etc. *Gratia roboris et virtutis* appellatur à Tertulliano, de Resurrectione carnis, c. 8 : *Caro ungitur ut et anima consecretur ; caro signatur, ut et anima muniatur.* Et lib. de Præscript., c. 36, loquens de Romanâ Ecclesiâ : *Fideles aquâ signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistiâ pascit,* etc. Quibus verbis, *sancto Spiritu vestit,* non modò sancti Spiritûs descensum super baptizatos indicat, sed et alludit ad verba Christi apostolis Spiritum sanctum promittentis Lucæ 24 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* A Clemente Alexandrino dicitur *perfecta* baptismi *custodia.* A Cyrillo Hierosolymitano, catechesi 3 mystagogicâ : *Post chrisma mysticum induti armis Spiritûs sancti, adversùs vobis oppositam potestatem consistatis.* Ab Eucherio Lugdunensi, homiliâ de Pentecoste : *Fortè cogitat sibi aliquis : Quid mihi prodest post mysterium Baptismatis, mysterium Confirmationis? Attendat charitas vestra; sic enim exigit militaris ordo, ut cùm imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum; ita in baptizato benedictio illa munitio est.* Et postea : *Paracletus regeneratis in Christo custos et consolator et tutor est,* etc.; et paucis interjectis : *Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo totâ ætate victuris inter visibiles hostes et pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur; ac si continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Plura possent referri ex Avito Viennensi, Petro Damiani, Ivone Carnutensi, Gofrido Vindocinensi aliisque auctoribus parte primâ citatis.

Gratia quoque *augmenti* vocatur ab Eucherio in textu mox citato : *In Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* A Primasio in caput 6 Epistolæ ad Hebræos : *Per quam* (impositionem manuum) *plenissimè creditur accipi donum Spiritûs sancti.* Ab Isidoro Hispalensi, lib. 6 Originum, c. ultimo : *Sicut in Baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem sanctificatio Spiritûs adhibetur.* A Gofrido Vindocinensi, opusculo 9 : *Non iteratur Sacramentum, sed tribuitur ad virtutis augmentum. Gratia* denique *consummationis* dicitur à Dionysio, de Hierarch. eccles., c. 4, parte 3, n. 11 : *Consummans illa unguenti unctio divini Spiritûs illapsum elargitur.* A Cypriano, epist. 73 : *Ut per nostram orationem ac manùs impositionem, Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Domino consummentur.* Ab anonymo, qui Cypriano æqualis aut suppar fuit, *ut hæc manùs impositio signum fidei consummatum eis præstaret.* A Cyrillo Alexandrino in Joel, quòd *per sacrum Baptisma in Christo justificatis confert ad consummationem.* A Lanfranco in caput 6 ad Hebr.: *Quicumque doctor infideles ad fidem convertit, hic inprimis fundamentum mentibus injicit, dicens oportere eos peccatorum suorum pœnitere, in Deum credere; in remissionem peccatorum baptizari, pro accipiendis sancti Spiritûs donis, impositione manuum episcopi consummari.*

Ex his apparet, ridiculum se præbere Calvinum,

dùm Catholicis quasi monstrum objicit, quòd dicant, *Spiritum sanctum in Baptismo ad innocentiam dari, in Confirmatione ad gratiæ augmentum; in Baptismo nos regenerari ad vitam; in Confirmatione nos ad pugnam instrui.* Mendacem vero, dùm subjicit : *Et ideò nihil eos pudet ut negent Baptismum ritè sine Confirmatione perfici posse.* Prius enim iisdem terminis asserit Eucherius; posterius autem nemo Catholicorum nequidem per somnium cogitavit. Aliud enim est Baptismi gratiam augeri et perfici per Confirmationem; aliud, Baptismum ritè perfici non posse, seu nihil valere sine Confirmatione. Baptismi gratiam per Eucharistiam augeri et perfici agnoscunt Lutherani et Calvinistæ, qui tamen fatentur baptismum validè sine Eucharistiâ perfici posse. Idem dicant de Confirmatione.

Objicient fortè pseudo-Melchiadem apud Gratianum de Consecr., d. 5, c. 3, *De his*, ubi traditur, *ita conjuncta esse hæc duo Sacramenta, ut ab invicem nullatenùs possint segregari; et unum sine altero ritè perfici non possit.*

Verùm particula, *ritè*, ibi non idem significat quod *validè*, sed quod, *decenter*, *convenienter* et secundùm ritum ab Ecclesiâ observari solitum.

Ut ea verò quæ Calvinus et Dallæus argumenta nobis objiciunt, dissolvas, tria velim observes : 1° Nullum esse catholicum, qui dixerit Spiritum, quem in Baptismo consequimur, inertem et ignavum esse; Baptismi siquidem effectus est Spiritus renovationis; quia verò Spiritus ille est Spiritus Dei, qui quidem Spiritus Dei est Spiritus virtutis, ideò Spiritus renovationis non est Spiritus iners, sed efficax, tantæque efficaciæ, ut Dominicus Soto, in 4, d. 7, a. 7, asserat *virtutes in Baptismo infusas sufficere ad confessionem fidei, etiam usque ad oppetendam mortem pro Christo.* Nihil etiam impedit, quominùs ille Spiritus dicatur Spiritus adoptionis, quo filii Dei nominamur et sumus. 2° Alium tamen esse Confirmationis, alium Baptismi effectum. Baptismi siquidem gratia est perfectio essentialis, Confirmationis verò est perfectio integrans. Illa est infantia Christianismi; regenerati enim habentur *sicut modò geniti infantes;* illa est quasi virilis ætas, juxta illud 1 Joannis, c. 2 : *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum.* Hæc est doctrina B. Thomæ, 3 p., q. 72, a. 5, in c. : *Sicut Baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam Confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem ætatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quòd alia est actio hominis statim nati, et alia actio quæ competit ei, cùm ad perfectam ætatem pervenerit. Et ideò per Sacramentum Confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, præter illas ad quas datur ei potestas in Baptismo. Nam in Baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundùm seipsum vivit; sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei; sicut patet et exemplo apostolorum, qui antequàm plenitudinem Spiritûs sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in oratione; postmodùm verò egressi, non verebantur publicè fidem fateri, etiam coram inimicis fidei christianæ.* Et ad 1 : *Pugna spiritualis contra hostes invisibiles omnibus competit : sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publicè confitendo, est confirmatorum, qui jam sunt perducti spiritualiter ad virilem ætatem, secundùm quod dicitur 1 Joan. 2 : « Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei in vobis manet, et vicistis malignum. » Et ideò character Confirmationis est signum distinctivum, non infidelium à fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his quibus dicitur, « sicut modò geniti « infantes. »* 3° Observari debet alium esse Confirmationis, alium Eucharistiæ effectum, licèt utrumque sacramentum Christianos corroboret. *Sacramenta Ecclesiæ*, inquit S. Thomas, 3 p., q. 73, a. 1, in c., *ordinantur ad subveniendum homini in vitâ spirituali : vita autem spiritualis vitæ corporali conformatur, eò quòd corporalia spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est autem quòd sicut ad vitam corporalem requiritur generatio per quam homo vitam accipit, et augmentum quo homo perducitur ad perfectionem vitæ; ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vitâ. Et ideò sicut ad vitam spiritualem oportuit esse Baptismum, qui est spiritualis generatio, et Confirmationem, quæ est spirituale augmentum; ita oportuit esse Sacramentum Eucharistiæ quod est spirituale alimentum.* Et ad 1 : *Duplex est perfectio : una quæ est in ipso homine ad quam perducitur per augmentum, et talis perfectio competit Confirmationi; alia autem est perfectio quam homo consequitur ex adjunctione alicujus extrinseci hominem conservantis, puta ex adjunctione cibi, vel indumenti, vel alicujus hujusmodi, et talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritualis refectio. Et q. 79, a. 1, ad 1 : Restat igitur ut cùm ipsum* (Eucharistiæ) *Sacramentum realiter sumitur, quòd gratia augeatur, et vita spiritualis perficiatur; aliter tamen quàm per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur et perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi; per hoc autem Sacramentum augetur gratia et perficitur spiritualis vita, ad hoc quòd homo in se ipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum.*

Gratia igitur Baptismi est gratia infantiæ, et nihilominùs virtutis, infantili tamen ætati proportionatæ; gratia Confirmationis est gratia *spiritualis augmenti* ad virilem ætatem, et roboris ad pugnam spiritalem adversùs visibiles hostes fidei : gratia Eucharistiæ est gratia *spiritualis alimenti*, quo fideles jam ad virilem ætatem provecti nutriuntur, conservantur, augentur (nullus enim in vitâ spirituali terminus est), perficiuntur, roborantur adversùs passiones et invisibiles hostes, et *in seipsis* magis ac magis *perfecti* fiunt *per conjunctionem ad Deum.* Veteris Ecclesiæ ordo hæc indicare videtur, quo sanis catechumenis (alio enim ordine administrabantur infirmis hæc Sacramenta) : primùm quidem Baptismus conferebatur, ut renascerentur; deinde Confirmatio, ut proveherentur ad vi-

rilem ætatem : denique Eucharistia, ut jam grandes facti nutrirentur. Hinc Augustinus, lib. 7 Conf., c. 10 : *Cibus sum grandium ; cresce, et manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ ; sed tu mutaberis in me.* Hinc synodus Moguntina, anno 1547 coacta, c. 17 : *Per baptismum spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratiâ et roboramur in fide ; renati autem et roborati nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ.* Inde patet nullam esse instantiam Dallæi, quâ ex B Thomæ ratiocinio inferre conatur, virilem et perfectam ætatem, quam S. Thomas Confirmationi tribuit, potiùs Eucharistiæ quàm Confirmationis effectum esse, eò quòd iis quibus nutrimur alimentis ad perfectam ætatem perducamur. Id enim verum est duntaxat de alimentis, quibus in puerili ætate vivimus, et ab infantiâ provehimur ad adolescentiam. Eucharistia verò non est cibus infantium, sed grandium. Quamobrem dari oportet aliud Sacramentum, per quod ad virilem Christianismi ætatem perveniamus, ut tales effecti, corpore et sanguine Christi saginemur. Neque refert Sacramentum illud non iterari, sicut iteratur alimentum, quo ab infantiâ provehimur ad adolescentiam. Inprimis enim omnis (ut veteri proverbio dicitur) comparatio claudicat. Præterea id discriminis est inter vitæ corporeæ et vitæ spiritalis adolescentiam, quòd illa non nisi sensim et paulatim, ista in instanti simul ac semel comparari possit. Hinc pueri, recens licèt regenerati, viri fiunt in vita spiritali, ut primùm confirmati sunt.

Hæc est B. Thomæ et communis theologorum doctrina, quæ tamen certa mihi non videtur, quatenùs Confirmationis gratiam virili ætati comparat, et virilem ætatem spiritualem in instanti per Confirmationem simul et semel acquiri docet. Petrus enim Epist. 1, c. 1, v. 23, et c. 2, v. 2, *de renatis ex incorruptibili semine verbi Dei*, ita loquitur : *Sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem*, videlicet in virum perfectum ; *si tamen gustâstis, quoniam suavis est Dominus.* Sanct. Petrus loqui videtur de fidelibus qui et renati erant ex semine verbi Dei, et confirmati fuerant.

1° Quia mos erat ab ipsis Ecclesiæ incunabulis observari solitus, ut renati statim confirmarentur. Hinc apostoli statim atque acceperunt Samaritanos à Philippo baptizatos fuisse, miserunt ad illos Petrum et Joannem, qui eos confirmarent. Hinc Paulus, cap. 6 ad Hebr., Baptismum, manuum impositionem, et Eucharistiam simul conjungit : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritûs sancti*, etc. 2° Quia missa, quâ olim Ecclesia utebatur dominicâ in Albis, quâque etiamnùm utitur, iisdem verbis incipit : *Quasi modò geniti infantes*, etc. Hæc igitur verba vetus Ecclesia neophytis sabbato sancto renatis et confirmatis, qui dominicâ in Albis vestem albam exuebant, adaptare solebat. 3° Quia verba, quæ sequuntur : *si tamen gustâstis* (sive ut alii legunt, *si quidem gustâstis*) *quoniam dulcis est Dominus*, Eucharistiæ participationem significant ; eodem enim sensu intelligi debent quo ista Pauli ad Hebr. c. 6 : *Gustaverunt donum cœleste* (videsis Estium in caput 6 ad Hebr.) ; atqui neophyti confirmari solebant, antequàm Eucharistiam acciperent. Loquitur ergo Petrus de neophytis renatis et confirmatis, quos, licèt confirmatos, *modò genitis infantibus* comparat, hortans ut lac spirituale evangelicæ doctrinæ, quam semel acceperant, quotidiè adhuc more infantium appeterent ac sugerent, ut per illud adolescerent et crescerent in salutem in virum perfectum.

Superest difficultas petita ex Epistolâ 54 Cypriani ad Cornelium, quâ asseritur idoneum esse non posse ad martyrium, cui Eucharistia denegatur. Hic igitur effectus frustra tribuitur Confirmationi.

Verùm eodem argumento adversùs ipsum Dallæum concludi posset hunc effectum ab ipso cæterisque Calvinistis perperàm tribui Baptismo. Cyprianus igitur hisce verbis nec Baptismi, nec Confirmationis virtutem ad martyrium ferendum excludit, sed loquitur de lapsis qui cùm Baptismi et Confirmationis gratiam amisissent, sola eis supererant Pœnitentia et Eucharistia, per quæ Sacramenta idonei ad martyrium fieri possent.

ARTICULUS III.

DE VARIIS THEOLOGORUM PLACITIS CIRCA PRIMUM CONFIRMATIONIS EFFECTUM.

Circa gratiam sanctificantem in Confirmatione collatam controvertitur, 1° utrùm illa ejusdem vel diversæ speciei sit à baptismali ; 2° utrùm gratiam baptismalem perficiat ; 3° utrùm uberior sit.

Circa primum triplex olim erat opinio : *Quidam*, inquit Bonaventura in 4, d. 7, a. 2, q. 2, *dicunt quòd differunt essentialiter, sicut virtutes et dona ; quia in Baptismo datur gratia quæ influens in potentias, facit virtutes ; in Confirmatione verò datur gratia quæ influens in potentias facit dona ; in Ordine, quæ facit beatitudines. Quæ quidem positio, etsi pulchra videatur, tamen veritatem non habet, quia in virtutibus et donis ponit gratiam essentialiter differre. Rursùs connexionem illorum dissolvit ; in Sacramentis enim non est connexio ut in virtutibus et donis. Alia positio est, quòd gratia hæc et baptismalis, etsi sint gratum facientes, differunt tamen in essentiâ, sicut morbi contra quos ordinantur ; et distinguuntur in subjecto, quia in diversis partibus animæ potentialibus recipiuntur ; ut sicut* (diversæ) *partes animæ* (diversas) *partes corporis, sic partes gratiæ* (diversas) *partes animæ, sive potentias perficiant. Unde dicunt quòd distinctæ manent in animâ, nec una auget aliam, nec confirmat, nisi per accidens, scilicet quia confirmat hominem.* Ita docuit Alexander Alensis 4 p., q. 9, membro 3, a. 2, § 1, ubi suam ille opinionem hisce argumentis probat.

1° Quia ex Rabano, *in unctione baptismi Spiritus sanctus descendit ad habitationem Deo consecrandam ; in hâc verò ejusdem septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et virtutis descendit in hominem.* Sed alia est gratia, quâ efficitur plenitudo sanctitatis et virtutis ; et alia, quâ consecratur Deo. Ergo, etc.

Verùm ad illud sufficit distinctio graduum secundùm magis et minus, neque speciei diversitas requiritur.

2° Quia Baptismus et Confirmatio diversos effectus producunt; igitur et diversas gratias, per quas illi effectus producuntur.

Verùm responderi posset cum S. Bonaventurâ, inde sequi tantùm quòd una eademque gratia sanctificans per diversa Sacramenta determinaretur ad diversos effectus producendos; vel cum S. Thomâ, inde sequi tantùm à diversis Sacramentis diversas produci gratias actuales, quæ gratiam sacramentalem ad diversos effectus determinant.

3° Quia signa proportionantur significatis. Sed aliud est signum in Baptismo, aliud in Confirmatione; igitur et alia gratia.

Verùm cum eodem Bonaventurâ responderi potest diversa signa in diversis Sacramentis connotare quidem diversos effectus, non autem diversam gratiam sanctificantem, sed eamdem gratiam sanctificantem in ordine ad diversos effectus.

4° Character Confirmationis alius est à baptismali. Igitur et gratia sanctificans.

Verùm antecedens in dubium revocatur. Quâ de re infra, ubi de Charactere. Præterea alia est ratio characteris, alia gratiæ sanctificantis. Character est signum interius; sicut autem in utroque Sacramento diversa sunt signa exteriora, ita et interiora. Character est quædam spiritalis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata; utriusque verò Sacramenti alia et alia est potestas; baptismi enim passiva est, Confirmationis activa.

5° Diversis morbis diversa debet adhiberi medicina. Sed alius est morbus, cui medetur Baptismus, nempe culpa originalis; alius, cui medetur Confirmatio, nimirùm pœna peccati, seu pusillanimitas.

Responderi potest, 1° plerùmque contingere ut eadem medicina diversis morbis medeatur; 2° satis esse si à diversis Sacramentis diversa conferantur auxilia ad diversos morbos sanandos; 3° supponi falsum; Baptismus enim, sicut et Confirmatio medetur pusillanimitati; cum eo discrimine quòd Baptismus primariò medeatur culpæ originali, secundariò pusillanimitati, cæterisque pœnalitatibus ex originali culpâ profectis; Confirmatio contra pusillanimitati primariò medeatur.

Tertia opinio est confirmatoriam gratiam sanctificantem non differre à baptismali, nisi secundùm magis et minus, quatenùs confirmatoria baptismalem auget ac intendit. Ita S. Thomas, 3 p., q. 72, a. 7, ad 3; S. Bonaventura, in 4, d. 7, a. 2, q. 2, aliique plures theologi. Videsis præ cæteris Marsilium, in 4, q. 5, a. 5, ubi prolixam disputationem instituit de utriusque gratiæ discrimine, ac tandem in B. Thomæ sententiam descendit. Tria distinguit S. Thomas in effectibus Sacramentorum, *gratiam sanctificantem, virtutes et dona, et gratiam sacramentalem, seu quoddam divinum auxilium ad finem Sacramenti consequendum; quælibet enim ordinantur Sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vitâ christianâ; sicut Baptismus ordinatur ad quamdam spiritualem regenerationem, quâ homo moritur vitiis, et fit membrum Christi; et eadem ratio est de aliis Sacramentis.* Gratia sanctificans constituit esse divinum, sicut anima constituit esse humanum. *Sicut autem ab essentiâ animæ fluunt ejus potentiæ, ita à gratiâ fluunt quædam perfectiones quæ dicuntur virtutes et dona, ad potentias animæ perficiendas in ordine ad suos actus.* Sic fides intellectum perficit ad credendum, charitas voluntatem ad amandum. Gratia igitur sanctificans perficit essentiam animæ; virtutes et dona perficiunt potentias; gratia sacramentalis perficit actus potentiarum; nec enim virtutes infusæ, sive theologicæ, sive morales, suos actus elicere possunt absque auxilio supernaturali; quemadmodùm nec potentiæ naturales agere possunt absque concursu naturali. Gratiam sanctificantem virtutes infusæ determinant ad actus cuilibet facultati proprios; gratia verò sacramentalis virtutes infusas, adeòque et animæ facultates, determinat ad effectus cuilibet Sacramento proprios. Gratia igitur sanctificans, virtutes infusæ, et dona Spiritûs sancti, sunt effectus communes omnibus Sacramentis: sed gratiæ sacramentales sunt effectus proprii: quo fit ut gratiæ sanctificantes, virtutes infusæ, dona Spiritûs sancti, quatenùs à diversis Sacramentis producuntur, differant secundùm magis et minus. Gratiæ verò sacramentales specie distinguuntur, quia sunt motus ad effectus specie diversos ordinati. Hæc est doctrina B. Thomæ, quæ tamen Aureolo aliisque nonnullis antiquis displicet; nec enim illi volunt gratiam sanctificantem esse qualitatem, ex quâ infusæ virtutes profluunt, contra gratiam illam ex virtutibus infusis emanare censent: illam enim nihil aliud esse putant, *quàm ipsasmet virtutes, sive integritatem virtutum*, sive formam, ut alii loquuntur, et pulchritudinem, quæ ex infusarum virtutum integritate proficiscitur. Infusæ verò virtutes, licèt à diversis Sacramentis productæ, non differunt nisi secundùm magis et minus. Igitur nec gratia sanctificans. Ita ratiocinatur Aureolus.

Inde patet quid secundæ difficultati propositæ responderi debeat. Auctores primæ et secundæ opinionis docent baptizatum, non autem sanctificantem Baptismi gratiam, perfici per gratiam confirmatoriam; auctores tertiæ opinionis utrumque concedunt. De tertiâ verò difficultate, quâ quæritur utrùm gratia sanctificans in Confirmatione uberior sit quàm in Baptismo, dubitatum est apud antiquos. S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus et Aureolus distinguunt. Sanctificans enim Confirmationis gratia spectari potest vel quatenùs baptismalem præsupponit, auget, complet, includit, et cum ipsâ *cadit in unum*; vel secundùm se, divisim et seorsim à gratiâ baptismali. Priori modo *omninò major est*, inquit Bonaventura, *gratia Confirmationis quàm Baptismatis: sicut benè et perfectè vivere meliùs est quàm vivere; quia hoc addit ad illud, et complet. Posteriori modo non est tantæ efficaciæ, ut patet, quia vivificare mortuum, major est gratia et potentia, quàm jam vivificatum sanare vel fortificare.* At verò an-

tiquorum Patrum auctoritates, de quibus infra, ubi de Dignitate hujus Sacramenti, videntur aliquid amplius innuere.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE SECUNDO CONFIRMATIONIS EFFECTU.

Secundus Confirmationis effectus est efficere baptizatum perfectum christianum; quâ de re controversia nobis erit primùm quidem cum hæreticis negantibus christianum fieri perfectum virtute Confirmationis, eamque prærogativam soli Baptismo adscribentibus; deindè cum recentioribus quibusdam catholicis affirmantibus christianum fieri et dici perfectum, non solùm per Confirmationem, sed etiam per Baptismum simul et verticis unctionem ei connexam.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CONTROVERSIA CUM HÆRETICIS.

Calvinus, lib. 4 Instit., c. 19, n. 9 : *Addunt* (pontificii, inquit, *fideles omnes Spiritum sanctum per manuum impositionem accipere debere post Baptismum, ut pleni christiani inveniantur; quia nunquàm erit christianus, nisi qui Confirmatione episcopali fuerit chrismatus. Hæc illi ad verbum* (videlicet de Consecr., dist. 5, c. 6, *Ut jejuni*). *Atqui putabam, quæcumque ad christianismum pertinent, omnia Scripturis præscripta et comprehensa esse. Nunc, ut video, aliunde quàm ex Scripturis, vera religionis forma petenda, discendaque est. Dei ergo sapientia, cœlestis veritas, tota Christi doctrina, christianos duntaxat inchoat, oleum perficit; hâc sententiâ damnantur omnes apostoli, et tot martyres, quos nunquàm fuisse chrismatos, certo certius est; quando nondùm erat factum oleum, quo perfusi, omnes christianismi numeros implerent, vel potiùs christiani fierent, qui nondùm erant. Verum ut taceam, abundè se ipsi refellunt. Quotam enim populi sui partem post Baptismum perungunt? cur igitur patiuntur in suo grege tales semichristianos, quorum imperfectioni mederi facile erat? cur tam supinâ negligentiâ omittere eos sinunt, quod omitti sine gravi periculo non licebat? cur non severiùs exigunt rem adeò necessariam, sine quâ salus obtineri non potest? nisi fortè subitâ morte præpeditus fuerit. Scilicet, dùm ita licenter contemni patiuntur, tacitè fatentur non tanti esse, quanti venditant.* Calvinus igitur docuit fideles eo ipso quo Baptismum susceperunt, absque ullo Confirmationis Sacramento, plenos et perfectos christianos effici. Idem sentiunt Lutherani, Calvinistæ, aliique hæretici, qui Confirmationis Sacramentum non admittunt.

Calvino, aliisque hæreticis opponi possunt :

1° Dionysius Areopagita, lib. de ecclesiasticâ Hierarch., c. 2, in fine, ubi de unctione post Baptismum adhiberi solitâ sic loquitur : *Denique unguenti illa consummans unctio eum qui initiatus est, odoris suavitate perfundit. Sacra enim divinæ regenerationis perfectio, ea quæ initiata sunt,* θεαρχικῷ *spiritui conjungit*, id est, spiritui divinitatis principio, quo nimirùm divinæ, secundùm Apostolum, efficimur consortes naturæ. Tum subjicit conjunctionem illam, quam ait fieri per *illapsum* divini Spiritûs in animam, *ineffabilem esse.* Atqui unctio, de quâ Dionysius, est confirmatoria. Unctio enim, quæ Baptismum olim subsequebatur, non nisi duplex erat, in fronte et vertice. Verticalis autem nondùm erat instituta tempore Dionysii. Præterea verticalis unctio, ut apparet ex antiquis auctoribus, candidæ vestis indutum semper præcessit; illa verò de quâ Dionysius, subsequitur, ex eodem Dionysio, ibidem. Unctio igitur confirmatoria est *unctio consummans eum qui initiatus est;* est *sacra divinæ regenerationis perfectio;* est *perfectio ea quæ initiata sunt,* θεαρχικῷ *spiritui conjungens.* Quid verò est consummare eum qui initiatus est, nisi baptizatum, id est, christianum consummare? quid est divinam generationem perficere, nisi Baptismi, seu christianismi gratiam perficere? quid est ea quæ initiata sunt, θεαρχικῷ spiritui conjungere, nisi dona in Baptismo collata conjungere ineffabili illapsui divini Spiritûs in animam baptizati? sed unctio quæ christianum consummat, quæ christianismi gratiam perficit, quæque dona in Baptismo collata conjungit ineffabili illapsui divini Spiritûs in animam christiani, christianum perficit, seu perfectum efficit.

2° Idem Dionysius, in eodem libro de eccles. Hierarch., cap. 4, parte 3, § 3 : *Est igitur sacrosanctum hoc mysterium, videlicet, unguentum, ejus ordinis, atque virtutis, ut hierarchicas consummet functiones; quocirca divini quoque præceptores nostri, tanquàm ejusdem ordinis et operationis cum sacrosancto synaxeos sacramento, iisdem imaginibus, ut plurimum, iisdemque distinctionibus ac sacris verbis descripserunt.* Quorum quidem verborum sensum ut capias, notes velim omnem hierarchiam à B. Dionysio in functiones, initiandos, ac sacros mystas dividi. Initiandos verò, alios purgandos, alios illuminandos, alios perficiendos statuit. Mystas quoque sacros in purgantes, illustrantes et perficientes distribuit. Denique actionum sacrarum triplex genus assignat, puta purgationem, illustrationem et perfectionem. Exorcismos et catechismum purgativas nuncupat actiones; Baptismum autem vocat illustrationem seu φώτισμα, quo nomine etiam usus est Gregorius Nazianzenus, oratione in sanctum Lavacrum, et ante Gregorium Paulus apostolus, cap. 6 ad Hebræos, ubi per φωτίθεντας baptizatos intelligit. Sacramenta verò Confirmationis et Eucharistiæ perfectiva nuncupavit, eaque *ejusdem ordinis et operationis* (nimirùm perfectivæ) esse dixit. Sicut igitur Eucharistia, ita et unguenti sacri unctio hierarchicas functiones, id est, exorcismos, catechismum et Baptismum, aliaque id genus ad Baptismum seu christianismum pertinentia, perficit et consummat.

3° Idem Dionysius, ibidem, § 10, 11 et 12, ubi divinum unguentum à Christo in omni ferè consecratione adhiberi probat, et in eam rem adducit tria exempla. Hoc enim unguento Christus aquam baptismalem consecrat, eo consecrat jam baptizatos, eo divinum altare, id est, seipsum consecrat. *Jesus enim est altare nostrum divinissimum, quo sanctificati, et mysteria in morem*

holocausti concremati, accessum obtinemus ad Patrem... Sanctificat enim semetipsum pro nobis sanctissimus ille Jesus, nosque replet omni sanctitate, dùm ea quæ in eo peruntur per dispensationem ad nos, veluti à Deo genitos, demanant. Unde, ut opinor, juxta sensum hierarchicum, qui à Deo traditus est, divini isti sacri nostri ordinis duces sanctum hoc unguenti mysterium τελετὴν, *id est,* PERFECTIONEM *seu* CONSECRATIONEM *vocant.* Quomodò verò Christus neophytos hoc unguento consecret, ita ille explicat § 11 : *Quin etiam ei qui sanctissimo divinæ regenerationis sacro initiatus est, illa unguenti consummans unctio divini Spiritûs illapsum elargitur.* Hæc igitur unctio regeneratum, seu christianum consummat, ei largiendo divini Spiritûs illapsum.

4° Dionysius Alexandrinus, initio Epistolæ contra Paulum Samosatenum, ubi ait Christum non indiguisse unctione externâ, ut sit res, quam nomen ejus præ se fert, id est, unctus; quia per se unctus est, et sibi ipsi ipse est unctio. Alludit, ut apparet, ad externam frontis (verticalis enim nondùm erat in usu) unctionem, quâ neophyti dicebantur uncti, seu christi et christiani. Nec enim, ut aliqui perfectè sint christiani, perfectèque christi, id est, uncti, sufficit ut per aquam interiori gratiâ baptismali ungantur, sed requiritur exterior unctio, et ea quæ interioris unctionis causa sit; sicut unctio, quâ uncta fuit humanitas Christi per unionem hypostaticam cum Verbo, interiùs humanitatem sanctificavit, et gratiâ cumulatissimâ respersit; præsertim cùm non benè gratia baptismalis animam ungere dicatur, sed à peccatis lavare eorumque sordes eluere. Quâ de re infra, num. 12.

5° Cyprianus, epist. 73, anonymus Cypriano æqualis aut suppar, in tractatu de Baptismo, et Cyrillus Alexandrinus, Commentaris in Joel, qui disertis terminis asserunt Baptismi gratiam per Confirmationem *consummari.* Textus supra descripsimus, part. 2, q. 1, art. 2. Sed Baptismi gratia est gratia christianismi. Confirmatio igitur christianismi gratiam consummat, adeòque perfectam efficit.

6° Concilium Illiberitanum, Ambrosius, aliique supra ibid. citati, qui conceptis verbis aiunt gratiam Confirmationis esse perfectionem gratiæ Baptismi. Gratia igitur Confirmationis baptismalem perfectam efficit.

7° Tertullianus, Cyrillus Hierosolymitanus aliique Patres citati, qui disertè docent Confirmationis effectum esse gratiam virtutis, quâ neophyti ad pugnam roborantur. Hinc Nicolaus Cabasilas, oratione de Vitâ in Christo, hæc Pauli verba : *In ipso vivimus, movemur et sumus,* tribus Sacramentis accommodans, hæc habet : *Baptisma est nativitas, unguentum verò est nobis actionis instar et motûs : porrò vitæ panis et poculum Eucharistiæ, verus est cibus et potus.* Baptismus igitur dat vitam christiano, Confirmatio verò actionem, motum et robur Spiritûs, eo ferè modo quo adolescentia corporis virtutem tribuit, et perfectum hominem efficit.

8° Pacianus, epist. 1 ad Sympron. : *Lavacro peccata purgantur, chrismate Spiritus sanctus superfunditur.* Primasius in caput 6 Epist. ad Hebræos : *Per quam* (impositionem manuum) *plenissimè creditur accipi donum Spiritûs sancti.* Quid enim christianum efficit, nisi Spiritus sanctus qui velut ejus anima à Patribus habetur? Sed in Confirmatione Spiritus sanctus plenissimè effunditur super baptizatum. Illum igitur plenum ac perfectum christianum efficit.

9° Antiquus auctor Quæstionum orthodoxarum ad Justinum, quæst. 137 : *Ungimur in Baptismo, ut christi et uncti dicamur.* Cyprianus, epist. 70 ad Januarium : *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.* Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 3, quæ tota est de Confirmatione : *Hujus chrismatis dono accepto meritò appellamini christiani, veram efficientes appellationem in ipsâ regeneratione. Ante enim quàm hæc vobis gratia donata esset, non eratis propriè digni hoc nomine, sed pergentes eò usque progressi estis, ut efficeremini christiani.* Nihil expressius dici potuit.

10° Concilium Aurelianense à Gratiano relatum, dist. 5, c. 6, et ante Gratianum ab Ivone, parte 1, c. 254, et ante Ivonem à Burchardo, l. 4, c. 60 : *Nunquàm erit christianus* (nimirùm perfectus) *nisi Confirmatione episcopi fuerit chrismatus.*

11° Nothæ primorum pontificum epistolæ, quæ, licèt suppositæ fuerint medio seculo octavo, illius tamen seculi doctrinam nobis aperiunt. Pseudo-Clemens, epist. 4 ad Julium et Julianum : *Cùm regeneratus fuerit per aquam, postmodùm septiformi Spiritûs gratiâ ab episcopo confirmetur, quia aliter perfectus christianus esse nequaquàm poterit, nec sedem habere inter perfectos.*

12° Opponitur ratio. Christus enim et christianus idem est qui unctus. Ut igitur aliquis dicatur perfectè christus, perfectè christianus, perfectè unctus, utraque unctio exterior et interior desideratur; sicut ut quis perfectè baptizatus sit, utraque interior et exterior ablutio requiritur.

Neque dicas interiorem unctionem in Baptismo comparari.

Gratia enim Baptismatis non benè animam ungere dicitur, sed à peccatis lavare eorumque sordes abluere, si quidem in Sacramentis effectus et res significatæ causis signisque ac symbolis respondere debent. Sed aquæ, per quam animabus gratia Baptismatis infunditur, non convenit ungere, sed lavare. Ergo nec per gratiam baptismalem ungi rectè dicimur, sed ablui. Hinc Cyprianus, epist. 70 ad Januarium : *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.* Præterea gratia baptismalis datur per se ad sordes peccati originalis eluendas, non datur per se ad robur spirituale conferendum. Hinc Eucherius, in Homiliâ de Pentecoste : *In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.* Hoc tamen olei proprium est ut eo ad robur homines ungi soleant. Itaque propriè per gratiam baptismalem interiùs non ungimur, sed per eam tantùm, quæ ad robur spiritale confertur, gra-

tiam scilicet istam, quæ nobis in Sacramento Confirmationis tribuitur. Modò veniamus ad objectiones Calvini.

Objicit ille 1° : Quæcumque ad Christianismum pertinent, omnia Scripturis præscripta et comprehensa sunt. Atqui Scripturis nullibi præscribitur quòd gratia Confirmationis ad christianismum pertineat. Hæc igitur neophytum non efficit perfectum christianum. — Respondeo 1° plura in Scripturis desiderari, quæ in divinâ traditione nobis manifestantur; quâ de re ubi de Traditionibus. 2° Baptizatum ex Dionysio Areopagitâ perfectum christianum effici per Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam. Ubi verò Calvinus reperiet in Scripturis Eucharistiæ gratiam ad christianismum pertinere? 3° Gratiam Confimationis ad christianismum, perfectum scilicet, pertinere certum videtur ex Actis, cap. 8. Cur enim apostoli, cùm audissent Samaritanos baptizatos fuisse, ad illos misissent Petrum et Joannem qui eos confirmarent, si Confirmationis gratiam ad christianismum nihil pertinere existimâssent? 4° Illam Confirmationis gratiam in Samaritanis ad perfectum christianismum defuisse, innuit his verbis Cyprianus in epistolâ 73 ad Jubaianum : *Samaritani à Philippo diacono, quem iidem apostoli miserant, baptizati erant, et idcircò quia legitimum et ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodò quod deerat, id à Joanne et Petro factum est.*

Objicit 2°, ex nostrâ doctrinâ sequi quòd Baptismus christianos duntaxat inchoat, oleum verò perficit. — Verùm Baptismus christianos inchoare dicitur, non quòd vitam eis imperfectam tribuat, ipsis enim gratiam uberrimam largitur; sed quia christianos regenerat, primordia et infantiam christianismi tribuit. Hinc Petrus, epist. 1, c. 2, eos infantibus modò genitis comparat : *Sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite.* Baptismi verò, adeòque christianismi, gratiam perfici per Confirmationem disertis terminis asserunt Patres illi, qui docuerunt gratiam Confirmationis esse gratiam perfectionis, virtutis, roboris, augmenti et consummationis respectu Baptismi.

Objicit 3°, ex nostrâ doctrinâ sequi damnatum iri omnes apostolos et tot martyres, quos nunquàm fuisse chrismatos certo certius est, quando nondùm factum erat oleum, quo perfecti christiani fierent.

Verùm sequelam illam omninò falsam esse, hæc suadent. Hæc enim argumentatio falsò supponit, 1° chrismationem esse necessariam necessitate medii, quasi Baptismus sine Confirmatione non sufficiat ad salutem; 2° apostolos non fuisse chrismatos, quos tamen die Pentecostes Confirmationis effectum consecutos fuisse tradunt sanctissimi Patres; 3° martyres minimè confirmatos fuisse, cùm tamen vel ipsis primis Ecclesiæ seculis, Confirmatio Baptismum solemnem proximè sequeretur, ex Tertulliano, libro de Baptismo : *Egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione*, etc. Ex Cypriano, epist. 70 ad Januarium : *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit*, etc. Quâ igitur audaciâ Calvinus affirmat sacrum chrisma sævientibus persecutionibus nondùm inventum fuisse?

Objicit 4° quorumdam episcoporum oscitantiam, qui cùm diœcesanos suos rarò confirment, adeòque *patiantur in suo grege tales semi-christianos, quorum imperfectioni mederi facile erat, tacitè fatentur non tanti esse illud Sacramentum, quanti venditant.*—Respondeo : Utcumque res se habeat, oscitantes necne fuerint aliqui episcopi, nullus est (quod sciam) Pater, nullus auctor alicujus nominis, qui dixerit baptizatos, antequàm confirmentur, non nisi semi-christianos esse. Verus est christianus qui renatus est, licèt nondùm perfectus sit christianus; sicut verus est homo infans qui natus est, licèt nondùm perfectus sit homo.

Objici posset 5° : Gratia baptismalis christianum efficit; atqui fideles plenè sanctificantur in Baptismo. *Tunc demùm*, inquit Cyprianus, epist. 72 ad Stephanum : *plenè sanctificari, et esse filii Dei possunt, si Sacramanto utroque nascantur.* Igitur fideles in Baptismo perfecti fiunt christiani.

Bellarminus, Morinus et Petrus Aurelius per hæc postrema verba : *Si sacramento utroque nascantur*, Baptismum et Confirmationem intelligunt. Verùm ubi de mente Cypriani, ostendimus aquam et Spiritum significari, juxta illud : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto.* — Respondeo igitur duplicem esse plenitudinem. *Distinguitur enim*, inquit, Guillelmus Altissiodorensis, lib. 4, tractatu 4, cap. 1, *duplex plenitudo : plenitudo sufficientiæ, hæc datur in Baptismo ; et plenitudo copiæ, et hæc datur in Confirmatione.* Et S. Thomas in 4, dist. 7, q. 1, a. 1, q. 2, ad 1 : *Est plenitudo gratiæ christianæ sufficiens ad salutem, et hæc datur in Baptismo ; et plenitudo gratiæ ad fortiter resistendum, et hæc datur in Confirmatione.* Gratia verò Baptismi, quantùmvis plena et sufficiens ad salutem, perficitur et *consummatur* per Confirmationem, ex eodem Cypriano, epist. 73 ad Jubaianum.

ARTICULUS II.

DE CONTROVERSIA AD ANNUM 1630 INTER CATHOLICOS EXORTA CIRCA DUOS PRIORES EFFECTUS CONFIRMATIONIS.

Origo et series hujus controversiæ accuratè describitur in argumento Petri Aurelii operibus præfixo auctoritate cleri Gallicani Parisiis anno 1646 congregati. Hinc paucis exscribemus quæ ad præsens institutum attinent.

Cùm Anglicana ecclesia, mortuo illustrissimo antistite Guillelmo Bishopio, doctore Sorbonico, in eam à Gregorio XV delegato, pastore per annos triginta orbata fuisset, tandem Urbanus VIII Richardum Smithæum, episcopum Chalcedonensem, instructum ordinarii potestate delegavit anno 1625; Smithæo verò regulares qui confessiones audirent subjecit. Hinc rumores, hinc rixæ, hinc ratiunculæ, quibus eorum plerique laicis persuadere conarentur, nihil ur-

gente persecutione opus esse episcopo. Hæc cùm animadverteret doctor Kellisonus, Duacensis Anglorum collegii rector, scripsit Anglicè tractatum de Hierarchiâ ecclesiasticâ, qui libellus, ubi primum in lucem editus est, confestim Eduardus Knottus, Jesuitarum Angliæ viceprovincialis, ei respondit altero libello sub nomine Nicolai Smithæi Anglicè conscripto, cui titulus erat : *Modesta, et brevis discussio assertionum doctoris Kellisoni*, etc. Hunc librum suffragio approbârunt Reverdus Augustinianus, et Devaux carmelita, ambo doctores Parisienses; quâ de re clerus Anglicanus Facultatem Parisiensem monuit. Cùm verò sacra Facultas jam per aliquot dies congregata de hoc negotio deliberaret, editus est eodem tempore libellus alter Anglicè itidem scriptus cum eo titulo : *Apologia pro modo procedendi sanctæ Sedis Apostolicæ*, etc., auctore quidem supposito Daniele à Jesu, vero autem Joanne Floydo (Anglicè Joanne Fluide, unde Anglicum anagramma : *Daniel of Jesu*) Jesuitâ Anglo, professore Audomari in Belgio. Cùm igitur hi duo libelli latinitate donati, longo tempore discussi fuissent, tandem uterque cum nonnullis propositionibus quas regulares quidam Hiberniæ prædicârant atque docuerant, censurâ notatus est, primùm quidem à Joanne Francisco de Gondi archiepiscopo Parisiensi anno 1631, die 30 januarii, qui toto negotio cum aliquot è suis provincialibus episcopis aliisque viris pietate et doctrinâ clarissimis, maturè communicato, primus juridicam damnationem emisit; deinde ab illustrissimis Galliarum antistitibus, qui tum Parisiis agentes, et ad quatuor supra triginta convenientes, in epistolâ suâ encyclicâ Lutetiæ datâ die 10 februarii ejusdem anni, aiunt in his duobus libris, *innumeras legi propositiones falsas, præsumptuosas, temerarias, antiquissimo parochorum instituto contrarias, christianæ plebis ac simpliciorum hominum saluti perniciosas; non paucas autem erroneas, schismaticas, blasphemas, in sacrum episcoporum ordinem, et in Sacramentum Confirmationis contumeliosas; nonnullas etiam apertè hæreticas*. Denique à Facultate Parisiensi, quæ eodem anno, die 15 februarii, propositiones numero 34 ex Danielis Apologiâ exscriptas censoriis stigmatis inussit, quarum septem quæ sequuntur.

Prima est, *Catholicos chrismate unctos in Baptismo, licèt ab episcopo non confirmatos, perfectos esse christianos in sensu Patrum.*

II. *Infero Anglos catholicos qui baptizantur ritu catholico, vel qui recipiunt cæremonias catholicas Baptismi, licèt non confirmati fuerint ab episcopo, fuisse et esse perfectè christianos omni modo.* Utraque propositio damnata est uti *falsa, temeraria, contra sensum communem Patrum, in contemptum Sacramenti confirmationis, et in errorem inducens.*

III. *Chrismatio in Baptismo per sacerdotem instituta fuit ab Ecclesiâ, ad supplendum non solùm significationem episcopalis chrismatis, sed etiam effectum, nempe ad conservandos et confirmandos homines in baptismali gratiâ. Hoc docetur à D. Thomâ*, etc. (citat D. Thomam 3 p., q. 71, a. 3, ad 4.) Et paulò post : *Hæc cæremonia facit hominem fortem ad resistendum peccato, ad profitendam fidem in persecutione, succedens in locum Confirmationis in hoc respectu*, etc. Quâ propositionis parte, ex Rabano lib. 1 de Instit. cleric., cap. 28, probatâ, subjungit : *Quæ motiones fortitudinis et animi dantur per chrismationem baptismalem ex opere operato, ut multi theologi docent* (citat in margine Scotum in 4, distinct. 7, quæst. 8, et Cajetanum in 3 p., q. 71, a. 3), *saltem per preces Ecclesiæ, et applicationem hujus cæremoniæ in eum finem, quæ est doctrina multi solatii pro catholicis commodè habere non valentibus Confirmationem; et ostendit quòd post institutionem chrismationis sacerdotum in Baptismo, chrismatio per episcopum non sit tam necessaria ac ante fuit*; quæ propositio hàc censurâ notatur : *Propositio integra falsa est, temeraria, imponit S. Thomæ, et hæresim sapit.*

IV. *Fortè vereri poterant* (summi pontifices) *ne confidentia hujus Sacramenti causans remissionem in usu aliorum, illis* (videlicet catholicis Anglicanis) *noceret.* Quæ propositio declaratur *summis pontificibus injuriosa, et piarum aurium offensiva.*

V. *Patet quòd confidentia in Confirmationis virtute importare possit magnum periculum animabus.* Quæ propositio ABSOLUTÈ PROLATA rejicitur uti *falsa, piarum aurium offensiva, blasphema, sacramento et providentiæ Christi maximè contumeliosa.*

VI. *Cùm D. doctor dicit quòd Confirmatio sit ordinarium medium institutum ad dandum robur, ad profitendam fidem ante persecutorem, si intelligat quòd sit unum ordinarium medium, verum dicit; si intelligat esse ordinarium medium, id est, solum et unicum ordinarium medium ad faciendos christianos perfectos et fortes, dictum ejus non est consonum veritati, cùm alia media instituta sint à Christo ad faciendos nos fortes.* Quæ propositio *quatenùs videtur negare Confirmationem, esse unicum et solum medium ordinarium, specialiter institutum à Christo ad faciendos christianos perfectos et fortes, utique ad profitendam fidem ante persecutorem, declaratur falsa, temeraria, Sacramenti Confirmationis imminutiva et erronea.*

VII. *Omnes theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cùm commodè haberi potest, vel, ut alii dicunt, quando commodissimè, quando sine ullo vel minimo prorsùs incommodo.* Quæ propositio, ita proscribitur : *Ista propositio, est scandalosa, in maximum Sacramenti Confirmationis contemptum, maligno animo proposita, et in errorem potest inducere.*

Verùm cùm Jesuitas malè haberet, duos illos libellos Anglicos ab illustrissimis antistitibus et à Parisiensi Facultate proscriptos fuisse, duobus libellis additis, altero in illustrissimos antitistes, altero in celeberrimam Facultatem, et additâ appendice circa censuram archiepiscopi Parisiensis, magno conatu invecti sunt, sub fictitio Hermanni Loemelii nomine. Prior liber inscribitur : *Ecclesiæ Anglicanæ querimonia*, etc.; posterior : *Hermanni Loemelii, Antuerpiensis sacræ theologiæ licentiati, et canonici lectoralis ecclesiæ cathedralis Audomarensis, Spongia*, etc. Libellos istos

statim subsecutus est alter eodem genio compositus cui titulus erat : *Vindiciæ pro Nicolao Smithæo contra censuram nomine Facultatis Parisiensis editam*, etc.; duos priores libros à Joanne Floydo, tertium ab Eduardo Knotto, scriptos fuisse testatur Philippus Alegambus in Bibliothecâ scriptorum societatis Jesu. Sed quoniam archiepiscopus Parisiensis et cum eo doctores Parisienses damnaverant nonnullas propositiones Hibernicas, sub idem ferè tempus adversùs censuras illas editus est liber inscriptus : *Examen juridicum censuræ Facultatis theologiæ Parisiensis, et ejusdem civitatis archiepiscopi latæ circa quasdam propositiones regularibus regni Hiberniæ falsò impositas*, etc., auctore Edmundo Ursulano Hiberno. Is est Edmundus *Mac Mahone*, id est, si Latinè reddas, *filius ursi*, qui cùm ad Franciscanam religionem se contulit, mutato nomine Franciscus Matthæus appellari voluit.

Adversùs Spongiam scripserunt Franciscus Hallier, doctor Sorbonicus, anno 1632. Paucis post mensibus Petrus Aurelius, eodem anno; tum etiam Nicolaus le Maître, socius Sorbonicus, et licentiatus theologus, anno 1633. Adversùs autem librum Ursulani Paulus Harisius presbyter, anno 1632.

SECTIO PRIMA.

Regularium quorumdam Anglorum doctrina cum suis fundamentis proponitur.

Regularium illorum doctrina repeti debet tum ex Danielis Apologià, cap. 2, § 3, n. 19 et 21, tum ex propositionibus ex eâdem apologià descriptis, à Facultate Parisiensi rejectis; tùm ex Spongià quâ damnatæ propositiones defenduntur. Duos illi in Sacramento Confirmationis effectus distinguunt, quorum altero fideles baptizati robur assequantur, altero fiant perfectè christiani, et utrosque suppleri docent in verticali seu baptismali chrismatione : primum quidem per interiorem gratiæ virtutem, quam huic verticis unctioni tribuunt; secundum verò per externam corporis unctionem quâ caput ungitur. Putant enim homini jam baptizato nihil deesse ut plenè perfectèque christianus efficiatur, nisi externam corporeamque unctionem, quia christianus nihil aliud est quàm unctus. Baptizatus autem plenè unctus est per gratiam baptismalem, nec superest nisi ungi etiam corpore extrinsecùs ut plenè unctus, atque ita plenè perfectèque christianus fiat; unde non est mirum si baptismalis unctio suppleat Confirmationis effectum, qui est perfectio christiani nominis, cùm hæc perfectio sita sit in externà unctione, et Confirmatio perfectum christianum eatenùs efficiat, quatenùs corpus exteriùs inungit; nec enim christiani nominis perfectionem in gratià seu interiori effectu Confirmationis constituunt, sed in corporeâ duntaxat unctione, quæ potest æquè fieri per chrisma baptismale ac per Sacramentum Confirmationis. Non negant tamen Confirmationi interiorem etiam effectum, neque chrismationi baptismali; utrique robur concedunt, quo anima roboratur ad pugnam; sed neutri istorum effectum interiorem tribuunt, ut per eos fidelis baptizatus fiat perfectus christianus, quia sine illis jam plenè unctus erat intrinsecâ plenitudine gratiæ baptismalis, nec aliud ad nominis Christi perfectionem desiderabatur nisi externa corporis unctio. Hæc est regularium quorumdam Anglorum doctrina, tribus primis propositionibus supra relatis comprehensa, quam Parisiensis Academia proscripsit et fictitius Loemelius tuendam suscepit.

Ut autem ille probet primum Confirmationis effectum, virtutem scilicet, per quam anima roboratur ad pugnam et in gratià baptismali permanet, suppleri verticis unctione; simulque tertiam propositionem damnatam, in quâ continetur hæc doctrina, propugnet, duo præstat : primùm quidem affirmat nihil in hàc propositione dici *quod non sit catholicum, quod non à doctoribus theologis, et à Patribus nullo dissentiente asseratur*; deinde septem assertiones statuit : prima est : *Chrismatio presbyteralis in Baptismo supplet effectum episcopalis quoad significationem nominis christiani, seu uncti; ita ut à presbytero chrismatus dici possit et debeat christianus, non secùs ac qui est ab episcopo confirmatus*. Quod ille probat Gersonis testimonio, in Compend. theolog. de 7 Sacram., titulo de Confirm. II. *Chrismatio in Baptismo præstat effectum Confirmationis, qui est conservatio gratiæ baptismalis*. Quod ille probat auctoritate S. Thomæ, 3 p., q. 71, a. 3, ad 4. III. *Hæc cæremonia cum baptismo conjuncta facit hominem fortem ad resistendum peccato et profitendam in persecutionibus fidem*. IV. *Hæ motiones fortitudinis et vigoris dantur à chrismate* (baptismali) *ex opere operato secundùm mentem multorum theologorum*, videlicet Dominici Soto in 4, d. 15, q. 2, a 3; Gregorii de Valentià, 3 p., disp. 7, q. 5, puncto 1; Cajetani, in 3 p., q. 71, a. 3, ad 4, et Innocenti III, extra, de sacrâ Unctione, § *Quia verò*. V. *Cæremonia chrismatis in Baptismo fuit instituta ut suppleret defectum Confirmationis*. Hoc Bellarminus, lib. 1 de Baptismo, cap. 27, et ex antiquis Rabanus, lib. de Instit. cleric., cap. 28, Hugo Victorinus, de Sacram. lib. 2, parte 3, cap. 7; Amalarius, lib. de Offic. eccles., cap. 27; Rupertus, lib. 5 de divinis Offic., cap. 16, aliique Patres directè tradunt. VI. *Confirmatio episcopalis post institutam presbyteralem chrismationem Baptismi non est tam necessaria quàm fuit antea*. Hoc tradunt Patres Arausicani, can. 1, ut habetur cap. *Nullus*, de Consecr., dist. 4, ubi conceptis verbis dicunt *necessariam quidem esse chrismationem, tamen satis esse semel in Baptismate chrismari; si verò in Baptismate chrismatus quis non fuerit admoneatur*, inquiunt, *episcopus : nam sufficit una benedictio*. VII. *Hanc veritatem de efficaciâ hujus cæremoniæ, catholicis magni solatii esse debere, præsertim iis quibus habendi Confirmationem facultas non suppetit*.

Ut verò probet secundum Confirmationis effectum, qui est perfectio christianismi eâdem verticis unctione suppleri, simulque duas priores damnatas propositiones, quibus hæc doctrina comprehenditur, veras esse defendat, duo profert argumenta : alterum quidem petitum ex Cyrillo Hierosolymitano, catech. 3, Justino martyre, q. 137, Cypriano, epist. 70, Gersone, loco citato, Rabano et Ivone, quibus subjicere poterat Bedam, Comment. in Psal. 27, et Hugonem Victori-

num, lib. 1 de Sacram., cap. 19, alterum ex S. Thomâ, in 4, d. 7, q. 1, a. 1, q. 2, ad 1.

SECTIO II.

Utrùm prior Confirmationis effectus, de quo præfati regulares, per baptismalem unctionem suppleri possit.

Auctores qui seculis octavo, nono et retrò sequentibus floruerunt, magni fecerunt verticis unctionem et de eâ magnificè locuti sunt. Hinc ex Bedâ, in psal. 126, referri potest *salus* de quâ David in eodem psalmo : « *Dominus illuminatio mea et salus mea.* » *Potest*, inquit, *si cui libuerit, illuminatio ad primam tantùm unctionem in quâ simpliciter abrenuntiamus Satanæ, referri ; salus verò ad secundam* (verticalem intelligit), *in quâ magis firmamur, quia et nomen Christi in eâ profitemur, et ab eo nomen accipimus, scilicet ut christiani dicamur.* Hinc ex Ordine Romano et ex libro de divinis Officiis dicitur *chrisma salutis in vitam æternam.* Hinc ex Rabano, lib. 1 de Instit. cleric., cap. 28 et 30, baptizatus per eam Spiritûs sancti participationem accipit ; per eam significatur Spiritûs sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam ; per eam Spiritus sanctus post mundata et benedicta corpora atque animas, libens à Patre descendit, ut vas suum suâ visitatione sanctificet ; per eam baptizatus chrismate ad accipiendum Spiritum sanctum ungitur ; per eam neophytis datur idem Spiritus, qui apostolis à Christo datus octavâ die resurrectionis. Hæc denique baptizato necessaria est propter occasionem transitûs mortis, ut per eam accipiat Spiritum, et alienus à Christo non existat. Hinc ex Amalario, lib. 1 de eccles. Officiis, cap. 27, sacerdos qui ungit neophytum verbis suæ orationis solutionem vinculorum, et alligationem vulnerum in Baptismo comparatam *monstrat, et confert salvationem quamdam quæ pertinet ad salutem usque in vitam æternam.* Hinc ex Honorio Augustodunensi, lib. 3 de Gemmâ animæ, cap. 114, *per presbyteri unctionem animæ Christo desponsantur, et bis baptizati chrismate liniuntur, semel à presbytero*, etc., *quia bis Spiritus sanctus datur Ecclesiæ, semel in terrâ, secundò in cœlo.* Hinc ex Hugone Victorino, lib. de Sacramentis, cap. 19, *per illam Spiritus sanctus infunditur, imò infusus ostenditur.* Hinc ex Innocentio III, extra. de sacrâ Unctione, § *Quia verò, in vertice baptizatus inungitur, ut sit paratus animo petenti de fide rationem reddere.* Hinc ex S. Thomâ, 3 p., q. 71, a. 3, ad 4, *inunctio quæ fit in vertice operatur conservationem gratiæ baptismalis.* Hinc ex Dominico Soto, in 4, d. 15, q. 2, a. 3, hæc unctio peccata venialia remittit *per motum reverentiæ in Deum et ad res divinas*, quam illa præstat ex opere operato ; nullus tamen, quod sciam, auctor est qui baptismalem unctionem episcopali ratione effectûs æquiparaverit. Quare sit

ASSERTIO. — Primus Confirmationis effectus per baptismalem unctionem perfectè omninò et adæquatè suppleri non potest.

Prima probatio petitur ex Dionysio qui, lib. de eccles. Hierarch., cap. 4, part. 3, § 3, docet *sacrosanctum Confirmationis mysterium ejus ordinis atque virtutis esse, ut hierarchicas consummet functiones.* Dividit ille omnem hierarchiam in functiones, initiandos et sacros mystas. Initiandos verò alios purgandos, alios illuminandos, alios perficiendos statuit. Mystas quoque sacros in purgantes, illuminantes et perficientes distribuit. Denique sacrarum functionum triplex genus assignat, videlicet purgationem, illuminationem et perfectionem. Exorcismos et catechismum purgativas nuncupat functiones ; Baptismum autem vocat illustrationem seu φώτισμα, Sacramenta verò Confirmationis et Eucharistiæ perfectiva, quia functiones hierarchicas, id est, exorcismos, catechismum et Baptismum, aliaque id genus ad Baptismum seu christianismum attinentia perficiunt atque consummant. Igitur, ex Dionysio, per exorcismos et catechismum purgantur catechumeni, per Baptismum illustrantur fideles, et per utraque Confirmationis et Eucharistiæ Sacramenta perficiuntur et consummantur christiani. Atque ita, sicut catechumenus sine catechismo et exorcismo quantùmcumque aliunde divinâ religione imbuatur et purgetur, quamdiù tamen catechumenus est, immundus semper censetur et in purgandorum ordinem à Dionysio aliisque Patribus refertur : sicut etiam catechumeni jam edocti et purgati, nisi Baptismo donati fuerint, nondùm illuminati appellantur, quantùmlibet aliunde illustrati fuerint, quia nimirùm hæc gratia eorum statui non convenit, qui necdùm ad vitam spiritualem regenerati sunt ; ita quoque fideles baptizati qui nondùm Confirmationis et Eucharistiæ gratiam susceperunt, perfecti christiani minimè censentur, etsi gratiam baptismalem bonis operibus auxerint, quia per accidens et non ex statuum christianæ vitæ dispositione, tale augmentum susceperunt.

Secunda ratio petitur ex Ambrosio, lib. 3 de Sacram., cap. 2 : *Post fontem superest ut perfectio fiat quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur*, etc. Ambrosii ætate observabatur verticalis unctio ; ejus enim meminit Innocentius I, Ambrosio æqualis ; eam ipse describit Ambrosius, lib. 2 de Sacram., cap. 7, quâ de re infra, in Appendice ; postquàm verò de Baptismo et Unctione baptismali disseruit, Confirmationem describit, lib. 3, cap. 2 : *Sequitur*, inquit, *spirituale signaculum, quia post fontem superest ut perfectio fiat.* Confirmatoriam igitur unctionem etiam post baptismalem susceptam, necessariam esse agnoscit Ambrosius ; fontis, id est, Baptismi perfectionem confirmatoriæ non baptismali unctioni tribuit ; diversum denique et uberiorem confirmatoriæ quàm baptismali unctioni effectum assignat.

Tertia petitur ex Innocentio I, in epistolâ ad Decentium cap. 3, ubi baptismalem unctionem à confirmatoriâ distinguit : illam presbyteris permittit, istam episcopis reservat, quia soli episcopi tradere possunt Spiritum sanctum. Istius igitur, et non illius, unctionis effectus est traditio Spiritûs sancti.

Quarta petitur ex Patribus qui docuerunt oportere Confirmationem suscipi ad robur, ad augmentum, ad

perfectionem assequendam. Cùm enim illi Sylvestro, à quo verticis unctio instituta creditur, posteriores fuerint, manifestè supposuerunt fideles, antequàm confirmarentur, per illam verticis unctionem minimè consecutos fuisse ejusmodi perfectionem.

Quinta probatio petitur ex ipsis auctoribus qui ab adversariis objiciuntur, videlicet Rabano, Amalario, Ivone, Ruperto, Hugone, Innocentio III, Gersone et B. Thomâ, qui omnes utriusque unctionis effectum determinant et uberiorem ac nobiliorem confirmatoriæ tribuunt. Rabanus, lib. 1 de Instit. cleric, c. 30, ait *baptizatum signari chrismate in capitis summitate, ut significetur Spiritûs sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam; in fronte verò, ut ejusdem Spiritûs sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et scientiæ et veritatis venire in hominem declaretur*. Verticalis igitur unctionis effectus ex Rabano non supplet Confirmationis effectum, sed ad ipsum disponit. Amalarius, lib. 1 de eccles. Officiis, cap. 27, ait verticis unctionem conferre *salvationem quamdam quæ pertinet ad salutem usque in vitam æternam*. Frontis verò unctionem, ut quæ *ditior* sit et præstantior, *ditiorem* et præstantiorem effectum producere, puta *septiformem Spiritum sanctum*. Rupertus, lib. 5 de divinis Officiis, cap. 16, cùm Innocentii verba referat, idipsum inter utramque unctionem discrimen quod Innocentius, statuit. Hugo Victorinus, lib. 2 de Sacram., parte 7, cap. 3, ait *sacerdotis esse baptizatum in vertice linire; solius verò pontificis frontem consignare, quia solus pontifex potest Spiritum sanctum tradere*. Honorius Augustodunensis, lib. 3 de Gemmâ, cap. 114 : *Bis baptizati chrismate liniuntur, semel à presbytero in baptismo et capite, secundò ab episcopo in Confirmatione et in fronte. Hoc ideò quia bis Spiritus sanctus datur Ecclesiæ, semel in terrâ, secundò in cœlo*, die nimirùm Pentecostes. *Per presbyteri unctionem animæ Christo desponsantur, per episcopi Confirmationem regno Christi dotantur*. Innocentius III, extra. de sacrâ Unctione, § *Per fontis*, cæremonialem quoque unctionem, ab eâ quæ Sacramentum est, distinguit, quia per eam quæ Sacramentum est, *Spiritus sanctus ad augmentum datur et ad robur*; unde concludit : *Cùm cæteras unctiones* (inter quas recenset verticalem) *simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi summum pontificem, id est, episcopum debere conferre, quia de solis apostolis legitur* (quorum vicarii sunt episcopi) *quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant*. S. Thomas, 3 p., q. 71, a. 3, ad 4, semel ac tenuiter loquitur de verticali, magnificè verò de confirmatoriâ unctione, totâ quæstione 72.

Sexta petitur ex doctrinâ S. Thomæ, ibid, 3 p., q. 71, a. 3, ubi duo cæremoniarum baptismalium genera distinguit. Aliæ enim significant quidem, sed nihil efficiunt, ut vestis candida, quæ vitæ novitatem designat; aliæ significant et efficiunt, ut exorcismi in Baptismo, qui valent ad culpam removendam; et verticis unctio, *quæ operatur conservationem gratiæ baptismalis*. Igitur B. Thomas ita tribuit verticis unctioni conservationem gratiæ baptismalis, sicut exorcismis remotionem culpæ. Atverò ex eodem sancto doctore ibidem exorcismus non valet ad remotionem culpæ, ut per eum culpa deleatur, sed solùm ut per eum impedimenta auferantur, quibus culpæ remissio prohibetur; pari quoque ratione verticis unctio non valet ad gratiæ baptismalis conservationem, quasi directè et immediatè gratiam illam conservet vires præbendo efficacissimas, sed solùm ut per illam auferantur nocumenta quibus gratia baptismalis auferri posset.

Adde quòd incertum est apud theologos utrùm verticis unctio inter cæremonias merè significantes referri debeat, ut existimant Guillelmus Antissiodorensis et alii, an verò inter illas quæ non modò significant, sed et aliquid efficiunt, ut vult S. Thomas. Utut sit, eorum qui B. Thomæ opinioni adhærent nemo hactenùs sensit quòd verticis unctio conferat gratiam sanctificantem, quæ ejusdem sit rationis cum confirmatoriâ, sed quòd producat ad summum pias quasdam motiones et auxilia actualia ad gratiam baptismalem conservandum.

Septima probatio petitur ex eodem S. Thomâ, 3 p., q. 72, a. 1, in c. : *Sacramenta novæ legis ordinantur ad speciales effectus gratiæ*. Hic verò specialis videtur esse alicujus Sacramenti effectus, qui ejus nomine, materiâ, formâ et cæremoniis maximè indicatur. Atverò nomen Confirmationis, materia, forma, cæremoniæ indicant Confirmationis effectum esse constantiam et robur ad fidem profitendam. Hoc igitur robur ita speciale est Confirmationi, ut ab ipso Baptismo aliisve Sacramentis suppleri non possit; quantò minùs à Baptismi cæremoniâ, cujus effectus longè inferior est!

Octava probatio : Si baptismalis unctio instituta esset ad supplendam Confirmationis unctionem, quemodò simul cum eâ stare posset? frustra enim res suppletur, cùm præsens adest. Et tamen ab episcopis Baptismum conferentibus videmus non omitti verticalem, etiamsi Confirmationem continuò administraturi sint.

Nona probatio : Dedecore Sacramenta novæ legis afficit, qui eorum vicem per meras cæremonias impleri posse existimat, quarum operatio, quæcumque sit, et longè inferior est, aliusque generis, et brevior et incertior, et fallibilior, quam ut omisso Confirmationis sacramento, quo totus Spiritus sanctus cum suis donis effunditur, fideles in eâ victoriâ, quam de acerrimis quibusque persecutionibus debent reportare, spem defigant.

Decima : Si positum sit in Ecclesiæ potestate instituere quosdam ritus, quibus suppleatur Confirmationis effectus, in ejus erit arbitrio elevare, et inane reddere Confirmationis Sacramentum. Idem dici potest de cæteris Sacramentis.

Undecima. Qui volunt eumdem effectum esse utriusque unctionis verticalis, quæ juris est positivi, ac confirmatoriæ, quæ juris est divini, non leve suppeditant argumentum hæreticis, quo probent Confirmationem ecclesiasticæ institutionis esse.

Duodecima : Nullum in Scripturis vel in sacrâ traditione fundamentum est, quo hæc auctoritas Ecclesiæ asseratur, ut meram cæremoniam ad integrum cujusdam Sacramenti effectum supplendum eligere possit.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° : Hic ritus Sacramenti effectum perfectè supplet, qui illum effectum significat et præstat; atqui baptismalis unctio supplet effectum episcopalis quoad significationem nominis christiani seu uncti, ita ut à presbytero chrismatus dici possit et debeat christianus, non secùs ac qui est ab episcopo confirmatus. Deinde præstat effectum Confirmationis qui est conservatio gratiæ baptismalis. Traditur à S. Thomâ conceptis verbis. *Eorum*, inquit, *quæ aguntur post Baptismum, aliquid est quod non solùm significat, sed etiam efficit, puta inunctio, quæ fit in vertice, quæ operatur conservationem gratiæ baptismalis.* — Respondeo, concessâ majore, utrumque minoris membrum falsum esse. 1° Alia est unctionis in vertice, alia unctionis in fronte significatio. Prior, ex Amalario, lib. 1, cap. 27 (quod etiam apparet ex ipsâ formulâ per quam adhibetur), *obtentam in Baptismo solutionem vinculorum et alligationem vulnerum monstrat;* (posterior) *emissionem septiformis Spiritûs sancti.* Prior, ex Rabano, lib. 1, cap. 29, *significat Spiritûs sancti super baptizatum descensionem ad habitationem Deo consecrandam;* (posterior) *ejusdem Spiritûs sancti septiformis gratiam cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ, et veritatis venire in hominem declarat.* Prior, ex Honorio Augustodunensi, lib. 3, cap. 114, *Spiritum sanctum Ecclesiæ datum in terrâ;* (posterior) *Spiritum sanctum Ecclesiæ datum in cœlo die Pentecostes demonstrat.* Prior, ex Innocentio III, de sacrâ Unctione, § *Quia verò, designat, ut baptizatus sit paratus animo petenti de fide reddere rationem; quia per caput intelligitur mens, cujus superior pars est ratio*, etc.; (posterior) *ut baptizatus liberè confiteatur quod credit, quia « corde creditur ad justi- « tiam, ore autem fit confessio ad salutem; » memor ejus quod Dominus ait : « Qui me confessus fuerit coram « hominibus, »* etc. Nullus est auctor, ex iis etiam quos adversarii objicere solent, qui utrique unctioni eamdem omninò significationem adhibeat. 2° Verticalis unctio extremam Confirmationis unctionem fortè significat; videtur enim in eum finem instituta ut Confirmationem adumbret. Verùm illa nec per se ipsa præstat ut quis perfectus christianus dicatur; nec illam interiorem unctionem confert, per quam quis perfectus christianus efficitur; adde quòd nec eamdem, etiam *quoad significationem nominis christiani seu uncti*, quam confirmatio, significationem habet. 3° Nullus est ex Patribus, nullus etiam ex iis auctoribus quos adversarii citare solent, qui dixerit per verticis unctionem conferri gratiam consummantem seu septiformem Spiritum sanctum cum omnibus suis donis et plenitudine sanctitatis, qui effectus Confirmationi proprius est. 4° Aliud est, unctionem quæ fit in vertice, operari *conservationem gratiæ baptismalis;* aliud illâ unctione suppleri effectum ullum Sacramenti Confirmationis; prius ait B. Thomas, 3 p., q. 71, a. 3, ad 4; posterius *tradi à S. Thomâ* dici non potest, si quidem B. Thomas nullibi ait unctionem quæ fit in vertice eam gratiæ baptismalis conservationem operari, quæ effectus sit Confirmationis, aut quæ Confirmationis effectum supplere possit. Non enim, etiamsi Confirmatio gratiæ baptismalis conservationem operetur, ideò quælibet baptismalis gratiæ conservatio effectus est Confirmationis, aut illius effectum supplet; alioquin sacramentalia omnia hunc etiam effectum præstabunt, quia gratiam fidelium confirmant et muniunt, et in eum finem instituta sunt. Inprimis aqua benedicta Confirmationis effectum supplere poterit, quia ipsa Ecclesiæ consecratione destinatur, etiam expressiùs quàm unctio baptismalis, ad protegendum hominem, eumque adversùs dæmonis tentationes roborandum. 5° Hæc verticis unctio à B. Thomâ inter sacramentalia recensetur, tradit verò sanctus doctor ibidem, ad 2, sacramentalia *non posse perficere principalem effectum Sacramentorum, qui est gratia remittens culpam, vel supplens aliquem hominis defectum.* Atqui Confirmatio perficit et consummat præcipuum Baptismi effectum, qui est gratia sanctificans et regenerans. Verticis igitur unctio ex B. Thomâ supplere non potest præcipuum Confirmationis effectum. 6° Integrum articulum legenti, et singulas ejus partes inter se comparanti apparebit cæremonias ibi dividi in eas quæ quidem significant, sed nihil efficiunt, ut vestis candida, et in eas quæ significant et aliquid efficiunt, ut exorcismi et verticalis unctio. Quæ significant, et aliquid efficiunt, sacramentalia dicuntur : sacramentalia verò ibidem, ad 2, non conferunt directè et immediatè gratiam sanctificantem, *sed solùm impedimenta tollunt.* Igitur, ex B. Thomâ, nec verticis unctio, nec alia sacramentalia præcipuum ullius Sacramenti effectum, qui est gratia sanctificans, supplere possunt. 7° Nullus in rebus theologicis tam peregrinus et hospes est, qui non sciat sacramentalium operationes nihil esse nisi pios animi motus actuales, qui vi precum Ecclesiæ impetrantur. Per eas igitur suppleri non possunt Sacramentorum effectus qui diuturni et stabiles sunt. 8° Pii illi motus quos sacramentalia efficiunt, sine illis haberi possunt per pias quaslibet affectiones animi, quas probi homines crebras quotidiè concipiunt; illas verò affectiones certum est valere ad conservandam augendamque gratiam baptismalem. Quâ igitur ratione per verticis unctionem aliaque sacramentalia, eâdem per bonum quodlibet propositum], et per unumquodque bonum opus suppleri posset Confirmationis effectus; quo quid esse potest alienius à theologiâ?

Objicies 2° : Hæc cæremonia cum Baptismo conjuncta facit hominem fortem ad resistendum peccato, et profitendam in persecutionibus fidem. Hoc tam certum est ut qui catholici esse volunt, id negare non debeant, teste illustrissimo Bellarmino. Nam Calvino calumnianti *vocem unctorum esse, promissionem in Baptismo se percepisse nullam, quâ in agonibus instruan-*

tur, respondet : *Atqui hoc nullus catholicorum docet : catholica enim doctrina est, nos in Baptismo robur accipere, in Confirmatione autem roboris augmentum.* In eamdem sententiam Rabanus, lib. 1 de Instit., cap. 28 : *Spiritus sanctus per unctionem chrismatis in Baptismo confert vigorem cœlestis gratiæ.* Vigor cœlestis gratiæ, an non fortitudo, ut resistatur peccato? Et cap. 27 : *A sacerdote baptizatus inungitur, ut sacrum Baptisma cum fide acceptâ custodiatur.* Quod Gerson dicit : *Chrismatione baptismali mentem reddi imputribilem Deo*, quid aliud est quàm dari robur ut à se constanter rejiciat omnem putredinem corruptionemque peccati? Hactenùs Loemelius. — Respondeo 1° hìc agi de verticis unctione seorsim à Baptismo ; non autem de illâ, ut Baptismo conjuncta, quemadmodùm apparet ex tertiâ propositione damnatâ. 2° Non deesse catholicos qui cum Guillelmo Altissiodorensi verticis unctionem recenseant inter Baptismi cæremonias, quæ quidem significant, sed nihil efficiunt. 3° Bellarminus, quantus quantus est, minor tamen est quàm ut faciendæ catholicæ veritati sit satis ; ne quidem si huic Rabanum, vel eis Gersonem adjunxeris. 4° Citata à Loemelio verba adversùs ipsum concludunt ; aiunt enim *nos in Baptismo robur accipere, in Confirmatione autem roboris augmentum ;* adeòque supponunt Confirmationis effectum per baptismalem unctionem minimè suppleri. 5° Bellarminus et Calvinus, cujus ipse Bellarminus verba refert, de ipso Baptismo loquuntur, non autem de verticis unctione. Verba sunt Calvini orthodoxos calumniantis, lib. 4 Instit., cap. 49, n. 8 : *Dei verbum est, omnes qui in Christo baptizati sunt, Christum induisse cum suis donis : verbum unctorum, nullam promissionem in Baptismo percepisse quâ in agonibus instruantur.* 6° Non ita Bellarminus habet, ut Loemelius refert : verba sunt Bellarmini : *Atqui hoc nullus catholicorum docet.* Nam quod citat Calvinus ex Epistolâ S. Melchiadis : *In Baptismo regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam*, referendum est ad proprios effectus illorum Sacramentorum. 7° Rabanus ipse, lib. 1, cap. 30, verticis et frontis unctionem distinguit, quòd *priori unctione significetur Spiritûs sancti super baptizatum descensio ad habitationem Deo consecrandam ;* (posteriori) *ejusdem Spiritûs sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ, et virtutis venire in hominem declaretur.* (Priori) *enim ipse Spiritus sanctus descendit, ut vas suum suâ visitatione sanctificaret, et illustraret ;* (posteriori) *in hominem ad hoc venit, ut signaculum fidei quod in fronte suscepit, faciat eum donis cœlestibus repletum, et suâ gratiâ confortatum, intrepidè et audacter, coram regibus et potestatibus hujus seculi portare ac nomen Christi liberâ voce prædicare.* Rabanus igitur frontis quidem unctioni fortitudinem ad nomen Christi profitendum concedit, sed eam verticis unctioni denegat. 8° Rabanus non habet citata ex capite 27 verba, nec ibi loquitur de verticis unctione quæ Baptismum sequitur, sed de benedictione sacerdotali quæ baptismum antecedit. *Deinde*, inquit (id est, post aurium apertionem), *benedictione sacerdotali munitur* (catechumenus), *ut ad sacrum Baptismum cum fide susceptâ custodiatur.* 9° Nec Rabanus ait unctionem baptismalem conferre *vigorem*, sed *virorem* cœlestis gratiæ, ut in editione Rabani, tomo 10 Biblioth. Patrum, anno 1644 Parisiis factâ, legere est ; eaque lectio textui consona est : *Columba*, inquit, *in diluvio ad arcam reportavit ramum olivæ virentibus foliis, significans utique quòd Spiritus sanctus per chrismatis unctionem in Baptismate confert fidelibus* VIROREM *cœlestis gratiæ.* Quâ particulâ designatur splendor, decus atque ornamentum quod nobis per gratiam baptismalem accedit. 10° Esto vigor gratiæ apud Rabanum per baptismalem unctionem à Spiritu sancto conferri dicatur, an ideò sequitur dari ab ipsâ robur ad profitendam fidem coram regibus et potestatibus? an non potiùs sequitur tantùm vegetam reddi ab ipsâ baptismalem gratiam, in quantum per motiones pias precibus Ecclesiæ impetratas excitatur ac fovetur? 11° Gerso non dixit *chrismatione baptismali mentem reddi imputribilem Deo*, quia verticis unctio vulnera in baptismo sanata fuisse significat, ex Amalario, lib. 1 de eccles. Officiis, cap. 27, qui illud colligit ex formulâ in ordine Romano relatâ, quæ in verticis unctione proferri solet. 12° Verùm, esto Gerso, Rabanus et Bellarminus dixerint verticis unctione conferri vigorem, fortitudinem et virtutem quâ baptismalis gratia conservetur, quid hoc ad Loemelii opinionem? An ideò docent illâ unctione suppleri præcipuum Confirmationis effectum? effectus enim hujus Sacramenti non est quæcumque virtus et quodcumque robur, sed plenitudo Spiritûs sancti ad spirituale robur, sicut apostolis datus est die Pentecostes. Traditur hæc doctrina ab Eugenio IV. in Decreto pro Armenis : *Effectus hujus Sacramenti est, quia in eo Spiritus sanctus datur ad robur, sicut datus est apostolis in die Pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen.* Traditur à Magistro, in 4, d. 7 : *Virtus hujus Sacramenti est donatio Spiritûs sancti ad robur, qui in Baptismo datur ad remissionem.* Et infra ait in hoc *Sacramento Spiritûs sancti septiformem gratiam cum omni plenitudine sanctitatis et virtutis venire in hominem.* Traditur à S. Thomâ, 3 p., q. 72, a. 1, ad 4 : *Confirmatio est Sacramentum plenitudinis gratiæ.* Et a. 2, in c. : *In hoc Sacramento datur plenitudo Spiritûs sancti ad robur spirituale.* Et ad 1, postquàm disseruit de plenitudine Spiritûs sancti super apostolos die Pentecostes : *Similiter etiam*, inquit, *ad impositionem manûs apostolorum descendebat plenitudo Spiritûs sancti super fideles.* Et ad 3 : *Hoc Sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritûs sancti, cujus est multiformis operatio.* Atqui nullus est pater, nullus auctor, nullus theologus, qui docuerit per verticis unctionem conferri plenitudinem Spiritûs sancti ad robur spirituale, sicut apostolis datus est die Pentecostes. Nullus igitur est qui dixerit proprium Confirmationis effectum per verticis unctionem suppleri posse.

Objicies 3° : Cæremonia chrismationis in Baptismo fuit instituta, ut suppleret defectum Confirmationis. Hoc Bellarminus, et ex antiquis, Rabanus, Hugo Victorinus, Amalarius, Rupertus aliique Patres directè tra-

dunt. Ita Loemelius. Singulorum verba referam. Rabanus, lib. 1 de Instit. cler., cap. 28 : *Legimus in gestis Patrum quòd Sylvester papa in Ecclesiâ Romanâ constituerit ut presbyter eodem chrismate liniat baptizatum levatum ex aquâ propter occasionem transitûs mortis.* Amalarius, lib. 1 de eccles. Officiis, cap. 27 : *Sylvester constituit ut baptizatum liniat presbyter chrismate levatum ex aquâ propter occasionem transitûs mortis.* Et post alia : *Si quis sine isto baptismate* (hoc est, Confirmatione, quam vocat *baptismum ignis*) *migraverit de seculo, periculosum iter arripuit. Hoc prævidens Sylvester papa, quantùm potuit subvenit, et propter absentiam episcoporum, necessitate, addidit ut à presbytero ungeretur.* Rupertus, lib. 5 de divinis Officiis, cap. 16 : *Legitur in actis pontificalibus quòd Sylvester papa constituit ut baptizatum liniat presbyter chrismate levatum de aquâ propter occasiones transitûs mortis, ne propter absentiam episcopi et difficultatem eum consequendi, sine manûs impositione baptizati migrent.* Idem iisdemque terminis refert Hugo Victorinus, lib. 2 de Sacrament., p. 7, cap. 3; Bellarminus, lib. de Baptismo, cap. 27 : *Unctio chrismatis in vertice introducta videtur, quia non semper adest episcopus qui possit continuò dare post Baptismum Sacramentum Confirmationis; ideò enim interim ungitur à presbytero baptizatus.*— Respondeo 1° : Nullus ex his auctoribus inter Patres recensetur; 2° auctores illi non aliâ nituntur auctoritate quàm Pontificalis Damaso adscripti, cujus auctoritas exigua est, ut catholici scriptores consentiunt, nominatim cardinalis Baronius, à quo passim in Annalibus vapulat, et gravis ἀνιστορησίας convincitur; 3° nullus est ex illis auctoribus qui *directè tradat* hanc unctionem institutam fuisse ut omninò suppleret defectum Confirmationis, quâ tamen de re hìc agitur; 4° ad summum ex illis testimoniis sequitur duntaxat per verticis unctionem utcumque et pro humano modulo suppleri defectum Confirmationis; quod apparet tum ex ipsis Amalarii verbis : *Hoc prævidens Sylvester, quantùm potuit subvenit;* tum ex verbis quæ idem Amalarius proximè subjicit : agnoscit enim eum qui unctus quidem in capite, sed minimè confirmatus moritur, confirmato gratiâ et gloriâ inferiorem esse : *Liniendum est, ne illa differentia sit inter illum qui sine impositione manuum* (confirmatoriâ) *moritur, et inter illum qui eam accipit, quæ est inter stellarum claritudinem, hoc est, quamvis non excludantur à regno Dei propter cætera bona opera, tamen non habeant illum locum, quem haberent si illam acciperent;* tum ex Rabano, Amalario, Ruperto et Hugone, qui post verba citata, alium verticis, alium frontis unctioni effectum assignant, quâ de re supra, ubi de quartâ probatione; tum ex iisdem et Bellarmino, qui baptizatum, licèt unctum in vertice, confirmandum esse unanimi consensu tradunt; 5° auctores illi, si Rabanum excipias, aiunt hanc unctionem à Sylvestro institutam esse *propter absentiam episcopi et difficultatem eum consequendi;* Amalarius quidem, Hugo et Rupertus affirmativè, Bellarminus autem inconstanter et timidè sibi ita videri scribens, non asserens, ac jure quidem. Ambrosius enim, Innocentius, Hieronymus aliique auctores seculo IX priores, qui verticalis unctionis mentionem fecêre, rationem istam nullibi attulerunt. Rupertus quidem et Hugo citant Pontificale pseudo-Damasi. Verùm Pontificale illud, præterquàm quòd incerti auctoris est ac fidei, neque citatum reperitur ante seculum VIII, hanc rationem minimè refert; nulla enim alia nobis exhibet quàm hæc verba : *Hic* (Sylvester) *constituit ut baptizatum liniat presbyter chrismate levatum de aquâ propter occasionem transitûs mortis.* Cætera Rupertus assuit, et ex eo Hugo Victorinus; 6° Innocentius I, in Epist. ad Decentium, cap. 3, ait : *Presbyteris, seu extra episcopum, seu præsente episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungere licet,* etc. His autem verbis tam Bellarmini conjectura quàm aliorum affirmatio revincitur; nam si baptizandi chrismate liniendi sunt à presbytero, seu absente, seu præsente episcopo, ut docet Innocentius, patet unctionem hanc non ideò institutam esse ut episcopo absente Confirmationem suppleat, cùm illo præsente et Confirmationem conferente peragatur. 7° Aliam Rabano, Amalario, Hugoni et Ruperto interpretationem afferunt theologi Parisienses. Contendunt enim ab iis stabiliri duntaxat necessitatem Confirmationis recipiendæ in re vel in voto, in re quidem, cùm potest recipi, in voto, per susceptionem chrismationis verticalis, cùm recipi non potest; hanc expositionem ex Hugonis verbis colligere se existimant. *In gestis pontificalibus,* inquit, *legitur quòd Sylvester papa constituit ut baptizatum presbyter in vertice chrismate liniat propter occasionem quidem mortis, ne fortè per absentiam episcopi et difficultatem eum consequendi, sine manûs impositione baptizatum ab hâc vitâ migrare contingeret : quod quidem omninò periculosum esset, quia sicut in Baptismo remissio peccatorum accipitur, ita per manûs impositionem Spiritus paracletus datur; illic gratia tribuitur ad remissionem peccatorum; hìc gratia tribuitur ad confirmationem. Quid autem prodest si à lapsu erigeris, nisi etiam ad standum confirmeris? Propterea timendum est iis qui per negligentiam amittunt episcopi præsentiam, et non suscipiunt manûs impositionem, ne fortè propterea damnentur, quia festinare debuerunt dùm potuerunt. Propter eos enim qui articulo temporis præveniuntur, instituta est illa, quâ sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacri chrismatis unctio, ut in hoc ipso ostendatur quantùm Sacramentum istud necessarium sit ad salutem, cùm tam sollicitè universis cavetur ne fortè sine ipso ab hâc vitâ subtrahantur.* Primùm quidem observant hisce verbis : *Ne fortè sine manûs impositione baptizatum ab hâc vitâ migrare contingeret,* agi de confirmatoriâ manûs impositione; tum quia verbis sequentibus illam opponit et æquiparat Baptismo, cùm ait per illam *dari Spiritum paracletum,* et *gratiam dari ad Confirmationem;* tum quia dùm baptizatus ungitur in vertice, manus ei non imponitur. Sensus igitur est Sylvestrum statuisse unctionem verticalem fieri in Baptismo, tanquàm votum aliquod et desiderium consequendæ Confirmationis, ut illius videlicet participatione baptizatus protestetur se habere

votum suscipiendæ manuum impositionis confirmatoriæ. 2° Observant has voces : *Quod quidem omninò periculosum esset.* Inde enim sequitur occurri periculo in quo nondùm confirmatus versaretur, si non adhibeatur verticalis unctio. At quomodò potest occurri periculo isti per unctionem verticalem, nisi quatenùs hæc includit Confirmationis votum? 3° Observant verba quæ sequuntur : *Propterea timendum est iis ne fortè propterea damnentur, quia festinare debuerunt dùm potuerunt;* quibus adhuc exprimitur necessitas voti Confirmationis, cùm istius suscipiendæ occasio desideretur. 4° Observant et ista verba : *Propter eos qui articulo temporis præveniuntur, instituta est illa.... in vertice... unctio, ut in hoc ipso ostendatur, quantùm Sacramentum istud necessarium sit ad salutem.* Verticalis igitur unctio instituta est ad ostendendum Confirmationem ad salutem necessariam esse. Atqui non est instituta ad ostendendam necessitatem Sacramenti Confirmationis, si possit ejus effectum supplere. Eo enim ipso, quo illius effectum supplet, illam minimè necessariam efficit. Non est etiam instituta ut sit Sacramentum Confirmationis propriè dictum ; nec enim Hugoni aut alteri theologorum unquàm istud in mentem venit. Superest igitur ut instituta fuerit ad ostendendam necessitatem Confirmationis in re vel in voto: in re, ubi suscipi poterit, in voto, ubi suscipi non poterit.

Objicies 4° : Confirmatio episcopalis post institutam presbyteralem chrismationem Baptismi non tam necessaria est quàm fuit antea. Hoc tradunt Patres Arausicani, canone 1, ut habetur cap. *Nullus*, de Consecr., dist. 4, etc., ut supra. Confirmationis igitur effectus suppletur per verticis unctionem. — Respondeo 1° : Inde sequitur tantùm Confirmationis effectum utcumque suppleri per verticis unctionem. Etenim si perfectè et omninò suppleretur, verticalis unctio Confirmationem minimè necessariam redderet. 2° Ex Hugonis sententiâ tantùm abest ut verticis unctio necessitatem Confirmationis imminuat, ut ad eam expressiùs declarandam et testificandam instituta fuerit. 3° Canon concilii I Arausicani corruptus citatur à Loemelio; aliter enim legitur tum in ipsâ synodo Arausicanâ, tum apud Gratianum loco laudato. 4° Ex variis sensibus supra relatis, qui à Bellarmino, Sirmondo, Aurelio, Petro de Marca, Cabassutio, Glossâ et aliis, adscribuntur huic canoni, nullus est qui Loemelio faveat.

Objicies 5° : Ritus qui agit ex opere operato, effectum Sacramenti supplere potest; atqui verticis unctio motiones fortitudinis et vigoris confert ex opere operato; supplere igitur potest effectum Sacramenti Confirmationis. Minorem tuentur Dominicus Soto, in 4, d. 15, q. 2, a. 3; Valentia, 3 p., disp. 7, q. 5, puncto 1; et Cajetanus, in 3 p., q. 71, a. 3, ad 4. *Unctio*, inquit Cajetanus, *chrismatis in vertice operatur quoddam actuale auxilium faciens ex parte baptizati, ad conservationem gratiæ baptismalis.* Imò Innocentius III, decretali Epistolâ, cùm dicit *visibilem unctionem chrismatis operari invisibilem effectum, qui per eam significatur;* (unctionem verò chrismatis in vertice) *significare gratiam quâ quis redditur paratus omni petenti fidei reddere rationem*, certè significat unctionem verticis conferre actuale auxilium seu robur ad conservandam gratiam, ad reddendam fidei rationem ex opere operato. Hactenùs Loemelius. — Respondeo 1° : Doctrina quæ sentit sacramentalia effectus ad quos ab Ecclesiâ instituta sunt operari ex opere operato, est opinio quam pauci aliqui scholastici nuper excogitârunt, non solùm præter Scripturarum, sanctorum Patrum et Ecclesiæ auctoritatem, sed etiam contra sensum tum eorum omnium, tum omnis propemodùm ipsius scholæ theologorum; 2° major absolutè falsa est : lustralis enim aqua, exorcismus, et alia id genus sacramentalia ex Soti sententiâ agunt ex opere operato, quæ tamen nullius Sacramenti effectum supplere possunt; 3° opinio quæ putat verticis unctionem agere ex opere operato, nuper inventa est, nullo fundamento theologico nixa, omnis auctoritatis ac testimonii expers, sine quo tamen res facti ac voluntatis divinæ, qualis ista est, affirmari non debuit; 4° Dominicus Soto asserit quidem verticis unctionem peccata venialia remittere *per motum reverentiæ in Deum et ad res divinas*, quem illa præstat ex opere operato; sed non ait unctionem illam conferre motiones fortitudinis et vigoris, multò minùs supplere præcipuum Confirmationis effectum; 5° Cajetanus quidem ait unctionem illam *operari quoddam auxilium actuale*, sed nusquàm tradit illam agere ex opere operato, nec operis operati mentionem unquàm facit, ubi de sacramentalium operatione disputat; 6° eâdem levitate objicitur Innocentius III : nam ex eo quòd doceat visibilem chrismatis unctionem operari invisibilem effectum, *qui per eam significatur*, quis, quæso, inde colligat dici ab eo verticis unctionem operari effectum illum ex opere operato? 7° Innocentii textus sincerè non refertur. Verba sunt Innocentii : *Unctio invisibilis et interior non solùm est signum, sed etiam Sacramentum, quia si dignè sumitur, vel agit, vel auget absque dubio quod designat;* et post multa : *In vertice baptizatus inungitur, ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem;* 8° Innocentius priori loco, ut apparet, loquitur de *invisibili et interiori unctione;* adversarii de *visibili et exteriori;* 9° Innocentius priori loco loquitur de unctione, quæ licèt, invisibilis et interior, nihilominùs *signum* et *Sacramentum* est, scilicet modo quo S. Thomas et omnes cum eo scholastici signum vocant characterem sacramentalem, licèt internum et spiritalem, eumque rem simul et Sacramentum appellant; adversarii verò loquuntur de verticis unctione, quæ neque Sacramentum neque invisibilis est; 10° Innocentius priori loco loquitur de unctione utriusque Sacramenti Ordinis et extremæ Unctionis ; adversarii de unctione Baptismi; 11° adversarii duo loca, quæ dividit Innocentius, adunant, et adunando diversum ab Innocentio sensum efficiunt. Plures unctiones Innocentius distinguit : alia enim fit in ordine, alia in extremâ Unctione; alia Baptismum præcedit et fit in pectore, alia quoque Baptismum præcedit et fit inter scapulas; alia Baptismum subsequitur

et fit in vertice; alia pertinet ad Confirmationem et fit in fronte; alia denique pertinet ad altaris consecrationem, de quibus septem unctionibus agit Innocentius eodem ordine : de duabus primis ita loquitur : *Scire te volumus duas esse species unctionis* (sic ille respondet Bracarensi episcopo qui sine chrismatis unctione consecratus fuerat), *exteriorem*, etc., et *interiorem*, etc. *Unctio visibilis et exterior, signum est interioris et invisibilis unctionis. Unctio verò invisibilis et interior, non solùm est signum, sed etiam Sacramentum: quia si dignè sumitur, vel agit vel auget absque dubio quod designat.* Postea cæremonias in episcoporum unctione adhiberi solitas, pluribus explicat. De tertiâ verò, quartâ et quintâ unctione paucis ita disserit : *In pectore baptizandus inungitur, ut per Spiritûs sancti donum abjiciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem rectam, quâ justus ex fide vivit; inter scapulas, ut per Spiritûs sancti gratiam excutiat negligentiam et torporem, et bonam operationem exerceat. In vertice verò baptizatus inungitur, ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem, quia per caput intelligitur mens.* Quod igitur de unctionis efficacitate Innocentius scripserat priori capite, cùm de unctionibus Ordinis et extremæ Unctionis dissereret, hoc adversarii copulant cum iis quæ posteriori capite scripta sunt de verticis unctione. 12° Nullum ab Innocentio verticis unctioni tribuitur *robur*, quo fides in Baptismo suscepta defendatur; sed lux quâ fides illa explicetur. 13° Innocentius majorem unctioni inter scapulas fieri solitæ, quàm verticali tribuit, quam tamen nemo dixerit operari ex opere operato.

SECTIO III.

Utrùm posterior Confirmationis effectus, de quo præfati regulares, per verticis unctionem suppleri possit.

Ut circa propositam difficultatem aperiamus Patrum ac theologorum mentem, traditamque ab adversariis doctrinam simul refutemus, plures propositiones instituemus quarum prior erit:

ASSERTIO PRIMA. — Secundus Confirmationis effectus, qui est perfectio christianismi, non solùm consistit in externâ corporis, sed et in internâ animæ unctione.

Probatur hæc assertio primùm quidem ex Cypriano, epist. 70 : *Ungi necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei et habere in se Christi gratiam possit.* Hæc enim ad solam exteriorem unctionem non pertinent, sed et ad interiorem, quæ fit per gratiam ab exteriori significatam. 2° Ex Cyrillo Hierosolymitano, catechesi 3 : *Unguento quidem visibili corpus inungitur, sancto verò ac vivifico Spiritu anima sanctificatur.* 3° Ex pseudo-Urbano, epist. unicâ, cap. 7 : *Omnes fideles per manûs impositionem episcoporum Spiritum sanctum post Baptisma accipere debent, ut plenè christiani inveniantur.* 4° Ex auctore Sermonis de Unctione chrismatis, apud Cyprianum : *Non solùm in regibus et sacerdotibus unctionis honor permansit, sed in omnem populum christianum effusa est ejus gratiæ plenitudo, ut, sicut Christus à chrismate dictus est, eò quòd singularis excellentiæ oleo unxerit eum Deus, ita et participes ejus, quotquot sunt, consortes sint tam unctionis quàm nominis, et dicerentur à Christo christiani, ut sint suì, Christo duce, rectores et duces, et offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati à Deo sanctimoniâ sacerdotes.* Hæc, opinor, ad unctionem interiorem spectant. Nec enim Christus externâ quâdam unctione, sed internâ et spiritali unctus est, Psal. 44 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis;* Isaiæ 61, et Lucæ 4 : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me;* Daniclis 9 : *Ungetur Sanctus sanctorum;* Act. 4 et 10 : *Unxit eum Spiritu sancto et virtute.* Sicut igitur Salvator Christus seu unctus dicitur ab unctione interiori, ita fideles, ut perfectè sint christiani, perfectèque dicantur uncti, interior desideratur unctio.

ASSERTIO II. — Hæc interior unctio per quam neophytus fit perfectè christianus, non est gratia baptismalis, sed gratia Confirmationis.

Hæc assertio ex priori sequitur. Textus enim citati loquuntur de unctione et gratiâ interiori, quæ Baptismum præsupponit.

Confirmatur. Communis est theologorum doctrina, communem omnium Sacramentorum effectum esse gratiam justificantem, quæ, licèt in singulis fortè secundùm unitatem et specificè non differat, distinguitur tamen appellatione, eâque non inani et vacuâ, sed quæ varios in re supponat effectus, quos illa in ritè dignèque suscipientibus operetur : v. g., in Baptismo gratia rationem habet regenerantis; in Eucharistiâ, cibantis et potantis; in Pœnitentiâ, medicinalis et resuscitantis; in Confirmatione perficientis et consummantis. Proprius igitur effectus Confirmationis est gratia prout baptismalem perficiens et consummans fidelemque confirmans. Quare sicut aliquis, quantùmcumque perficiatur aliunde, v. g., per Baptismum aut Pœnitentiam, aut alia quæcumque pietatis opera, si tamen ab Eucharistiæ sumptione abstineat, nunquàm habebit gratiam per modum cibantis; ita qui necdùm fuerit confirmatus, non habebit gratiam illam perfectricem et confirmatricem, à quâ perfectè christianus appellatur, nisi confirmationem in voto fortè habuerit; aliàs enim Confirmatio in voto ardentissimè expetita potest, Deo ita supplente (ut qui suam virtutem Sacramentis non alligavit), operari gratiam perfectricem et consummatricem, sicut, spiritalis communio, ubi sacramentalis actio haberi non potest, dummodò sit in voto, dicitur prodesse animæ per modum cibi ac potûs.

ASSERTIO III. — Fidelis, licèt chrismate unctus in Baptismo, nondùm tamen ab episcopo confirmatus, perfectus christianus dici non potest in sensu Patrum.

Probatur 1°, quia conceptis terminis ita docent Cyrillus Hierosolymitanus, concilium Aurelianense, pseudo-Clemens, et pseudo-Urbanus, de quibus supra; 2° quia hæc interior unctio, per quam fidelis fit perfectè christianus, suppleri non potest per Baptismum, ex articulo 1 præcedenti; quantò minùs per Baptismi cæremoniam, qualis est verticalis unctio; 3° nemo

unquàm docuit nos unctione verticali christianos effici; quantò minus perfectos fieri christianos! 4° absque religionis contemptu dici non potest christiani nominis perfectionem et plenitudinem in solâ unctione corporeâ et externâ denominatione consistere, ita ut homini baptizato nihil desit ad perfectionem et plenitudinem christiani nominis, nisi externa unctio et quidem cæremonialis; 5° à religionis sanctitate videtur alienum asserere sanctos Patres docuisse nos per Confirmationem eatenùs solùm perfectos christianos reddi, quatenùs ab eâ exteriorem quemdam effectum percipimus, hoc est, externam unctionem, quâ denominamur exteriùs uncti; 6° hæc opinio propè admodùm ad Calvini aliorumque hæreticorum errorem accedit, qui reverà Sacramentorum operationes penitùs externas faciunt, nec aliud esse putant nisi notas et tesseras exteriores, et planè Sacramenta Judaica; 7° mutantur in meras cæremonias mysteria christianæ religionis, si nihil in homine baptizato ad christiani nominis perfectionem desideretur, nisi externa et corporea unctio, et hâc præcisè unctione Sacramentum Confirmationis eum perfectum christianum efficiat.

Objicies 1° : Censeri plenè perfectèque christianum, et jure meritòque appellari christianum, apud Patres, rem eamdem significant. Sic Cyrillus, catechesi 3 : *Hoc accepto chrismatis dono, meritò appellamini christiani.* Justinus Martyr, quæst. 137 : *Ungimur in baptismo, ut Christi et uncti dicamur.* Cyprianus, epist. 70 : *Necesse est ungi baptizatum, ut, recepto chrismate, esse unctus Dei, et habere in se Christi gratiam possit.* Sed qui chrismatur in Baptismo presbyterali unctione in vertice, meritò appellatur christianus. Hujus rei testis est Gerson, tomo 2 Operum, col. 75 : *Post Baptismum fit unctio chrismatis in vertice, ut appareat mens imputribilis Deo, et ut Spiritui sancto participando, meritò appellaretur christianus, hæres jam regni effectus.* Quod ipsum etiam affirmant duo episcopi Rabanus Moguntinus, et Ivo Carnutensis, totidem penè verbis, à quibus Gerson sua sumpsit. Igitur baptizatus et unctus in vertice meritò appellatur christianus, atque adeò in sensu Patrum est plenè perfectèque christianus. Hactenùs Loemelius. — Respondeo 1° : Justinus Martyr non est auctor Quæstionum et Responsionum orthodoxarum; 2° Cyprianus accuratè non citatur. Sic enim habetur : *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut, accepto chrismate* (id est, unctione), *esse unctus Dei*, etc.; 3° adversarii hæc duo perperàm confundunt, *esse plenè perfectèque christianum*, et *jure meritòque appellari christianum.* Nemo est qui non jure meritòque homo dici debeat, licèt non omnes perfecti homines dicantur, sed multi imperfecti quibus, vel pars hominis integritati necessaria, vel perfectio naturalis homini debita defuerit. Infantes certè in maternis uteris, in cunis, et in puerilibus annis jure meritòque dicuntur homines, quos tamen perfectos homines nemo dixerit. Itaque, licèt adversarii probarent sine Confirmationis Sacramento quempiam jure meritòque appellari christianum, non idcircò illum perfectum christianum esse ostenderent. 4° Verum non est hæc duo à Patribus pro eodem haberi. Augustinus enim, de Pastor., cap. 13, catechumenos vocat christianos, quos tamen nemo perfectos christianos vocaverit; imò secunda synodus œcumenica, can. 7, gentiles ad Ecclesiam accedentes ait *primâ die fieri christianos, secundâ catechumenos, tertiâ exorcizari*, etc. 5° Cyprianus, Cyrillus et auctor Quæstionum loquuntur de frontis seu Confirmationis unctione, à quâ fidelem aiunt appellari christianum, non autem de unctione Baptismi seu verticis. 6° Argumentum peccat in formâ. Ut enim rectè concludat, subjici debet in minore : *Sed apud eosdem patres qui chrismatus*, etc., quæ propositio tunc erit falsa; nec enim Cyprianus, nec Cyrillus, nec auctor Quæstionum alicubi docuerunt fidelem jure meritòque christianum appellari ab unctione verticis. 7° Nedùm Cyprianus, Cyrillus aut ille auctor, sed nec ullus, quod sciam, Patrum hanc denominationem à verticis unctione repetiit. 8° Ridiculum est probare eos qui chrismate uncti fuerint christianos esse sensu Patrum, quia eos Gerso, Rabanus et Ivo christianos vocant, quasi verò omnia quæ in scriptis Gersonis, Rabani et Ivonis sunt, sint in scriptis Patrum, et illi de suo sensu nihil protulerint, quod ante non scripserint Patres. 9° Rabanus, lib. 1 de Instit. cleric., cap. 20; Ivo, serm. de Sacramentis neophytorum, quibus addes Bedam, in Psal. 26, Hugonem, lib. 2 de Sacramentis, parte 7, cap. 1, et Innocentium III, de sacrâ Unctione, titulo 15, cap. unico, non dicunt fidelem meritò appellari christianum ab unctione verticis, sed à Christo et à Christi consortio, Christum verò à chrismate seu unctione interiori, quâ unctus est à Spiritu sancto. 10° Non desunt qui Gersonem ita explicent, quasi per verticis unctionem significari et declarari voluerit mentem in Baptismo sanatam fuisse, et nos meritò appellari posse christianos, quia in Baptismo Spiritui Christi participavimus, seu Spiritu Christi uncti fuimus. Ita Petrus Aurelius, cujus expositio falsa et violenta mihi videtur. Falsa quidem : nec enim gratiâ baptismali propriè dicimur ungi, sed ablui; violenta verò : sic enim habet Gerson, 2 p., in Compendio theol. de septem Sacramentis, capite de Bapt., ubi de cæremoniis : *Post Baptismum fit unctio in vertice, ut Spiritui sancto participando meritò appellaretur christianus hæres jam regni effectus* in Baptismo. Christiani igitur denominationem ab unctione verticali repetit. Verùm aliud est quempiam ab unctione verticis christianum appellari, aliud ab eâdem vocari perfectum christianum : prius asserit Gerso, posterius ei adversarii imponunt. 11° Utut sit, Gerso, quantus quantus est, minor tamen est quàm ut Patribus aliisque citatis auctoribus opponi possit, quorum nullus ait fidelem ab unctione verticis appellari christianum, quantò minùs christianum perfectum!

Objicies 2° : Qui est plenè et undequàque unctus, debet christianus pleno ore et meritò appellari et censeri; sed baptizati et chrismati in vertice sunt plenè uncti animâ, corpore, interiùs, exteriùs. Quòd corporaliter et exteriùs cæremoniâ unctionis sint consecrati,

patet ad oculum; quod autem etiam interiùs sint uncti plenitudine et perfectione gratiæ sufficientis ad salutem, tradit expressè S. Thomas : *Est*, inquit, in 4, d. 7, q. 1, a. 1, q. 2, ad 1, *plenitudo gratiæ christianæ sufficiens ad salutem, et hæc datur in Baptismo; et est plenitudo gratiæ ad fortiter resistendum, et hæc datur in Confirmatione, et sine hâc potest esse salus.* Igitur cùm baptizati et chrismati in Baptismo sint plenè perfectèque undequàque uncti, pleni et perfecti christiani, seu uncti dici debent, secundùm illud Augustini, lib. 17 de Civit., c. 4 : *Omnes chrismate unctos rectè Christos dicere possumus.* Ita adversarii. — Respondeo 1° gratiâ baptismali fidelem propriè non ungi, sed ablui; quâ de re supra; 2° gratiam baptismalem esse duntaxat plenitudinem gratiæ sufficientis ad salutem; gratiam verò quâ quis perfectè christianus dicitur, esse plenitudinem gratiæ ad robur, quæ in solo Confirmationis Sacramento conceditur, ex S. Thomâ; 3° Unctio exterior, quâ perfecti christiani dicimur, ea esse debet, quæ sit causa et signum unctionis interioris, ut de eâ dici possit quod de unctione, quæ in Confirmatione adhibetur, dixit Tertullianus : *Caro ungitur, ut anima consecretur;* atqui verticalis unctio nec est causa interioris unctionis : neque enim hæc cæremonia vim habet per se animam sanctificandi, alioquin verum esset Sacramentum; nec unctionis interioris symbolum est, quia gratiâ baptismali propriè non ungimur, sed abluimur; 4° mutilatus est Augustini textus; sic enim habet : *Omnes quippe unctos ejus* (id est, Christi) *chrismate, rectè Christos dicere possumus;* Christi autem chrisma illud est quo Christus unctus est à Patre, juxta illud Psal. 44 : *Unxit te Deus oleo lætitiæ;* quod oleum est spirituale : quare locus iste non facit ad propositum. Sed etiamsi sermo foret de chrismate corporeo, locus pro nobis faceret, quia chrisma confirmatorium est chrisma Christi. Chrisma verò baptismale est chrisma Ecclesiæ, non chrisma Christi.

Objicies 3° : Qui plenum et perfectum christianismi Sacramentum accepit, plenè perfectèque christianus censetur : atqui baptizatus et à sacerdote in vertice unctus Sacramentum christianismi perfectum suscepit; igitur, etc. — Respondet Simeon, Thessalonicensis archiepiscopus, in libro quem de septem Sacramentis composuit, fidelem qui baptizatus quidem est, minimè verò confirmatus, non esse perfectè baptizatum, quia *Confirmatio est Baptismi perfectio. Igitur*, inquit, *necessariò indigemus nos quoque hujus spiritualis unguenti, ac magis in ipso baptismate; neque erit quispiam perfectè baptizatus, qui unguentum non susceperit*, etc., *quia pignora gratiæ et signaculum Spiritûs nondùm habet.* — Respondeo cum Arcudio, lib. de Baptismo, cap. 14 : *Aliud esse perfectè christianum, et aliud perfectè baptizatum. Est enim quispiam perfectè baptizatus solummodò propter merum Baptismum; neque enim per aliud Sacramentum potest baptizari; neque Baptismus in se admittit magis et minùs.* Ut verò perfectè christianus quispiam sit, non tantùm requiritur ut perfectè sit baptizatus, sed etiam ut sit confirmatus. Hæc exponi possunt exemplo parvuli recens nati, qui ex utero materno feliciter exivit. Perfectam ille habuit nativitatem, nondùm tamen est perfectus homo, quia non dùm perfectè adolevit.

QUÆSTIO TERTIA.

DE TERTIO CONFIRMATIONIS EFFECTU.

Tertius Confirmationis effectus est character : de quo inquiritur 1° quidem quid fides doceat; deinde quid apud theologos controvertatur.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID DOCEAT FIDES.

De Confirmationis charactere ita definit sacra synodus Tridentina, sess. 7, can. 9, adversùs Lutheranos et Calvinistas : *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in animâ, hoc est, signum quoddam spiritale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Veritas igitur fidei est, Confirmatione characterem imprimi.

Probatur 1° ex loquendi modo, quo Patres asserunt nos in Confirmatione signari tanquàm milites Christi. Quemadmodùm enim signaculum militiæ corporeæ quodammodò indelebile est, quatenùs à desertore non amittitur, ita signaculum militiæ christianæ, qui character est. Patres verò qui hanc loquendi formulam usurpârunt, hi sunt : Tertullianus, libro de Præscriptionibus, ubi docens quomodò diabolus in mysteriis idolorum æmulatur mysteria nostra, ait : *Signat et ille in fronte milites suos.* Cornelius papa, in epistolâ de Novatiano : *Neque Domini sigillo ab episcopo obsignatus fuit.* Cyprianus, epist. 73 : *Sigillo dominico consummantur.* Aurelius Prudentius : *Post inscripta oleo fronti signacula.* Innocentius I, in Epistolâ ad Decentium : *Ut consignent.* Theodoretus, lib. 4 in Cantica : *Velut sigillum quoddam regium suscipiunt.* Leo Magnus, serm. 4 de Nativit. : *Signaculum vitæ æternæ.* Quod autem signaculum militiæ christianæ sit nota quædam indelebilis, docet Augustinus, lib. 2 contra Epistolas Parmeniani, cap. 13 : *An fortè minùs hærent Sacramenta christiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam non restituitur, et ideò amitti non posse judicatur.*

Probatur etiam ex Augustino, sermone de Cataclysmo, cap. 1 : *Baptizatus es, signatus es regio charactere, cœpisti consequi annonam de mensâ regis tui.* His verò verbis : *Signatus es regio charactere*, indicatur sacramentum Confirmationis, sicut et consequenti capite hisce verbis : *Unctus oleo*, Confirmatio significatur : *Baptizatus es*, inquit, *mundatus es, unctus es oleo*, etc.

Probatur 3° ex libro 2 contra Litteras Petiliani, cap. 104, ubi Petiliano Baptismum apud hæreticos esse irritum arguente ex invaliditate Sacramenti Confirmationis eorumdem, et ad id probandum abutente verbis istis Psalmi : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, Augustinus apertè asserit, Confirmatio-

nem perinde ac Baptismum, valere apud hæreticos. Unde sic colligo : Augustinus in Baptismo characterem agnoscit, quia in bonis et malis, catholicis et hæreticis reperitur, nec in ipsis amittitur, sicut regis character in desertore non deletur; atqui ex eodem Augustino hâc in re eadem est ratio Confirmationis, quæ Baptismi. Character igitur effectus est utriusque Sacramenti.

Probatur 4° ex Gregorio Nazianzeno aliisque Patribus Græcis, quos refert Arcudius de Confirmatione, cap. 23.

Probatur 5° : Confirmatio iterari non potest ex dicendis infra. Est igitur perpetua et indelebilis : atqui non est indelebilis quoad actum, ejus enim administratio transit; nec quoad effectum, qui est gratia sanctificans, hæc enim in peccatore deperditur; superest igitur ut sit indelebilis quoad effectum, qui est character. Accedunt rationes variæ convenientes, quæ legi possunt apud Guillelmum Arvernum, Alexandrum Alensem, S. Thomam, S. Bonaventuram, Aureolum, etc.

ARTICULUS II.

DE VARIIS THEOLOGORUM PLACITIS CIRCA CHARACTEREM CONFIRMATIONIS.

De Confirmationis charactere tria dubitantur : 1° Quid ille sit character; 2° utrùm ille specificè differat à charactere Baptismi; 3° utrùm ille Baptismi characterem præsupponat.

Quod ad primam quæstionem attinet, plures definitiones afferuntur. Hæc omnium optima mihi videtur. Character est potestas spiritualis, supernaturalis, instrumentalis et indelebilis, per quam christianus, quasi miles Christi, deputatur ad fidem propugnandam adversùs hostes ipsius visibiles.

Quod ad secundam, triplex est veterum theologorum opinio : alii affirmant utrumque Baptismi et Confirmationis characterem entitativè, specialiter et specificè distingui. Ita S. Thomas, S. Bonaventura, Alexander Alensis, etc., eaque doctrina quæ hodiernis scholasticis certa est, non nisi probabilis visa est Aureolo. Alii docent utrumque characterem differre quidem secundùm magis et minus, non tamen specificè. *Dicunt quidam*, inquit Aureolus, *quòd utrobique character est idem specificè, differens tamen penès intensum et remissum, quoniam in gradu intensiori in Confirmatione infunditur quàm in Baptismo, et in gradu intensiori in Ordine quàm in Baptismo et Confirmatione;* quemadmodùm gratia sanctificans in illis tribus Sacramentis eadem est specificè, diversa tamen ratione gradûs; uberior enim in Confirmatione et uberior adhuc in Ordine confertur. Accedit quòd per Baptismum fidelis generatur, et per Confirmationem adolescit in virum perfectum; sicut autem parvulus cùm adolevit, à se ipso non differt nisi mole quantitatis, ita fidelis, qui in christianum perfectum adolevit, non differt nisi mole virtutis. Alii denique ne differre quidem volunt intensivè, sed duntaxat extensivè, quatenùs character Baptismalis per Confirmationem extenditur, eoque deputatur ut fidelem efficiat perfectum christianum, perfectumque militem; eo ferè modo quo in Paludani sententiâ, episcopatus est mera characteris sacerdotalis extensio.

Tertiam difficultatem accuratè tractavit S. Thomas, 3 p., q. 72, a. 6, quem ibi consules, ne acta iterùm agamus; hanc doctrinam theologi communiter recipiunt : ab eâ tamen recedit Petrus de Alliaco, in 4, q. 4, ad 4 : *Potest dici*, inquit, *quòd Baptismum flaminis præcedere non requiritur simpliciter, sed vel ipsum, aut aliquid æquivalens.*

Pars quarta.

DE PROPRIETATIBUS CONFIRMATIONIS.



Tres sunt Confirmationis proprietates, de singulis agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DIGNITATE CONFIRMATIONIS.

Adversùs ejus dignitatem plura Calvinus effutiit, quæ falsa, inepta, temeraria et calumniosa sunt. Illa referens, et refelles.

Nobilior est Baptismo ex auctore anonymo apud Cyprianum, edit. Rigaltii, ex Paciano, epist. 1 ad Sympronianum : *Lavacro peccata purgantur, chrismate Spiritus sanctus superfunditur.* Videsis et Dionysium, lib. de Hierarch. eccles., cap. 4, initio, et cap. 5, parte 1, § 5, et 3 parte, num. seu § 3. Idem Dionysius illam Eucharistiæ coordinatam ait, de cœlesti Hierarchiâ, cap. 4, initio. Accedunt Patres supra citati, quibus probatum est baptismalem gratiam per Confirmationem perfici, et fidelem per illam perfectum christianum effici.

Illam Baptismo inferiorem esse innuit Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos, cap. 3, sub finem, ubi eam vocat *quid modicum* (respectu Baptismi) : *Tu verò qui ab Arianis recipis baptizatum, et ei tribuis Baptisma, quo pacto, quasi modicum quid ei defuerit, sanctum advocas Spiritum, cùm Baptisma Christi sine Spiritu sancto nullum sit?* Illam Baptismo inferiorem dicit Hieremias patriarcha, respons. 1 ad Wittemb., cap. 7 : *Cæteris Sacramentis potiora sunt Baptisma et divina communio.*

Utramque opinionem aliqui componunt, asserentes

Confirmationem Baptismo superiorem esse secundùm quid, inferiorem simpliciter.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

Quæri potest, 1° utrùm Confirmatio necessaria sit necessitate medii; 2° utrùm necessaria sit necessitate præcepti; 3° utrùm necessaria sit ad ordines suscipiendos; 4° utrùm necessaria sit ad Eucharistiam suscipiendam.

SECTIO PRIMA.

Utrùm Confirmatio necessaria sit necessitate medii.

Anonymus qui exstat ad calcem Cypriani, non agnoscit ejus necessitatem supra, parte 1, quæst. 1, c. 2, § 5. Idem, ni fallor, Cyprianus in unâ è suis Epistolis : videsis Hallerium in Defensione eccles. Hierarchiæ, lib. 2, cap. 4, pag. 99, 100, etc. Videsis auctores seculi IX, X, XI et XII à nobis parte primâ citatos, ac præsertim Rabanum, Amalarium, et Hugonem Victorinum; item auctorem 50 Homiliarum; Ambrosium de Initiandis, cap. 6, initio; et lib. 2 de Sacramentis, cap. 7, in fine; Gregorium Magnum, lib. 12, epist. 31; qui præcipit *Confirmationem iterari, quæ facta probari non potest, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat.*

Sylvester in ejus subsidium instituit unctionem verticalem; pseudo Melchiades apud S. Thomam, 3 p., q. 72, a. 8, object. 4, victuris, non autem continuò morituris, necessariam existimat. Idem Hilarius Arelatensis, Homilià de Pentecoste, seu quisquis ejus auctor est.

Utrùm sit unicum et solum ordinarium medium specialiter institutum à Christo ad faciendos christianos perfectos, etc., videsis Petrum Aurelium, tomo 2, seu in Vindiciis, à pag. 54 ad pag. 61; Hallerium, loco citato.

Errores quorumdam theologorum circa necessitatem apud Aurelium, tomo 2, seu in Vindiciis, pag. 43, et alibi; item Hallerium, ibidem. Videsis B. Thomam, 3 p., q. 72, a. 8, præsertim ad 1 et 4.

ASSERTIO PRIMA. — Confirmatio non est necessaria necessitate medii ad salutem.

Probatur, quia sine illâ potest homo salvari, ut patet ex concilio Illiberitano, cap. 77 : *Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit; quòd si ante de seculo recesserit, sub fide, quâ quis crediderit, poterit esse justus.* Ex Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos : *Multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potiùs sacerdotii quàm ad legis necessitatem; alioqui si ad episcopi tantùm deprecationem Spiritus sanctus defluit lugendi sunt qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros et diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab episcopis inviscerentur.* Ex auctore 50 Homiliarum, homil. de Pentecoste : *Continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Et ex praxi Ecclesiæ quæ tantâ sollicitudine non curat fideles confirmari, quantâ satagit singulos baptizari.

ASSERTIO II. — Necessaria videtur Confirmatio necessitate medii ut aliquis sit perfectus christianus.

Probatur, quia sicut nullus Baptismi effectum consequitur, nisi illum in re vel in voto suscipiat, ita nec Confirmationis effectus sine Confirmatione in re vel in voto susceptâ; ex S. Thomâ, 3 p., q. 72, a. 6, ad 1. Atqui effectus Confirmationis est christianum perfectum efficere; ergo.

SECTIO II.

Utrùm Confirmatio necessaria sit necessitate præcepti.

Videsis Hallerium in Defensione eccles. Hierarchiæ, lib. 2, c. 5, pag 113; Petrum Aurelium, tomo 2, seu in Vindiciis, à pag. 61 ad pag. 74; auctores seculi IX à nobis parte primâ citatos, præsertim Amalarium, tomum XI Concil. Labbæi, pag. 1980, in fine. Anonymus apud Cyprianum nullam, uti dixi, sectione præcedenti, agnoscere videtur ejus necessitatem.

ASSERTIO PRIMA. — Susceptio Confirmationis in re vel in voto adultis necessaria est necessitate præcepti ecclesiastici.

Probatur ex concilio Illiberitano, canone 38, ubi de fideli per laicum in necessitate baptizato : *Si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manûs impositionem perfici possit;* Laodiceno, can. 48, *quòd oportet eos, qui illuminantur, post baptismum inungi supercœlesti chrismate;* Hieronymo, in Dialogo : *Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat;* Gregorio Magno, lib. 12, epist. 31, præcipiente Confirmationem iterari, quæ facta probari non potest, *ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat* (supposita est hæc Epistola); concilio Parisiensi VI, cap. 33, lib. 1 : *Infirmis et morte periclitantibus sicut Baptismatis gratiâ succurrendum, ita incunctanter donum Spiritûs sancti est tradendum :* Jonâ Aurelianensi, lib. 1, cap. 7 : *Nequaquàm à fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, sed potiùs remoto torpore negligentiæ cum magnâ animi aviditate et devotione petenda et percipienda, ne sine ipsius doni munere quis rebus humanis eximatur.* Petro Damiani, serm. 1 in Dedicatione Ecclesiæ : *Decretales paginæ et sanctorum Patrum instituta decernunt non esse differendam post Baptismum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor,* etc.; Hugone à S. Victore, lib. 1 de Sacramentis, cap. 22, et lib. 2, parte 7; Constitutionibus Odonis Parisiensis : *Post Baptismum,* inquit, *debet suscipi Sacramentum Confirmationis.* Videsis synodum Senonensem, anno 1524, Mediolanensem IV, sub S. Carolo, Melodunensem, 1579, Remensem, 1583, Bituricensem, 1584, can. 7 de Confirmatione, Aquensem, 1583, Tolosonam, 1590, Burdigalensem, 1624. Quibus addes canonem 15 sub Edgaro Anglorum rege, ut nullus ab episcopo confirmari diù nimium detractârit; item Epist. 4 quæ Clementi adscribitur, et Epistolas pseudo-Urbani et pseudo-Melchiadis.

Assertio II. — Susceptio Confirmationis in re vel in voto adultis necessaria est necessitate præcepti divini.

Probatur ex B. Thomâ, 3 p., q. 72, a. 8, in c. : *Per hoc Sacramentum promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat.* Præterea ratio quæ unicuique præcipit ut suæ saluti consulat, requirit ut ille viribus instruatur à Christo institutis ad evadenda pericula et tentationes superandas : atqui per Confirmationem habemus à Christo vires ad conservandam fidem adversùs ejus hostes ; hinc Cornelius papa, in Epist. ad Fabium Antiochenum, observat Novatianum à fide defecisse, quia Spiritum sanctum minimè susceperat in Confirmatione. Insuper rationes quibus theologi docent Eucharistiam necessariam esse necessitate præcepti divini etiam extra periculum mortis, quòd per modum alimenti et roboris animæ instituta sit, æquè concludunt pro divino præcepto suscipiendæ Confirmationis.

Assertio III. — Præceptum illud divinum obligat tempore persecutionis fidei, in gravioribus contra fidem tentationibus et in periculis mortis.

Probatur prima pars, quia Confirmatio instituta est ad vires nobis conferendas, quibus firmi simus in fide tempore persecutionum ; si quando autem præceptum divinum obliget de recipiendo sacramento, quo nobis vires præbentur ad profitendam fidem, eamque fortiter tenendam, maximè cùm indigemus hujusmodi viribus.

Probatur secunda pars : alioquin baptizatus exponeret se periculo exeundi è seculo in infantiâ christianâ, nondùm assecutus plenitudinem christianismi, quod esset contra legem Dei præcipientis omnibus christianis ejusmodi plenitudinem ; recta enim ratio vult ut omnis qui spiritualiter nascitur, ad perfectam ætatem pervenire contendat.

Ex his sequitur adultum quemlibet non confirmatum teneri convenire (si possit) episcopum suum, vel alium pontificem, qui potestatem habeat, tempore persecutionis et gravioris contra fidem tentationis, etiamsi conveniri non possit sine magno incommodo ; vel si conveniri non possit, teneri ad habendum illius votum.

Assertio IV. — Præceptum illud ecclesiasticum obligat, cùm episcopus adest, paratus dare Confirmationem, nec baptizatus legitimam rationem habet ad differendum.

Id enim colligi videtur ex canonibus et statutis Ecclesiæ supra relatis.

Quæres utrùm parentes vi præcepti ecclesiastici infantes, qui sufficientem ætatem habent, adducere teneantur ad episcopum præsentem et dare paratum Confirmationem. — Respondeo affirmativè : parentes enim tenebantur infantes ad episcopum adducere statim à percepto Baptismate, quando Confirmatio statim post Baptismum administrabatur ; quantò magis nunc tenentur illos episcopo confirmandos offerre, cùm ad idoneam ætatem pervenerunt !

SECTIO III.

Utrùm Confirmatio præmitti debeat ad virginum velamen, vel susceptionem ordinum.

Præmitti debet ad virginum velamen, ex Alcimo Avito, lib. de Laude castitatis, ad sororem, cap, 19, tomo 8 Biblioth. Patrum. Videsis Hallerium, de sacris Electionibus, pag. 132, n. 26. Præmitti debet tonsuræ et ordinibus, ex Hallerio ibid., pag. 132, n. 26, et pag. 523, 524 et 525 ; item, tomo 2 Concil. Labbæi. pag. 1111, c. 5, tomo 14, pag. 866, in fine ; Godeau, in Hist. eccles. Cornelius apud Eusebium, Novatianum, quòd non esset confirmatus, à presbyterio submovendum esse docet.

SECTIO IV.

Utrùm Confirmatio præmitti debeat Eucharistiæ,

Videsis tomo 2 Concil. Labbæi, pag. 254, cap. 24, et pag. 1160, cap. 4, et tomo 15, pag. 1088, can. 7. Affirmat Joannes Nathanael apud Arcudium de Confirmatione, cap. 12, pag. 86, col. 1 et 2, eamque Græcorum esse consuetudinem affirmare videtur.

Non nisi confirmatus olim admittebatur ad Eucharistiam, ex Albaspinæo in notis ad can. 78 Illiberitanum, pag. 223 et 224. Gennadii Massiliensis tempore id usu receptum fuisse videtur, ut nemo ad Eucharistiam, nisi qui chrismate et manûs impositione communitus esset, admitteretur. Præmittebatur seculis VIII et IX, nisi urgeret periculum mortis, ex Alcuino, Amalario et libro de divinis Officiis. An tertio seculo idem mos fuerit, affirmat Albaspinæus ; dubitat Dallæus, lib. 1 de Confirm., cap. 9, quia Cornelius qui in Epistolâ sæpè citatâ *Novatianum, quòd non esset consignatus, à presbyterio quidem summovendum fuisse docet, de Eucharistiâ* (quod, si quid hujusmodi fuisset, tali loco non videtur fuisse omissurus) *nihil dicit. Quid enim ad eam causam gravius atque atrocius afferri poterat, quàm jus conficiendæ et fidelibus impertiendæ Eucharistiæ ei homini datum, quam ne à ministris quidem confectam accipere vel contingere fas erat?* Verùm ex Cypriano, qui Cornelio æqualis, et ex Tertulliano, qui superior fuit, apparet secundo et tertio seculo Confirmationem statim Baptismum subsecutam fuisse, adeòque præmissam Eucharistiæ

ARTICULUS III.

DE ITERATIONE CONFIRMATIONIS.

De Confirmationis iteratione duæ sententiæ à Dallæo referuntur, altera Græcorum, altera Sirmundi; utrique enim chrismatis unctionem iterari vel iteratam fuisse concedunt ; neutri tamen, si eorum mens accuratè perpendatur, Confirmationem absolutè et simpliciter iterabilem esse docuerunt. Sirmundus enim chrismationem existimat Confirmationi accidentalem esse ; Græci verò illam quidem fatentur essentialem esse ; sed uno duntaxat casu eam iterant, quia illam uno duntaxat casu deleri putant et extingui.

Nimirùm Sirmundus in Confirmatione distinguit manuum impositionem et chrismatis unctionem; illam ait essentialem, istam accidentalem esse; illam negat aliquandò iteratam, istam olim iteratam; modòque iterari posse concedit in Antirrhetico, pag. 435, ejusque iterationem non fore noxiam seu præjudicantem. Nusquàm verò Sirmundus asseruit Confirmationis Sacramentum iterari posse. Græci autem illud iterant uno duntaxat casu, cùm videlicet catholicus aliquis factus apostata, ad fidem revertitur, quia illud per solam fidei negationem deleri putant et extingui. Job quidem monachus, in tractatu de Sacramentis; morem suorum Græcorum referens, ait, *divini unguenti signaculum in duobus aliis casibus iterari* (nempe), *cùm inaugurantur reges et cùm pontifices consecrantur;* verùm illam unctionem nemo confirmatoriam dixerit. Cæterùm mos ille Græcorum antiquior est. Illius meminit Nicolaus Cabasilas, qui floruit circa medium seculum XIV, in orat. 2 de Vitâ in Christo, ubi quærit cur lex sacra statuat ut qui à fide catholicâ defecerunt, redeuntes *divino unguento obsignentur*, non autem rebaptizentur. Meminit et Georgius Cedrenus, qui scribebat anno 1065. Narrat enim Zilicam hæresim extinctam simul ac natam S. Methodii laboribus, moxque ejus sectatores cum principe suo Zilico, qui à secretis erat imperatori, ad veram religionem conversos fuisse, divinoque unguento unctos et perfectos. Methodius autem ille, de quo Cedrenus, ad sedem Constantinopolitanam evectus anno 843, obiit anno 847. Unde Goarius colligit morem illum apud Græcos jam observatum fuisse seculo IX.

Assertio prima. — Confirmationis Sacramentum nullo modo iterari potest.

Assertio hæc definita est in concilio Tridentino, sess. 7, can. 9; et ante synodum Tridentinam, ab Eugenio IV in Decreto pro Armenis, et ante Eugenium IV, can. 27 concilii Cabillonensis II, anno 813; item cap. 6 concilii Tarraconensis apud Gratianum, de Consecr., dist. 5, cap. 8, ubi decernitur ut bis confirmati *non seculo, sed soli Deo sub habitu regulari vel clericali religiosissimè famulentur;* et ante duas illas synodos, à Gregorio II, epist. 2 ad Bonifacium, anno 726: *De homine qui à pontifice confirmatus fuerat, denuò illi talis reiteratio prohibenda est;* et ante Gregorium II, à Gregorio Nazianzeno, in Exhortatione ad sacrum Lavacrum, ubi signaculum quod imprimitur chrismate, et quod vocat χάλλιστον βοήθημα clarissimè docet manere post mortem, atque ita deleri non posse. *Hoc*, inquit, *viventi tibi maximum est testamentum* (ovis enim quæ sigillo insignita est, non facilè patet insidiis; quæ verò signata non est, facilè à furibus capitur); *et vitâ functo res est accommoda, quæ sepulturam comitetur.* Variæ rationes referuntur ab Arcudio, lib. 2 de Confirm., cap. 23.

Assertio ii. — Confirmatoria manuum impositio iterari non potest.

Probatur ex epistolâ ad Hebræos, cap. 6: *Non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.* Quo loco Paulus, ut apparet, loquitur de Confirmatoriâ manûs impositione; et ita interpretati sunt Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, etc.; videsis Arcudium, lib. 2 de Confirm., cap. 23, ac præsertim Augustinum, Expos. in Epist. ad Romanos. Atqui manuum impositio, de quâ ibi Paulus, iterari non potest, ex Paulo ibidem, et ex Augustino ibidem.

Objicitur Augustinus, dicens quòd *manûs impositio sicut et oratio repeti potest*, lib. 3 de Baptismo, cap. 16, in fine. — Respondeo manûs impositionem, quam ibi repeti posse ait Augustinus, vel esse manûs impositionem reconciliatoriam, ut contendit Bellarminus, de Confirm., cap. 7, vel esse manûs impositionem genericè et secundùm se consideratam, non autem spectatam specificè, relativè ac determinatè ad neophytos ungendos, quæ quidem impositio super neophytos facta, super eosdem pœnitentes repetebatur; quâ in re differebat à Baptismo, qui ex se suâque naturâ repeti non potest: vel si sit manûs impositio considerata specificè, relativè ac determinatè ad neophytos confirmandos, loquitur Augustinus de manûs impositione inter hæreticos collatâ, quam plures theologi nullam, atque ideò repetendam existimant in iis qui ab hæresi recedunt.

Assertio iii. — Confirmatoria chrismatis unctio repeti non potest.

Probatur ex Paciano, Optato, Augustino supra citatis, concilio Toletano VIII, anno 655, can. 7: *Sanctum chrisma collatum et altaris honor avelli nequeunt.*

Objicit Sirmundus canonem 1 vel 2 Arausicanum, ubi chrismatio repetita dicitur.

Verùm de textu et sensu hujus canonis supra, parte 1, q. 2, art. 3, sect. 6, § 9.

Objiciunt Græci canonem 7 concilii II œcumenici, ubi Macedoniani et Appollinaristæ inter hæreticos recensentur, quos necesse est per Chrismationem recipi. At Macedoniani et Apollinaristæ paucissimis ante illud concilium annis ab Ecclesiâ defecerant, primùmque ab eo concilio inter hæreticos recensiti sunt. Hæretici ergo ii omnes aut ferè omnes, cùm in Ecclesiâ nati et baptizati essent, confirmati fuerant; Baptismus enim, Confirmatio et Eucharistia simul, actione non interruptâ, etiam infantibus tunc temporis tradebantur. Cùm igitur indistinctè aliis hæreticis antiquioribus per unctionem recipiendis eos annumerant Patres, decernunt consequenter Confirmationem catholicorum eo in casu repetendam. — Nego consequentiam. Concilii enim decretum eos non respicit qui in Ecclesiâ nati, baptizati et confirmati Macedonianorum et Appollinaristarum hæresim amplexi fuerant, sed eos tantùm qui ab illis hæreticis baptizati fuerant. Nec opus fuit illud expressè distinguere, cùm de jure communi certum esset unctionem catholicam nunquàm esse repetendam. Sic intellexit decretum hoc Siricius, epist. 1 ad Himerium, cap. 1. Simili ratione tribus aut quatuor annis post exortam Novatianorum hæresim Cyprianus à Magno interrogatus quo-

modò Novatiani ad Ecclesiam redeuntes essent recipiendi, multis contendit eos esse rebaptizandos, non distinguens an de Novatianis in Ecclesiâ aut extra Ecclesiam baptizatis intelligenda sit quæstio, supponens scilicet ut per se notum et concessum, baptizatos in Ecclesiâ, per pœnitentiam, non per Baptismum, esse recipiendos. Idem dicas de Macedonianorum et Apollinaristarum Confirmatione. Hoc igitur canone niti non possunt recentiores Græci ut Confirmationem iterari posse demonstrent.

Objiciunt etiam Methodii patriarchæ Constantinopolitani decretum, quo statuitur ut christiani, qui ignorantiâ vel tormentorum vi fidem negârunt, redeuntes ad Ecclesiam, recipiantur per Confirmatoriam chrismatis unctionem; de hoc decreto paulò fusiùs agendum est.

Methodii patriarchæ Constantinopolitani nomine decretum refertur, mutilatum quidem et interpolatum, tomo 6 Biblioth. Patrum, et exinde apud Baronium, in Annalibus, ad annum 842, num. 20, integrum verò à Goario in Euchologio, pag. 876, etc.; in eo autem fideles, qui postquàm fidem abnegârunt, ad Ecclesiam redeunt, triplicis generis distinguuntur. Qui enim à fide recedunt, vel pueri sunt, vel adulti : si adulti, vel propter tormenta, vel suâ sponte fidem rejecerunt. Primi et secundi generis decernit *chrismate inungi, ut solent inungi qui baptizantur ;* (postremos) *ad flentium ordinem omni vitæ suæ tempore amandari, juxta canonem 73 Basilii.* Decretum illud subsequuntur sex orationes, quarum duæ postremæ rubricis quibusdam interdistinguuntur. Primâ et secundâ oratione rogatur Deus ut lapso ad Ecclesiam redeunti veniam indulgeat; tertiâ verò hæc verba continentur : *Servum tuum istum populi tui congregationi restitui permitte : virtute et operatione sancti tui Spiritûs mentem ejus irradia, ut salutaris Baptismatis scintilla in ejus animâ insidens et relicta, aurâ gratiæ ventilata, spiritaliter rursùm accendatur, et impressum ei sigillum in ejus corde et cogitationibus per crucis Christi tui signationem, per spem in te, et veritatis agnitionem evidentiùs appareat,* etc. Quarta et quinta oratio merè propitiatoriæ sunt. Quintam orationem proximè sequuntur hæ rubricæ : Et *oratione* (quintâ scilicet) *completâ, sacro unguento accepto, secundùm baptizatorum consuetudinem illum inungit, crucis signo expresso in fronte, et oculis, et naribus, et ore, et duabus auribus, et manibus, et pectore, et scapulis, et genibus, dicens : « Signaculum « doni Spiritûs sancti. »* Et unctione perfectâ sequentem orationem super caput ejus recitat (nempe sextam, quâ Deus oratur ut) *per hujus unguenti unctionem servum suum ab erroris viâ revocatum in suâ sanctitate et in rectâ fide custodiat.* Hæc est illius decreti earumque orationum et rubricarum summa, quam referri oportuit, ut controversia circa illud opusculum rituale inter viros eruditos nuper exorta expendatur. Goarius enim illud vindicat Methodio patriarchæ Constantinopolitano, viro sanctissimo, Christi confessori, sacrarumque imaginum propugnatori, qui obiit anno 847; Arcudius verò tribuit Methodio, qui anno 1240 tribus duntaxat mensibus sedem Constantinopolitanam obtinuit. Genuinum illud Goarius contendit; adulterinum Arcudius; adulterinum aut saltem adulteratum Morinus. Goarius Armenopuli testimonio innititur, qui in Scholio ad canonem 1, tit. 4, sect. 5, ubi de Christi negatore agitur, refert Methodii patriarchæ constitutionem : *Sanctio*, inquit, *Methodii patriarchæ lapsos et conversos pueros, in captivitatem obductos, et metu vel ignorantiâ subactos, veniâ dignatur, sacro duntaxat eos oleo inungens.*

Verùm Armenopulus vulgò habetur multò antiquior quàm reverà sit. Illum enim post Balsamonem scripsisse demonstratur ex Scholio in can. 1, tit. 1, sect. 5, ubi ait Agarenorum liberos, qui ab orthodoxis inviti baptizantur, eò quòd Baptismo utantur velut medicinâ et incantatione, esse rebaptizandos. *Hoc enim*, inquit, *ita pronuntiatum est in synodo, quemadmodum Balsamon tradit.* Cedreni quoque testimonio innititur, qui refert, Zilicum, qui à fide catholicâ defecerat, ejusque asseclas ad Ecclesiam reversos, divino unguento à B. Methodio unctos et perfectos fuisse. Hunc igitur morem apud Græcos Methodius invenit, ut apostatas, qui fidem abnegâssent, cùm ad Ecclesiam redirent, iterùm confirmarentur. Verùm aliud est, illos apostatas divino chrismate unctos fuisse; aliud in eis confirmatoriam unctionem iteratam fuisse; nec enim quælibet chrismatis unctio dicitur confirmatoria. Rituale autem opusculum, quale nunc exstat, de Confirmationis unctione manifestè loquitur num. 16; ait enim, *non abs re dici posse Cedrenum de his obiter et paucis mentionem fecisse, admissionisque istius ritum, non ut à Methodio factus est, sed ut fieri videbat, retulisse.*

Arcudius verò, lib. 2 de Confirm., cap. 18 et 23, et Morinus, ibidem, plura referunt ut probent illud opus adulterinum esse, sanctoque Methodio perperàm adscriptum. Primùm enim verisimile non videtur Methodium virum sanctissimum non observâsse locum Pauli ad Hebræos, cap. 6, *simulque illius loci Græcos expositores, Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Œcumenicum* (quasi verò Methodius, qui obiit anno 847, Theophylactum et Œcumenicum ætate sibi inferiores observare potuerit), et alios clarissimè affirmantes talia fundamenta, Baptismum et manuum impositionem, hoc est, Confirmationem, non nisi semel jaci posse. 2° Quia quotquot fideles apostatæ facti, ad Ecclesiam reversi sunt, nunquàm alio modo ad Ecclesiam admissi sunt, quàm per pœnitentiam. Eos verò per manûs impositionem in Spiritum sanctum et chrismationem, aut per alterutrum tantùm admissos, planè est in universâ Dei Ecclesiâ inusitatum et inauditum, licèt antiqua monumenta millies et millies de ejusmodi lapsis mentionem faciant, innumeraque variis temporibus statuta de iis sancita sint. 3° Quia Photius schismaticus, qui Ignatium Methodii successorem è sede Constantinopolitanâ dejecit, in suâ Epistolâ Encyclicâ, quamvis concessam à presbyteris Confirmationem mordicùs defendat, nihilominùs Lati-

nos redarguens, qui confirmatos à suis presbyteris iterùm confirmaverant, ait inauditam esse vesaniam, ut quis confirmatoriam chrismatis unctionem aliquando iteraverit. *Talem quis insaniam unquàm audivit, quam isti mente capti audere non dubitaverunt, ut illos, qui semel chrismate uncti sunt, iterùm chrismarent, ex clesa divinaque christianorum mysteria in nugas et derisum convertentes?* Et infra : *Iterata chrismatio illorum qui baptizati sunt et chrismate uncti canonum auctoritate non indiget, ut opinor, ut damnetur; cùm vel ipsa sola rei narratio superet omnem impietatis excessum.*

Denique illud opusculum pluribus in locis adulteratum et interpolatum fuisse apparet ex variis lectionibus ab ipso Goario recensitis. Excusum enim à Goario euchologium fideles, qui suâ sponte fidem abnegârunt, *ad flentium ordinem omni vitæ suæ tempore* amandat; codices Regius, Barberinus, et Cryptoferratensis non nisi *duobus annis;* excusum euchologium 73 Basilii canonem integrum describit, cujus ne mentionem quidem faciunt illi codices. Excusum euchologium refert sex orationes, et rubricas inter quintam et sextam interjectas; quinta et sexta oratio, et rubricæ inter illas interjectæ, sequuntur, neque in præfatis codicibus, neque in aliis vix reperiuntur. Quin etiam codex Allatianus neque Methodii canonem exhibet, neque aliam orationem, præter quartam et ultimam. Quæ cùm ita sint, quis Goario opusculum illud quasi genuinum Methodii fœtum asserenti consentiat? præsertim cùm ex citatis codicibus Cryptoferratensis annum 1150 excedat, et Barberinus antiquissimus sit, litterisque majoribus et uncialibus scriptus, ex Morino, lib. 9 de Pœnitentiâ, cap. 9, n. 16.

Utcumque sit, apparet ex tertiâ oratione chrismatis unctionem lapsis ad Ecclesiam redeuntibus adhiberi, non ut Confirmationis Sacramentum in ipsis iteretur, sed ut ipsius animis inclusus Baptismatis igniculus aurâ gratiæ in flammam spiritualem excitatus accendatur, et sigillum, quod per Confirmationem impressum superstes est, evidentiùs appareat. Non invitus igitur concesserim, aliquam chrismatis unctionem à Methodio institutam et præscriptam, ut inclusum in ejusmodi lapsis ad Ecclesiam redeuntibus igniculum Baptismatis accendat; et impressum ac superstes in eis signaculum excitet. Nec aliud Cedreni verba postulant. Sed absit ut viro de fide catholicâ benè merito tribuam rituale illud opusculum, quale nunc exstat. Opus est Methodio inferiùs, immutatum sæpiùs à Græcis et interpolatum.

Quæres utrùm sicut iteratio Baptismi, ita Confirmationis iteratio administrantem et suscipientem irregulares efficiat. — Respondeo negativè cum Scoto, Petro de Alliaco, Paludano et Soto, quia omnis irregularitas in jure debet exprimi; atqui jus canonicum nullibi decernit irregularitatem incurri per iteratam Confirmationis administrationem vel susceptionem.

Pars quinta.

DE CÆREMONIIS CONFIRMATIONIS.

Cæremoniæ aliæ chrisma, aliæ unctionem respiciunt.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CÆREMONIIS CHRISMA RESPICIENTIBUS.

Præparatio et confectio materiæ chrismatis apud Maronitas, tomo 14 Concil. Labbæi, pag. 348, in fine, et 349; apud Græcos ex variis euchologiis, apud Goarium, pag. 637, 638, 639; sed præsertim ex Constantinopolitano; item tomo 11 Concil. Labbæi, parte 1, pag. 613, cap. 5.

Consecratio chrismatis apud Maronitas, tomo 14 Concil. Labbæi, ibidem; apud Græcos, in Euchologio Goarii, pag. 639, 640, etc.; videsis Bellarminum, ubi de Cæremoniis Confirm., et Josephum Vicecomitem, in opere de Cærem. Confirm., qui et nonnulla refert in opere de Cæremoniis Baptismi. Videsis Honorium Augustodunensem, lib. 3 de Gemmâ animæ, cap. 83, ubi ritum solemnem describit, quo ampulla deferebatur ad altare, illumque mysticè interpretatur. Videsis Ordinem Romanum, librum de divinis Officiis, Amalarium, Walafridum, Pontificale Romanum, Sacramentarium Gregorii Magni, etc.

Consecratio chrismatis accuratè describitur à Ruperto, lib. 5 de div. Officiis, cap. 18.

Hæc consecratio quolibet tempore fieri poterat, ex concilio Martini Bracarensis, de Consecrat., dist. 4, cap. 121, et ex concilio Toletano I, cap. 20, anno 400, et ex S. Thomâ, 3 p., q. 72, a. 12, ad 3, restricta ad diem Cœnæ. Præclara apud Rupertum, lib. 5 de divinis Officiis, cap. 18.

Licuisse aliquando episcopis omni die chrisma conficere apparet ex canone 5 veterum canonum Ecclesiæ Orientalis, collectionis Martini Bracarensis : *Omni tempore liceat episcopis chrisma conficere.* Sed Ecclesiam postea diem unicam huic consecrationi assignâsse, feriam scilicet quintam in Cœnâ Domini, patet ex concilio Meldensi, cap. 46, et Epistolâ pseudo-Fabiani, et Zachariâ Romano pontifice, epistolâ 3 ad Bonifacium. Jubebantur tamen presbyteri circa festivitatem Paschæ petere chrisma ab episcopo, ex locis relatis, et ex concilio Liptinensi, cap. 3, ac Vasensi, cap. 5,

quia necesse erat illos habere chrisma pro solemni Baptismo paschali. Hinc mihi facilè persuadeo moris fuisse ut in sanctâ hebdomadâ consecraretur. Concilium Meldense, Zacharias pontifex, locis citatis; et Bonifacius, epist. 12, observant diem intra illam hebdomadam præscriptum suo tempore, fuisse feriam quintam in Cœnâ Domini; cujus diei designationis multiplex ratio affertur. Prima est Isidori Hispalensis, et auctoris libri de divinis Officiis : *Quia ante biduum Paschæ, Maria caput et pedes Domini unguento perfudisse perhibetur*. Secunda ejusdem auctoris : *Quia quintâ ætate mundi Christus ad nos pervenisse perhibetur*. Tertia Ruperti, quia agnus eâ die immolabatur, et ejus sanguine postes obsignabantur. Quarta S. Thomæ, 3 p., q. 72, a. 12, ad 3, quia illâ die institutum est Eucharistiæ Sacramentum, ad quod cætera referuntur.

Illud chrisma quotannis renovandum est, et vetus comburendum, *ex epistolâ* pseudo-Fabiani.

Presbyteri parochiarum debent illud ab episcopo proprio petere, non à viciniore, ex concilio Vasensi, cap. 5, Antissiodorensi, cap. 6, Liptinensi, cap. 3. Eadem est ratio monasteriorum.

Cautum est in concilio Cabillonensi II, can. 26, ne episcopi à presbyteris pro balsamo emendo ad chrismatis confectionem aliquid accipiant; et in Aquisgranensi II, cap. 5, Meldensi, cap. 45, ne aliquid exigant pro acceptione sacri chrismatis, seu episcopi, seu cæteri Ecclesiæ ministri. Eadem lex sancita fuit in concilio Barcinonensi, cap. 2, ut cùm chrisma presbyteris diœcesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur; et ante in concilio Toletano XI, cap. 8.

Chrisma quod presbyteri ab episcopis acceperunt, custodiri debet sub sigillo et serâ; nec licet illud alicui donare pro ullâ necessitate, neque sub prætextu medicinæ, vel maleficii, neque ad subvertendum judicium. Videsis Heraldum Turonensem, cap. 22, concilium Moguntinum, cap. 27, librum 3 Capitularium Caroli Magni, cap. 55, concilium Turonense II, cap. 20.

Benedictio chrismatis apud Latinos.

Ritus quo chrisma benedicitur apud Latinos, quatuor complectitur.

1° Preces funduntur, juxta Apostolum, 1 Timoth. cap. 4, scribentem, *omnia sanctificari per verbum Dei et orationem*.

2° Fit signum crucis super oleum et balsamum; nihil quippe sine eo consecrari posse docent Joannes Chrysostomus, homil. 55 in Matth., Augustinus, serm. 181 de Tempore, et tractatu 118 in Joan. *Quod signum crucis nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex quo regenerantur, sive oleo, quo chrismate inunguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil horum ritè perficitur*.

3° Episcopus aliquoties halat super ampullam chrismatis, quam cæremoniam esse quid ridiculum, magicum, superstitiosum et blasphemum audent asserere Lutherani et Calvinistæ; antiqua tamen est, eaque exstat in Amalario, Ordine Romano, Sacramentario Gregorii Magni, et sumpta est ab exemplo Christi, qui in apostolos insufflavit, Joan. 20, ut ostenderet Spiritum sanctum in eos illabi. Amalarius, lib. 1, cap. 12 : *Halitus ab interioribus et secretis procedit in publicum et vocatur spiritus, in naribus ejus est. Pontifex per spiritum suum substantiam Spiritûs sancti nuntiat in corpore assumpto à divinitate inhabitare, cujus adventu renovata sunt omnia*.

4° Chrisma jam confectum salutatur ab episcopo et presbyteris in hunc modum : *Ave, sanctum chrisma*, quam cæremoniam pariter novatores isti redarguunt, tanquàm idololatricam et ridiculam, quia salutatur res inanimata. Verùm et illa antiqua est, et apud Amalarium, ac in Ordine Romano exstat. Usitatissimum verò est in signum gaudii, exultationis et gratulationis, etiam res inanimas salutare, ac si viverent; sic B. Andreas videns crucem ait : *Salve, crux pretiosa*, etc.; sic Fortunatus Christi crucem alloquitur : *Sola digna tu fuisti ferre secli pretium*, etc.; sic idem salutat diem festum resurrectionis :

Salve, festa dies, toto venerabilis ævo;

sic Paula salutavit Bethleem, cùm eam primùm vidit, apud Hieronymum, in Epistolâ de ejus Obitu; sic Gregorius Nazianzenus, Oratione ad Clerum, quando abdicavit se episcopatu Constantinopolitano, valedixit cathedræ, templo, etc. Nihil quoque frequentius apud auctores profanos. Adde non salutari chrisma physicè, substantialiter et absolutè, sed relativè et moraliter prout est Christi symbolum. Rupertus, lib. 5 de divinis Officiis, cap. 18 : *Ampulla verò postquàm benedicta fuerit et ab altari redit, à pontifice et ministris altaris visibiliter et nuda salutatur. Hoc significat quòd Christus, postquàm ab altari crucis transivit, præsentiam suam corporalem eis tribuit, quos testes suæ resurrectionis esse voluit. Quod cæteris invisibilis et operta ad salutandum defertur, significat quòd Christus rediens in cœlum, invisibilis hominibus factus est*. Amalarius, supra : *Ampulla cum chrismate quodammodò corpus Domini ex virgine Mariâ assumptum significat; quod antequàm transiret ad altare crucis, aliquo tempore cooper tum erat, et aliquo nudum. At postquàm transivit ad altare crucis, id est, ad immolationem quasi ad consecrationem episcopi, aliquâ parte corporis nudum corpus suum demonstravit; quæ pars ad memoriam reducitur per ampullæ nuditatem, quam episcopus et diaconi salutant. At postquàm salutata est à Pontifice et ministris altaris ampulla, cooperitur, ut à nemine nuda videatur : cooperta tamen salutatur ampulla; Christus namque postquàm præsentiam suam eis secundùm suam dispositionem exhibuit, quos voluit esse testes suæ resurrectionis, ascendit in cœlum et invisibilis hominibus factus est*.

ARTICULUS II.

DE CÆREMONIIS AD UNCTIONEM PERTINENTIBUS.

Videsis Bellarminum ubi de Cæremoniis, Josephum Vicecomitem in opere de Cæremoniis Confirmationis, qui etiam nonnulla refert in opere de Cæremoniis Baptismi, Ordinem Romanum, librum de divinis

Officiis, Amalarium, Walafridum, Rupertum, etc.; adde antiqua concilia à nobis citata, et auctores seculorum VI, VII, VIII, IX, X, XI et XII à nobis citatos, Sacramentarium Gregorii Magni, etc.

De cæremoniis tomo 9 Conciliorum Labbæi, pag. 1226 et 1227; tomo 10, pag. 585, cap. 8, pag. 1088, pag. 1128, pag. 1587, cap. 15. Nomina et nominum mutatio, tomo 10 Conciliorum Labbæi, pag. 1802, tomo 15, pag. 586, 1128 et 1393.

Patrini, etc., cognatio spiritualis, etc., t. 5 Concil. Labbæi, p. 585, c. 8, et p. 586; t. 11, p. 254, c. 24, p. 513, p. 1267, c. 3; t. 14, p. 878, initio; t. 15, p. 827, 954, 1088, c. 5, p. 1128, 1546, c. 2, p. 1587, c. 15. De patrinis, Honorius Augustodunensis, t. 10 Biblioth. Patrum, p. 1286, c. 115. De cognatione spiritali, Ivo, t. 10 Biblioth. Patrum, p. 772, in fine.

Vestis albæ indutus seu vestitus præcedebat unctionem; eam tamen subsequitur in Rituali Severi patriarchæ, fortè quia secundùm ritus ibi præscriptos sacerdos non solùm *frontem, nares, manus et pedes* neophytorum ungebat, sed et *omnia eorum membra*, quod fieri non potuisset, si neophytus priùs vestem albam induisset quàm esset confirmatus.

De tempore, die et horâ administrationis Confirmationis videsis t. 10 Concil. Labbæi, p. 1802, t. 11, p. 513, t. 15, p. 1088, c. 7 et 9, p. 1128. Conferebatur statis temporibus vel indeterminatis, ut cùm episcopus parochiam visitabat, ex Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos, ubi ait ætate suâ *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat.* Fixa tempora primùm quidem eadem erant, quæ Baptismi, videlicet sabbatum Paschatis et Pentecostes, quamdiù post solemnem Baptismum Confirmatio immediatè administrata fuit. Cùm verò Baptismi solemnitas administrari desiit utroque Paschatis et Pentecostes sabbato, varium quoque fuit tempus administrationis Confirmationis. Synodus Bituricensis, anno 1584, titulo 20, can. 7, apertè monuit illam ætate suâ fieri solitam post quatuor tempora, ex dictis supra. S. Carolus illam administrari voluit diebus Pentecostes.

Cæremoniæ quæ pertinent ad unctionem, aliæ præcedunt, comitantur aliæ, aliæ subsequuntur.

SECTIO PRIMA.

De cæremoniis unctionem præcedentibus.

Patrini ut in Baptismo, ita et in Confirmatione adhibentur; id patet ex Gratiano, de Consecrat., dist. 4, cap. *Si qui.* Idem patet ex Innocentii decreto quod est 30, q. 4, cap. *Si quis ex conjugio*, cap. *Dictum est*, cap. *De his*, et de Consecrat., d. 4, cap. *In catech.*, cap. *Non plures*, cap. *In baptismate.* Cur adhibeantur docet D. Thomas, 3 p., q. 72, a. 10, in cap.: *Hoc Sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quæ pertinent ad conservationem vitæ, ita illi qui assumuntur ad pugnam indigent eruditoribus à quibus instruantur de his quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideò in bellis materialibus constituuntur duces et centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc Sacramentum ab alio tenetur, quasi per alium in pugnâ spirituali erudiendus. Similiter etiam, et quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis; ideò ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillus et puer.* Et ad 2: *Licèt baptizatus sit effectus membrum Ecclesiæ, nondùm tamen est adscriptus militiæ christianæ. Et ideò episcopo tanquàm duci exercitûs, per alium exhibetur jam militiæ christianæ adscriptum. Non enim debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondùm est confirmatus.* Hoc etiam expressè habetur citato capite *In Baptismate.*

Arcendi sunt igitur ex hoc munere nondùm confirmati, arcendi quoque sunt ex confirmatis qui non sunt benè instituti de fide ac vitâ christianâ, aut qui alios erudire minimè parati sunt. Hanc ob causam S. Carolus in concilio Mediolanensi voluit non esse minores annis quatuordecim. Arceri etiam debent *publicè pœnitentes* ex concilio Parisiensi VI, lib. 1, c. 54, monachorum, abbatum, et monialium eadem quoad Confirmationem videtur esse ratio, quæ in Baptismo, in quo susceptores esse non possunt, ex concilio Antissiodorensi, c. 25, quod refertur de Consecrat., dist. 4, c. *Non licet.* De presbyteris et clericis, cùm olim adhiberentur in Baptismo, et nunc etiam multis in locis adhibeantur, causæ nihil video cur non adhiberentur in Confirmatione. Standum tamen usui et praxi cujuslibet Ecclesiæ. Excludendi sunt pariter ab hoc munere parentes ejus qui confirmandus est, quia cum ipsis et inter ipsos velut in Baptismo cognatio spiritualis contrahitur, ex locis supra citatis. Idem potest esse susceptor in Confirmatione qui fuit in Baptismo. Contraria tamen olim fuit Ecclesiæ Romanæ consuetudo, ex c. *In catechismo.* Unus sit patrinus vel una matrina, ex capite *Non licet.* In nonnullis Ecclesiis statutum fuit ut compater sit pro maribus, et commater pro feminis. Concilium Mediolanense V: *Ut ne feminis mares, nec contra maribus feminæ, neque senioribus adolescentes, cùm minimè hoc per ætatem conveniat, compatres in Confirmationis Sacramento adhibeantur, nisi id aliquando necessitas postulet.* Ritus antiquus est, *ut compater dexterâ suscipiat et teneat eum quem offert episcopo confirmandum.* Si verò qui offertur, adultæ ætatis est, pedem suum super dextrum pedem compatris, qui ipsum offert ponit; quod non sine mysterii significatione fit. Quam ob causam ejus qui confirmatur patrinus tunc coram episcopo confirmante stet, inquit concilium Mediolanense V sub S. Carolo. De isto ritu veteri videsis Ordinem Romanum et Sacramentarium Gregorii Magni.

In Confirmatione nomen confirmandi, si turpe sit aut ridiculum aut homini christiano minimè conveniens, mutari debet. Ita concilium Mediolanense V: *Curet etiam episcopus ac parochus, ut qui turpe ridiculumve nomen habet, neque planè conveniens homini christiano, illud*

mutet, sumatque in Confirmationis Sacramento nomen alicujus, qui veræ pietatis sanctæque religionis laude floruit, ut qui hactenùs non ad normam Christi vitam instituit, jam abjecto ejusdem nomine, depositoque veteri homine et antiquâ socordiâ rursùsque novo ac sancto suscepto nomine, virilem in sanctè agendo constantiam perpetuò deinceps præstet. Idem statuit concilium Aquense, anno 1585, et Tolosanum 1590. Potest etiam (etsi non sit necesse) immutari vel addi nomen aliud nomini sancto et convenienti ex Constitutionibus Odonis Parisiensis. *Possint nomina mutari pueris, si velint, in Confirmatione, aut si visum fuerit expedire.* Item ex Constitutionibus synodalibus Ecclesiæ Remensis : *Nomina ipsorum, si velint, mutabimus confirmando.* Ex synodo Trecensi, anno 1400, et Senonensi, anno 1524 : *In cujus receptione licita est nominis mutatio.* Ex Carnotensi, anno 1526 : *Et quòd, si voluerint, possunt nomina sua mutare, dùm tamen fraus et dolus absint.*

Confirmandi mundare seu abluere frontem tenentur, antequàm se sistant episcopo, ex synodo Rothomagensi anni 1581, Aquensi 1585, et Mediolanensi V sub S. Carolo : *Pridiè illius diei*, inquit S. Carolus, *quo suscipient, caput lavent, aliove modo mundent, capillosque sibi tonderi curent.*

Quando Confirmatio immediatè post Baptisma conferebatur, confirmandi vestibus albis induebantur, antequàm offerrentur episcopo. Sacramentarium Gregorii Magni : *Pontifex verò redit in sacrarium, exspectans ut, cùm vestiti fuerint infantes, confirmet eos.* Ordo Romanus : *Episcopus ergo egreditur à fonte in sacrarium habens ibi compositam sedem, ut in ecclesiâ ubi voluerit, et sedeat in eâ, et cùm vestiti fuerint infantes, confirmet eos.* Idem habet auctor libri de divinis Officiis. Hæc vestis alba erat, ex iisdem locis, et ex Cyrillo Hierosolymitano, catech. 4, Ambrosio de Iis qui initiantur, c. 7, Chrysostomo in Psal. 128, Paulino epist. 12, Gregorio Turonensi, lib. 2 Hist., c. 29, Theodulpho Aurelianensi, Jesse Ambianensi, et aliis. Vestis igitur albæ indutus seu vestitus Confirmationem præcedebat; eam tamen subsequitur in Rituali Severi patriarchæ, fortè quia secundùm ritus ibi præscriptos sacerdos *frontem, nares, manus et pedes* neophytorum ungebat; quod fieri non potuisset si neophytus priùs vestem albam induisset, quàm esset confirmatus. Ex quo verò Confirmationis susceptio ad tempus aliud à tempore Baptismatis dilata fuit, non alia vestium ratio habita est, nisi ut mundæ essent ac modestæ.

SECTIO II.

De cæremoniis unctionem seu Confirmationem concomitantibus.

Tempus Confirmationis olim idem erat quod Baptismi; illud enim Confirmatio proximè sequebatur. Baptismi verò solemnis quodlibet tempus initio nascentis Ecclesiæ, etiam extra periculum et casum necessitatis, idoneum censebatur. Dehinc duo dies solemni Baptismo consecrati sunt, utrumque videlicet Paschatis et Pentecostes sabbatum, quibus in nonnullis provinciis adjecti sunt dies Epiphaniæ aut dies Natalis Domini, quæ debent intelligi extra casum necessitatis; tunc enim quâlibet die et horâ conferebatur. Postquàm verò hæc duo Sacramenta separatim administrata sunt, concessa est Confirmatio pro opportunitate episcopi, frequentiùs tamen feriis Pentecostes et quatuor Temporum, et quando potest id commodè fieri, horâ tertiâ (hoc est, nonâ matutinâ); hâc enim horâ Spiritus sanctus illapsus est in apostolos. Concilium Mediolanense V, sub S. Carolo : *Hoc Sacramentum episcopus administrare studebit horâ tertiâ potissimùm, quæ antiquo ritu stata hujus Sacramenti hora est.* Idem habet concilium Aquense anni 1585.

Locus idem erat qui Baptismi; Baptismi verò locus ordinarius erat ecclesia cathedralis, à quâ baptisterium non longè erat. Cùm autem utrumque Sacramentum separatim conferretur, administrabatur Confirmatio in ecclesiis pagorum et villarum, ex Hieronymo, in Dialogo, supra. In casu necessitatis in ipso ægroti cubiculo administrari potest ex auctore libri de divinis Officiis.

Ordo et situs : *Primùm*, inquit concilium Mediolanense V, *mares in ecclesiâ à parte suâ, feminæ ab alterâ sint; sicque separatim distincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis, suo quisque ordine piè et religiosè orent, inprimisque ab omni strepitu, vociferatione et inani confabulatione caveant, sed silentio sancto utantur, et quod veteris ritûs est, primùm mares, deinde feminæ confirmentur, nisi aliquando aliter fieri episcopus censuerit.* Concinit Aquense anni 1585, et quemadmodùm ex Ordine Romano mares primùm, ac postea feminæ baptizabantur, ita mares ante feminas confirmabantur.

Confirmatus manu in maxillâ leviter cæditur ab episcopo. Quo tempore institutus ille ritus fuerit, ignoro. Illum non legi apud Veteres. Quâ intentione, varii varia. Synodus Senonensis anni 1524, et Carnotensis hanc reddunt rationem : *In eâ percussione infantes memoriam habeant se fuisse confirmatos, ne iterùm confirmentur.* Catechismus Romanus : *Ut meminerit confirmatus, se tanquàm fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda.*

Confirmato pax datur ab episcopo ex Ordine Romano, auctore libri de divinis Officiis, cap. *de Sabbato sancto*, Amalario, lib. 1, c. 27. Verba quibus datur : *Hæc sunt*, inquit, *verba salutationis ad novum hominem. Ut intelligat*, inquit Romanus Catechismus, *se gratiæ cœlestis plenitudinem, et pacem quæ exuperat omnem sensum consecutum esse.* Dehinc pontifex fundit orationem pro confirmatis. Vide Ordinem Romanum.

SECTIO III.

De cæremoniis Confirmationem subsequentibus.

Vittæ lineæ appositio. Frons confirmati vittâ lineâ circumligatur, quâ de re synodus Trecensis anni 1400 : *Confirmandi bandellos longos et latos secum habeant, quos post Confirmationem triduo die ac nocte deferant, ne chrisma possit ab aliis tangi.* Synodus Lingonensis anni 1404 vult illos bandellos deferri per duos aut

tres dies. Synodus Carnotensis anni 1526 ad minus per viginti quatuor horas. Bituricensis 1584 per triduum.

Vittæ lineæ depositio et chrismatis abstersio. Deponebatur olim post septimum diem, quo die frons sacro chrismate illita abstergebatur. Ordo Romanus, titulo de observandâ Unctione chrismatis : *Quanto autem tempore generaliter ab Ecclesiâ celebratur adventus Spiritûs sancti super apostolos, tanto tempore debet servari unctio chrismatis.* Idem habet auctor de divinis Officiis, c. de Sabbato in Albis. Hugo à S. Victore, lib. 2, de Sacramentis, parte 7, c. 7 : *Solent quidam quærere quanto tempore debeant unctionem chrismatis observare in capite, ut scilicet capita non lavent, qui accipiunt manûs impositionem absque tempore baptisterii; quibus responderi potest conveniens esse ut tanto tempore adventus Spiritûs sancti apud unumquemque qui eum accepit celebretur, quanto tempore generaliter ab Ecclesiâ celebratur adventus Spiritûs sancti super apostolos, hoc est, septem diebus; et meritò, quia septem sunt dona Spiritûs sancti, et in septem comitibus ad hospitem suum Spiritus sanctus venit, et dignum est ut habeat unusquisque diem suum, et unicuique in die suo convivium præparetur.* De modo pio ac sancto quo septem illi dies transigebantur, videsis rituales auctores, et libros qui referuntur tomo 10 Biblioth. Patrum. Hæc igitur vitta linea per septem dies adhuc deferebatur seculo XII; seculo XIV tribus duntaxat diebus ex citatâ synodo Trecensi; seculo XV duobus aut tribus diebus ex citatâ synodo Lingonensi; seculo XVI saltem per 24 horas ex citatâ synodo Carnotensi; hodierno seculo ferè ubique frons statim abstergitur. Elapso igitur tempore constituto confirmatus ad ecclesiam veniebat; vitta linea ipsi auferebatur à sacerdote, mox ejus frons *sale et aquâ* lavabatur, lotio fundebatur in piscinâ, et vitta comburebatur, ex synodis Trecensi anni 1400, Lingonensi 1404, Carnotensi 1526, et vittæ cineres in primum diem Quadragesimæ servabantur, ex synodis Mediolanensi V sub S. Carolo, Bituricensi anni 1584 et Aquensi anni 1585.

Hactenùs de Confirmationis sacramento, in quo, præsertimque in duabus postremis partibus, ut quæ præcipiti animo fuerint compositæ, si quid nobis incautis minùs rectum exciderit, pro non dicto et revocato haberi volumus. Benedictus Deus in secula. Amen.

APPENDIX VITTASSII

DE EXISTENTIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS, IN QUA REFERUNTUR TESTIMONIA AUCTORUM, DE QUIBUS VIRI ERUDITI INTER SE DISSIDENT.

§ 1. CLEMENS ROMANUS.

Clementis Romani pontificis nomine quædam epistolæ circumferuntur, quarum quarta est ad Julium et Julianum, sub cujus finem sic habetur : *Omnibus ergo festinandum est, sine morâ renasci Deo, et demùm consignari ab episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritûs sancti percipere, quia incertus est uniuscujusque exitus vitæ*, etc. Hic sanè locus apertus in gratiam sacramenti Confirmationis, sed epistolam supposititiam esse in confesso est apud viros eruditos. Eam quidem antiquam esse Bellarminus asserit; sed pro hâc antiquitate asserendâ nullum affert argumentum.

Ejusdem Clementis nomine citantur Constitutiones Apostolicæ, quæ libro 3, cap. 10, 16, et 17, et lib. 7, cap. 23, 44, 45 et 46, Sacramenti Confirmationis mentionem faciunt. Triplicem illæ in baptizatis unctionem distinguunt : unam quæ Baptismum præcedit et à diacono fit in fronte, ex lib. 3, cap. 15, alteram quæ Baptismum præcedit, et ab episcopo fit in capite, ex lib. 3, cap. 15 et 16; tertiam quæ Baptismum seu ab episcopo seu à presbytero collatum subsequitur, et à solo episcopo fieri potest, ex lib. 3, cap. 16. Hanc verò postremam unctionem confirmatoriam esse indicant eædem Constitutiones, lib. 3, cap. 16 et 17, et lib. 7, cap. 23, 44 et 45. Quin etiam cap. 45 refertur oratio quæ pronuntiari solebat quando chrisma baptizato adhibebatur.

Opponunt sive Dallæus, lib. 1, cap. 11, sive alii hæretici, 1° quòd auctor Constitutionum, quicumque ille fuerit, de simplici oleo loquatur, non autem de mixtione ex oleo et balsamo. — Respondeo 1° id gratis asseri, præsertim cùm ille auctor non solùm olei, sed et *chrismatis* nomen usurpet lib. 3, cap. 16 et 17. Quin etiam lib. 7, cap. 44 et 45, asserit hanc unctionem fieri *ex unguento chrismatis;* quibus verbis nemo dixerit oleum simplex significari. Respondeo 2° hìc agi de naturâ, non autem de materiâ Confirmationis necessariâ. Respondeo 3° apud theologos controverti utrùm balsamum necessaria sit hujus Sacramenti materia.

Opponunt 2° vel ipsam tertiam unctionem, cujus auctor ille meminit, esse Baptismi cæremoniam; idque probari tum ex ipsis titulis capitum 16 et 17 libri 3, et capitis 23 libri 7; inscribuntur enim : *De Baptismo;* tum ex capite 45, ubi refertur oratio quæ proferri debet dùm baptizatus unguento chrismatis ungitur; eaque asseritur tantæ necessitatis esse, ut, eâ omissâ, Baptismus sit inefficax. — Respondeo 1° præatfa capita inscribi : *De Baptismo,* quia in illis præcipuè de Baptismate, obiter verò de Confirmatione

disseritur; 2° si præfata capita inscribuntur : *De Baptismo*, non autem : *De Chrismate*, alia pariter sunt, quæ de Chrismate, non autem de Baptismo inscribuntur, ut caput 45 libri 7; 3° si hæc tertia unctio ejusque oratio tantæ necessitatis est, ut ex eâ Baptismi virtus dependeat, ea igitur Baptismo essenti alis est, non autem mera ejus cæremonia : 4° caput illud 45 à quodam nebulone interpolatum fuisse videtur; quis enim unquàm somniavit Baptismum fore inefficacem, nisi prolixa satis, quæ ibidem refertur, oratio super baptizatum proferatur? qui fieri potest ut efficacia Baptismi jam collati ab oratione futurâ dependeat?

Opponunt 3° præfatas Constitutiones ab anonymo quodam suppositas fuisse, qui, ut huic operi auctoritatem accerseret, eas nomine Clementis apostolorum discipuli composuit; quare sit

De antiquitate et auctoritate Constitutionum Apostolicarum.

De auctore et auctoritate Constitutionum, quæ libris octo distinguuntur, inter se disceptant vel ipsi catholici. Carolus Bovius, episcopus Ostunensis, in procemio Latinæ suæ earumdem Constitutionum versioni præfixo; Franciscus Turrianus, in præfatione ad suam earumdem Constitutionum Latinam interpretationem; Cæsar Baronius, ad ann. 102, n. 9; Robertus Bellarminus, in lib. de Scriptoribus; Petrus Halloixius jesuita, in not. ad Vitam Policarpi, cap. 6, in notâ ad Vitam Ignatii, cap. 2, et in apologiâ pro scriptis ejusdem Ignatii, cap. 3; Gabriel Albaspinæus lib. 1 Observ., cap. 13; Petrus de Marcâ, lib. 3 de Concordiâ, cap. 2, n. 2; Dionysius Petavius, de Doctrinâ temporum, lib. 2, cap. 57, et in Annot. in Epiphanium; Joannes Morinus, de sacris Ordinationibus, parte 2; Joannes Fronto in prænotatis ad calendarium Romanum, § 5; Joannes Bona, lib. 1 Rerum liturg., cap. 8, n. 4. Infinitum esset singulorum opiniones referre, easque expendere; præcipuas enarrabo.

Proponitur sententia Bovii.

Bovius, qui omnium primus hodiernas Constitutiones defendit, eas asserit Clementi, earumque antiquitatem et auctoritatem probat testimoniis Nicolai Methonensis, Œcumenii et aliorum quos referro et expendo.

Nicolaus, Methonensis episcopus, quem Bovius *sanctum* appellat, Græcus et schismaticus est, Ecclesiæ Romanæ perduellis, qui seculo XII vixit, adeòque ejus auctoritas nulla est.

Œcumenius, Comment. in cap. 4 Epist. ad Timoth. ad hæc Pauli verba : *Testimonium temporibus suis*, subjicit : *Hoc est, quando rectè se habebant homines ad fidem. Ita Clemens in lib.* 7 Ὑποτυπωσέων. Floruit ille seculo X; quamobrem inferioris ætatis est quàm ut his Constitutionibus fidem aliquam astruere possit.

Maximus, monachus Constantinopolitanus, qui floruit sedente Honorio I, ad annum 630, et martyrium passus est anno 657, librum Apostolicarum Constitutionum laudat prologo in Opera S. Dionysii, earumque auctoritatem adducit, ut inde probet Dionysium à Paulo Atheniensium antistitem constitutum fuisse. Textum etiam ex Apostolicis Constitutionibus profert in fine scholiorum ad cap. 2 libri de Eccles. Hierarchiâ.

Proclus, qui patriarcha Constantinopolitanus electus anno 434, obiit anno 445, in libello de Traditione divinæ liturgiæ, meminit liturgiæ Clementinæ, asserens B. Clementem apostolis dictantibus eam edidisse. Hæc autem liturgia describitur lib. 8 Constitutionum, à capite 5 ad caput 16. Verùm hæc tria Græci olim distinguebant, liturgiam Clementis, Canones Apostolicos, et Apostolorum Constitutiones. Trullana synodus Canones Apostolicos recipit, quæ tamen Constitutiones rejicit. Græci nonnulli liturgiam Clementinam admittunt, qui tamen Constitutiones adulteratas esse agnoscunt.

Hieronymus, qui floruit ab anno 380 ad annum 420, Peroratione in Origenis Explanationem Epistolæ ad Romanos ab ipso (ut putatur) Latinè redditam, sic habet : *Post hoc sanè vocat nos opus, quod olim quidem injunctum est, sed nunc à B. Gaudentio episcopo vehementiùs perurgetur, Clementis scilicet Romani episcopi, apostolorum comitis, quorum ut successoribus darem cognitionem, libri à nobis in Latinum vertuntur. Satisfaciam sanè in eo amicis meis, dabo titulo nomen meum, auctoris nihilominùs vocabulo permanente. Nam Hieronymi ne putetur, Clemens scribetur.* Hactenùs Hieronymus. *Libros autem Clementis ab Hieronymo conversos*, inquit Bovius, *judico has ipsas esse Apostolorum constitutiones. Quid enim ille in vertendis apocryphis* (alios enim libros, qui sub Clementis nomine circumferuntur, apocryphos esse constat) *tantoperè insudaret præsertim si sciret palmam sibi à Rufino præreptam? doctrina verò apostolorum, quâ Latinæ Ecclesiæ hactenùs caruissent, digna profectò erat, in cujus interpretatione tantus vir laboraret.* Verùm Hieronymus, in Catalogo, Clementis opera recensens, non meminit ejusmodi Constitutionum : præterea de nullis omninò Clementis libris, à se vel conversis vel convertendis, Hieronymus in suis genuinis operibus unquàm locutus est. Accedit quòd ille nullibi, ne in Catalogo quidem, in cujus fine recenset Origenis opera à se Latinè reddita, dixerit se Origenis explanationem Epistolæ ad Romanos de Græco in Latinum vertisse. Hieronymi igitur pro Rufini nomen substitutum fuisse suspicatur Erasmus : nam *cùm Rufinus gravissimâ suspicione premeretur, quòd esset Origenistas, librarii submoventes quæ primâ statim fronte deterrerent lectorem, pro invidioso nomine* Rufini, *supposuerunt gratiosum nomen* Hieronymi. Apocryphos enim Recognitionum libros, Latinè à Rufino fuisse conversos, et ex Gennadio constat in Catalogo scriptorum ecclesiast., et ex ipso opere quod adhuc superest simul cum ipsius Rufini præfatione præmissâ ad Gaudentium.

Chrysostomus, qui floruit desinente seculo IV, et obiit ineunte seculo V, homil. 53 in Matth., Constitutiones illas citat sub nomine Canonum Apostolorum. *Quomodò quidam sacerdotes*, inquit, *ex hominibus ordinantur, manifestè in lib. 8 Canonum Apostolorum*

dicitur ; « *Qui autem ex hominibus ordinatus* est, quan- « tùm ad Deum, non est diaconus aut sacerdos. » Quibus subjicit Bovius : *Hanc sententiam in eo ipso libro, quem Chrysostomus nominat totidem verbis scriptam invenies.* Verùm hæc homilia in Opere Imperfecto habetur, cujus auctor non est Chrysostomus, sed anonymus, quem sub Arcadio et Honorio Theodosii filio vixisse conjicitur ex Comment. in cap. 24; neque eadem verba, sed quædam eis affinia in hodiernarum Constitutionum, lib. 8, cap. 2, leguntur : *Neque episcopus ignorantiâ aut malo animo oppletus, episcopus est; sed falso gaudet nomine, non à Deo, sed ab hominibus promotus.*

Epiphanius, qui floruit ab anno 375, quo Ancoratum composuit, ad annum circiter 403, quo obiit, de his Constitutionibus ita judicat in hæresi 70 adversùs Audianos, ubi sic habet : *Ad hoc iidem Audiani perperàm accommodant Apostolorum Constitutionem : Qui liber, tametsi dubiæ apud nonnullos fidei sit, non est tamen improbandus. Nam in eo quæ ad ecclesiæ disciplinam attinent, omnia comprehenduntur; neque quidquam aut in fide ac catholicâ professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi ac decretis contrarium continet.* Eas tamen Constitutiones ut dubias ipse non habuit, sed eas laudavit, earumque auctoritate usus est hæresi 45 contra Severianos, hæresi 75 adversùs Aerium, hæresi 80 contra Messalianos, et in compendiariâ doctrinâ ad finem Panarii ab eodem adjectâ. Quin etiam earum auctoritatem divinam esse affirmare videtur hæresi 80 : *De barbâ quidem in Constitutionibus Apostolorum dicit divinus sermo ac doctrina, non corrumpendos, hoc est, non secandos esse pilos barbæ, neque meretricio more ornari debere*, etc. Nullibi tamen, quod sciam has Constitutiones Clementi tribuit.

Cyrillus Hierosolymitanus, qui suas Catecheses ad annum 353 junior edidit, catechesi 18, ut probaret mortuos reviviscere, usus est renascentis phœnicis similitudine, quam ex Clemente Romano repetit : *Quærunt Græci resurrectionem è mortuis manifestam magis;.... et quærunt aliquod animal, quod manifestè corruptum reviviscat. Novit Deus eorum incredulitatem, atque avem ad hoc condidit phœnicem, quæ, ut scribit Clemens* (et multi narrant), *cùm sit soligena, post quingentorum annorum circuitum ad Ægyptiorum regionem advolans resurrectionem demonstrat, eamque non in desertis locis ne mysterium esset ocultum, sed in clarâ urbe* (Alexandriæ) *ut res incredibilis manibus tractaretur. Extructo enim sibi tumulo ex thure, myrrhâ atque aromatibus, post absolutum annorum cursum eò accedens, evidenter moritur atque corrumpitur. Postea ex illius mortuâ corruptâ carne, vermis quidam gignitur, qui in avem formatur.* Hanc verò phœnicis similitudinem, tum in Epistolâ ad Corinth., quam Patricius Junius in lucem emisit, tum in libro 5 Constitut., cap. 6, ex versione Turriani, vel cap. 8, ex versione Bovii, Clemens, diversimodè tamen, refert. Priori siquidem loco, de narrationis fide non addubitat, quòd tamen in posteriori facere videtur : priori loco, hanc avem, antequàm lectulum suum in Ægyptum afferat, mortuam et renatam asserit; posteriori contra, hanc avem ait priùs in Ægyptum advolare, eòque lectulum ex Arabiâ afferre, deinde in eo mori et renasci; priori loco, hæc avis è thure, myrrhâ et reliquis aromatibus loculum sibi struit; posteriori, ex cinnamomo, casiâ et xylobalsamo; priori loco, ex putrescente; posteriori ex crematâ parentis carne renascitur.

Dubium igitur est ex quo loco Cyrillus hanc narrationem sumpserit. Bovius ex Constitutionibus Apostolorum, alii ex Epistolâ ad Corinthios desumptam fuisse contendunt; quæ postrema sententia longè probabilior est. Phœnix enim, de quo Cyrillus, loculum sibi struit è thure, myrrhâ et reliquis aromatibus, et ex corruptâ carne renascitur; quæ Cyrillus iisdem ferè verbis exprimit, quibus Clemens in eâdem Epistolâ. Σηκὸν ἑαυτῷ ποιεῖ ἐκ Λιβάνου, καὶ σμύρνης καὶ τῶν λοιπῶν ἀρωμάτων, εἰς ὃν πληρωθέντος τοῦ χρόνου εἰσέρχεται καὶ τελευτᾷ : *E thure*, inquit, *myrrhâ et reliquis aromatibus loculum sibi struit; quem completo annorum spatio, ingreditur et moritur.* Ita Clemens. Cyrillus verò : Σηκὸν ἑαυτῷ ποιήσαν ἐκ Λιβάνου, καὶ σμύρνης, καὶ λοιπῶν ἀρωμάτων, ἐν τῇ συμπληρώσει τῶν ἐτῶν εἰς τοῦτον εἴσελθον, τελευτᾷ : *Extructo sibi loculo è thure, myrrhâ et reliquis aromatibus, post absolutum annorum spatium, in eum ingrediens, moritur.* Denique Cyrillus hanc narrationem uti certam describit. Rem tamen ille narrat, quæ in Constitutionibus, non autem in Epistolâ refertur, nempè quòd phœnix ex Arabiâ in Ægyptum priùs advolet, quàm in loculo moriatur et renascatur. Unde conjicere licet mendum aliquod vel quamdam interpolationem in Clementis epistolam irrepsisse.

Athanasius, qui super cathedram Alexandrinam sedit ab anno 326 ad annum 371, doctrinæ, quæ dicitur Apostolorum meminit, tum in Synopsi, cap. antepenultimo : *Doctrina*, inquit, *Apostolorum Clementina*; tum in Epistolâ ἑορταστικῇ, quæ tomo 5 refertur : *Doctrina*, inquit, *quæ dicitur Apostolorum.* Priori loco opus illud recenset inter libros *perversè scriptos, nothos et reprobos, quorum nullus approbatus aut utilis est; sed digni qui abscondantur magis quàm qui legantur.* Posteriori loco illud refert inter libros, *quos legi à Patribus decretum est iis qui nunc accedunt*, et volunt in *pietatis verique cultûs ratione catechizari.* Recensitis enim libris canonicis, sic habet : *Sunt alii quoque libri, non in canonem quidem redacti, sed quos legi à Patribus decretum est, iis qui nunc accedunt et volunt in pietatis, verique cultûs ratione initiari : Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach, et Esther, et Judith, et Tobias, et doctrina quæ dicitur Apostolorum, et Pastor, qui tamen non sunt aspernandi.* Liber igitur cui titulus : *Doctrina quæ dicitur Apostolorum*, duplex erat : alter apocryphus et inutilis, alter genuinus et utilis. Postremum opus nonnulli *Apostolicarum Constitutionum* libros fuisse opinantur; quæ etiam Bovii, Turriani et Baronii fuit sententia; à quâ ut discedam, me permovet ipsius Athanasii auctoritas, qui in eodem loco doctrinam hanc inter eos libros numerat, qui catechumenis et nuper ad fidem accedentibus legendi essent. Cùm isti Constitutionum libri episcopis dicati sint, eaque tra-

ctent quæ ad regimen Ecclesiæ spectant, et alia quædam mystica, quæ idcircò canonis Apostolorum octogesimi quinti auctor in vulgus efferenda esse vetuit.

Eusebius, qui floruit ab anno 300 ad annum 340, lib. 1 Hist. eccles., cap. 22, *Doctrinas, quæ dicuntur Apostolorum*, recenset inter *Scripta notha, hoc est, quæ legitima novi Testamenti scripta non sunt, sed contradictionem patiuntur, et tamen leguntur à multis ecclesiasticis;* sed ex verbis Eusebii, τῶν Ἀποστολῶν λεγόμεναι διδαχαὶ, id est, *doctrinæ, quæ dicuntur Apostolorum*, apparet easdem fuisse, de quibus Athanasius in Epistolâ eortasticâ ad Ammonium : Διδαχὴ καλουμένη τῶν Ἀποστολῶν, id est, *doctrina quæ dicitur Apostolorum;* quod opus à Constitutionum libris diversum esse probavimus.

Dionysius, Alexandrinus episcopus, qui anno 248 Heraclæ successit, in 3 epistolâ ad Philemonem Romanum de Baptismate, relatâ apud Eusebium, lib. 7 Hist., cap. 6, sic habet : *Acceptavi visionem hanc tanquàm apostolicæ voci conformem, sic ad potentiores dicenti : Estote probi trapezitæ :* γίνεσθε δόκιμοι τραπέζιται. Ubinam verò apostoli potentioribus hæc dixerunt, nisi lib. 2 Constit., cap. 36, ubi sacerdotibus ab apostolis dicitur : *Estote probi trapezitæ :* γίνεσθε τραπέζιται δόκιμοι. Seldenus quidem, et post ipsum Usserius, contendunt has Constitutiones Dionysio ignotas fuisse, quia circa annum 250, cùm vesperâ sabbati paschalem diem præcedentis, jejunium quidam solverent, alii verò usque ad galli cantum producerent; à Bazilide interrogatus est Dionysius, *Quâ horâ jejunium, Paschatis diem antecedens, esset terminandum?* cui respondit ille, *præcisam horam hìc statuere*, ET DIFFICILEM REM ESSE ET LUBRICAM (extat hæc Dionysii Epistola ad Bazilidem, inter Canones cum Balsamonis Commentariis editos, pag. 879 editionis Græco-Latinæ; eamque Labbæus tomo 1 Conciliorum inseruit pag. 831), quod nunquàm ille dixisset, si Apostolicæ istæ Constitutiones, quæ hoc sabbato *usque ad nocturnum galli cantum* jejunandum esse definiunt, vel extitissent eâ tempestate, vel auctoritatem aliquam obtinuissent; sed cùm hæc *galli cantûs* determinatio desideretur in textu. quem ex his constitutionibus Epiphanius in hæresi 75 adversùs Aerium laudavit, inde sequitur tantùm eas in hoc capite post Epiphanii tempora interpolatas fuisse.

Clemens, presbyter Alexandrinus, sub finem libri 1 Stromatum, quæ post obitum imperatoris Commodi, qui anno 192 occisus est, statim composuit : *Meritò ergo Scriptura quoque tales nos esse volens dialecticos, sic hortatur : « Estote autem probi trapezitæ;* γίνεσθε δὲ δόκιμοι τραπέζιται. » Nullibi verò id scriptum erat tempore Clementis, præterquàm in Apostolicis Constitutionibus, lib. 2, cap. 36, ubi id ab apostolis citatur, veluti Scripturæ dictum. Sed ex integro Clementis textu apparet hæc verba aliunde quàm ex Constitutionibus excerpta fuisse. *Meritò*, inquit, *Scriptura nos sic hortatur : « Estote autem probi trapezitæ, « alia quidem reprobantes, quod autem bonum est te- « nentes.* » Quæ postrema verba in Constitutionibus desiderantur. Hæc quidem sententia, quam Origenes hom. 9 in Joan., et Hieronymus in epistolâ ad Minorium et Alexandrum, sub finem tomi 3, Christo tribuunt et ab his Pauli verbis : Omnia probantes, quod bonum est tenete, distinguunt, forsan extabat in Hebræorum Evangelio.

Tertullianus, qui II et III seculo floruit, in libro de Resurrectione carnis, cap. 13, phœnicis exemplo futuram resurrectionem confirmat. Tertullianum verò ex iisdem Constitutionibus, libro 5, cap. 6, hanc de phœnice narrationem eruisse Bovius et Pamelius asserunt. Turrianus autem ita probat. *Quod Clemens ait, præbere phœnicem* πλουσίαν ἀπόδειξιν *resurrectionis, Tertullianus dixit copiosam probationem resurrectionis* (πλουσιος enim divitem sive copiosum significat), *et quam Clemens vocat* μονόγενες ὄρνεον, *id est, unigenam volucrem, Tertullianus appellat volucrem singularem.* Verùm inprimis *copiosi* vocabulum, in quo Turrianus vim facit, non reperitur in Tertulliano qui hâc tantùm hoc in loco utitur præfatiunculâ : *Accipe plenissimum atque firmissimum hujus spei specimen.* 2° μονογενοῦς appellatio non solùm invenitur in Constitutionibus, sed et in Epistolâ Clementis ad Corinthios, ex quo narrationem illam excerptam fuisse asserunt Patricius Junius in Notis ad hanc epistolam, et ex ipso Usserius hâc fretus conjecturâ, quia Tertullianus priùs ostenderat *diem mori in noctem et tenebris usquequàque sepeliri; deinde eamdem et integram et totam universo orbi reviviscere; terramque exhibere eadem quæ absumpta sunt semina, nec priùs exhibere quàm absumpta.* Quæ ipsa argumenta ad resurrectionem confirmandam in Epistolâ ad Corinthios, non autem in Constitutionibus, ante hanc de phœnice narrationem, Clemens etiam usurpavit.

Tertullianus, meâ quidem sententiâ, neutri parti favet, sed utrique in utroque loco contradicit. Tertullianus enim hanc historiam quasi certam narrat : Clemens contrà de eâ in Constitutionibus addubitat. Clemens in Epistolâ, de putrescente phœnicis carne, non de cremata, phœnicem renasci tradit; Tertullianus contrà de cremata, non de putrescente phœnicis carne phœnicem reviviscere docet. Hæc indicio sunt Tertullianum in enarrandâ phœnicis historiâ secutum esse quæ fuerant variè à variis tradita; sumpsisse autem ab illis, quæ tractationi suæ facere plurimùm vidit.

Ignatius apostolorum discipulus : *In duodecim Epistolis, quas cùm Romam ad supplicium duceretur, in itinere ad ecclesias misit, Institutiones Clementis*, inquit Bovius, *ita est imitatus, ut non solùm earum dogmata atque præcepta expresserit, sed etiam ex iis sæpè sententias totidem verbis exscriptas transtulerit*, etc. Verùm ex illis duodecim Epistolis, quinque suppositæ sunt, videlicet ad Mariam Cassaobolitam, ad Tarsenses, ad Antiochenos, ad Heronem diaconum Ecclesiæ Antiochenæ, et ad Philippenses; earum enim Eusebius et Hieronymus nullam mentionem fecêre. Testimonia verò ex aliis septem à Bovio in præfatione et in scholiis relata, desiderantur in genuinis et minimè interpolatis epistolis quas Usserius et Ves-

sius ediderunt. Vim quidem Bovius facit in his verbis Epistolæ ad Trallianos : *Reveremini episcopum vestrum sicut Christum, quemadmodùm beati vobis præceperunt apostoli.* Quibus verbis Ignatius alludere videtur ad caput 34 libri 2 Constitutionum, ubi episcopum ut Dominum honorare jubemur. Verùm de veneratione episcopi sicut Christi, ex apostolorum præscripto, altum est silentium in epistolis Ignatii ab Usserio vel Vossio editis.

Itaque ex citatis auctoribus, quatuor duntaxat favent antiquitati Constitutionum apostolicarum, scilicet Maximus Martyr, auctor Operis Imperfecti in Matthæum, Epiphanius, et Dionysius Alexandrinus.

Proponitur sententia Turriani.

Turrianus audet aliquid magis quàm Bovius. Ille siquidem affirmare non veretur, *tales habere nostram ætatem apostolorum constitutiones, sanas scilicet et incorruptas, quales Epiphanii ætas habuit. In temporibus nunquàm errore lapsum Clementem : omnia quæ his libris complexus est, à sanctis apostolis didicisse, accepisse, audivisse* (et in iis quas habemus, Ignatii epistolis) *ita esse Apostolicarum Constitutionum non solùm impressa vestigia, sed fermè iisdem verbis expressa; ut nullius propè ingenii vel certè tardissimi habendus sit, qui, si has Constitutiones et illius epistolas, mediocri diligentiâ et observatione legat et inter se conferat, non continuò judicet beatum Ignatium illas legisse et probâsse, et usum eis esse.*

Turriano jesuitæ opponimus alios tres jesuitas non obscuri in societate nominis, Bellarminum, Petavium et Halloixium, quorum primus ait *haberi in iisdem Constitutionibus non pauca quæ aberrare videntur à veritate;* nec immeritò. Illæ siquidem, lib. 2, cap. 11, aiunt episcopum loco Dei *omnibus hominibus præsidere sacerdotibus, regibus, magistratibus.* Clementis autem ætate reges fidem catholicam nondùm amplexi fuerant. Lib. 2, cap. 57, Matthæus et Joannes cum aliis apostolis congregati ita loquuntur : *Diaconus aut presbyter Evangelia legat, quæ ego Matthæus et Joannes tradidimus vobis.* Quæ certè sibi non cohærent. Matthæus enim anno 40 Evangelium suum scripsit; Joannes verò, cùm solus ex apostolis superesset, ad annum 97, ut citati à Baronio veteres docent. Lib. 2, cap. 55, et lib. 8, cap. 4 et 46, Jacobus frater Domini extra duodecim apostolos numeratur. Libro 2, cap. 26, nugatur interpolator, et inæqualitatem inter Patrem, Filium et Spiritum sanctum inducit, asserens episcopum Dei patris instar esse, qui *dignitate Dei cohonestatus, toti populo præest;* diaconum Christi instar esse, qui *assistat episcopo, ut Christus Patri;* diaconissam instar esse Spiritûs sancti, quæ *nihil agat aut loquatur absque diacono; sicut neque Spiritus sanctus quidquam agit aut loquitur sine Christo.* Libro 3, cap. 2, quartas nuptias appellat *manifestam fornicationem.* Libro 3, cap. 6, Mariam Magdalenam à Mariâ sorore Lazari distinguit. Libro 4, cap. 7, ait quòd *præstat fame perire, quàm ab inimicis Dei quidquam accipere;* dona intelligit ab excommunicatis oblata in sacrificio missæ. Libro 5, cap. 6 : *Christus* (à Patre) *jussus est facere cœlum, terram,* etc., quod blasphemum; Filius enim, antequàm incarnaretur, jussa non capessebat. Libro 5, cap. 7, Jacobus Jerosolymitanus episcopus mortuus dicitur, qui tamen superstes obtruditur lib. 6 sequenti, cap. 14. Libro 5, cap. 14, jejunium quartæ et sextæ feriæ à Christo præceptum dicitur. Libri 5, cap. 16, in quo traditur servandi paschatis ratio, *prorsùs delendum esse, ut nothum et novum,* ultrò concedit vel ipse Bovius in scholiis, quâ de re infra. Libro 5, cap. 19 : *Verbum* dicitur *minister Patris in condendâ rerum universitate.* Libro 6, cap. 5 : *Nobis,* inquiunt apostoli, *in unum congregatis de nobis aiebat Christus : « Rogavi pro vo- « bis, ne deficiat fides vestra; »* cùm tamen uni Petro Christus dixerit Lucæ 22 : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Libro 6, cap. 6, apostoli simul congregati mentionem faciunt Ebionæorum, *qui nostris,* inquiunt, *temporibus orti sunt;* cùm post Jerosolymæ excidium, quod anno 74 contigit, emersisse Ebionem, ex Epiphanio in hæresi 30, num. 2, doceat Baronius ad annum 74, num. 6, quo tempore Petrus et Paulus, aliique plures apostoli è vivis excesserant. Libro 6, cap. 7, apostoli Philippum, qui Samaritanos baptizavit, *coapostolum suum* appellant, quo eodem titulo Pauli apostolatum indicant, lib. 8, cap. 4, quem tamen fuisse unum ex septem diaconis, docetur Actorum 21. Libro 6, cap. 8, Cerinthus, Marcus, Menander, Basilides et Saturninus, hæretici à Petro memorantur. An verò hi omnes ante necem S. Petri emerserint, quæri meritò potest. Aliud certè suadent veteres, Irenæus, Clemens, Eusebius et Epiphanius. Marcum sanè hæreticum anno circiter 148 prodiisse Eusebius asserit, lib. 4 Historiæ. In eodem capite 8 libri 6, Petrus Clementem nominat *Romanum episcopum.* Libro 6, cap. 15, Baptismus hæreticorum irritus declaratur, quia *illi non sunt sacerdotes.* Libro 7, cap. 23, asseritur defectum chrismatis, quo baptizati unguntur, aquâ suppleri posse, *quæ satis est tum ad unctionem, tum ad sigillum.* Libro 7, cap. 24, præcipitur servari diem sabbati et Dominicæ. Ibidem prohibetur, ne quis die sabbati jejunet, quod receptæ Romanorum praxi repugnat, qui ex apostolicâ traditione jejunabant sabbato, ex Innocentio I in Epist. ad Decentium, et ex Augustino in Epistolâ 19 ad Hieronymum, et 86 ad Casulanum. Libro 7, cap. 45, Baptismi efficacia pendere dicitur ab oratione quâdam Baptismum jam collatum subsequente. Libro 7, cap. 47, apostoli catalogum instituunt de episcopis à se ordinatis, inter quos recensent Judam qui Simeoni in sede Jerosolymitanâ et Theophilum, qui Cornelio in sede Cæsariensi Palestinæ successit; atqui Petrus et Clemens obierunt ante Simeonem Cleophæ, et ante Cornelium Cæsareæ Palæstinæ episcopum. Quare nec Petrus Simeonis et Cornelii successores recensere, nec Clemens de illis scribere potuit. Libro 8, cap. 12, Filius dicitur ministrâsse Patri in variâ creatione rerum. Libro 8, cap. 32, amica, cujuspiam infidelis mancipium, quæ cum eo tantùm rem habuerit, admit-

titur ad Baptismum; sin verò cùm aliis quoque impudica fuerit, rejicitur. Libro 8, cap. 33 et 35, Jacobus frater Domini à Jacobo Alphæi distinguitur. Libro 8, cap. 35, Petrus et Paulus festa apostolorum servari jubent cùm adhuc in vivis essent ipsi apostoli.

Sententia Petavii.

Dionysius verò Petavius, quid ipse de his Constitutionibus senserit, nobis aperit in eruditis suis scholiis ad relatum supra Epiphanii textum. *De Apostolicis*, inquit, *Constitutionibus dubitatum à nonnullis præfatur Epiphanius. Quo eodem nomine circumferuntur hodiè in octo libros distinctæ; quæ à prioribus illis, ac nihilominùs dubiis, quarum meminit Epiphanius, diversæ videntur. Etenim quinque ex illis sententiæ hoc et sequenti numero citantur; quæ in vulgatis nusquàm reperiuntur; imò verò contrária quædam in iis leguntur. Nam, lib. 5, cap. 16, de Paschatis celebritate catholicum dogma propalàm edicitur, uti post æquinoxium instauretur; tum ne cum Judæis agatur.* Οὐδεμία γὰρ κοινωνία ἡμῖν νῦν πρὸς αὐτούς. Πεπλανήνται γάρ, καὶ αὐτὴν τὴν ψῆφον, ἣν νομίζουσιν ἐπιτελεῖν (hoc est: *Nulla enim nobis nunc cum eis communicatio est. Falluntur namque in ipso calculo, quem existimant se absolvere.*) *Et alia quædam; quæ aut à superiori sanctione discrepant, aut si in antiquis illis Constitutionibus legebantur, mirum est hoc tam præsenti ac diserto testimonio usum non esse contra Audianos Epiphanium, qui Judæorum more celebrandum Pascha iisdem ex Constitutionibus affirmabant. Apparet igitur aliud fuisse Constitutionum genus, quàm quibus hodiè Clementis nomen inscribitur.*

Eadem diversitas apparebit conferenti loca de synaxium et jejuniorum temporibus, ex Constitutionibus Apostolicis in hæresi 75 adversùs Aerium, et in compendiariâ Doctrinâ, ad finem Panarii ab eodem adjectâ: *Si verò*, inquit, *oportet Constitutionem Apostolorum proferre, quomodò illic quartâ et prosabbato jejunandum esse definierunt omni tempore, Pentecoste exceptâ: et de sex diebus Paschatis, quomodò præcipiunt nihil omninò sumere aliud quàm panem, et salem, et aquam, qualemque diem agere, et quomodò dimittere in illucescentem Dominicam, manifestum est.* Et in compendiariâ Doctrinâ: *Conventus fieri ordinatum est ab apostolis, quartâ et prosabbato et Dominicâ. Quartâ verò et prosabbato jejunium statutum est usque ad horam nonam, quoniam illucescente quartâ comprehensus est Dominus, et prosabbato crucifixus; et tradiderunt apostoli, ut in his diebus jejunia fierent.* Et postea: *Sex dies ipsius Paschæ populi in siccorum usu transigunt: pane, inquam, et sale, et aquâ tunc utentes ad vesperam.* 1° Ex antiquis Epiphanii Constitutionibus, synaxes et conventus fiebant feriâ quartâ, feriâ sextâ, et Dominicâ; de feriis autem quartâ et sextâ huic usui destinatis, altum est in hodiernis Constitutionibus silentium. 2° Ex antiquis Constitutionibus, conventus fiebant tribus præfatis diebus, non autem sabbato; in hodiernis sabbata synaxibus dicata invenimus, lib. 5, cap. ultimo, et lib. 8, cap. 33, *propter Domini comprehensionem.* 3° Ex antiquis Constitutionibus feriâ quartâ jejunabatur; ex hodiernis, lib. 5, cap. 14, *propter proditionem*, et lib. 7, cap. 24, *quoniam in quartâ judicium contra Dominum prodiit, cùm Judas proditionem pecuniâ promiserat.* 4° Ex antiquis Constitutionibus, feriis quartâ et sextâ jejunandum est omni tempore, solâ Pentecoste exceptâ; in hodiernis excipitur non solùm Pentecoste, sed etiam hebdomada Pentecostem proximè subsequens, lib. 5, cap. ultimo. 5° In hodiernis Constitutionibus ibidem præcipitur ut secundâ post Pentecostem hebdomadâ integrâ jejunemus; cujus præcepti nulla mentio extat in antiquis. 6° In antiquis Constitutionibus jejunium feriæ quartæ et sextæ solvitur horâ nonâ, quod in hodiernis non invenitur. 7° In antiquis Constitutionibus nobis præcipitur sex diebus majoris hebdomadæ, *nihil omninò sumere aliud quàm panem, salem et aquam;* in hodiernis adduntur *olera.* 8° In antiquis Constitutionibus jejunium sex dierum majoris hebdomadæ ad vesperam, non ultrà protenditur; in hodiernis excipitur sabbati jejunium, quod *usque ad nocturnum galli cantum* producitur, lib. 5, cap. 14, 18 et 19.

Sententia Halloixii, Albaspinæi Petri de Marcâ, etc.

Turriano denique Petrum Halloixium opponimus, qui in notationibus ad Vitam Polycarpi, cap. 6, eas *haberi in apocryphis*; in notationibus ad Vitam Ignatii, c. 2, *post Ignatii tempora conscriptas esse, minimè verò* (ut nonnulli credunt) *à Clemente pontifice*, defendit. Credibile etiam esse addens, in Apologiâ pro scriptis Ignatii, c. 3, *illas non ab uno homine, nec uno tempore, sed à diversis hominibus et variis temporibus fuisse* conflatas.

Halloixio suffragantur Gabriel Albaspinæus, Petrus de Marcâ aliique nonnulli, qui earum auctorem seculo III vixisse, eumque Cypriano posteriorem fuisse ex multis colligunt. Libro siquidem 5, cap. 16, Judæi dicuntur Pascha celebrare ex calculo et ratiociniis. Id verò contingere non potuit, nisi post Judæos totâ Judæâ expulsos: quamdiù enim illis licuit in Judæâ habitare, Pascha non ex cyclorum calculo, sed ex visione lunæ celebrârunt. Imò axioma est apud eos vulgatum, in terrâ promissionis Pascha non esse aliter quàm ex visione lunæ celebrandum. Animum igitur ad computi paschalis ratiocinia, post expulsionem à patriâ quæ ab Adriano imperatore decreta est, tantùm appulerunt. Tres verò ferunt Judæi computi sui auctores rabinos, Samuelem scilicet, Addam et Hilelem, quorum primus paulò post annum Christi ducentesimum floruit. Videsis quæ de computo Judaico et his computistis Joannes Morinus, vir eruditissimus, scripsit exercitat. Samarit. primâ, cap. 3. 2° In eodem libro 5, cap. 16, apostoli simul congregati prohibent Pascha celebrari lunâ 14, ne fideles simul cum Judæis festum agant; quo quidem decreto, si extitisset, jàm definitâ fuisset celeberrima de die paschali controversia, quæ desinente seculo II inter Victorem papam et Polycarpum Smyrnæ episcopum agitata, tot in Ecclesiâ tumultus excitavit. 3° In eodem capite asseritur æquinoctium vernum

in diem 22 martii incidere. Perspicuum autem est Christi tempore æquinoctium fuisse 25 martii; tempore verò Anatolii episcopi Laodiceni, qui ex Eusebii Chronico vixit Probo imperante, anno Domini 280, æquinoctii tempus retrocesserat tribus diebus, sole arietem ingrediente, secundùm Romanos undecimo kalendas aprilis, et secundùm Macedonianos 22 mensis dystri, hoc est, 22 martii. Quod narrat Eusebius in historiâ, sub finem libri 7, ubi Anatolii de Paschate canonem refert. 4° Id colligitur ex iis quæ cap. 14 et 15 libri 2 dicuntur adversùs eos qui pœnitentibus veniam negandam esse blasphemabant. Hæc enim adversùs Novatianos aut saltem Montanistas, quorum hæresim in hoc capite Novatiani amplexi sunt, decreta videntur. 5° Ex hæreticorum Baptismo, qui nullus declaratur, lib. 6, cap. 15, quam sanè apostolicam definitionem, Cyprianus et Firmilianus non prætermisissent in suæ causæ defensione adversùs Stephanum. Denique postrema verba, quibus cavetur ne octo libri constitutionum Apostolicarum publicentur, apertè indicant eas primis seculis factas non esse, cùm primi seculi christiani lubentes mysteria, ut vel ex Justino constat, enuntiarent.

Vera sententia proponitur.

Ex his sex argumentis, quæ valida primo intuitu apparent, vix ullum est quod propositionem concludat. Primum quidem falsum existimo. Judæos enim ex cyclorum calculo et ratiociniis, *etiam ante Christi adventum, Pascha celebrâsse*, asserit et probat apud Eusebium Anatolius ex illis quæ à Philone, Josepho ac Musæo, et non ab illis modò, sed et ab antiquioribus, dicuntur, Agathobulo scilicet, et discipulo ejus Aristobulo, qui unus ex illis septuaginta senioribus est, qui missi fuerunt ad regem Ptolomæum.

Duo verò quæ proximè sequuntur argumenta supponunt cap. 16 libri 6 germanum esse; quod tamen nothum ac spurium esse apparebit illud cum Epiphanii textu conferenti. Testimonium enim de paschalis festivitatis calculo in hæresi 70 adversùs Audianos ex his Constitutionibus ab Epiphanio productum, hisce conceptum est verbis : *Vos temporum rationes ne subducite; sed eo tempore celebrâte quo fratres vestri, qui ex circumcisione prodierunt. Cum iis itaque Pascha peragite : et quamvis aberrent ipsi, nihil id vos commoveat.* At in nostris Constitutionibus nihil extat hujusmodi, sed in libri 5 cap. 16 planè contrarium invenitur.

Quartum verò et quintum ratiocinia evincunt tantùm hodiernas Constitutiones interpolatas fuisse. Denique sextum mihi videtur falsum supponere. Quòd enim primis Ecclesiæ seculis christiani sua lubentes mysteria paganis non vulgarent, apparet ex Dionysio, lib. de ecclesiast. Hierarch., cap. 7: *Invocationes*, inquit, (id est, verba quibus Sacramenta perficiuntur) *nefas est scripto interpretari, et arcanum earum sensum virtutesque quas Deus in iis operatur, è secreto in publicum efferre : sed ut nostra sacrosancta traditio docet, eas secretioribus instructionibus hauriet.* Ex Tertulliano, lib. 2 ad Uxorem, c. 5, ubi ait, 1° *hoc esse delictum, quòd gentiles nostra noverint :* 2° *nefas esse gentilibus mysteria revelare, quia Christus dixit :* « *Nolite margaritas vestras* « *porcis* jactare; » 3° *non licere uxori nubere sponso gentili, quia nec celare virum mulier potest mysteria, nec debet revelare.* Et ex Ambrosio, lib. de Initiandis, c. 1, ubi ait, illum qui *ipsam Sacramentorum rationem edit, eamque nondùm mysteria initiatis insinuat, prodere potiùs quàm edere mysteria.* Unde et illud apud Augustinum frequens de Eucharistiâ: *Nórunt fideles*, quo verbo significatum voluit secretum esse, ac ne catechumenis quidem propalandum mysterium, de quo loquebatur. Neque Justinus in suâ Apologiâ paganis quæcumque mysteria revelavit, sed ea duntaxat quæ ad Baptismum et Eucharistiam attinent; quæ etiam ille strictim refert. Hæc verò Justinus coactus non lubens evulgavit, ut paganorum calumniam retunderet, qui christianos accusabant, quasi illi in suis cœtibus res et magicas et sacrilegas agerent. Nihil igitur impedit quominùs illas Constitutiones Clementi Romano asseramus cum Trullanâ synodo, can. 2, et cum Photio, in Bibliothecâ, codice 113.

Quo tempore interpolatæ fuerint.

Quo verò tempore interpolatæ vel depravatæ fuerint, determinatu difficile est.

Auctæ et interpolatæ videntur ante Epiphanii tempora; in his enim sanctiones et cæremoniæ referuntur, quæ ad III et IV seculum pertinent; quod etiam mihi apparet ex Dionysio Alexandrino, cui hæ Constitutiones notæ fuerunt, Epistolâ ad Basilidem; et ex textu quodam ab Epiphanio ex his Constitutionibus in hæresi 75, et in compendiariâ doctrinâ relato, supraque à nobis descripto, quo jejunium sex dierum majoris hebdomadæ ad vesperam, non ultra producitur. Scilicet circa annum Christi 250, cùm vesperâ sabbati paschalem diem præcedentis, jejunium quidam, ut Alexandrini, solverent; alii verò, ut Romani, usque ad galli cantum producerent, à Bazilide Pentapolitano episcopo, interrogatus est Dionysius archiepiscopus Alexandrinus, *quâ horâ die Paschæ sit solvendum jejunium?* Cui respondit ille, *horam exactam et valdè demensam hìc statuere, difficile ac lubricum esse.* Quod profectò ille nunquàm dixisset, si Constitutiones Apostolicæ, quibus ipse utebatur, vesperæ tempus hìc determinâssent. Quis enim existimet in dubium fuisse revocanda quæ ab apostolis decreta sancitaque fuissent? hæc igitur determinatio post Dionysii tempus et Constitutiones invecta est; mutata verò post Epiphanii ætatem, galli cantu pro vesperâ substituto.

Licèt autem interpolatæ et auctæ fuerint, nihil tamen Epiphanii tempore, *aut in fide ac catholicâ professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi ac decretis contrarium* continebant. Tametsi dubiæ apud nonnullos fidei essent. Quin etiam Augustino et Socrati ignotæ fuisse videntur, quorum ille in epistolâ

86 ad Casulanum : *Quibus diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, præcepto Domini vel apostolorum non invenio definitum.* Iste verò, lib. 5, cap. 22: *Quoniam nemo de eo præceptum litterarum monumentis proditum potest ostendere, perspicuum est apostolos liberam potestatem in eodem cujusque menti et arbitrio permisisse; ut quisque, nec metu nec necessitate inductus, quod bonum sit, ageret.* Quæ illi certè ita non scripsissent, si Apostolicas ejusmodi Constitutiones cognovissent; præsertim cùm libro 5 Constit., cap, ultimo, non solùm apostoli aliis hâc de re præcepta dent, sed ipsi etiam de eâdem à Christo Domino accepisse mandatum, capite 14 ita profiteantur. *Præcepit nobis jejunare hissex diebus: ... quartà verò feriâ et sextâ jussit nobis jejunare.*

Gelasius pontifex, qui desinente seculo V floruit, Canones quidem Apostolicos inter opera apocrypha recenset, non autem Constitutiones Apostolicas; unde conjicere licèt eas nondùm ab hæreticis depravatas fuisse; quod fortè contigit seculo sequenti, vel sub initium seculi VII; Trullana enim synodus, anno 692, earum lectionem cap. 2 prohibet, quòd *iis jam olim ab heterodoxis, non sine Ecclesiæ pernicie, adulterina quædam et à pietate aliena inserta sunt, quæ divinorum nobis dogmatum elegantem ac decoram speciem obscurârunt.*

Photius, qui floruit ad annum 860, in Bibliothecâ, codice 113, tria in istis Constitutionibus reprehendit, sed quæ facilè dilui posse existimat. *Constitutiones*, inquit, *tribus capitibus duntaxat reprehensioni videntur obnoxiæ. Ex malâ nimirùm fictione, quam depellere non est admodùm difficile; deinde quòd contra Deuteronomium criminationes quasdam adducant, quæ et ipsæ dilui facillimè possunt; denique ex Arianismo, quem item... paulò instando refellere queas.*

Auctoritas hodiernarum Constitutionum.

Hodiernæ plures habent nævos, qui tamen non impediunt quominùs Gabriel Albaspinæus, Petrus de Marcâ et Joannes Morinus, viri rerum antiquarum peritissimi, earum auctoritatem recipiant. *De Constitutionibus istis* (inquit Albaspinæus) *nemini dubium esse debet quin probus juxta et antiquus liber sit, certòque affirmare possum trecentis primis annis eo Ecclesiam Græcam, tanquàm rituali et pontificali usam esse: quique eas attentiùs legerit, eadem de illis quæ de canonibus judicabit, additas videlicet decursu temporum primis novas, quemadmodùm et novæ leges, ac constitutiones in regimine Ecclesiæ, novis occasionibus enatis, factæ sunt.*

Omnium, inquit de Marcâ, *antiquissima est collectio illa quæ Canonum Apostolicorum nomine circumfertur; cujus vetustas eâdem origine censeri debet, quâ liber Constitutionum Apostolicarum sub nomine Clementis Romani editus, cùm eos Canones ultimo capite integros liber constitutionum complectatur...* Sanè ut Clementis Romani fœtum non esse *ita etiam erudito scriptori, qui* III *saltem seculo floruerit, vindicandum, omnibus hodiè persuasum esse video; cùm in illo commentario antiquæ disciplinæ satis expressa vestigia supersint. Cujus auctoritas quanta fuerit apud veteres christianos, inde colligitur quòd hæretici corrupto stylo aliquot locis eum violârint; ut conqueritur Epiphanius, qui eo libro contineri* πᾶσαν κανονικὴν τάξιν *testatur.*

Constitutiones illas (inquit Morinus) *quæ vulgò Clementis nomine feruntur, censeo disciplinam esse ecclesiasticam, quâ Orientalis Ecclesia ante Constantinum primum sub ethnicis imperatoribus regebatur. Primus eas in ordinem ex ore et mandatis apostolorum exceptas redegit et edidit Clemens. Deinde successu temporis à synodis Orientis auctæ, primi auctoris nomen constanter retinuerunt. Hoc non inficiabitur, opinor, qui disciplinæ Orientalis peritus Constitutiones illas legerit. Opponi multa scio, sed eorum magnam partem jam constat veritatem esse patentissimam, nedùm errorem aut crimen; de reliquo facilè stipulari possem. Constitutiones igitur illas, non præcisè ut ab apostolis editas, sed ut ante 1400 annos in Oriente usurpatas exscribimus, et ob lectorum oculos exponimus.* Ita vir eruditus in Commentarios de sacris Ordinat.; quem edidit anno 1655, parte 2, pag. 21, num. 5.

Earum igitur Constitutionum auctoritas in iis ritibus asserendis valet (quales ii sunt de quibus agimus) quos seculo III et IV observatos fuisse constat.

§ 2. DIONYSIUS AREOPAGITA.

Tria ex Dionysio Areopagitâ testimonia referri possunt. Primum et secundum habentur lib. de Eccles. Hierarch., cap. 2, quod caput Dionysius in tres partes dividit.

Primâ parte ostendit quo ordine perveniatur ad vitæ sanctitatem, et quomodò Baptismus sit quædam nativitas spiritalis, atque principium operum supernaturalium. Secundâ parte describit solemnem ritum baptizandi, qui sic habet: 1° Pontifex omnibus prædicat ex veris Evangeliis, quomodò Deus ad nos pro humanitate summâ descenderit, ut nos Dei filios efficeret; 2° Baptismi candidatus susceptorem quærit, à quo instructus ad episcopum adducitur; 3° pontifex utrumque benignè excipit, Deum adorat, eique gratias agit; 4° clerum, cùm ut hominis saluti cooperentur atque congaudeant, tùm ut divinæ bonitati gratias agant, convocat, et hymnum aliquem è Scripturis unà cum universo ecclesiæ choro decantat; quo finito ubi sacrum altare deosculatus est, ad candidatum accedit, et quid petitum venerit sciscitatur; 5° *ipsum pristinam infidelitatem, veri boni ignorationem, necnon vitæ spiritualis privationem, detestantem, atque Dei divinorumque compotem fieri postulantem, præmonet, integrè illi ad Deum accedendum esse; propositâque divinè videndi formâ, necnon interrogato num ex eâ victurus sit, assentienti manum capiti imponit; et sacerdotibus mandat, ut candidatum, et susceptorum describant* in sacris tabulis; 6° factâ super ipso oratione, baptizandus exuitur (unicâ nimirùm, et non omni veste); et conversus ad Occidentem, ter Satanam insufflat, ter abrenuntiat, terque contesta-

tur. Deinde ad Orientem convertitur, in cœlum intuetur, manus attolit, Christo cunctisque eloquiis à Deo traditis assentitur, protestatus et hìc triplici professione fidem; 7° candidatum tertiò professum pontifex recipit, eique manum imponit; 8° ministri penitùs ipsum exuunt, ut sacro oleo inungatur; 9° pontifex trino signaculo inchoans unctionem, sacerdotibus hominem tradit toto corpore inungendum; 10° dùm sacerdotes eum inungunt, pontifex ad fontem accedit, aquam sacris invocationibus sanctificat, unguentum in crucis formam ei ter immiscet, et psalmum 28 decantat: *Vox Domini super aquas;* 11° candidatus adducitur, proclamatur ejus et susceptoris nomen à sacerdote, et sacerdotum manibus in aquam ducitur ad manum pontificis, qui supernè adstans, eum ter immergit et emergit, et tres Dei personas invocat. Tunc excipientes eum cæteri sacerdotes, tradunt susceptori, et unà cum eo initiatum veste albâ induunt; 12° *rursùs illum ad pontificem ducunt, qui divinitùs sacrato oleo virum consignat.* En Confirmationis Sacramentum; 13° pontifex ipsum Eucharistiæ participem efficit.

Tertiâ parte subjungit contemplationem, in quâ 1° ostendit hunc ritum esse sacrum; 2° cæremonias istas significare gratiam spiritalem; 3° Deum gratiam suam omnibus communicare; 4° exponit quo ordine perveniatur ad perfectionem; 5° quid sibi velit adductio et inscriptio baptizandi, quid item abrenuntiatio; 6° quid ad Orientem conversio; 7° quid unctio; 8° quid in aquam immersio et emersio; 9° quid candidum vestimentum; 10° quid unctio finalis; 11° quid communio. Unctionem verò finalem sic explicat: *Denique unguenti illa consummans unctio eum, qui initiatus est, odoris suavitate perfundit. Sacra enim divinæ generationis perfectio, ea quæ initiata sunt, divino Spiritui conjungit.*

Tertium testimonium habetur libro de eccles. Hierarch., cap. 4, quod Dionysius in tres partes dividit: primâ parte dicit unguenti mysterium affine esse venerabili Eucharistiæ: secundâ parte describit ritum consecrandi sacrum unguentum; tertiâ parte subjungit contemplationem, in quâ mysticè explanat, 1° quid sibi velit unguenti obvelatio; 2° ait unguentum, licèt profanis tectum sit, sanctis tamen patere; 3° sacrum unguentum habere vim consummandi; 4° exponit quid unguenti compositio significet; 5° ostendit, quòd quantò quis Deo propinquior est, tantò etiam suaviùs ab ipso afficiatur; 6° quid significent ministri, qui pontifici in confectione unguenti assistunt; 7° quid Seraphinorum multiplices facies, et quid alæ designent; 8° cur facies et pedes obtegant; 9° quid sibi velit clamor alterius ad alterum; 10° quomodò unguentum designet Christum in se invariatum nos sanctificare; 11° cur unguentum in omni ferè consecratione adhibeatur; 12° cur unguentum post Baptismum adhibeatur; *Ei*, inquit, *qui sanctissimo divinæ regenerationis sacro initiatus est, consummans illa unctio divini Spiritûs illapsum elargitur, sacrâ* (uti reor) *symbolorum fictione hoc sub oculos ponente, quomodò ab ipso, qui propter nos humano more Spiritu Dei principali sanctificatus, essentiali divinitatis suæ statu invariato, divinissimus ille Spiritus donetur;* 13° ostendit cur unguentum illud τελετὴ, hoc est, *perfectio* et *consummatio* nuncupetur.

Habes in his tribus locis cæremoniam et ejus effectum, ac proinde Sacramenti propriè dicti rationem. Vides etiam quanti fecerint veteres hoc sacrum unguentum, quod hodierni hæretici tantoperè despiciunt.

Verùm quia Calvinistæ operum Dionysii antiquitatem et auctoritatem elevare conantur, brevem, quantùm fieri poterit, eâ de re dissertationem instituamus necesse est.

De antiquitate et auctoritate operum Dionysii Areopagitæ.

Ut hæc opera Dionysio Areopagitæ vindicent, nonnulli citant.

1° Dionysium Corinthiorum episcopum, qui, referente Maximo martyre, in præfatione ad sua in Dionysium scholia, meminit Dionysii Areopagitæ. Verùm aliud est meminisse Areopagitæ, aliud scriptorum ejus. Refert verò Eusebius lib. 3 Hist., cap. 4, in fine, Dionysium Corinthiorum episcopum memorare Dionysium Areopagitam *fuisse primum ecclesiæ Atheniensis episcopum.*

2° Clementem Alexandrinum, qui, lib. 1 Stromat., sub finem, ut ostendat Deum nostris ad ipsum contemplationibus non trahi ad nos, sed nos potiùs ad illum trahi, eâdem utitur similitudine, quâ Dionysius, lib. de divinis Nominibus, cap. 3, scilicet navi ad saxum funibus alligatâ; et lib. 5 Stromat., sub medium, explicat quomodò ad Dei cognitionem per viam negotiationis perveniri possit. Quâ in re Dionysium imitatur libro de divinis Nominibus, et lib. de cœlesti Hierarchiâ, cap. 2. Verùm, præterquàm quòd Clemens Dionysium nullibi laudat, incertum est utrùm Clemens ab auctore ejusmodi operum, an hic auctor à Clemente hanc doctrinam acceperit, vel uterque eam suo marte invenerit.

3° Origenem, hom. 2 in Diversos, quæ quidem est in caput 1 Joannis; ubi sic habet: *Et ut ait magnus Dionysius Areopagita: esse omnium est superessentia et divinitas.* Verùm in hâc homiliâ mentio fit Manichæorum et Arianorum, qui post Origenem exorti sunt.

4° Dionysium episcopum Alexandrinum, qui floruit ad annum 270, et referente Maximo martyre in scholiis ad caput 5 libri de cœlesti Hierarchiâ, Commentarios edidit in Dionysium Areopagitam. Sed regeri potest, in textu Maximi martyris haberi quidem, *in beatum Dionysium sibi cognominem*, non autem *in beatum Dionysium Areopagitam.* Duo verò præter Areopagitam Dionysii celebres fuerunt, ambo insignes scriptores, qui Alexandrini tempora præcesserunt, Dionysius Romanus pontifex, et Dionysius Corinthiorum episcopus, cujus Epistolas hæretici depravârunt, ex Eusebio, lib. 4 Hist., cap. 22, et quas Alexandrinus scholiis fortè illustravit. Præterea, si Maximus Dionysium Areopagitam intellexisset, dicere debuisset *in hunc ipsum beatum Dionysium*, non autem *in beatum Dionysium sibi cognominem;* agebat enim tum de Dio-

nysio Areopagitâ. 3° Cur ipse Maximus ætate suâ librorum ejusmodi antiquitatem elevare conantibus, eò quòd nec Origenes, nec Eusebius, nec alius antiquus scriptor eorum meminisset, non opposuit Dionysii Alexandrini auctoritatem, si quos ille in Areopagitam commentarios scripsisset? fatendum nihilominùs quòd Maximi verba primo intuitu innuere videantur Alexandrinum in Areopagitam notas fecisse. *Cur*, inquit, *cùm Ecclesia omnes sanctos angelos dicat unius esse essentiæ* (seu substantiæ), *divinus Dionysius Areopagita multas nominat virtutes seu subsistentias? Magnus Dionysius Alexandriæ episcopus, orator ille, in scholiis quæ fecit in beatum Dionysium sibi cognominem, ita dicit solitam esse profanam sapientiam essentias appellare subsistentias; atque ex hoc dicit has voces ex more profanorum scriptorum à S. Dionysio abusivè usurpatas esse*, utique Areopagitâ; quæritur enim ibi cur Dionysius dixerit cœlestes essentias seu substantias, cùm Ecclesia doceat omnes angelos ejusdem esse essentiæ? ille verò ex Dionysio Alexandrino respondet essentiam seu substantiam à Dionysio Areopagitâ hìc ex more profanorum scriptorum abusivè usurpari pro subsistentiâ.

5° Citant Athanasium in tractatu de naturali Communione, similis essentiæ inter Patrem, Filium et Spiritum sanctum, cap. antepen., tomo 3, ubi eamdem de angelis doctrinam tradit, quam Dionysius lib. de cœlesti Hierarchiâ, cap. 7; ait enim quòd angeli sibi subordinentur; quòd *Throni, Cherubim et Seraphim nullo medio illuminentur à Deo, tanquàm omnium supremi, et Deo vicini; hi verò doceant inferiores ordines, atque ita deinceps superiores doctrinam inferioribus communicent.* Verùm Athanasius Dionysii vel alius auctoris nullam ibi mentionem facit, neque innuit se aliunde accepisse hanc doctrinam; imò *angelorum ordinem distinguit in ordinem docentium, permittentium, punientium, et eorum qui animabus gratificantur, vel qui apud homines permanent.* Quam certè distributionem Areopagita non novit.

6° Citant eumdem Athanasium, quæst. 8 ad Antioch., ubi Dionysii textum refert. Sed fatentur omnes librum illum non esse Athanasii; in eo enim laudantur Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus; in eo etiam, quæst. 29 et 40, refutatur Iconoclastarum hæresis. Unde liquet opus illud recentius esse.

7° Citant Gregorium Nazianzenum, apud quem *nonnulla sunt loca, quæ Dionysii Areopagitæ verbis usque adeò similia sunt, ut ea ille ab ipso mutuatus esse non immeritò cuipiam videri possit.* Ita Jacobus Billius, lib. 1 sacrarum Observat., cap. 23, ubi ejusmodi loca refert. Verùm qui contrariæ sunt sententiæ, reponent Dionysium ea potiùs à Gregorio accepisse. Adde quòd hæc verborum affinitas non tanta sit quantam Billius vendità.

8° Citant eumdem Gregorium in Oratione εἰς τὰ γενέθλια, ubi sic habetur: *Sic nimirùm Sancta sanctorum, quæ à seraphinis conteguntur, et glorificantur tribus sanctificationibus in unam dominationem et deitatem coeuntibus. Quod et alius quidam eorum, qui ante nos fuerunt* (alii vertunt, *alius quidam è majoribus;* græcè habetur, ἄλλος τὶς τῶν πρὸ ἡμῶν) *pulcherrimè et sublimissimè philosophatus est.* Ubi per hæc verba, *quod et alius quidam* etc., existimant indicari Dionysium Areopagitam, cap. 7 de cœlesti Hierarch., sub finem, ita de Seraphinis scribentem: *Hi autem celebratissimam illam et augustissimam Dei laudem magnâ voce clamant: « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus sabaoth; plena « est omnis terra gloriâ ejus.* Verùm præfata Gregorii verba Nicetas intelligit de Athanasio, qui in Oratione super ista verba Matth. 11: *Omnia mihi tradita sunt*, ex hoc hymno cœlesti Trinitatem et personarum æqualitatem probat; non autem de Dionysio, qui ex hoc hymno nihil omninò philosophatus est.

9° Citant Chrysostomum, in Homiliâ de pseudoprophetis et falsis doctoribus à Gerardo Vossio editâ, in quâ hæc verba leguntur: *Ubi Dionysius Areopagita, volucris cœli?* quibus alludit ad sublimem Dionysii doctrinam. Sed plerique viri docti hunc sermonem pseudepigraphum putant, et vel ipse Fronto Ducæus ob styli differentiam inter eos illum rejicit, quos constat non esse Chrysostomi. Plura tamen reponi possunt: 1° Non tanta est styli differentia, quantam Fronto Ducæus facit; 2° alius est stylus senis, alius juvenis; alius dolentis et anxii et pro grege suo derelinquendo solliciti atque ab eo discessuri, et alius tranquilli et in episcopali sede animo quieto ac securo residentis. Hanc enim Homiliam non longè ante Chrysostomi excessum scriptam esse, exordium indicat; 3° Anastasius Bibliothecarius eam sub Chrysostomi nomine laudat in Epistolâ ad Carolum Calvum; 4° in eâ mentio fit Evodii et Ignatii, antistitum et patronorum Antiochiæ, unde Chrysostomus ortus erat: *Ubi Evodius ille, bonus odor Ecclesiæ, et sanctorum apostolorum successor? ubi Ignatius Dei domicilium? Ubi Dionysius Areopagita, volucris cœli?* 5° in hâc Homiliâ eorum duntaxat patrum mentio fit, qui Chrysostomum præcesserunt: *Ubi Evodius?* etc. *Ubi Ignatius?* etc. *Ubi Dionysius?* etc. *Ubi Hippolytus? Ubi Basilius Magnus?* etc. *Ubi Athanasius?* etc. *Ubi Gregorius Theologus, et alter illi cognominis? Ubi Ephræm?* etc.; 6° in hâc Homiliâ mentio fit Athanasii, Basilii, utriusque Gregorii Nazianzeni et Nysseni. Mentio igitur facta quoque fuisset Chrysostomi, si hæc oratio alterius esset ipso posterioris. Illis enim suppar erat, nec doctrinâ, eloquentiâ et famâ inferior; 7° sicut in hâc Homiliâ nullius catholici auctoris mentio fit, qui non obierit ante Chrysostomum, ita nec ullius hæresiarchæ, qui post ipsum vixerit. *Ubi Simon magus?* etc. *Ubi Montanus? Ubi Marcion? Ubi Valentinus? Ubi Manes? Ubi Basilides? Ubi Arius? Ubi Eunomius, et reliqui hæresiarchæ?* Mirum fortè cuipiam videbitur, quòd Chrysostomus Basilium *Magnum* appellaverit. Verùm eodem titulo Basilium cohonestavit Theodoretus lib. 4 eccles. Hist., cap. 19, et ante Chrysostomum Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri ejusdem Basilii, longè post medium.

10° Citant Cyrillum Alexandrinum, qui in libris adversùs Diodorum et Theodorum laudavit *testimonia*

Felicis, Dionysii Areopagitæ, et Gregorii Thaumaturgi, referente Liberato, archidiacono Carthaginensi, cap. 10 Breviarii, quod ille scripsit anno 546. Verùm ex eodem Liberato, *catholici veritatis defensores Acephalis responderunt, illos libros non esse Cyrilli*. Deinde ex ipso textu incertum est, utrùm Dionysius ille cujus mentio fit Areopagita sit vel Corinthius; sic enim habetur : *Dionysii Areopagitæ Corinthiorum episcopi*. Alterutrum enim, aut *Areopagitæ*, aut *Corinthiorum*, vocabulum redundat.

Quæ certa sunt, proponuntur.

His igitur omissis tanquàm incertis, ea duntaxat referam quæ certa sunt : primam scilicet mentionem Operum Dionysii Areopagitæ factam fuisse in collatione habitâ Constantinopoli in palatio Justiniani imperatoris, anno 532 inter Catholicos et Severianos seu Acephalos, nimirùm in collatione secundæ diei; siquidem in eo congressu ab hæreticis citata, et ab orthodoxis repudiata fuerunt tanquàm spuria; sed cùm orthodoxi deinde maturâ consideratione agnovissent eorum librorum in fide soliditatem, admirabilemque doctrinam, eos amplexi sunt; et tributum Areopagitæ nomen auctori permansit.

Qui Dionysium ejusque opera cum laude citârunt, è Græcis primi fuerunt Leontius et Anastasius Sinaita, qui ambo Justiniano imperante florebant : à Latinis verò primus fuit Gregorius Magnus, quem plures deinde secuti sunt. Lis autem de auctore tunc nulla erat; postea à criticis septimi et octavi seculi excitata fuit, quibusdam Dionysio Corinthiorum episcopo, aliis Dionysio Alexandrino, aliis juniori Apollinari, qui anno 373 à Damaso hæreseos damnatus est, hæc opuscula assignantibus; ex Maximo martyre, in scholiis ad caput 7 de eccles. Hierarch., ad hæc verba : *Et beatissimam*. Eorum argumentis responderunt, idem Maximus Martyr, qui ab anno 630 ad annum 657 floruit, in prologo ad sua in Dionysium scholia; et Theodorus presbyter relatus à Photio in Bibliothecâ, cod. 1, ubi criticorum quidem objectiones proponuntur, Theodori verò prætermittuntur responsiones. Periit injuriâ temporum ille liber; atque utinam ille extaret, aut Epitomen responsionum ejus Photius excerpsisset; forsitan enim solidas Dionysii vindicias haberemus.

Prævaluit igitur opinio quæ ejusmodi libros Areopagitæ vindicat. Auctores qui seculis retrò sequentibus scripserunt, eos sub Areopagitæ nomine laudârunt. Sopitam verò litem postremo seculo renovavêre Theodorus Gaza et Laurentius Valla, ambo grammatici, Desiderius Erasmus, Thomas Cajetanus cardinalis, Magdeburgenses et alii. Hinc plures in utramque partem diatribæ.

Referuntur opiniones diversæ.

De hâc enim controversiâ postremo et præsenti seculo scripserunt : ex hæreticis Laurentius Humfredus tomo 3 Doctrinæ Jesuiticæ; Willelmus Witakerus de Scripturâ sacrâ contra Bellarminum; Abrahamus Scultetus in Medullâ theologiæ; Rivetus in Criticâ sacrâ; Scaliger, et alii, qui ejusmodi operum antiquitatem et auctoritatem elevare conantur; Scaliger enim eorum auctorem vixisse putat temporibus Justiniani II ad annum circiter 690; quâ in re apertè fallitur. E Catholicis verò cardinalis Cajetanus, comment. in lib. 3 Regum, et in Acta Apost.; Desiderius Erasmus, in cap. 17 Act.; Joannes Morinus, in libro de sacris Ordinat., cap. 27; Joannes Launoyus, aliique nonnulli, qui hæc opera Dionysio quidem Areopagitæ abjudicant, eorum tamen auctoritatem recipiunt, eaque inferiùs quàm ad IV aut V seculum rejici non posse existimant; in eamdem sententiam inclinat Joannes Bona cardinalis, lib. 1 Rerum liturg., cap. 8, n. 5; Baronius contra, ad annum 109, n. 51, 52, etc.; Bellarminus, in libro de Scriptoribus, et alii, hæc Opera uti genuinos Dionysii fœtus defendunt. Rationes et momenta utriusque partis referam.

Momenta partis affirmantis.

Primum petitur ab antiquis auctoribus, Dionysio Alexandrino, et Joanne Chrysostomo, locis supra citatis. Sed argumentum illud non satis firmum esse ex supra dictis apparet.

Secundum petitur à gravissimis auctoribus, qui hæc opera sub Areopagitæ nomine laudârunt, videlicet Leontius, monachus Bizantinus, qui floruit ad annum 540, lib. de Sectis hæretic., actione 3, et lib. 2 contra Nestorium et Eutychetem; Anastasius Sinaita, episcopus Antiochenus, qui eodem tempore floruit, lib. 7 anagog. Contempl. in Hexaemeron; Gregorius Magnus, qui electus anno 590, obiit anno 604, hom. 34 in Evangelia; Sophronius, episcopus Hierosolymitanus, qui floruit ad annum 630, in Epistolâ ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum, quæ refertur et probatur in actione 2 concilii VI œcumenici; Maximus, monachus Constantinopolitanus, qui florebat anno 630, sedente Honorio I, et martyr occubuit anno 657, in prologo ad sua in Dionysium scholia, ubi hæc opera Dionysio vindicat, et contrariis argumentis satisfacit; Martinus quoque primus hujus nominis pontifex, qui pontificatum iniit anno 649, librum de divinis Nominibus et Epistolam ad Caium sæpè laudat in actione 3 concilii Lateranensis adversùs Monothelitas eodem anno congregati; Agatho pontifex, in Epistolâ ad imperatores Constantinum, Heraclium et Tiberium scriptâ adversùs eosdem hæreticos anno 680, et relatâ in actione 4 concilii VI œcumenici, eumdem citat Dionysium in libro de divinis Nominibus; ipsum etiam Macharius, Antiochenus patriarcha, ad causæ Monothelitarum defensionem adducit in actione 2 ejusdem concilii; actione verò 8 ab utrâque parte et catholicâ et hæreticâ objicitur. Aliquot annis post hoc concilium Joannes Damascenus tria ex eodem auctore testimonia protulit lib. 1 de Fide orthodoxâ, cap. 12, et lib. 2, cap. 18, et in libro de His qui in fide obierunt. Ejus etiam auctoritate usi sunt Adrianus I, in Epistolâ (habetur n. 14, tomo Concil. Labbæi) quam ad Carolum Magnum scripsit pro VII synodo; et Nicolaus I, in epistolâ ad Michaelem imperatorem, ubi citat Dionysii Epistolam ad Demophylum. Operosum esset hic recensere innumeros auctores qui seculis VII, VIII, IX

et sequentibus hæc opuscula Dionysio tribuerunt. Prætermitti tamen non debet Photius, licèt schismaticus, de cujus singulari eruditione atque exacto in censendis libris judicio Catholici æquè et hæretici consentiunt : ille siquidem expensis utriusque opinionis rationibus ac momentis, quæ in Theodori Vindiciis legerat, tandem istos libros, de quibus hìc agitur, Areopagitæ adjudicat in Bibliothecâ, codice 231, ubi in variorum recensione auctorum, quos citaverat Sophronius, ita de Dionysio loquitur : *Et Dionysius ille, sermone quidem magnus, sed major contemplatione, Pauli discipulus, et Christi martyr, et Atheniensium episcopus.* Ita ille, quæ certè non diceret, nisi Opera quæ Areopagitæ nomine inscripta sunt, Areopagitæ adjudicaret. Nam unde sciret illum sermone magnum, si nihil ejus operum vidisset? unde nôsset illum *majorem contemplatione* quàm sermone, si nullam ejus contemplationem legisset?

Tertium argumentum petitur à conciliis mox relatis, quibus addes synodum Nicænam 2, can. 2.

Quartum petitur à summis pontificibus ibidem relatis.

Quintum petitur ex miraculis quibus Dionysii libros qui supersunt, Deus optimus maximus decoravit anno 824. Cùm enim Michael Balbus Orientis imperator, legatos ad Ludovicum Pium misisset, eo ipso die quo libri S. Dionysii per Theodorum diaconum, Ecclesiæ Constantinopolitanæ œconomum, qui unus erat è legatis, ad cœnobium san-Dionysianum allati sunt (erat vigilia S. Dionysii), novemdecim insignes variorum morborum curationes meritis tanti martyris factæ sunt. Consule Baronium, ad ann. 109, n. 43.

Sextum petitur ex librorum materiâ, quæ sanè digna est quæ à Pauli discipulo pertractetur. Materies enim sive argumentum est Deus, Trinitas, angeli, Ecclesia, Sacramenta, pontifices, et graduum seu officiorum ecclesiasticorum distinctio. At materies scripti (inquit Scultetus, ratione 5) oppositum demonstrat. Nam in hierarchiâ cœlesti cœli supellectilem, et angelorum subsellia non modò vanè, sed etiam falsò enumeravit, et penè inventarium confecit. Apostolus, 2 ad Corinth., cap. 12, v. 4, ista et hujusmodi reliqua omninò ἀῤῥήτα esse dicit. Irenæus, lib. 2, cap. 55, istos hierarchiarum scriptores delirare scribit. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 58, affirmat se nescire ordines angelorum et eorum differentias. Nec sequuntur Dionysium in angelorum distinctione Gregorius Magnus, Bernardus et alii. Ita vanus ille auctor vanè, ne dicam improbè, disserit. Paulus, 2 ad Corinth. 12, v. 4 : *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quid ibi, quæso, contra Dionysium? Irenæus arguit Marcionem duos fingentem deos, Valentinum triginta constituentem æonas, etc., eosque delirare dicit. Quid ibi, amabo, contra Dionysii hierarchiam? Augustinus verò non omnia novit; quod ipsum latuit, novit Dionysius, novit Athanasius. Gregorius autem, homiliâ 34 in Evang., et Bernardus, sermone 19 in Cantica, probant quidem ex Scripturis novem esse Angelorum ordines, sed eos in choros et hierarchias non distinguunt.

Septimum petitur ex stylo, qui propositæ materiæ respondet; et ita in sublime assurgit, ita in voces novas ac singulares ac rerum cæteroquin inexplicabilium significationem ebullit, ita sursùm cogitationibus et sensibus in immensum attollitur, ut Hugo Victorinus angeli potiùs verba esse putet quàm hominis. At *stylus horum librorum*, inquit Scultetus, ratione 1, *non est simplex et sincerus, sed argutus nimis, inflatus, et affectatus, et parùm apostolicus.* Sed Sculteto Photium opponimus, qui Dionysii stylum, non inflatum, sed rebus ipsis inferiorem agnovit, cùm illum dixit *sermone quidem magnum, sed contemplatione majorem.* Opponimus et Maximum Martyrem, qui in prologo ad sua in Dionysium scholia, observat illum *sine ullâ affectatione* scripsisse. Quamvis enim stylus materiæ utcumque respondeat, et sublimis sit in re sublimi, simplex tamen et sincerus est, non simplicitate quidem sermonis humi repentis, sed eâ quâ res magnæ verbis magnis et propriis, non autem longis ambagibus et translatitiis vocibus explicantur.

Octavum argumentum (quod etiam à Maximo adducitur in prologo) petitur ex *certissimâ doctrinâ* quæ in his libris traditur; quæque tanta est, ut in iis quæ ad fidem, mores et religionem attinent, ne vel minimum nævum reperias; quod solis apostolis et evangelistis, virisque apostolicis convenit. At *auctor horum librorum*, inquit Scultetus, ratione 1, *errat manifestè quòd docet oleo defunctos perfundendos et ungendos : monachatum omnium initiandorum ordine atque etiam ipso ministerio esse excellentiorem : unguentum baptismo ὁμοταγὲς esse inventum scilicet hominis sacramento Christi.* Ex his tribus, quæ Scultetus objicit, primum quidem docet Dionysius, sed hujus usûs rationem affert libro de eccles. Hierarch., cap. 7, parte 3, § 8; secundum verò Dionysius nullibi docet; contra monachos ad laicorum ordinem redigit ibidem, cap. 6, parte 1, § 3, et cap. 7, parte 2. Tertium etiam nullibi asserit, etsi verò asseruisset, nihil in eo differret ab aliis Patribus, qui Baptismum Confirmatione perfici asserunt.

Neque dicas in iis saltem operibus, nimirùm de eccles. Hierarch., cap. 4, parte 1, doceri, quòd *unguenti consecratio sit* ὁμοταγὴς, id est, *coordinata* sacræ synaxi. Siquidem hisce verbis non significatur quòd unguentum illud Eucharistiæ dignitatem adæquet, sed quòd unguenti consecratio coordinata sit consecrationi synaxeos, sive quia hæc unguenti consecratio ita ordinata erat, ut cum Eucharistiæ consecratione fieret intra eadem missarum solemnia; sive quia ab eodem pontifice fieret, à quo Eucharistiæ consecratio; sive quia unguenti consecrationi adhiberentur cæremoniæ suppares ferè Eucharistiæ consecrationi, ex libro de eccles. Hierarch., cap. 4, parte 2. Unde Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 3 mystag., hanc unguenti consecrationem ita exaggerat, ut eam cum Eucharistiæ consecratione conferre videatur. Verùm hæc comparatio accipienda est per quamdam similitudinem vel

proportionem, non æqualitatem. Quoad aliquid tamen hæc unguenti consecratio dignior est, quatenùs ad eam ministerium episcopale necessarium est.

Nonum et ultimum argumentum, quod etiam Maximus in prologo, et Baronius, ad ann. 109, n. 58, tractant, petitur ex probitate auctoris. Etenim si opera illa non sint Dionysii Areopagitæ, sed alterius Dionysii, sive Corinthii, sive Alexandrini, sive alterius cujuscumque posterioris, fateri necesse est illorum auctorem, mendacem, simulatum, fallacem, et desperatæ salutis exstitisse. Ait enim quòd apostolis convixerit, quòd ipsis scripserit; quòd fuerit Pauli discipulus; quòd Heliopoli cum Apollophane agens, de solari eclipsi, quæ passionis tempore contigit, philosophatus fuerit; asserit etiam quòd adfuerit B. Virginis funeri, quòd hymnos in ejus honorem audierit; et quòd Timotheo eosdem memoranti aures dederit; scribit se Joanni apostolo in exilio versanti vaticinatum esse quòd in Asiam reverteretur; epistolas et verba tanquàm ab apostolorum discipulis pronuntiata refert; pluraque alia in iis operibus affert, quæ, si ficta essent, prodigiosam mentiendi et decipiendi audaciam continerent. Atqui hoc minimè dici potest; nam scripta illa meram sapiunt et spirant pietatem, modestiam, gravitatem et sanctimoniam; neque ullum prorsùs vel minimum aut levitatis aut vanitatis (quæ abesse à fallacibus non possunt) fumum redolent. Huic argumento, quod validum est, nihil hactenùs responsum est ab adversariis.

Momenta partis negantis.

Hæc momenta plura sunt. Singula referam; et quid singulis responderi posse mihi videatur, afferam.

1° Hic auctor nullibi se Areopagitam aut episcopum nominat, cùm tamen non defuerint illi occasiones hos sibi titulos tribuendi. Imò presbyterum se solummodò nuncupat, quemadmodùm apparet ex inscriptionibus, quibus opera sua Timotheo dedicat : *Compresbytero Timotheo Dionysius presbyter*. Verùm et ipse Joannes Evangelista, scribens ad Electam, tacito episcopi et evangelistæ nomine, presbyterum se appellat. Præterea Dionysius Timotheum vocat compresbyterum; ejusdem igitur dignitatis erat ac Timotheus. Sed Timotheus ille erat episcopus, ex libro de cœlesti Hierarch., cap. 9, § 4, et de eccles. Hierarch., cap. 7, parte 3, § 11.

2° Eusebius et Hieronymus diligentissimi librorum inquisitores, nullam horum operum mentionem fecerunt; neque Origenes, neque Athanasius, nec alius admodùm antiquus auctor; quibus tamen potuissent Arii, Eunomii, Nestorii, Eutychetis errores facilè confutare. Verùm, Hieronymus, inquit Baronius ad an. 109, n. 60, *in præfatione ad Dextrum, eos se colligere profitetur antiquos scriptores ecclesiasticos, quos invenisset ab Eusebio recensitos; quod et præstitisse certum est, illis tantùm superadditis, qui post Eusebii obitum usque ad sua tempora in Ecclesiâ floruêre; reliquos verò Sophronium addidisse, omnes intelligunt. Nec fuit ejus ratio instituti, si quæ ab Eusebio fuissent prætermissa, perquirere, ipsumque propterea vel oscitantiæ vel doli mali arguere. Eusebius verò*, inquit Maximus in prologo, *non omnia collegit; quàmplurima omisit, quæ ad ejus manus non pervenerunt..... ; imò fatetur libros, qui ad ipsum non devenerunt, esse numero superiores. Et sanè multos recensere possent* (subjicit Maximus) *quos ille non habuit, et hos quidem suæ regionis, ut Hymenæi et Narcissi, qui sacerdotes Hierosolymis fuêre.* Eusebius etiam non meminit Theognosti, quem uti *virum disertum priscum* et *admirandum* Athanasius laudat in Epistolâ de Decretis Nicænæ synodi contra Eusebium, tomo 2, et in Homiliâ de Peccato in Spiritum sanctum, tomo 4, quod dolo malo factum Baronius existimat ibidem, n. 59, quia scilicet Theognostus *consubstantialis* nomen asserit. Unde ille conjicit eâdem quoque ratione fieri potuisse ut Eusebius Dionysii scripta silentio prætermiserit, quòd in illis trinitas personarum et unitas substantiæ disertè doceatur. Levior est in hâc parte Origenis auctoritas, qui vix *quatuor auctorum meminit* inquit Maximus; sed gravior est Athanasii, qui pro asrendâ consubstantialitate Theognostum, Origenem, utrumque Dionysium Alexandrinum et Romanum laudat in epistolâ de Decretis Nicænæ synodi; Dionysium verò Areopagitam prætermittit, qui tamen *unitatem in tribus personis subsistentem* docet in libro de cœlesti Hierarch., cap. 7, in fine. Sed præsertim toto capite 2 libri de divinis Nominibus, ubi Trinitatem et Christi divinitatem luculenter explicat.

3° Quia Acephali, hæretici Eutychetis asseclæ, omnium primi libros istos protulerunt, iisque adversùs catholicos usi sunt in collatione habitâ Constantinopoli anno 532; quod eorum fidem suspectam reddit. Maximus quidem in Prologo refert *diaconum quemdam romanum, nomine Petrum, sibi narrâsse omnia divini Dionysii opera Romæ in sacrorum scriptorum Bibliothecâ reposita servari;* unde aliqui conjiciunt ea in Græciam translata fuisse. Verùm hæc nimis incerta sunt. Respondetur ergo : Si hæretici libros ejusmodi Catholicis objecerunt, Catholici deinde iisdem pariter usi sunt adversùs hæreticos.

4° Quia Acephalis quædam ex his operibus testimonia proferentibus Catholici in eâdem collatione respon derunt hæc non esse Dionysii Areopagitæ. *Si enim ejus erant* (inquit episcopus Catholicorum nomine respondens), *non potuissent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico? cùm et beatus Athanasius, si pro certo sciisset ejus fuisse ante omnia in Nicæno concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset adversùs Arii diversæ substantiæ blasphemias. Si autem nullus ex antiquis ea recordatus est, unde nunc potestis ostendere quia illius sint, nescio.* Quin etiam illis operibus adeò infensi erant Catholici, ut non modò ea supposititia prædicarent, sed etiam libros quosdam Cyrillo Alexandrino adscriptos hinc potissimùm suppositionis arguerent, quòd in eis quædam Dionysii testimonia citarentur, ex Liberato in Breviario, cap. 10. Verùm quos libros nondùm examinatos Catholici repudiârunt, eos postea amplexi sunt, cognitâ eorum admirabili doctrinâ.

5° Quia hic auctor, libro de cœlesti Hierarch., cap.

7, et libro de divinis Nominibus, cap. 1, Deum τρισυπόστατον vocat, suntque illi tres personæ *tres hypostases*, eâque voce utitur tanquàm suo tempore usitatâ; cùm tamen constet hoc nomine Græcos primùm usos post concilium Alexandrinum anno 362 celebratum, repugnantibus latinis, ut ex Hieronymo apparet, epistolâ 57. Priùs enim essentiam et substantiam, non autem personam seu subsistentiam significabat. Hoc argumentum pro more suo fusè ac eruditè prosequitur Joannes Morinus, cap. 6, n. 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7. Sed vocem illam, quatenùs personam et subsistentiam significat, ante coactum illud concilium, à nonnullis auctoribus usurpatam fuisse certum mihi videtur : ex Hilario Pictaviensi, qui in libro de Synodis, quem edidit anno 358, admittit dici posse tres in unâ deitate substantias, ubi substantiam pro hypostasi, non autem οὐσίᾳ accipit; ex Athanasio, qui tomo 1 in Oratione *unum esse Christum*, et tomo 2 in opusculo de Incarnatione Verbi contra Paulum Samosatenum, et alibi, singulis Dei personis distinctas tribuit hypostases, unicam verò Christo, quamvis duas in eo naturas agnoscat; ex Basilio Magno, qui in epistolâ 37 ad Gregorium Nyssenum, ὑπόστασιν ab οὐσίᾳ distinguit; illudque discrimen negat esse recens; neque Paulum, cùm ad Hebræos, cap. 1, dixit Verbum esse *characterem* ὑποστάσεως *paternæ*, sibi adversari contendit; ex Dionysio Alexandrino, qui, referente Basilio in epistolâ 35, ad Maximum philosophum, in eâ quam ipse contra Sabellii hæresim scripsit Epistolâ ad Ammonium et Euphranorem, *non solùm diversitatem* ὑποστάσεων, hoc est, *personarum*, *sed* et τῆς οὐσίας, hoc est, *essentiæ differentiam constituit*. Exstat ejusdem Dionysii Epistola contra Paulum Samosatenum, cujus meminit Hieronymus in Catalogo, in quâ eum redarguit, quod *duas* in Christo ὑποστάσεις admittat. Denique Paulus ipse Samosatenus dicebat, *duas hypostases esse et duas personas unius et solius Christi, et duos Christos ac duos filios*, ex Dionysio ibidem. Videsis et decem quæstiones quas Paulus Samosatenus Dionysio Alexandrino proposuit, et responsiones ejusdem Dionysii, quæst. 3, 4 et 7; referuntur tomo 1 Concil. Labbæi. Vox igitur ὑπόστασις ab antiquis Patribus diversimodè usurpata fuit, aliis substantiam, aliis personam intelligentibus. Hâc æquivocatione abutentes hæretici dicebant, Sabelliani quidem, in Deo unicam esse hypostasim, id est, personam; Ariani verò tres esse hypostases, id est, tres substantias. Ipsi quoque Catholici, alii unam, in Deo hypostasim, hoc est, substantiam; alii tres hypostases, hoc est, tres personas admittebant. Priores à posterioribus quasi Sabelliani, et posteriores à prioribus quasi Ariani traducebantur. Quæstione in concilio Alexandrino propositâ, Patres liberam cuilibet ex Catholicis potestatem fecerunt, eo quo vellet uti sensu, ut unicam vel tres hypostases in Deo esse diceret, modò Nicænam fidem, id est, Trinitatem personarum in unitate substantiæ profiteretur. In eam tamen sententiam magis inclinant, ut tres in Deo hypostases dicantur; quod Latinis pluribus displicuit.

6° Auctor, ille lib. de eccles. Hierarch., cap. 6, et in Epistolâ ad Demophilum, monachorum meminit : de illis loquitur ut certum ac publicum in Ecclesiâ statum habentibus; eos à clero et populo distinguit : specialem eis locum in synaxibus adscribit; ritus et cæremonias eorum consecrationis describit; novum et speciale indumentum eis tribuit; asserit eos multò antiquiores fuisse. *Hinc divini*, inquit, *præceptores nostri sacris eos nominibus appellari voluerunt, alii quidem Therapeutas, alii verò monachos, ab individuâ et singulari vitâ denominantes.* De his tamen apud auctores primi et secundi seculi nulla distincta mentio reperitur. Ignatius, Tertullianus et Cyprianus virgines et viduas Deo sacratas commemorant. Cornelius papa in epistolâ ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium, lib. 5 Hist., cap. 42, omnes Ecclesiæ ordines recenset ad viduas usque, pauperes et afflictos. Clemens in Constitutionibus, singulos Ecclesiæ gradus refert, diaconissas, virgines et viduas enarrat; at de monachis ne verbum quidem. Denique Athanasius et Hieronymus primorum eremitarum vitas descripserunt. Quamvis autem monachi primis Ecclesiæ temporibus vixissent, credibile non videtur, primi et secundi seculi persecutionibus, aliisque circumstantiis attentis, eos tot cæremoniis fuisse ab episcopo dicatos. Si seculo V aut VI, vel etiam hoc tempore auctor ille de monachis scriberet, nihil sanè de iis expressiùs dicere et prædicare posset. Ita ferè Morinus, cap. 5. n. 13.

Baronius, ad annum 109, n. 52, opponit ea quæ Philo de Therapeutis scribit, quos Eusebius, lib. 2 Hist., cap. 17, Epiphanius, hæresi 29, Hieronymus, in Catalogo, vocabulis, *Marcus* et *Philo*, et Sozomenus, lib. 5, cap. 12, christianos fuisse contendunt. *Eorum*, inquit Sozomenus, *domicilia, victùs rationem, et institutionem vitæ, talem Philo perhibet, qualem nos etiam hoc tempore à monachis in Ægypto observatam videmus.* Reponit Morinus, ibidem, n. 14, hæc nihil pertinere ad monachos, de quibus Dionysius, quos à clero et à plebe distinguit, cùm Eusebius contra, Epiphanius, Hieronymus, Sozomenus, et vel ipse Baronius, ad annum 64, quæ Philo scripsit de Therapeutis intelligant de Ecclesiâ christianâ, quæ sub Marco evangelistâ in Ægypto aliisque locis, disciplinam Actorum cap. 4 descriptam rigidè observabat. Sed Morino reponi potest quod neque Eusebius neque Sozomenus hæc de universâ Alexandrinorum Ecclesiâ exponant. Philo etiam de Therapeutis plurima refert, quæ christianæ Ecclesiæ Alexandrinæ, singulisque fidelibus convenire non possunt : nimirùm quòd cælibes essent : quòd *commercia cum hominibus aut consuetudinem nullam haberent;* quòd *vitam degerent extra muros urbium in hortis et agris solitariis;* quòd *ante solis occasum, nullus cibum gustarent;* quòd *Deum hymnis et psalmis assiduè colerent;* quòd *ædes sacræ illis essent, quæ vocantur monasteria, in quibus ab aliis separati, et sanctæ et severæ vitæ mysteria obirent*; quòd *sua bona cognatis concederent, cùm in hoc sanctum et severum vitæ genus primùm ingrederentur.* Ita ex Philone Sozomenus. Addit Eusebius quòd *in unum con-*

gregati, separatim viri ac separatim mulieres conversarentur. Quòd autem Therapeutæ novum et speciale indumentum haberent, testis est Tertullianus, qui solitariam et arctiorem vitam professurus, togam dimisit, ut pallium indueret. Videsis Baronium ad annum 197, n. 12, 13 et 14. Cùm igitur Paulus monachorum princeps dicitur, de vitâ eremeticâ seu anachoreticâ, non cœnobiticâ id intelligi debet.

7° Auctor ille monachorum frequens meminit, quorum tamen nullus veterum mentionem fecit : contra diaconissarum, virginum et viduarum non meminit, quarum tamen mentionem fecêre Clemens Alexandrinus, Ignatius, Tertullianus, Cyprianus et Cornelius, superiori argumento citati. Sanè, inquit Morinus, ibidem, n. 13, videri potest Dionysius ille sub alio cœlo natus, solemque suum sua sidera nôsse, quæ Patres alii Europæi, Asiatici et Africani non noverunt. Verùm jam responsum est Therapeutas, quorum Philo meminit, vitam cœnobiticam egisse. Quam verò ob rem Dionysius nullam diaconissarum, virginum et viduarum, mentionem fecerit, incertum est. Certum tamen est quòd potuisset earum meminisse, si ejus institutum eò conduxisset; quia earum ordo et primis et retrò sequentibus Ecclesiæ seculis floruit.

8° Auctor ille, lib. de eccles. Hierarch., cap. 7, parte 3, § 11, de Baptismo infantium ejusque cæremoniis agens, se id scribere ait, *quod divini*, inquit, *præceptores* (alii vertunt, *pontifices*) *nostri*, *ab antiquâ traditione edocti*, *ad nos usque produxerunt*. Qui sunt autem hi pontifices, quæ antiqua traditio, si hic auctor fuerit Areopagita Pauli discipulus? ita Morinus, cap. 6, n. 8. Respondent aliqui pontifices illos esse Apostolos, qui à Christo edocti sunt. Respondent alii Hierotheum esse, Justum, Antipam et similes, quorum Dionysius meminit, qui ab Apostolis instituti fuerunt. Respondere omnes possunt, græcè haberi : Πρὸς τῆς ἀρχαίας παραδόσεως : ἀρχαῖον autem non modò *vetus et antiquum*, sed etiam *primum*, sicut ἀρχὴ *principium* significat. Sensus igitur hic esse potest : *Quod divini pontifices nostri* (id est, Apostoli) *à primâ* (Christi) *traditione edocti*, *ad nos usque produxerunt;* vel iste : *Quod divini pontifices nostri* (hoc est, Hierotheus et alii) *à primâ* (Apostolorum) *traditione edocti, ad nos usque produxerunt.*

9° Auctor ille, lib. de cœlesti Hierarch., cap. 2, in fine, et lib. de eccles. Hierarch., initio capitis primi, et in fine capitis 7, Timotheum, cui hæc opera scribit, filium vocat. Atqui eumdem nuncupat pontificem in eodem capite 7, parte 3, § 11 : *Non oportet*, inquit, *tuam pontificiam sapientiam*, ἱεραρχικὴν σύνεσιν, etc. Quis verò unquàm legit episcopum alteri episcopo publicè scribentem, filium vocâsse? Potest equidem episcopus juvenis, alterius aliquando discipulus, se illius filium, humilitatis et gratitudinis causâ, dicere. At Dionysius Timotheum filium nunquàm appellare debuit. Ita Morinus, cap. 5, n. 4. Cui responderi potest quòd Dionysius archiepiscopus Alexandrinus, Basilidi episcopo Pentapolitano rescribens, eum filium appellat. *Dionysius Bazilidi*, *dilecto mihi filio et fratri*, etc. *Misisti ad me*, *sapientissime fili mi*, etc. Et in fine : *Fili mi sapientissime*, etc.; *dilecte fili mi*, etc. Exstat hæc epistola tomo 11 Biblioth. Patrum editionis Parisiensis, anni 44, et tomo 1 Concil. Labbæi, pag. 931. Montanus quoque archiepiscopus Toletanus, qui synodo Toletanæ præfuit anno 531, scribens Theoribio, eum nominat filium : *Domino eximio*, etc., et : *Filio Theoribio Montanus episcopus;* licèt ipsum et in eâdem, et in priori alterâ Epistolâ ad fratres territorii Palentini, eodem tempore scriptâ, *episcopum* agnoscat. Extat utraque epistola, tomo 4 Concil., pag. 1736, etc. Responderi etiam potest Græcè haberi non υἱὸς, sed παῖς : quæ vox non modò filium, sed etiam puerum significat, et quidem primâ et principali significatione, sicut υἱὸς principaliter filium designat. *Dionysius ergo* (inquit Maximus Martyr ad caput 2 de cœlesti Hierarchiâ) *Timotheum filium vocat*, *tanquàm imitando Dominum* (Apostolis) *dicentem :* « *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* » Joan. 21, v. 25; *vel quoniam eos qui simplicitatem, quæ secundùm Deum est, exercent* (primi christiani) *pueros appellabant*, *sicut et Papias declarat*, lib. 1 dominicarum Expositionum, *et Clemens Alexandrinus* in Pædagogo, nimirùm lib. 1, cap. 6. Quin etiam, initio capitis 7, ait *pueros* et *infantes* vocari *omnes qui Christum secuti sunt*; *solum autem esse perfectum Patrem universorum*. Aliam solutionem Maximus ibi refert, puta quòd Dionysius Timotheum ætate longè superaret. Verùm Timotheus, cùm hæc Dionysius scriberet, jam senio confectus erat; quâ de re in ratione proximè sequenti.

10° Auctor ille, lib. de divinis Nominibus, cap. 4, § 12, laudat Ignatii testimonium : *Meus amor crucifixus est;* quod in Epistolâ ejus ad Romanos reperitur. Ignatius verò hanc Epistolam, cùm ad martyrium duceretur, sub Trajano scripsit, anno Christi 109; unde diversi diversimodè ratiocinantur.

Qui Dionysium sub Domitiano mortuum esse contendunt, inde colligunt fieri non posse ut ille Epistolam sub Trajano scriptam laudaverit. Verùm Maximus Martyr, qui seculo VII floruit, in Scholiis ad cap. 4 de divinis nominibus, ad hæc verba : *Divinus Ignatius*, respondet *fictionem esse* quòd Dionysius Ignatium morte prævenerit. Præterea vetus Martyrologium Romanum, quod Ado Viennensis, qui floruit seculo IX, præ manibus habuit, ait tertio octobris, Dionysium Areopagitam *Athenis sub Adriano passum esse*. Idipsum asserunt Beda et Ado in Martyrologiis, die 3 octobris.

Qui verò Dionysium Ignatio supervixisse fatentur aliter edisserunt. Refert, Inquiunt, Dionysius testimonium ex Epistolâ Ignatii ad Romanos, cùm ad martyrium duceretur, scribentis. At librum de divinis Nominibus dedicat ille Timotheo Ephesiorum episcopo. Vivebat igitur Timotheus post Epistolam ab Ignatio ad Romanos missam. Verùm, ex eodem Ignatio ad Philadelphios scribente, constat Timotheum, cùm Ignatius ad Romanos scriberet, defunctum fuisse. Constat etiam ex Epistolâ ejusdem Ignatii ad Ephesios, Onesimum Timotheo successisse. Itaque Dionysius Timo-

theo scribit longo tempore post Timothei mortem. Ita Morinus hodiè, cap. 5, n. 1; olim verò auctores illi, qui à Dionysio hæc opera seculo VII abjudicabant.

Maximus Martyr, in Scholiis ad cap. 4 de divinis Nominibus, ad hæc verba : *Amor meus*, duo respondet : unum est, testimonium illud non fuisse à Dionysio allegatum, sed à margine in textum irrepsisse; *quod in multis*, inquit, *sæpè accidisse novimus. Siquidem etiam sine hâc parte corpus orationis integrum constituitur.* Alterum est, familiare fortè Ignatio fuisse hoc effatum, sicut seipsum dicebat et scribebat Θεοφόρον, Deiferum; neque enim habetur in Dionysii textu : *Scribit verò quibusdam, hoc est, Romanis, divinus Ignatius;* sed simpliciter habetur : *Scribit verò divinus Ignatius.*

Reclamat Morinus, et ad fidem provocat *omnium exemplarium ab invento et publicato illo auctore ad hoc usque tempus.*

Hoc tamen testimonium cum aliis quibusdam verbis in textum irrepsisse, multa mihi persuadent : quæ ut intelligas, textum integrum afferamus, et ea quæ in dubium revocantur, verba, intra duos uncinos [ ] claudamus necesse est. Cùm enim Dionysius ἔρωτος seu amoris nomine in rebus divinis frequens utatur, illud verò nonnulli putarent esse *contra Scripturæ sacræ auctoritatem*, quasi illa nomen illud in malam partem semper accipiat; Dionysius contra probat nomen illud etiam in Scripturis sacris in bonam partem usurpari. *Audiant divina scripta, qui nomen* AMORIS *criminantur.* « *Ama illam, inquit Proverb.* 4, *et custodiet te; sepi* « *illam, et extollet te; honora eam, ut complectatur te,* » *et quæcumque alia in amatoriis de Deo sermonibus* (hoc est, *in canticis*) *celebrantur.* [*Atqui visum est quibusdam nostris sacrarum Scripturarum tractatoribus, nomen* AMORIS *divinius esse quàm nomen* DILECTIONIS. *Scribit enim divinus Ignatius :* MEUS AMOR CRUCIFIXUS EST] *et in iis quæ aditum ad Scripturam præparant* (id est, in libris Ecclesiastæ et Sapientiæ) *quemdam invenies de divinâ sapientiâ aientem :* « *Amator factus sum formæ* « *illius,* » *Sapientiæ* 8, *v.* 2. *Quare ne propter hoc metuamus nomen* AMORIS; *nec ullus de hoc nomine sermo nos moveat aut terreat. Mihi enim videntur theologi existimâsse quidem commune nomen esse* AMORIS *et* DILECTIONIS, etc.

Verba verò hæc intra duos uncinos conclusa [atqui visum est, etc.], primùm quidem ab aliquo ad marginem adnotata, deinde à margine in textum irrepsisse mihi probatur : 1° quia sine illis verbis sensus integer et corpus orationis integrum constituitur; 2° quia sine illis verbis multò meliùs cohæret Dionysii oratio quàm cum illis. Si enim hæc sustuleris, videbis uniformiter et conjunctim currere testimonia ex libris Salomonis petita, eosque libros ordine citari, primùm quidem Proverbia, deinde Cantica, post hæc Ecclesiastem et Sapientiam, cùm è contra hic testimoniorum et librorum ordo per verba hæc interposita perturbetur; 3° quia Dionysius eò loci id unum intendit ut probet *amoris* nomen in Scripturis sacris in bonam partem accipi. Cui igitur bono, ad illud probandum, verba ex Ignatio petita? num ejus Epistolæ pro sacris Scripturis habentur? 4° Dionysius Ignatii auctoritatem in medio testimoniorum è Scripturâ petitorum non posuisset, nec illam præposuisset Apostolorum auctoritati, quos per theologos intelligit, tum ibi, tum cap. 3, § 2, sub finem; 5° institutum Dionysii non postulat ut ille probet *amoris* nomen divinius esse nomine *dilectionis;* 6° id minimè sequitur ex Ignatii textu ad id probandum adducto; 7° Dionysius nondùm mentionem fecit nominis *dilectionis*, neque cum eo *amoris* nomen comparavit, sed postea id tantùm præstat. Quorsùm igitur probat nomen *amoris* divinius esse nomine *dilectionis*? commodiorí sanè loco id asseruisset et probâsset, postquàm eorum retulit theologorum sententiam, qui existimabant *commune nomen esse* AMORIS et DILECTIONIS; et magis appositè tunc subjecisset : *Atqui etiam visum est quibusdam sacrarum Scripturarum tractatoribus*, etc.; 8° hæc Ignatii sententia tantùm abest ut Dionysii instituto inserviat, imò ei obest. Dionysius enim intendit ostendere nomen ἔρως à sacris scriptoribus in bonam partem accipi. Sed in Epistolâ Ignatii nequaquàm sic accipitur, sed pro concupiscentiâ et amore terrestri, quem dicit in se crucifixum, hoc est, mortuum esse : nec se amare jam aliud quàm Deum, extincto penitùs igne concupiscentiæ et rerum terrenarum desiderio : quod apparet, tum ex simili sententiâ Pauli, ad Galatas 6, v. 14, ad quam Ignatius alludit : *Mihi mundus crucifixus est.* Nullum enim aliud discrimen est, nisi quòd Ignatius pro κόσμος posuit ἔρως : tum ex veteri vulgatâ editione, quæ sic habet : *Vivus enim vobis scribo, desiderans mori pro Christo; meus enim amor crucifixus est, et non est in me ignis quippiam amans; aqua autem alia viva manet in me, intrinsecùs in me dicens : Veni ad Patrem;* tum ex vetere Latinâ versione, quam ex duobus manuscriptis in Angliâ repertis Usserius in lucem edidit : *Vivens enim scribo vobis, desiderans mori. Meum desiderium crucifixum est, et non est in me ignis amans aliquam aquam, sed vivens et loquens est in me, intùs me dicit : Veni ad Patrem.* Quæ quidem varia versio ex variis interpunctuationibus Græcis oritur. Vossii editionem, quæ omnium castigatissima est, non habeo ad manum. 9° Si Dionysius Epistolæ Ignatii ad Romanos testimonium laudare voluisset, integrum certè locum laudâsset, non verò eam omisisset partem quæ pro ipso maximè faciebat, et ubi verbum ἔρως sine controversiâ in bonam partem accipitur. Ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ διὰ Χριστὸν ἀποθανεῖν. Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, etc. *Vivus enim scribo vobis, amans mori propter Christum. Meus amor crucifixus est*, etc. Quantùm ergo conjicere mihi licet, præfata verba intra parenthesim comprehensa, primùm quidem à quodam scholiaste profecta sunt, qui, cùm in Dionysii textu legeret theologos esse qui existimarent *commune nomen esse amoris et dilectionis*, ipse supra hanc opinionem superaddens, per αὔξησιν ad marginem posuit : *Atqui visum est quibusdam nostris sacrarum Scripturarum tractatoribus, nomen* AMORIS *divinius esse quàm nomen* DILECTIONIS. Quod ut ille probaret, brevem Ignatii sententiam ad-

duxit, *amoris* nomen in eâ putans in bonam partem accipi. Deinde verò imperitiâ cujusdam exscriptoris utrumque et scholium et testimonium à margine in textum irrepsit.

Baronius aliter respondet, ad annum 109, n. 56. Negat enim Timotheum, cui Dionysius opera sua nuncupat, illum esse Ephesiorum episcopum, ad quem Paulus duas Epistolas conscripsit : 1° quia Dionysius hunc Timotheum *compresbyterum* duntaxat nominat. Verùm hæc ratio nulla est ; hunc enim episcopum fuisse, ex ipso Dionysio probavimus argumento 9. 2° Quia Dionysius hunc Timotheum vocat *filium*, adeòque illum fuisse juniorem designat. Timotheus verò Ephesiorum episcopus, cùm Dionysius librum de divinis Nominibus scriberet (quod ante annum 100 contingere non potuit, cùm Dionysius in eo laudet testimonia ex Joannis Evangelio, quod scriptum est anno 99 aut 100), annos et eo ampliùs nonaginta natus erat, si modò ille tunc in vivis esset; dubitatur enim utrùm ille occubuerit sub Domitiano, an sub Nervâ, vel sub Trajano. 3° Quia Dionysius *filium* non vocâsset Timotheum, Pauli discipulum, qui illo, si non major, certè par fuit pietate, auctoritate et doctrinâ. 4° Quia Timotheus, ad quem ille scribit, librum, quem Hierotheus scripserat de Elementis theologicis, intelligere non potuit, et ideò librum ad Dionysium remisit, ut illam explanaret, ex cap. 3 libri de divinis Nominibus. Quæ quis credat de primario Pauli discipulo? non desunt tamen viri eruditi, qui hunc Timotheum fuisse Pauli discipulum existiment, sive quòd unà cum apostolis interfuerit exequiis virginis Mariæ, ex c. 4 lib. de divinis Nominibus; sive quòd cum Tito Pauli comite conjungatur in Epistolâ Dionysii ad Titum. *Sanctus quidem Timotheus, ô bone Tite*, etc. Verùm hæc levia sunt.

Quis igitur fuerit ille Timotheus, incertum est. Baronius ibidem suspicatur fuisse Timotheum Pudentis Romani senatoris filium, eumdemque Petri et Pauli discipulum. Lucius Dexter, cui Hieronymus librum de Scriptoribus dicavit, in suo Chronico, quod Franciscus Bivarius cum suis in illud Commentariis hoc seculo in lucem emisit, ad annum Christi 100, asserit fuisse Eugenium Marcellum, cognomento Timotheum. *Dionysius*, inquit, *Areopagita dicat Eugenio Marcello, dicto propter ingenii excellentiam Timothæo, libros* DE DIVINIS NOMINIBUS. Sed illud Chronicum seculis retrò sequentibus sub nomine Dexteri suppositum fuisse, et mendis refertum esse, legenti apparebit. In eo asseritur Petrum apostolum Hispanias adiisse, Dionysium profectum fuisse in Gallias, Marcellum à Dionysio in Hispanias missum, etc. Auctor ille ne Græcam quidem linguam noverat; nec enim Timotheus *ingenii excellentiam* sonat, sed *honorem Dei ;* est enim τιμὴ *honor*, non autem *ingenium ;* aliàs, quæ supersunt, rationes modò prosequamur.

11° Auctor ille lib. de divinis Nominibus, cap. 5, § 9, laudat *Clementem Philosophum*, cui tribuit illam opinionem, quæ asserit ea esse in generatione rerum sensibilium *exemplaria, quæ sunt in rebus principaliora*, v. g., in generatione ignis sublunaris ignem cœlestem, in productione aquarum terrestrium aquas supercœlestes, quo quidem nomine indicat Clementem Alexandrinum, qui philosophiam Alexandriæ professus est, et lib. 8 Strom. hanc opinionem sequitur. Atqui Clemens Stromata scripsit imperante Severo. Non potuit igitur ab Areopagitâ laudari. Verùm omnes non concedunt hunc Clementem fuisse Clementem presbyterum Alexandrinum. Maximus martyr, in Scholiis ad cap. 5 de divinis Nominibus, putat fuisse Clementem Romanum, Pauli discipulum, et Petri successorem. Baronius contra ad annum 109, n. 53, negat hunc Clementem fuisse Romanum, aut Alexandrinum, aut alium quempiam catholicum, puta Dionysius nullo honoris titulo ipsum cohonestat; cùm è contrario, dùm Bartholomæum, Hierotheum, Ignatium, et alios citat, sic habet : *Divinus Bartholomæus, eximius Hierotheus, divinus Ignatius*. Existimat igitur hunc Clementem fuisse gentilem philosophum; suspicatur verò illum Actium Clementem esse, Platonicum philosophum celeberrimum, ad quem exstat Plinii Junioris epistola. Baronii conjectura probabilis est, falsa tamen ratio quâ utitur. *Justum* enim cognomento Barsabam, seu Barsabam cognomento *Justum*, unum è Christi discipulis, de quo Papias apud Eusebium, lib. 3, cap. 36, Dionysius absque aliquo honoris titulo laudat, libro de divinis Nominibus, cap. 11, § 1.

Utut sit, hujusce præfatæ opinionis, quam Dionysius Clementi Philosopho tribuit, nec in libro 8 Stromatum, qui totus philosophicus est, nec alibi, Clemens Alexandrinus meminit.

12° Auctor ille, lib. de Eccles. Hierarch., cap. 7, § 2, Millenariorum errorem confutat, qui auctore Papiâ, episcopo Hierapolitano, circa annum Christi 118 exortus est, ex Baronio ad eumdem annum 118. Ita Morinus, cap. 5, n. 11 et 12. Verùm quid impedit quominùs Dionysius, qui ex antiquis Martyrologiis, Romano Bedæ et Adonis, sub Adriano passus est, errorem sub Trajano exortum refutaverit? Accedit quòd tempus quo Papias scripsit incertum est. Id unum constat, Papiam post editam à Joanne Apocalypsim (quod sub Domitiano contigit ad annum 97) scripsisse. Papias verò, qui ex Irenæo, lib. 5 adversùs Hæreses, cap. 33, et ex Eusebio in Chronico ad annum Christi 103, Joannis Evangelistæ discipulus fuit, condiscipulus verò Ignatii et Polycarpi, scribere potuit ante annum Christi 118. Denique Papias non fuit auctor hujus erroris, sed ipsemet apud Eusebium, lib. 3 Hist., cap. ultimo, testatur se hanc doctrinam *ex vivâ traditione* ab aliis accepisse. Nihil igitur repugnat quominùs hunc errorem Dionysius, non in Papiâ, ejusque discipulis; sed in iis à quibus ille ad Papiam pervenerat, redarguerit.

13° Auctor ille, lib. de eccles. Hierarch., cap. 5, parte 3, § 5, refert de divinâ sorte, quæ super Matthiam cecidit, alios ab aliis diversa sensisse. Difficilè verò creditu est tam multos primo Ecclesiæ seculo de hâc sorte fuisse diversa opinatos. Si de hoc aliqui dubitabant,

nonne apostolos, cum quibus familiariter versabantur, consulere poterant? itaque auctor ille, personæ quam induerat oblitus, supponit quæstioni suæ ea quæ tantùm seculo III aut IV fieri poterant. Ita Morinus, cap. 6, n. 9. — Verùm responderi potest, 1° fideles semper obvios non habuisse apostolos, quos consulerent. 2° E vivis excesserant Apostoli, ne Joanne quidem excepto, cùm hæc Dionysius scriberet. In hoc enim opere, cap. 2 et 3, citat testimonia ex Joannis Evangelio, quod anno circiter 100 editum est; Joannes autem obiit anno 101. 3° Plerique, etiam Asiatici, ipso etiam Joanne adhuc vivente, annos mille, quorum ille meminit in Apocalypsi, diversimodè interpretati sunt. Quidni de divinâ Matthiæ sorte, viventibus adhuc apostolis, idem fieri potuit? 4° Vel ipsis primis Ecclesiæ temporibus diversi diversa senserunt de tempore passionis Christi. Ignatius putat eum anno ætatis suæ 34 passum esse; unde sequitur eum mortuum fuisse anno Tiberii 18; Tertullianus, Julius Africanus, et Clemens Alexandrinus, anno ætatis suæ quasi trigesimo, Tiberii verò 15; Irenæus ætatis suæ 50, subjicitque lib. 2, cap. 39, se id accepisse ab Asiæ senioribus, qui non solùm viderant Joannem, sed et alios apostolos, à quibus id audierant, etc. Quidni diversa sentiri potuerunt de sorte quæ super Matthiam cecidit?

14° Auctor ille citat Apocalypsim, ut librum canonicum; quem tamen S. Hieronymus in epist. 129, ad Dardanum, testatur Græcos inter Scripturas canonicas non admittere. Ita Morinus, cap. 5, n. 9. Verùm non modò è Latinis Tertullianus, vir apostolicorum temporum, sed etiam ex Græcis Apocalypsim ut librum canonicum receperunt, Justinus Martyr, in Dialogo cum Triphone; Theophylus Antiochenus, ex Eusebio, lib. 4 Hist., cap. 23; Melito Sardensis, ex Eusebio ibidem, cap. 25; Irenæus, lib. 4, cap. 37 et 50, lib. 5, cap. 28 et 34; Clemens Alexandrinus in Pedagogo; Hippolytus Martyr, lib. de Consummatione mundi; Origenes, homil. 7 in Josue, etc.

15° Auctor ille frequens laudat Hierotheum, tanquàm apostolorum discipulum, suumque præceptorem, ac virum doctrinâ et pietate insignem, qui admirabiles theologiæ libros composuit, quos S. Timotheus non capiebat, et ipse Dionysius vix caperet; de quo tamen et ejus libris apud auctores ecclesiasticos nulla mentio, nulla umbra, nulla suspicio. Præterea stylus magistri simillimus est stylo discipuli, ut ex pauculis, quæ Dionysius refert, colligitur. Ovum ovo, lac lacti vix similius, ita ut ambo videantur in eodem ludo instituti. Ita Morinus, cap. 6, n. 10. Verùm 1° et Hierotheum apostolorum discipulum et alios innumerabiles primis scriptoribus ignitos, sicut et Hierothei scripta iisdem ignorata esse mirum non est. Certè paucos apostolorum discipulos memorant scriptores, eos scilicet qui vel ecclesiis præfecti sunt, vel scriptis, aut martyrio, aut aliis præclaris facinoribus, commendabiles præ cæteris fuerunt; nec quisquam sibi in animum inducat non alios fuisse apostolorum discipulos quàm qui à scriptoribus memorantur. 2° Certum est à primis scriptoribus quædam tantùm scripta, aliaque ab aliis memorari, quorumdam tantùm memoriam viguisse, aliorum lacinias quasdam apud ipsos exstitisse. Nil ergo mirum si Hierothei scripta, fortassè satis obscura, ignorata fuerint 3° Scripta quidem illa magnifacit Dionysius, vir mysticis immersus, aitque ea à Timotheo et à se vix intellecta; quod cur verum esse non possit non intelligo. Denique stylus Hierotheo et Dionysio communis discipulum in magistro imitando fidelem arguit.

16° Auctor ille, in epistolâ 7 ad Polycarpum, refert solis eclipsim, quæ tempore passionis Christi evenit, contigisse ex occursu et interpositione lunæ; quod in pleni-lunio fieri non potuit. Accedit quòd Tertullianus et Origenes in eâ fuerunt sententiâ, ut tenebræ tantùm fuerint miraculo quodam Ægyptiarum tenebrarum simili per terram obductæ. Sed Maximus, in Scholiis ad præfatam Epistolam, respondet hanc eclipsim per lunæ occursum factam fuisse; idque probat Phlegontis auctoritate, *dicentis, eam more solito accidisse, quamvis modum ejus non expresserit.* Quomodò verò hæc eclipsis, quæ mirabilis et prodigiosa fuit, quamvis in pleni-lunio, per lunæ tamen occursum contigerit, luna scilicet à parte solis orientali ad occidentalem currente, et ab occidentali ad orientalem recurrente, explicat ipse Dionysius, tum in Epistolâ citatâ, tum in Epistolâ ad Apollophanem; exponit Maximus loco citato; et proposito systemate Halloixius ad oculum demonstrat in Vitâ Dionysii.

17° Auctor ille, lib. de eccles. Hierarch., cap. 1, sub initium, prohibet Timotheo, uti non omnibus revelet sua scripta; et sub finem capitis 2 cavet ne Baptismi cæremoniæ profanis manifestentur. Hæc igitur scripta primis seculis composita non sunt, *cùm primi seculi christiani sua lubentes mysteria, ut vel ex Justino constat, enuntiarent.* Verba sunt Albaspinæi, lib. 2 Observ., obs. 15, post medium, eodem ratiocinio concludentis, Constitutiones Apostolicas primis seculis factas non esse. Verùm 1° Dionysius loquitur de mysteriis, seu, ut ipse ait, de *Sanctis sanctorum*, non autem de suis scriptis; 2° loquitur de *profanis*, non autem de christianis; *nec enim*, inquit Maximus in Scholiis ad caput 1, *oportet sancta profanis explicare, margaritas suibus projicere.* Quòd autem mysteria non modò profanis, sed et catechumenis ipsis revelari non debeant, ita sensit ab omni ævo Ecclesia. Ambrosius, lib. de his qui initiantur, cap. 1 : *Sacramentorum rationem ante Baptismum si putâssemus insinuandam nondùm initiatis, prodidisse potiùs quàm edidisse æstimaremur.* Cyrillus Hierosolymitanus, in Proœmio : *Catecheses istas eorum qui illuminantur* (hoc est, baptizantur) *nullo modo communices cum catechumenis, neque cum ullis aliis nondùm christianis. Nam alioqui rationem Domino reddes.* Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 27, Baptismi cæremonias, *ut abrenuntiare Satanæ et angelis ejus*, et alias id genus, solis christianis evulgandas asserit; mysteria verò *purioribus*, non autem omnibus explicanda esse, probat exemplo Moysis, qui *prima atria purioribus permisit;* Apostolo-

rum et Patrum, *qui certos ecclesiarum ritus ab initio præscripserunt, ut occultatione et silentio suam mysteriis dignitatem servarent; neque enim omninò mysterium est id quod in populi et vulgi aures effertur;* et ipsius Dei, qui Scripturæ sacræ obscuritatem indidit, ut *sententiam dogmatum intellectu difficilem redderet.* Origenes, homiliâ 1 in Ezechielem, ait *de Deo etiam vera dicere, periculum esse, cùm ea, quæ vera sunt, non opportunè proferuntur.* Quod ille explicat exemplo margaritæ quæ concultatur. Clemens Alexandrinus, lib. 1 Stromaton, ait se obscurè scribere, ut semina veræ philosophiæ, hoc est, christianæ doctrinæ, artificiosè celet. Denique vel ipsi septuaginta Interpretes in vertendis ex Hebræo prophetis obscuritatem affectârunt, *noluerunteque*, inquit Hieronymus in epist. 117, *fidei suæ Sacramentà perspicuè ethnicis prodere, ne sanctum canibus et margaritas porcis darent.*

Sunt et aliæ quædam objectiones, ut quòd hæc scripta hominis videantur, qui in otio et pace senuerit; quòd nullum in illis vestigium appareat persecutionum, quibus Ecclesia primo seculo versabatur; quòd sacrorum rituum pompa et apparatus, templorumque majestas et magnificentia, sicut ab eo describuntur, nascenti Ecclesiæ et sacerdotibus tyrannorum metu clàm celebrantibus non conveniant; quòd auctor ille nec Barnabæ, nec Clementis laudet Epistolas, quæ tamen ab antiquis sæpè citantur; et alia ejusdem generis, quæ in criticis passim occurrunt. Verùm hæc facilè dilui possunt: 1° Si auctor ille larvatam personam induit, ut hæc scripta sub Dionysii Areopagitæ nomine supponeret, eamque ob rem Opuscula et Epistolas finxerit ad Timotheum, Titum, Polycarpum, etc., quid impediebat quominùs ille persecutionum meminisset? an erat ita stupidus, ut nesciret Ecclesiam primis seculis persecutionibus vexatam fuisse? 2° institutum ejus eò minimè conducebat, ut de persecutionibus ageret; 3° sua ille Opuscula (Joannis enim Apocalypsim et Evangelium frequenter laudat) probabiliter scripsit sub initium imperii Trajani, ineunte seculo II, quo tempore Ecclesia pace fruebatur. Excitata enim sub Domitiano persecutio desiit imperante Nervâ, cui Trajanus successit. Eusebius verò non nisi anno decimo Trajani renovatam in christianos persecutionem affirmat; 4° Ecclesiam hisce temporibus floruisse ostendit Baronius, ad annum 100, n. 2; 5° nulla (quantùm memini) in his Opusculis templorum majestas et magnificentia describitur; 6° Christiani, furente licèt persecutione, ecclesias habebant, in quibus religionem profiterentur (videsis Baronium, ad annum 57, n. 98, 99, 100, 101, 102, 103, 104, 105, 123, et ad annum 211, n. 5, 6 et 7); 7° Baptismi cæremoniæ, quæ à Dionysio describuntur, eædem seu à Tertulliano seu ab aliis ejusdem ævi Patribus referuntur, eorumque ætate observabantur, quamvis Ecclesia persecutionibus tunc agitaretur. 8° Plures sunt Epistolæ, pluresque libri Scripturæ sacræ, quorum Dionysius in suis scriptis non meminit; quantò minùs eum meminisse oportuit Epistolarum Barnabæ vel Clementis; nec enim ille in suis scriptis quæcumque opuscula citare potuit aut debuit.

Hactenùs de scriptis Dionysii. Per me cuicumque licebit, cui maluerit parti adhærere. Qui enim auctorem illum apostolico seculo vixisse contendunt, proposito nostro magis favent; qui posterioris ævi fuisse volunt, fateri tamen debent eum circa initium seculi V vixisse, quod ad conciliandam Dionysii scriptis venerationem et auctoritatem sufficit. Nemo enim diffiteri potest anno 500, aut pauculis post annis, Dionysii opera è tenebris in lucem emissa fuisse. Deinde certum est ea tum primùm composita non fuisse, sed tempus adnotatum aliquot annis præcessisse. Præterea cùm propter sententias quasdam ambiguas Eutychiani ea Catholicis opposuerint, certum quoque videtur, ante Euchetis condemnationem, quæ in synodo Chalcedonensi, anno 451, contigit, eorum auctorem vixisse. Doctores enim liberiùs et minùs cautè ante natam hæresim aliquam scribere solent.

§ 3. Liber quæstionum et responsionum ad orthodoxos.

Exstat hic liber inter Justini opera, eique à nonnullis perperàm tribuitur, quâ de re disseruimus parte 1, q. 1, art. 2, sect. 2, cap. 1, § 2. Floruit auctor hujus operis seculo IV; asseverat enim paganismum ætate suâ omninò aut ferè exstinctum esse. Ille verò, quæst. 137, sic habet: *Primùm oleo ungimur, ac deinde in sacro lavacro symbolis quæ dicta sunt peractis, post illa unguento consignamur.*

§ 4. Libri sex de sacramentis, qui exstant inter Ambrosii opera.

Pro asserendâ Catholicorum doctrinâ tres loci habentur in libris sex de Sacramentis, videlicet libro 2, cap. 7, in fine: *Ergo mersisti, venisti ad sacerdotem; quid tibi dixit?* « *Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te* « *regeneravit ex aquâ et Spiritu sancto, concessitque tibi* « *peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.* » *Vide ubi unctus es;* IN VITAM, *inquit,* ÆTERNAM. *Noli hanc vitam illi vitæ anteferre; verbi gratiâ, si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem ut prævaricetur quisquam, vide quid eligas; noli eligere illud in quo non es unctus; sed elige in quo unctus es, ut vitam æternam vitæ præferas temporali.* Loquitur ille de unctione verticis. Postquàm verò dixit de baptismo et unctione, quæ in eo fit, *sequitur*, inquit, lib. 3, c. 2, *spiritale signaculum, quod audistis hodiè legi, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritûs sancti timoris. Istæ sunt septem virtutes, quibus consignaris.* Deinde allegato S. Pauli dicto 1 Cor. 12, multiformem esse Dei sapientiam ad communionem ex more illius temporis, quo continuatâ actione Baptismus, Confirmatio et Eucharistia baptizandis tradebantur, lib. 4, c. 1: « *Vos autem genus electum, regale* « *sacerdotium, gens sancta,* » *ut ait apostolus Petrus. Unusquisque ungitur in sacerdotium, ungitur in regnum. Sed spiritale regnum est, et sacerdotium spiritale.*

Antonius de Dominis, lib. 5, c. 5, n. 19, respondet Ambrosium loqui de Confirmatione, tanquàm de ultimâ Baptismi cæremoniâ, ejusque perfectione ac consummatione, tum quia lib. 3, cap. 2, eam vocat Baptismi perfectionem : *Superest*, inquit, *ut perfectio fiat;* tum quia post eam, lib. 3, cap. 2, initio explicatam pergit ipsum Baptismum considerare, lib. 4, cap. 1 et 2. Refellitur : Ambrosius enim de Confirmatione loquitur, tanquàm de Sacramento à Baptismate distincto; eamque eodem modo distinguit, quo Eucharistiam; siquidem post Baptismum expositum subjicit lib. 3, cap. 2 : *Sequitur spiritale signaculum*, etc. Sicut post expositam Confirmationem in eodem capite subjicit : *Post hæc quid sequitur? venire habes ad altare*, etc. Quemadmodùm igitur inde sequitur Eucharistiam ab utroque Baptismi et Confirmationis Sacramento, ita et Confirmationem à Baptismo diversam esse.

Dices : Ambrosius Confirmationem vocat perfectionem Baptismi. Ea igitur ad Baptismum pertinet. — Respondetur : 1° Eucharistia est perfectio cæterorum Sacramentorum; ideòne ad cætera Sacramenta pertinet? 2° Finis est perfectio mediorum; ideòne pertinet ad media? 3° Confirmatio eodem modo dicitur Baptismi perfectio, quo ætas adulta dicitur perfectio infantiæ; ætas verò adulta ad infantiam non pertinet.

Dices iterùm : Ambrosius, post expositam Confirmationem, pergit ipsum Baptismum considerare. Igitur Confirmatio ad Baptismum pertinet. — Respondetur : 1° Ambrosius post ipsam Confirmationem, lib. 3, cap. 2, expositam, pergit ibidem ad Eucharistiam : ideòne Eucharistia ad Confirmationem pertinet? 2° Ambrosius post Eucharistiam, lib. 3, cap. 2, expositam, considerat iterùm Baptisma, lib. 4, cap. 1 et 2; ideòne Eucharistia ad Baptismum attinet? 3° Ambrosius in his sex libris tractatum de Baptismo, Confirmatione et Eucharistiâ sæpè resumit. Illi siquidem libri nihil aliud sunt quàm sex conciones, quas Ambrosius sex diebus distinctis habuit. Libro 1 agit tantùm de Baptismo. Lib. 2, cap. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, agit iterùm de Baptismo, et sub finem capitis 7 disserit de Confirmatione. Libro 3, cap. 1, rursùs agit de Baptismo; postea de Confirmatione, cap. 2, ac tandem in eodem capite 2 de Eucharistiâ. Libro 4, cap. 1, iterùm agit de Baptismo, deinde de Confirmatione sub finem ejusdem capitis primi. Denique de Eucharistiâ, capite 2, 3, 4, 5 et 6. Libro 5, capite 1, 2 et 3 agit de Eucharistiâ et cap. 4, de Oratione Dominicâ. Libro 6 agit capite 1 de transsubstantiatione; ostendit capite 2 quòd Trinitas sit in omnibus Sacramentis, quæ neophyti perceperunt, tum quia Baptismus confertur in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; tum quia Deus Pater apparet in vocatione, per quam neophytum vocavit ad Baptisma; Christus apparet in ipso Baptismo, per quem Christo crucifixus est; et Spiritus sanctus in unctione, per quam *accepit spiritale signaculum*. Denique capite 3, 4 et 5, agit de oratione, loco et modo orandi. Ex his apparet quòd Ambrosius in his libris permisceat tractatum de Baptismo, Confirmatione et Eucharistiâ, eumque sæpè resumat.

Dallæus ad aliam solutionem confugit. Contendit enim hos sex libros adulterinos esse.

Utrùm libri sex de SACRAMENTIS *sint Ambrosii.*

Negant Blondellus, Falcarius, Rivetus, Albertinus, Dallæus, aliique Calvinistæ, paucis exceptis, quos inter Gerardus Joannes Vossius. Affirmant Baronius Bellarminus aliique Catholici, paucis exceptis, quos inter Joannes Bona cardinalis, lib. 1 Rerum liturgic., cap. 7, n. 4, ubi sic habet : *Hæc Ambrosius, si tamen ipse horum librorum, qui* DE SACRAMENTIS *inscribuntur, auctor est... De his fecit 1° ut dubitarem styli diversitas; cùm enim opera Ambrosii ante aliquot annos haud perfunctoriè percurrerem, cùm ad hoc perveni, visus sum mihi alterius linguæ hominem ab Ambrosio prorsùs diversum loquentem audire. Tum animadverti loca Scripturæ in his citata non esse ejus versionis, quâ in aliis libris Ambrosius uti consuevit. Quædam etiam in his reperi, quæ seculo Ambrosii minùs convenire visa sunt. Nihilominùs à scriptoribus octavi et noni seculi laudantur sæpiùs tanquàm Ambrosii legitimus fœtus.* Hæc eminentissimus cardinalis, cui Bellarminum opponimus lib. 2 de Eucharistiâ, c. 14: *Libros*, inquit, DE SACRAMENTIS *ejusdem auctoris esse, cujus est liber* DE MYSTERIIS INITIANDIS, *res ipsa per se clamat, tanta est styli et sententiarum similitudo*. Momenta igitur, quibus innititur Bona, expondamus.

Utrùm stylus, ordo, etc., *librorum sex* DE SACRAMENTIS *ab Ambrosiano differat.*

Auctorem librorum sex *de Sacramentis*, eorumque stylum, ordinem, materiam, sententias, cogitationes, etc., eadem esse, quæ libri de iis qui initiantur, mihi apparuit utrumque opus inter se conferenti.

Utrumque opus Ambrosius pronuntiavit coram neophytis, et eamdem utrobique rationem affert, cur sibi non licuerit hæc *nondùm initiatis explicare;* de Initiandis, cap. 1, et lib. 1 Sacram., cap. 1.

Phrases utrobique similes. *Bonum odorem vitæ æternæ inhalatum carpite*, de Init., cap. 1. *Bonum odorem accipe pietatis æternæ*, etc., lib. 1, cap. 1. *Apertionis celebrantes mysterium;* de Init., cap. 1. *Mysteria celebrata sunt apertionis;* lib. 1, cap. 1. Surdus et mutus, de quo Marcus, capite 7, utrobique proponitur, de Init., cap. 1, et lib. 1, cap. 1. Utrobique quæritur cur Christus tetigerit os et aures; cur verò in Baptismo sacerdos tangat aures et nares, non autem os; et eadem utrobique ratio affertur.

Item caput 2 libri de Initiandis respondet capiti 2 libri 1 de Sacramentis. *Ingressus es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis; recognosce quid responderis*, de Init., cap. 2. *Venimus ad fontem, ingressus es, considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter*, lib. 1, cap. 2. Deinde abrenuntiationes utrobique proponit; utrobique meminit promissionis Deo factæ, et phrasi ferè simili utitur. *Tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium :... præsentibus angelis locutus es.* Moxque asserit angelos illos esse sacerdotes, qui et dicuntur angeli, Malach. 2 :

Labia sacerdotis, etc., et reverà sunt, siquidem *angelus est, qui regnum Christi et vitam æternam annuntiat*, de Init., cap. 2. *Chirographum tenetur non in terrâ, sed in cœlo... ; hìc et angeli constituti sunt.* Statimque ait angelos illos esse sacerdotes, qui et reipsà sunt angeli, *quia et homines angeli quicumque annuntiant Christum, et in angelorum adsciti videntur locum:* et angeli dicuntur apud Malachiam, capite 2: *Labia sacerdotis*, etc., lib. 1, cap. 2. Utrobique catechumenus quasi athleta describitur. *Ingressus es regenerationis sacrarium : vidisti illìc levitam, vidisti sacerdotes, vidisti summum sacerdotem*, de Init., cap. 2. *Venisti ad fontem, descendisti in eum, attendisti summum sacerdotem, levitas et presbyterum vidisti*, lib. 2, cap. 6. *Quid vidisti? aquas utique, sed non solas ; levitas ministrantes, summum sacerdotem interrogantem et consecrantem.* Statimque neophytum monet, *Non ea contemplanda quæ videntur, sed quæ non videntur ; quoniam quæ videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna ;* de Init., cap. 3. *Vidisti fontem, vidisti et sacerdotem supra fontem, ingressus es, vidisti aquam, vidisti sacerdotem, vidisti levitam :... vidisti quæ videre potuisti oculis tui corporis, et humanis conspectibus ; non vidisti illa quæ operantur, quia non videntur. Illa multò majora sunt quæ non videntur quàm quæ videntur ; quoniam quæ videntur, temporalia sunt ; quæ non videntur, æterna*, lib. 1, cap. 3.

Baptismi figuræ, quæ lib. de Init., cap. 3 et 4, recensentur, videlicet Spiritus Domini qui super aquas ferebatur, diluvium, transitûs maris Rubri, nubes sub quâ fuerunt Ægytii, fons Marath ; Naaman, piscina ; eædem referuntur lib. 1 de Sacram., cap. 3, 4, 5, et 6, lib. 2, cap. 2, 3, et 4. Figuram diluvii accuratè explicat de Init., cap. 3; perstringit verò, ut qui orationem finiret, lib. 1, cap. 6. De transitu maris Rubri, et de nube sic habet lib. de Init., cap. 3: *Tertium quoque testimonium est, sicut te Apostolus docuit, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari.* Et lib. 1, cap. 6 : *In mari autem rubro figuram istius baptismatis exstitisse ait Apostolus, dicens, quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube et in mari.* Fontis Marath meminit, de Init., cap. 3, et lib. 2, cap. 4. Utrobique ait quòd aqua baptismalis, quæ priùs amara erat, *Cùm salutaris fuerit crucis mysterio consecrata,... fit dulcis ad gratiam*, de Init., cap. 3; seu : *Ubi crucem Christi acceperit, incipit esse dulcis et suavis;* lib. 2, c. 4. De sanatione lepræ Naaman disserit de Init., cap. 3, et lib. 1, cap. 3 et 5, et lib. 2, cap. 3. Utrobique verò hanc figuram eodem modo narrat, utrobique comparationem eodem sensu instituit, utrobique puellam captivam, quæ Naaman suasit ut Elizæum adiret, ait figuram fuisse Ecclesiæ Christi, quæ sub captivitate peccati depressa erat, quæque comparare ad synagogam *junior* est *ex gentibus congregatio.* Disserit etiam de piscinâ, de Init., cap. 4, et lib. 2, cap. 2.

Eædem ferè phrases, idem loquendi modus : *Ascendisti ad sacerdotem ; considera quid secutum sit*, de Init., cap. 6, *Ascendisti de fonte ; quid secutum est?* lib. 3, cap. 1.

Lotionis pedum, quæ Baptismum subsequebatur, utrobique meminit, eamque eodem ferè modo describit. *Ascendisti de fonte, momento evangelicæ lectionis. Etenim Dominus noster Jesus lavit pedes discipulis suis*, etc., de Init., cap. 6. *Ascendisti de fonte ; audisti lectionem,... audisti quia Dominus cùm lavisset discipulis suis pedes*, etc., lib. 3, cap. 1 ; item utrobique ait pedes lavari ob hæreditariam culpam.

Signaculi spiritalis, infusionis Spiritûs sancti, ejusdem lectionis Paulinæ, et ejusdem textûs Isaiæ, eodem ferè modo, iisdemque ferè verbis utrobique meminit. *Accepisti signaculum spiritale, Spiritum sapientiæ et intellectûs, Spiritum consilii atque virtutis, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum sancti timoris; sicut apostolicâ lectione didicisti*, de Init., c. 7., in fine. *Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodiè legi, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris*, lib. 3, cap. 2, initio. Cap. 7, de Init., filios Hierusalem sic inducit admirantes pulchritudinem animæ in lavacro purgatæ : *Quæ est hæc, quæ ascendit dealbata?* et lib. 4, 2, angelos eamdem pulchritudinem admirantes sic inducit : *Quæ est hæc, quæ ascendit dealbata?* Modum quo neophyti ad altare accedebant, Eucharistiam accepturi, ita describit cap. 8 de Init., initio. *His abluta plebs dives insignibus* (nempe donis Spiritûs sancti in Confirmatione) *ad Christi contendit altaria, dicens : « Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. » Depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventutem, cœleste illud festinat adire convivium.* Et lib. 4, cap. 2 : *Veniebas desiderans ad altare, quo acciperes sacramentum, dicente animâ tuâ : « Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. » Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiæ juventutem. Denique iterùm audi dicentem David : « Renovabitur sicut aquilæ juventus tua. »*

Descripto modo quo neophyti ad altare accedunt, occurrit dubitationi et objectioni, quæ à neophytis fieri poterat. Cùm enim Eucharistiæ communicantes, non nisi signa panis et vini sensibilia percepissent, ea poterant, vel despicatui habere, vel existimare Sacramenta Mosaica nostris majora fuisse. *Nunc illud*, inquit, *consideremus, ne quis visibilia videns (quoniam quæ sunt invisibilia, non videntur, nec possunt humanis oculis comprehendi) dicat fortè : Judæis Deus manna pluit, pluit coturnices ; Ecclesiæ autem illi dilectæ hæc sunt quæ præparavit?* huic, inquam, objectioni occurrit, ostendens sacramenta novæ legis præstare Mosaicis, *quòd et antiquiora sunt Sacramenta Ecclesiæ, quàm Synagogæ, et præstantiora quàm manna est.* Ita ille disserit cap. 8 de Init. Eodem modo ratiocinatur lib. 4 de Sacram. Describit ille, cap. 2, præfatum modum quo neophyti ad altare accedebant ; deinde, cap. 3, proponit præfatam

dubitationem seu objectionem, quæ à neophytis fieri poterat. *Venisti ad altare, vidisti sacramenta posita super altare*, etc.; *fortè aliquis dixerit : Judæis Deus tantam gratiam præstitit, manna illis pluit è cœlo. Quid plus dedit fidelibus suis? quid plus tribuit iis quibus plus promisit?* cui objectioni satisfacit, probans *anteriora esse mysteria Christianorum quàm Judæorum, et diviniora esse Sacramenta Christianorum quàm Judæorum.*

Cæterùm Sacramenta novæ legis (quo nomine intelliget mysteria corporis et sanguinis Christi) anteriora et præstantiora esse probat iisdem argumentis in utroque tractatu.

Anteriora quidem esse ostendit, de Init., cap. 8, et lib. 4, cap. 3, quia significata fuêre per sacrificium Melchisedechis, qui Moysen, adeòque Sacramenta Mosaica tempore præcessit. Deinde subjicit dignitatem Melchisedechis super Abraham, *qui protulit ea quæ Abraham veneratus accepit;* et expendit quis et qualis fuerit Melchisedech, qui Christum repræsentabat. Melchisedech enim inducitur sine patre et sine matre; neque initium dierum, neque finem habens; et in interpretatione Latinâ dicitur rex justitiæ, et rex pacis; quæ quidem omnia Christo potiùs quàm Melchisedechi convenire asserit.

Præstantiora verò esse Sacramenta novæ legis probat, quia continent ipsum Christi corpus et sanguinem, quæ diviniora sunt quàm manna. Quòd autem per consecrationem panis et vinum in corpus et sanguinem Christi mutata fuerint, explicat ille et ostendit exemplo virgæ Moysis, quæ in serpentem primùm, deinde ex serpente in virgam reversa, bis naturam mutavit; divisionis aquarum maris Rubri, quæ contra naturam divisæ, in murorum speciem congelatæ sunt; fontis Marath, cujus amaritudo in dulcedinem conversa est; ferri quod Elizæi jussu præter naturam super aquas enatavit; creationis, quâ creaturæ ex nihilo factæ sunt; et Incarnationis Christi, quem præter naturæ ordinem Virgo generavit. Ita ille disserit, cap. 9 de Init.; idem præstat, lib. 4 de Sacram., cap. 4, cum eo solùm discrimine, quòd loco posteriori ordinem invertat; incipit enim exemplo à mundi creatione petito; deinde affert exempla Incarnationis, divisionis maris Rubri, fontis Marath, et ferri super aquas natantis.

Argumentum verò à mundi creatione petitum ita proponit libro de Init., et repetit libro 4 de Sacram., ut inde appareat eamdem esse mentem, quæ utrumque concepit. *De totius mundi operibus legisti, quia « ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata « sunt. » Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant! non enim minus est novas rebus dare quàm mutare naturas.* De Init., cap. 9 : *Jussit Dominus, et factum est cœlum; jussit Dominus, et facta est terra*, etc. *Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut incipcrent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur! Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem : « Ipse dixit, et facta sunt; ipse man- « davit, et creata sunt. » Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quòd jam corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est; ipse mandavit et creatum est.*

Capite 8 de Init., integrum refert psalmum 22, quem de Eucharistia interpretatur. Idem præstat lib. 5 de Sacram., cap. 3, et eâdem utrobique versione utitur, quæ tamen à Vulgatâ nostrâ differt.

Cap. 9 de Init.: *Ante benedictionem verborum cœlestium species* (Algerus, lib. 1 de Sacram., c. 9, legit *alia* species) *nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur;... et tu dicis : Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo senat, affectus sentiat.* Eadem omninò mens, eademque ferè verba, lib. 4 de Sacram., cap. 5 : *Antequàm consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi....; et tu dicis : Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.*

Ex his apparet libro de Initiandis conformes esse priores quatuor libros de Sacramentis; eadem est materia in his duobus tractatibus, idem ferè ordo, eadem ferè argumenta, eædem ferè cogitationes, eadem vulgata editio, idem, ni fallor, stylus, et plures phrases ferè similes. Utrumque igitur opus ab eodem calamo fluxerit necesse est.

Utrùm editio quæ in sex libris DE SACRAMENTIS *citatur, alia fuerit ab eâ quâ utitur Ambrosius in aliis operibus.*

Affirmant Rivetus, Falcarius, Blondellus, aliique Calvinistæ; quin etiam cardinalis Bona et nonnulli Catholici, qui inde concludunt opus illud non esse Ambrosianum. Ego contra eamdem editionem conjicio ex plurimis textibus, quos idcircò inter se et cum Vulgatâ nostrâ conferam.

2 Ad Cor. 2, v. 15 : *Christi bonus odor sumus Deo;* lib. 1 de Sacram., cap. 1 : *Christi bonus odor sumus Deo;* lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 8 : *Christi bonus odor sumus Deo :* Vulgata nostra.

Lucæ 17, v. 37 : *Ubi corpus, ibi et aquilæ;* lib. 1, cap. 2 : *Ubi corpus, illic aquilæ;* lib. de Fide resurrect. : *Ubicumque fuerit corpus, illùc congregabuntur et aquilæ :* Vulgata nostra.

Matth. 11, v. 10 : *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, et parabit viam tuam ante te;* lib. 1, cap. 2. Idem habetur sermone 2 de Joanne Baptistâ : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te :* Vulgata nostra.

Malach. 2, v. 7 : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore ipsius; angelus est enim Domini omnipotentis;* lib. 1, cap. 2. Idem lib. de Init., cap. 2 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est :* Vulgata nostra.

Matth. 3, v. 15 : *Ego à te debeo baptizari, et tu venis ad me! Respondit illi Christus : Sine modò; sic enim decet nos implere omnem justitiam;* lib. 1, cap. 5 •

Ego à te debeo baptizari, et tu venis ad me? Sine, inquit, modò, hoc est, dùm Ecclesia ædificetur, decet nos implere omnem justitiam; lib. 2 in Lucam : *Sine modò; sic enim decet nos implere omnem justitiam;* Dominicâ sextâ post Pentecostem, et in Concione de Obitu Theodosii. Idem Vulgata nostra. Hunc tamen textum Ambrosius (quod et in aliis textibus frequens ipsi contingit (ita contrahit Commentariis in psalmum 118. *Sine nos implere omnem justitiam.*

1 Ad Cor. 10, v. 11 : *Hæc autem omnia in figurâ facta sunt illis;* lib. 1, cap. 6. Idem, Apologiâ primâ Davidis, cap. 3 : *Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis :* Vulgata nostra.

saiæ 19, v. 20 : *Et mittet Dominus hominem, qui salvos faciat eos;* lib. 1, cap. 2 : *Et mittet Dominus hominem, qui salvabit eos;* in psalmum 48 : *Et mittet salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos :* Vulgata nostra.

Act. 2, v. 2 : *Subitò factus est magnus sonus, quasi vi magnâ Spiritûs ferretur;* lib. 2, cap. 5 : *Factus est subitò sonus de cœlo tanquàm vi magnâ ferretur Spiritus;* lib. 1 in Lucam, cap. 1 : *Factus est subitò de cœlo sonus, tanquàm vi magnâ Spiritus ferretur;* lib. 2 de Spiritu sancto, cap. 2 : *Factus est repentè de cœlo sonus tanquàm advenientis Spiritûs vehementis;* Vulgata nostra.

Genes. 3, v. 19 : *Terra es, et in terram ibis;* lib. 2, cap. 6, et in libro de Instit. virg., cap. 4; idem bis habetur Commentariis in Psalmum. 118 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris :* Vulgata nostra.

Act. 13 : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te;* lib. 3, cap. 1. Idem, lib. 5 de Fide, cap. 1. Idem Vulgata nostra.

Joannis 13, v. 8 : *Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem;* lib. 3, cap. 1. Idem in Psalmum 48 : *Si non lavero te, non habebis partem mecum :* Vulgata nostra.

Isaiæ 11, v. 2 : *Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris;* lib. 3, cap. 2. Idem lib. de Init., cap. 7, et in Psalmum 118. *Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, Spiritus timoris Domini :* Vulgata nostra.

Canticorum 8, v. 5 : *Quæ est hæc, quæ ascendit dealbata?* lib. 4, cap. 2 : *Quæ est hæc, quæ ascendit dealbata?* De Init., cap. 7, in Psal. 41, et in Psalm. 118, oct. 16 et 19 : *Quæ est hæc, quæ ascendit candida?* in Psalmum 118, octon. 14, et lib. de Isaac, cap. 8 : *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens?* Vulgata nostra.

Psalmo 50, v. 8 : *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor;* lib. 4, cap. 2. Idem de Init., cap. 7. Idem Vulgata nostra.

Psalmo 42, v. 4 : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam;* lib. 4, cap. 2. Idem in Psalmum 42. Idem Vulgata nostra.

Psalmo 182, v. 5 : *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua;* lib. 4, cap. 2. Idem lib. 6 Hexaemeron, cap. 9, lib. de Isaac, cap. 4, lib. 2 de Pœnit., cap. 2 : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua :* Vulgata nostra.

Joannis 14, v. 27 : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis;* lib. 4, cap. 3. Idem in psalmum 118, octon. 17 : *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis;* lib. 2 de Jacobo, cap. 6, et lib. de Joseph., cap. 13 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis :* Vulgata nostra.

Ad Hebræos 7, v. 3 : *Sine patre, sine matre, sine generationis ordine;* lib. 4, cap. 3 : *Sine patre, sine matre, sine generationis enumeratione;* lib. 3 Epistolarum, epist. ad Vercellensem Ecclesiam : *Sine patre, sine matre, sine genealogiâ :* Vulgata nostra.

Psalmo 148, v. 5 : *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt;* lib. 4, cap. 4. Idem de Init., cap. 9, et lib. 1 Hexaemeron, cap. 3. Idem Vulgata nostra.

1 Ad Cor. 10, v. 4 : *Bibebant autem de consequenti eos petrâ; petra autem erat Christus;* lib. 5, cap. 1 : *Bibebant autem de consequenti eos petrâ; petra autem erat Christus;* de Init., cap. 9, et in procemio libri 1 de Spiritu sancto : *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petrâ; petra autem erat Christus :* Vulgata nostra.

Cant. 1, v. 1 : *Osculetur me ab osculis oris sui; quia meliora sunt ubera tua super vinum;* lib. 5, cap. 2 : *Osculetur me ab osculis oris sui;* lib. de Isaac, cap. 3 : *Osculetur me ab osculis oris sui, quoniam optima ubera tua super vinum;* in psalmum 118, octon. 1 : *Osculetur me ab osculis oris sui quia bona ubera tua super vinum;* lib. 2 de Virginibus, in fine : *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino :* Vulgata nostra.

Cant. 1, v. 2 : *Unguentum exinanitum est nomen tuum; propterea adolescentulæ dilexerunt te;* lib. 5, cap. 2. Idem de Init., cap. 6, lib. de Eliâ, cap. 10, lib. 6, in caput 7 Lucæ, in fine, lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 7, et de Institutione virginis, cap. 13 : *Unguentum exinanitum est nomen tuum; ideò adolescentulæ dilexerunt te :* lib. 2, de Virginibus in fine : *Oleum effusum nomen tuum; ideò adolescentulæ dilexerunt te :* Vulgata nostra.

Cant. 1, v. 3 : *Introduxit me rex in cubiculum suum;* lib. 5, cap. 2. Idem lib. de Isaac, cap. 3, et in psalmum 118, octon. 1 et 2 : *Induxit me rex in cubiculum suum;* lib. 2 de Virginibus, in fine : *Introduxit me rex in cellaria sua :* Vulgata nostra.

Cant. 5, v. 1 : *Descendat frater meus in hortum suum, et capiat fructum pomiferarum suarum;* lib. 5, cap. 3. Idem lib. de Bono mortis, cap. 5 : *Descendat frater meus in hortum suum, et edat fructum pomiferarum suarum;* lib. de Init., cap. 9, et lib. de Fide resurrect., sub finem : *Descendat frater meus in hortum suum, et manducet fructum pomiferarum suarum;* lib. 3 de Virginibus, post medium : *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum;* Vulgata nostra.

Cant. 5, v. 1 : *Descendi in hortum meum, vindemiavi myrrham cum unguentis meis; manducavi panem meum*

cum melle meo, et bibi vinum meum cum lacte meo. Edite, fratres mei, et inebriamini; lib. 5, cap. 3: *Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa; vindemiavi myrrham cum unguentis meis; manducavi panem meum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo. Edite, proximi mei, et bibite, et inebriamini, fratres mei;* lib. de Init., cap. 9, et lib. de Bono mortis, cap. 5: *Introivi in hortum meum, soror mea sponsa; vindemiavi myrrham meam;* lib. 8 in caput 17 Lucæ: *Vindemiavi myrrham meam cum aromatibus meis; manducavi panem meum cum melle meo;* lib. 3 de Virginibus, inter medium et finem: *Introivi in hortum meum, soror mea sponsa; vindemiavi myrrham cum aromatibus meis; manducavi panem meum cum melle meo; et bibi vinum cum lacte meo. Manducate, et bibite, et inebriamini, fratres mei;* lib. 1 de Abel, cap. 5: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo; bibi vinum cum lacte meo. Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi*: Vulgata nostra.

Psalmo 79, v. 9: *Vineam ex Ægypto transtulisti;* lib. 5, cap. 3. Idem libro 3 Hexaemeron, cap. 12: *Vineam de Ægypto transtulisti:* Vulgata nostra.

Psalmo 22, v. 1: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit.* Idem, lib. de Init., cap. 8, et lib. 2 in caput 2 Lucæ: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit; in loco viridi ibi me collocavit;* enarrat in ps. 36: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit:* Vulg. nostra.

Psalmo 22, v. 2: *Super aquam refectionis educavit me; animam meam convertit;* lib. 5, cap. 3. Idem de Init., cap. 8, et in psalm. 36: Idem Vulg. nostra.

Psalmo 22, v. 4: *Nam etsi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es;* lib. 5, cap. 3; idem de Init., cap. 8: *Nam etsi ambulavero in medio*, etc. Vulgata nostra.

Psalmo 22, v. 5: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt;* lib. 5, cap. 3. Idem de Init., cap. 8. Idem Vulgata nostra.

Psalmo 22, v. 6: *Parâsti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulans me;* lib. 5, cap. 3. Idem lib. de Init., cap. 8, lib. de Eliâ, cap. 10, et in Psal. 35. Idem Vulgata nostra.

Psalmo 22, v. 7: *Impinguâsti in oleo caput meum, et poculum tuum inebrians quàm præclarum est!* lib. 5, cap. 3: *Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est!* in Psal. 118, octon. 21, in Psal. 36, et lib. de Noe, cap. 29: *Impinguâsti in oleo caput meum, et poculum meum inebrians quàm præclarum est!* de Init., cap. 8: *Impinguâsti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quàm præclarus est!* Vulgata nostra.

1 Ad Cor. 12, v. 4: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; divisiones ministeriorum sunt; idem autem Dominus; divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus;* lib. 6, cap. 2: *Divisiones gratiarum sunt, idem tamen Spiritus; et divisiones ministeriorum sunt, idem tamen Dominus; et divisiones operationum sunt, idem tamen Deus, qui operatur omnia in omnibus;* lib. 2 de Spiritu sancto, cap. 12: *Divisiones gratiarum sunt, unus autem Spiritus; et divisiones ministeriorum sunt, unus autem Dominus; et divisiones operationum sunt, unus autem Deus, qui operatur omnia in omnibus;* in Symbolum Apostolorum, cap. 9: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus*, etc.: Vulgata nostra.

Matth. 6, v. 6: *Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum;* lib. 6, cap. 3: *Cùm oras, intra in cubiculum tuum;* in Psal. 118, octon. 2, et lib. de Instit. virginis, cap. 1: *Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum, qui est in abscondito;* in Psal. 40, in fine: *Tu autem cùm orabis, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, Patrem tuum ora in abscondito;* lib. 1 de Abel, cap. 9: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito:* Vulgata nostra.

Isaiæ 26, v. 20: *Ambula, popule meus, intra in recessus tuos*, etc.; lib. 6, cap. 3: *Ambula, populus meus, et intra in recessus tuos*, etc.; lib. de Fide resurrect.: *Vade, populus meus, intra in cubicula tua*, etc.: Vulgata nostra.

Psalmo 8, v. 6: *Minorâsti eum paulò minùs ab angelis;* lib. 6, cap. 5. Idem lib. 2 de fide, cap. 4: *Minuisti eum paulò minùs ab angelis*: Vulgata nostra.

Solvuntur objectiones è diversitate textuum petitæ.

Priusquàm objectiones diluantur, præmitto solemne Ambrosio fuisse, 1° citare Scripturam sacram, non ad litteram, sed ad sensum; 2° in eâ citandâ variare verborum transpositione vel immutatione, eodem tamen sensu retento; 3° Scripturam diverso modo citare, diversoque sensu, etiam in eodem opere; 4° Scripturæ textum contrahere vel amplificare pro libito. Hæc apparent ex pluribus textibus jam citatis, magisque apparebunt expendenti innumeros textus ab Ambrosio citatos in iis operibus quæ ejus esse certissimum est. Infinitum esset, quæcumque afferri possent exempla, hic describere. Nonnulla proferemus ex tribus primis capitibus Geneseos, ut lector inde conjiciat quid sentire debeat de cæteris.

Genes. 1, v. 2: *Spiritus superferebatur super aquam;* lib. 2 de Spiritu sancto, cap. 5: *Spiritus Dei superferebatur super aquas;* lib. 1 Hexaemeron in Vulgatâ capiti primo præfixâ. *Spiritus Dei fovebat aquas;* lib. 1 Hexaemeron, c. 8: *Spiritus Dei ferebatur super aquas:* Vulgata nostra.

Genes. 1, v. 11: *Germinet terra herbam fœni, seminantem semen secundùm genus suum;* lib. 3 Hexaemeron, cap. 6: *Germinet terra herbam fœni, spirans semen secundùm genus;* ibidem cap. 9: *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum*, etc.: Vulgata nostra.

Genes. 1, v. 26: *Scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem ei ad similitudinem nostram: et dominabitur*, inquit, *vel principatum habebit. Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei;* in Psal. 118, octon. 10: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli*, etc. *Et creavit*

Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam; ad imaginem Dei creavit illum : Vulgata nostra.

Genes. 2, v. 7 : *Finxit Deus hominem, pulverem accipiens de terrâ, et insufflavit in faciem ejus spiritum vitæ;* lib. 6 Hexaemeron, in Vulgatâ capiti 8 præfixâ : *Nec otiosè posuit Moyses : Finxit Deus hominem de limo terræ, et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ;* lib. 2, in caput 3 Lucæ, *scriptum est : Accepit Deus pulverem de terrâ, et plasmavit hominem;* in Psal. 118, octon. 10 : *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ :* Vulgata nostra.

Genes. 2, v. 17 : *Ex omni ligno quod est in paradiso ad escam, edes; de ligno autem quod est scientiæ boni et mali, non edetis ex eo;* lib. de Paradiso in Vulgatâ capiti 4 præfixâ : *Ex omni ligno quod est in paradiso ad escam, edes; de illâ verò arbore, quæ est in medio paradisi non manducabitis;* lib. de Arbore interdictâ, cap. 1 : *Ex omni ligno paradisi comedes; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas :* Vulgata nostra.

Genes. 2, v. 17 : *Morte moriemini;* lib. de Paradiso, in Vulgatâ capiti 4 præfixâ; et cap. 9 : *Ne fortè moriamini;* lib. de Arbore interdictâ, cap. 1 : *Morte morieris :* Vulgata nostra.

Genes. 2, v. 18 : *Faciamus ei adjutorem similem sibi;* lib. de Parad., in Vulgatâ capiti 10 præfixâ : *Faciamus ei adjutorium simile sibi;* lib. 1 de Officiis, cap. 28 : *Faciamus ei adjutorium secundùm se;* lib. de Instit. virginis, cap. 3 : *Faciamus ei adjutorium simile sibi :* Vulgata nostra.

Genes. 2, v. 25 : *Et erunt duo in carne unâ; et erant ambo nudi;* lib. de Parad., in Vulgatâ capiti 10 præfixâ : *Duo erunt in carne unâ;* lib. 2, in caput 3 Lucæ : *Dixit Deus : Erunt ambo in unâ carne et in uno spiritu;* lib. 1 de Officiis, cap. 32; quæ postrema verba desunt in omnibus vulgatis, in eâ etiam ipsâ, quam Ambrosius refert et exponit, lib. de Paradiso : *Et erunt duo in carne unâ. Erat autem uterque nudus :* Vulgata nostra.

Genes. 3, v. 13 : *Serpens decepit me, et manducavi;* lib. de Parad., in Vulgatâ capiti 14 præfixâ : *Serpens traduxit me, et manducavi;* lib. de Instit. virginis, cap. 4 : *Serpens decepit me, et comedi :* Vulgata nostra.

Genes. 3, v. 14 : *Supra pectus tuum, et in utero tuo ambulabis;* lib. de Parad., cap. 15, et in Vulgatâ eidem capiti præfixâ : *Super pectus tuum, et ventrem ambulabis;* lib. de Fugâ seculi, cap. 7 : *Supra pectus tuum gradieris :* Vulgata nostra.

Genes. 3, v. 17 : *Quia audisti vocem mulieris tuæ, et maducâsti de ligno paradisi, à quo præceperam tibi ab eo solo non manducare, maledicta terra in operibus tuis. In tristitiâ manducabis eam omnes dies vitæ tuæ; spinas et tribulos germinabit tibi, et manducabit fœnum agri; in sudore vultûs tui manducabis panem tuum, donec revertaris in terram, ex quâ sumptus es;* lib. de Parad., in Vulgatâ capiti 15 præfixâ : *Quoniam audisti vocem uxoris tuæ, et manducâsti de ligno de quo præceperam tibi ab eo solo ne manducares, maledicta terra in operibus tuis; in tristitiâ manducabis fructum ejus omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et edes pabulum agri; cum sudore vultûs tui manducabis panem tuum, donec revertaris in terram de quâ assumptus es;* lib. de Fide resurr., longè post initium : *Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ; spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ; in sudore vultûs tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de quâ sumptus es :* Vulgata nostra.

Genes. 3, v. 19 : *Terra es, et in terram redibis;* lib. de Parad., in Vulgatâ capiti 15 præfixâ : *Terra es, et in terram ibis;* in Psal. 118, octon. 4 et 6 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris :* Vulgata nostra.

Genes. 3, v. 22 : *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, ut sciat bonum et malum;* lib. de Parad., in Vulgatâ capiti 15 præfixâ : *Ecce Adam factus est tanquàm unus nostrùm ad sciendum bonum et malum;* ibidem, cap. 6 : *Ecce Adam factus est tanquàm unus ex nobis, ut sciat bonum et malum;* ibidem cap. 11 : *Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum :* Vulgata nostra.

Hæc pauca sufficient, ut intelligatur quanta fuerit Ambrosii varietas in citandis Scripturis sacris. Sed prætermitti non debet quinta observatio, videlicet quòd Ambrosius usus aliquando fuerit versione Hebraicâ, Syriacâ et Græcâ, ut videre est, lib. 1 Hexaem., cap. 8, in Psal. 1; in Psal. 36, ad hæc verba : *Homines et jumenta;* lib. 5 de Sacr., cap. 2 et 4, et alibi.

His prænotatis, videamus quid in contrarium objici possit ex nonnullis textibus ab Ambrosio citatis, in libris sex de Sacramentis.

Primus textus habetur, lib. 1, cap. 5, ubi refertur sanatio Naamani.

Verùm nullus ibi textus ad litteram citatur, sed ad sensum, quemadmodùm apparebit textus ibi citatos conferenti cum capite 5, libri 4 Regum, ubi historia describitur. Hos siquidem textus Ambrosius alibi non citat.

Secundus habetur lib. 2, cap. 2 : *Angelus secundùm tempus descendebat in piscinam; et quotiescumque descendisset angelus, movebatur aqua; et qui prior descendisset, sanabatur ab omni languore quocumque tenebatur.* Qui textus alibi aliter citatur : *Angelus secundùm tempus descendebat in natatoriam, et movebatur aqua; et qui prior descendisset in natatoriam, sanus fiebat;* lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 7 : *Angelus Domini descendebat secundùm tempus in natatoriam, et movebatur aqua; et qui prior descendisset in natatoriam post commotionem aquæ, sanus fiebat à languore quocumque tenebatur;* lib. de Init., cap. 4. — Respondeo 1° ex his tribus textibus primum esse paraphrasticum; secundum verò contractum; 2° leve discrimen esse : etenim si hæc verba : *Quotiescumque descendisset angelus*, demas, et excipias verbum, *sanabatur*, cujus loco in aliis textibus habetur, *sanus fiebat*, videbis nullum esse discrimen. Nam quoad vocabula *piscinam* et *natatoriam*, Ambrosius utrumque usurpat, lib. de Init., cap. 4.

Tertius habetur, lib. 3, cap. 1 : *Producat terra ex se fructum germinantem. Producant aquæ animantia;*

et nata sunt animantia. Qui locus aliter alibi legitur. — Respondeo textum illum ex pluribus contractum esse; neque ad litteram, sed ad sensum citatum esse ex Geneseos, cap. 1, v. 11 et 12, 20 et 21.

Quartus habetur, lib. 3, cap. 1 : *Qui lavit, non necesse habet iterùm lavare, nisi ut solos pedes lavet.* Aliter lib. de Init., cap. 6 : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* — Respondetur primum textum neque ad sensum, neque ad litteram citari, sed manifestè corruptum esse.

Quintus habetur lib. 5, cap. 4 : *Et ne nos patiaris induci in tentationem.* Aliter lib. 7 in Lucam : *Et ne nos inducas in tentationem.* — Respondetur quòd Ambrosii ætate in codicibus pluribus legebatur : *Et ne patiaris nos induci in tentationem;* eaque verba plures inter orandum usurpabant ex Augustino, lib. de Dono persev., cap. 6.

Sextus habetur lib. 6, cap. 1 : *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternam.* Quæ quidem versio ita specialis est, ut alibi non reperiatur apud Ambrosium. — Respondeo textum esse contractum, et ex tribus versiculis compositum. Ambrosius enim inter citandum sæpè non attendit ad litteram, sed ad sensum, multaque paucis contrahit, quemadmodùm apparet ex ipso textu citato, cujus priora verba habentur Joannis 6, v. 54; sequentia verò, v. 57; postrema denique, v. 55.

Septimus habetur lib. 6, cap. 1 : *Petrus dixit : Verba vitæ æternæ habes, et ego à te quò recedam?* Aliter in psalmum 43 : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* — Respondeo textum priori loco citari ad sensum, non autem ad litteram. Citatur ille tribus in locis, lib. 6 de Sacram., cap. 1, in Psal. 43 et in Psal. 118, octon. 9, in fine; et ubique modo diverso : *Benè ergo,* inquit postremo loco, *et hoc convenit Petro dicenti : Verba vitæ æternæ habes, et nos relinquemus te?* Ex his tribus citationibus secunda est ad litteram, prima verò et ultima sunt duntaxat ad sensum; aliàs inde sequeretur enarrationem in psalmum 118 non esse opus Ambrosii; quod tamen Ambrosianum esse certò certiùs constat.

Octavus habetur lib. 6, cap. 2 : *Pone me ut signaculum in corde tuo, sicut signaculum in brachiis tuis.* Qui textus alibi aliter citatur ab Ambrosio. — Respondeo 1° locum hunc in diversis editionibus diversimodè legi, quod apertè indicat mendum aliquod irrepsisse; 2° textus ille diversimodè citatur ab Ambrosio in Operibus quæ ipsius esse certissimum est : *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum;* lib. de Isaac, cap. 8, et in Psal. 118, octon. 15 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut sigillum super brachium tuum;* in Psal. 118, octon. 19 et 22 : *Pone me ut signaculum in corde tuo; ut signaculum super brachium tuum;* de Init., cap. 7 : *Pone me ut sigillum in cor tuum, et velut signaculum super brachium tuum;* lib. de Virginibus. Quin etiam in eodem opere textum illum diversimodè refert, quemadmodùm apparet ex citatâ enarratione in psalmum 118.

Utrùm in his sex libris Sacramentorum quædam reperiantur, quæ Ambrosii seculo seu ætati minimè conveniant.

Affirmat Joannes Bona cardinalis. Rem gratam nobis fecisset vir eruditissimus indicare, quænam in his sex libris cæremoniæ referantur, quæ Ambrosii seculo minimè conveniant. Quod cùm ille non præstiterit, eam ob rem ritus omnes in hoc opere descriptos percurramus necesse est, eosque vel ab ipso Ambrosio, vel ab aliis Patribus Ambrosio prioribus, aut æqualibus, aut suppariibus relatos ostendamus.

Libro 1, cap. 1, sacerdos initiandis tangebat aures; idem refert Ambrosius, lib. de Init., cap. 1. Aures tangendo, dicebat : *Ephpheta, quod est adaperire;* idem refert Ambrosius, de Init., cap. 1. Hæc cæremonia dicebatur *mysterium apertionis.* Idem habetur de Init., cap. 1. Inter hæc solemnia legebatur evangelium, quo Christus, cùm ei oblatus esset mutus et surdus, aures ejus et os ejus tetigit; idem habetur de Init., cap. 1. Sacerdos initiandis non solùm aures, sed et nares tangebat; idem refertur de Init., cap. 1. Sacerdos aures quidem et nares feminæ, non autem os tangebat, quia tactus oris feminæ nec feminam nec sacerdotem docebat; idem refertur de Init., cap. 1. Initiatis, non autem initiandis explicabantur mysteria; idem refertur de Init., cap. 1.

Libro 1, cap. 2, ungebatur initiandus, *quasi athleta Christi;* idem referunt Patres Ambrosio priores, æquales et suppares. Initiandus abrenuntiabat diabolo, et seculo; idem refert Ambrosius, lib. de Init., cap. 2, et lib. 9, in cap. 19, Lucæ.

Libro 1, cap. 3, sacerdos catechumenum baptizaturus, stabat supra fontem; idem apud Dionysium, de eccles. Hierarch., cap. 2, cujus auctor (quisquis ille fuerit) scripsit ante medium seculum quintum.

Libro 1, cap. 5, mentio fit exorcismi et consecrationis fontis; meminerunt et alii Patres priores, æquales et suppares Ambrosio.

Libro 2, cap. 2, inter Baptismatis solemnia legebatur evangelium, quo angelus in piscinam descendebat, Joan., 5; ejusdem lectionis meminit Ambrosius de Init., cap. 4.

Libro 2, cap. 2, catechumeni lavacrum ingressi, confitentur se credere in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; ejusdem confessionis meminit Ambrosius, de Init., cap. 5, et lib. 8, in cap. 18 Lucæ. Ibidem mentio fit trinæ interrogationis; trinæ quoque interrogationis meminit Ambrosius, lib. de Spiritu sancto, cap. 11. Mentio etiam ibi fit trinæ immersionis; ejusdem immersionis ter repetitæ meminerunt Dionysius Areopagita, lib. de eccles. Hierarch., cap. 2; Tertullianus adversùs Praxeam, cap. 26, et lib. de Coronâ militis, cap. 3; Hieronymus, in dialogo adversùs Lucif., cap. 4. Ibidem mentio fit unctionis confirmatoriæ post Baptismum collatæ; meminit et Ambrosius, de Init., cap. 6 et 7. Ibidem mentio fit formulæ verborum deprecatoriæ, quæ inter ungendum adhibebatur; formulam verò Confirmationis deprecatoriam fuisse ætate Ambrosii, ostendemus infra

auctoritate Hieronymi et Augustini.

Libro 3, cap. 1, dicitur quod *fontis baptismatis specie* esset *veluti quædam sepulcri forma;* quæ quidem verba, sive mysticè, sive ad litteram intelligantur, vera sunt; Baptismus enim à nonnullis Patribus *sepultura* dicitur; Christo per Baptismum consepelimur; et antiqua baptisterii figura sepulcri formam referebat. *Ecce*, inquit Cæsarius Arelatensis, homiliâ 5, *descenditur in fontem, tanquàm in sepulcrum;* ejus enim fundum navis more concavum erat, majori longitudine quàm latitudine; quâ de re videsis Josephum Vicecomitem, lib. 1 de Cæremoniis Baptismi, cap. 11. Cæterùm Ambrosii verba intelligenda mihi videntur mysticè et figurativè, quasi externa fontis baptismalis cæremonia, quæ per fontis ingressum, immersionem et emersionem fieri solebat, exhiberet formam sepulcri, ex quo Christi corpus, postquàm in eo delituit, tertiâ die resurrexit. Hunc sensum verba quæ sequuntur præ se ferunt.

Ibidem mentio fit unctionis in capite, quæ Baptismum subsequebatur; ejusdem meminit Ambrosius de Init., cap. 6. Summus sacerdos, linteo succinctus, baptizati, postquàm de fonte ascenderat, pedes lavabat et abstergebat; ejusdem lotionis neophytorum, postquàm de fonte egressi sunt, meminit Ambrosius, de Init., cap. 6, eamque in Mediolanensi ecclesiâ seculis retrò sequentibus observatam fuisse apparet ex antiquo cæremoniali Ambrosiano Beroldi, quod Josephus Vicecomes sæpè laudat. Asseritur ibidem quòd, cùm pedes lavarentur, legebatur Evangelium, quo Christus discipulorum pedes lavit, Joan. 13. Ejusdem lectionis meminit Ambrosius, de Init., cap. 6. Ibidem dicitur quòd Ecclesia Romana hanc consuetudinem non haberet; antiqui auctores, quantùm memini, hanc consuetudinem Ecclesiæ Romanæ nullibi tribuunt. Ibidem asseritur quòd nonnullæ tamen Ecclesiæ hanc consuetudinem haberent; viguit olim hæc consuetudo in pluribus Ecclesiis; vigebat in Ecclesiis Hispanicis. Eam in Hispaniâ Patres Illiberitani abrogârunt, canone 48. Prævaluit tamen in aliis quibusdam extra Hispaniam Ecclesiis, in quibus observari solebat. Serapion monachus, cùm duos histriones ad fidem convertisset, *lavit pedes eorum, et ambo baptizati recesserunt*, ex Palladio, in Hist. Laus., sect. 73. Augustinus, in fine Epistolæ 118 ad Januarium, fidem facit quòd in ecclesiis Africanis corpora baptizandorum die cœnæ lavarentur; et in Epistolâ 119 ad eumdem Januarium, cap. 18, ait quòd *ne* (hæc pedum lotio) *ad ipsum Sacramentum Baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt; nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitârunt. Aliqui autem ut hoc sacratiore tempore commendarent, et à Baptismi Sacramento distinguerent, vel diem tertium octavarum,... vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent elegerunt.* Unde apparet hanc cæremoniam pro varietate locorum variatam fuisse. Hic rejecta est, illic sublata; ibi Baptismum præcessit, istic subsecuta est; alibi die Cœnæ observata, alibi die tertiâ Octavarum, alibi ipsâ die octavâ.

Denique auctor librorum de Sacramentis ibidem testatur se velle quidem in omnibus sequi Ecclesiam Romanam; sed in iis quæ ad ritum attinent, unumquemque abundare suo sensu; testatur Ambrosius, lib. 1 Epist., epist. 9 ad Theophilum, se propensum esse ad sequendam in omnibus Ecclesiæ Romanæ formam.

Libro 3, cap. 2, post lotionem pedum sequebatur Confirmatio, quam vocat signum spiritale; idem asserit, eodemque nomine Confirmationem appellat Ambrosius, de Init., cap. 7. Confirmatus veniebat ad altare, ut Eucharistiam acciperet; idem asserit Ambrosius, de Init., cap. 8. Innuit auctor quòd initiandis legeretur Evangelium quo Christus cæco nato visum restituit, Joan. 9, eamque visus restitutionem de Baptismo explicat; idem innuit, eodemque modo exponit Ambrosius, lib. 5 Epist., epist. 45 ad Bellicium. Testatur auctor quòd ille qui veniret ad Baptismum, peccata speciatim non confiteretur; consuetudinis præmittendi adultorum Baptismo confessionem peccatorum omnium secundùm distinctas species, meminerunt Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. ultimo, Cyrillus Jerosolymitanus, catechesi 1, Gregorius Nazianzenus, orat. 40 in Lavacrum. Hæc tamen consuetudo non observabatur in omnibus Ecclesiis; neque hujus alicubi meminit Ambrosius.

Libro 4, cap. 4, 5 et 6, neophytis aperit et explicat mysterium Eucharistiæ. Idem præstat Augustinus, serm. 85 de Diversis. Ex sermone verò 82, in fine, apparet hanc Ecclesiæ consuetudinem fuisse. Eucharistiæ mysterium explicando, identidem explicat nonnullas missæ cæremonias. Idem efficit Augustinus loco citato.

Libro 4, cap. 5, hæc verba de Christo referuntur: *Qui pridiè quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in cœlum, ad te, sancte pater omnipotens, æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque apostolis suis tradidit, dicens: Accipite et edite ex hoc omnes.* Quæ verba quoad sensum eadem habentur in utrâque Basilii et Chrysostomi Liturgiâ, quam laudat Proclus Chrysostomi discipulus et successor; sed præsertim in Jacobi Liturgiâ, quam ab hæreticorum oppositionibus vindicat, et prolatis antiquorum testimoniis genuinum Jacobi fœtum esse demonstrat Leo Allatius in eruditissimâ ad Bertoldum Nihusium Epistolâ, in ejus Symmictis editâ, pag. 176. Ibidem asseritur quòd Christus *respexit in cœlum*, antequàm panem consecraret; idem affirmatur in Liturgiâ Jacobi. Ibidem hæc verba consecrationis referuntur: *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur;* hæc eadem verba referuntur, Lucæ 22, v. 19; Liturgia verò Jacobi habet: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur et datur in remissionem peccatorum.* Ibidem de Christo dicitur: *Similiter etiam calicem, postquàm cœnatum est, hoc est, pridiè quàm pateretur, accepit, respexit in cœlum, ad te, sancte Pater omnipotens, æterne Deus, gratias agens; benedixit, apostolis suis tradidit, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.* Eadem referuntur, contractiùs quidem in utrâque Basilii et Chrysostomi, diffusiùs verò in Jacobi Liturgiâ. Ibidem

asseritur, quòd Christus *respexit in cœlum*, antequàm vinum in suum sanguinem converteret; idem affirmatur in Liturgiâ Jacobi. Ibidem hæc verba consecrationis calicis referuntur : *Hic est enim sanguis meus;* eadem verba referuntur Matthæi 16, v. 26, et Marci 14, v. 24, et in tribus liturgiis Jacobi, Basilii et Chrysostomi. Ibidem asseritur, quod fidelis, qui Christi corpus accepturus est, sacerdoti Eucharistiam porrigenti, et dicenti *: Corpus Christi :* respondet, *Amen;* idem asseritur de Init., cap. 9, et in fine Epistolæ Cornelii ad Fabium, relatæ apud Eusebium.

Libro 4, cap. 6, factâ consecratione, sacerdos dicit: *Quotiescumque hoc feceritis, toties in commemorationem mei facietis, donec iterùm adveniam;* idem habetur in Liturgiâ Jacobi, ejusque præcepti dominici B. Gaudentius, qui Brixiensis episcopus anno 386 creatus est, meminit tractatu 2 de Paschate. Deinde sacerdos mentionem facit passionis, resurrectionis et ascensionis Christi; eorumdem trium mysteriorum meminerunt in suis Liturgiis Jacobus, Basilius et Chrysostomus, et Cyrillus Alexandrinus in concilio Ephesino. 3° Deum rogat *ut hanc oblationem suscipiat in sublimi altari suo;* de hoc altari Irenæus ait, lib. 4, c. 34 : *Est altare in cœlis; illùc preces nostræ et oblationes diriguntur.* Jacobus in Liturgiâ Deum orat ut oblata accipiat *in sanctum et supercœleste mentale et spiritale altare suum ;* Basilius et Chrysostomus, ut ea suscipiat *in sanctum, supercœleste et intellectuale altare suum.* Beatus quoque Augustinus, inquiunt Alcuinus, libro de divinis Officiis, cap. de Celebratione missæ; Florus magister, in Expositione missæ; et Remigius Altissiodorensis, in Expositione de celebratione missæ, de eodem sublimi altari in conspectu divinæ majestatis sic ait : *Est quoddam altare Dei invisibile, ad quod non accedit injustus,* etc. 4° Deum precatur *ut hanc oblationem suscipiat in sublimi altari suo per manus angelorum suorum;* angelorum ministerio fidelium orationes in cœlum deferri, testatur Scriptura sacra, Tobiæ 12, et Apocal. 8; unde Tertullianus, lib. de Orat., cap. 12, eorum irreverentiam acriter reprehendit, qui sedendo orant, *sub conspectu* inquit, *Dei vivi, angelo adhuc orationis adstante.* 5° Memoriam facit sacrificii Melchisedecis, quem *summum sacerdotem* appellat; Melchisedecem verò Ambrosii ætate summum sacerdotem in ipso missæ canone vocatum fuisse, apparet ex auctore Quæstionum veteris et novi Testamenti, apud Augustinum, tomo 4, qui sub finem quæstionis 109, concedit Melchisedech fuisse sacerdotem, sed illum *in oblatione* summum sacerdotem nuncupari ægrè patitur. Hic verò auctor scripsit ad annum 370. Testatur enim in fine quæstionis 44, scribere se *trecentis circiter annis* post excidium Hierosolymitanum, quod anno salutis 70 contigit.

Ex his liquet missæ canonem antiquissimum esse. Hujus enim meminerunt Gregorius Magnus, lib. 7, epistolâ 64 ad Joannem episcopum Syracusanum, et lib. 11, epist. 59, ad Vitalem Defensorem Vigilius papa, qui floruit ad annum 550, in Epist. ad Eutherium, et in Epistolâ ad Justinianum imperatorem, Ambrosius, lib. 4 de Sacram., cap. 5 et 6, ubi majorem canonis partem refert. Ad eum Optatus, qui floruit ab anno 360 ad 380, alludit lib. 2, paulò ante medium : *Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesiâ, quæ una est, et in toto terrarum orbe diffusa. Quid offers pro totâ, qui non es in totâ?* Ejus denique meminit auctor Quæstionum veteris et novi Testamenti, qui scribebat ad annum 340.

Canonem illum, qui incipit ab oratione : *Te igitur*, etc., usque ad Orationem Dominicam, quæ, absoluto canone, altâ voce recitatur, Augustinus in sermone 83 de Diversis, vocat *sanctificationem sacrificii;* Gregorius Magnus modò *canonem*, modò *precem* simpliciter appellat : Vigilius quoque *canonicam precem;* auctor verò Quæstionum veteris et novi Testamenti nominat *oblationem;* alii tamen *actionem* nuncupant, quia in eo, ut ait Walafridus Strabo, dominica sacra peraguntur.

Auctor hujus canonis incertus est. Anselmus Cantuariensis episcopus, lib. de Laudibus virginitatis, cap. 23, à Gregorio Magno editum existimat; quidam à Gelasio papâ, qui creatus est anno 492 ; alii à Musæo, presbytero Massiliensi; alii à Voconio, episcopo Castellanensi in Mauritaniâ; qui duo postremi auctores seculo V floruerunt, et teste Gennadio in Catalogo, libros de Sacramentis administrandis composuerunt. Verùm ex dictis apparet missæ canonem iis auctoribus antiquiorem esse. Vigilius, qui hunc canonem ad Eutherium misit, ait illum *ex apostolicâ traditione* descendisse; Gregorius Magnus, lib. 7, epist. 64, ait *à scholastico*, id est, à viro quodam erudito *compositum* esse ; sed quo tempore id factum fuerit, non indicat. Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. 4, constare canonem docet ex ipsis Domini verbis, ex apostolorum traditionibus, ac sanctorum pontificum institutionibus. Pontifices enim aliquid identidem addiderunt; nullus tamen ex eis, quod sciam, post Gregorium Magnum quidpiam addidit aut immutavit. Hactenùs de missæ canone, cujus maximam partem Ambrosius refert lib. 4 de Sacram., cap. 4 et 5. Ad alias modò cæremonias ab ipso indicatas properemus.

Libro 5, cap. 1, meminit mixtionis aquæ cum vino in calice. Meminerunt Cyprianus in Epistolâ ad Cæcilium; Augustinus, lib. 4 de Doctrinâ christianâ, cap. 21; concilium III Carthaginense, can. 24, et tres Liturgiæ citatæ.

Libro 5, cap. 4, Dominicam Orationem neophytis exponit. Hanc olim orationem recitare solis initiatis licitum erat. *Qui enim nondùm initiatus est*, inquit Chrysostomus, hom. 21 in Matth., *non potest patrem appellare Deum;* ideò solis competentibus, ut eam memoriter discerent, tradi consueverat feriâ quartâ post dominicam IV Quadragesimæ, ex Ordine Romano; in Africâ verò feriâ secundâ majoris hebdomadæ, ex Augustino homil. 42 inter 50. Eam neophytis exponit Ambrosius; de illâ meminit Augustinus in serm. 83 de Diversis, qui est ad neophytos.

Libro 5, cap. 4, refert Græcos plures sumere solitos Eucharistiam semel in anno. *Orientales plurimi*, inquit Walafridus, lib. de Rebus ecclesiasticis, cap. 20, *ut ex collationibus patrum discimus semel in anno communicandum censebant, ut videlicet diuturnâ præparatione corpus et animam purificantes tandem ad communionem mensæ cœlestis dignè pertingerent.* Laici quoque nonnulli Eucharistiam semel in anno sumebant; cujus pravæ consuetudinis meminit Chrysostomus et in eam invehitur, homil. 61 ad populum, et homil. 5 in 1 ad Timoth. Videsis Spondanum ad ann. 57, num. 45.

Libro 6, cap. 4, meminit orationis quæ per manuum elevationem et expansionem ab antiquis fieri solebat, ut Christi cruci affixi figuram exhiberent : ejusdem in orando ritus meminerunt, eumque ætate suâ observari testantur Tertullianus, lib. de Oratione, cap. 11 et 12, et auctor Sermonis de Cœnâ Domini, qui exstat inter opera Cypriani.

Libro 6, cap. 5, innuit et supponit Orationem Dominicam in missæ celebratione à sacerdote solo recitari; observat Gregorius Magnus, lib. 7, epist. 64, *Dominicam Orationem apud Græcos ab omni populo dici, apud nos verò à solo sacerdote;* quæ quidem consuetudo etiamnùm in utrâque ecclesiâ, Græcâ et Latinâ, perseverat. Hæc tamen Gregorii verba de Italiâ tantùm intelligi debent. Cæsarius enim Arelatensis, qui floruit ab anno 504 ad 542, testatur in hom. 12 hanc orationem à plebe *proferri ex ore.* Post recitatam Orationem Dominicam sacerdos hæc verba subjiciebat : *Per Dominum nostrum Jesum Christum, in quo tibi est cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto à seculis, et nunc, et semper, et in omnia secula seculorum.* Quæ verba totidem ferè terminis habentur in fine Epistolæ beati Judæ. Verba quoque nonnulla iis affinia sacerdos post Dominicam Orationem à choro recitatam subjicit in utrâque Basilii et Chrysostomi Liturgiâ : *Quia tibi convenit regnum, et virtus, et gloria Patri et Filio et sancto Spiritui, nunc et semper, et in secula seculorum.*

Solvuntur duæ objectiones è cæremoniis petitæ.

E cæremoniis ab Ambrosio relatis duæ objectiones repeti possunt.

Prima est ex particulâ *enim*, quæ verbis consecrationis inseritur lib. 4, cap. 5 : *Hoc est enim corpus meum*, etc.; atqui hæc particula Ambrosii seculo decrat in verbis consecrationis, sicut apparet ex tribus Liturgiis, Jacobi, Basilii et Chrysostomi. Defuisse quoque seculis retrò sequentibus, certum videtur ex synodicis Constitutionibus Odonis episcopi Parisiensis, qui floruit desinente seculo XII, cap. *de communibus Præceptis synodalibus*, *num.* 28. — Respondeo 1° præfatis liturgiis opponi utramque Petri et Marci Liturgiam; 2° Ecclesiarum usus in Oriente et Occidente diversus fuit. Ex Orientalibus enim Germanus, qui patriarcha Constantinopolitanus erat sedente Gregorio II et imperante Leone Isaurico, hanc particulam à Christo in consecratione prolatam fuisse refert in Theoriâ rerum ecclesiasticarum. Ex Occidentalibus verò Cæsarius Arelatensis, qui synodo Agathensi præfuit anno 506, homil. 7 de Paschate, verba consecrationis referens, ejusdem particulæ meminit. Hæc quidem, fateor, in hodiernâ Homiliâ deest; sed textus quem ex eâ sub Eusebii Emisseni nomine Paschasius, in Epistolâ ad Frudegardum, Guitmundus, lib. 3 de corporis et sanguinis Christi Veritate, et Algerus, lib. 1 de Sacramento Corporis, cap. 10, descripserunt, particulam illam complectitur. Præterea initio Sacramentarii Gregoriani verba consecrationis cum particulâ *enim* referuntur; cum eâdem particulâ referuntur in libro de Corpore et Sanguine Christi, cap. 18, quem Paschasius edidit anno 818; Florus quoque magister, qui claruit seculo IX, circa medium, tempore Caroli Calvi, in Expositione missæ, sic habet : *Ecclesia ex traditione his verbis consecrans mysterium sacri corporis et sanguinis Domini, designanter dicit Dominum dixisse apostolis : « Accipite et manducate ex « hoc omnes : Hoc est enim corpus meum. Simili modo « postquàm cœnatum est, »* etc. Hildebertus etiam, archiepiscopus Turonensis, qui ineunte seculo XII floruit, in carmine de Officio missæ, canonem referens, hæc habet : *Qui pridiè quàm pateretur*, etc., usque ad hæc verba : *Hoc est enim corpus meum.* Neque mihi dubium est quin Remigius Altissiodorensis, qui floruit seculo IX, Odo Cameracensis, qui floruit initio seculi XII, aliique sacri missæ canonis expositores eodem modo legerint; verba siquidem canonis, quem ipsi referunt et interpretantur, à nostro canone nihil prorsùs differunt. Præfatæ tamen particulæ non meminerunt, quia verba canonis sic abbreviare solent : *Qui pridiè quàm pateretur*, etc., usque ad, *corpus meum;* vel usque ad, *in meam commemorationem facietis.* 2° Guitmundus, lib. 3 de Veritate Eucharistiæ, paulò post medium; et Lanfrancus, lib. de Sacram. Eucharistiæ, longè post medium; Algerus quoque (ni fallor) in libris de Sacramento, qui libros de Sacramentis Ambrosii nomine citârunt, textum de quo nunc agitur ex eo referentes, præfatæ particulæ mentionem faciunt. 4° Hæc particula fortè in Ambrosii textum inserta est. Textus enim de quo controversia est, in eodem capite semel et iterùm describitur : primùm quidem cum particulâ : Accipite et edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum; deinde verò sine particulâ : Accipite et edite ex eo omnes; hoc est corpus meum. Neque moram facere debent Guitmundi, Lanfranci et Algeri citationes; inde enim sequitur tantùm hanc interpolationem ante seculum XI factam fuisse.

Secunda objectio est : Auctor librorum de Sacramentis, lib. 6, cap. 5, innuit et supponit Orationem Dominicam inter missarum solemnia recitari; atqui Gregorius Magnus omnium primus statuit ut in Latinâ Ecclesiâ hæc oratio inter missarum solemnia recitaretur, quemadmodùm apparet ex lib. 7, epist. 64, ubi Gregorius ita loquitur : *Veniens quidam de Siciliâ mihi dixit quòd amici ejus de meis dispositionibus murmurarent, dicentes : Quomodò Ecclesiam Constantinopolitanam disponit comprimere, qui ejus consuetudines per omnia sequitur? cui cùm dicerem : Quas consuetudines sequimur? respondit :*

Quia Orationem Dominicam mox post canonem dici statuistis. Cui ego respondi : Orationem Dominicam idcircò mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodò orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valdè mihi inconveniens visum est, ut precem, quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus; et ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus et sanguinem taceremus. — Verùm Dominicam Orationem, antequàm Gregorius Magnus ad pontificatum eveheretur, inter missarum solemnia celebrari solitam esse, evincitur auctoritate Cæsarii Arelatensis in homiliâ 12 : *Qui vult missas ad integrum celebrare* (sic ille plebem alloquitur, quæ ante missam completam aliquando exibat), *usquequò Oratio Dominica dicatur, et benedictio populo detur, humiliato corpore et compuncto corde se debet in ecclesiâ continere;* Augustini, homil. 42 inter 50 : *In ecclesiâ ad altare Dei quotidiè dicitur Oratio Dominica;* eumdem consule epistolâ 59 ad Paulinum, et serm. 83 de Diversis, ubi ait hanc orationem recitari post *peractam sanctificationem*, et ante mysteriorum consummationem; Cyrilli Hierosolymitani, catech. mystag. 5 : *Post hæc* (puta post commemorationem fidelium defunctorum) *dicimus orationem illam, quam Salvator discipulis suis tradidit;* Optati Milevitani, lib. 2, longè ultra medium : *Inter vicina momenta dùm manus imponitis, et delicta donatis, mox ad altare conversi Dominicam orationem prætermittere non potestis, et utique dicitis : « Pater noster*, etc. »

Quid igitur sibi volunt verba Gregorii ? *Fortè* (inquit cardinalis Bona, lib. 2 Rerum liturg., c. 15, n. 1) *Oratio Dominica in quotidianis missis omittebatur, ipse autem pristinum morem restituit.* Sanè hunc abusum in Ecclesiis Hispaniarum invaluisse eodem seculo quo Gregorius decessit, fidem facit concilium IV Toletanum, cap. 9 : *Nonnulli sacerdotum in Hispaniis reperiuntur, qui Dominicam Orationem, quam Salvator noster docuit et præcepit, non quotidiè, sed tantùm die Dominicâ dicunt;* quod Patres Toletani deinceps fieri prohibent, et singulis diebus hanc orationem dici constituunt.

Verùm Gregoriani textûs expositionem suggerunt citata Cæsarii verba, quibus apparet hanc orationem in Occidentali Ecclesiâ seculo VI sub missæ finem recitari solitam ; in eos enim invehitur, qui ante missam completam discedebant. Vetat ne quis ante finem missæ discedat, sed in ecclesiâ sese contineat, *usquequò oratio Dominica dicatur, et benedictio populo detur.* Dominica igitur Oratio, quam benedictio sacerdotalis proximè et continenter excipiebat, Cæsarii ætate sub missæ finem recitabatur vel in omnibus vel in quibusdam ecclesiis Occidentalibus. Quæ quidem consuetudo diversa erat, tum ab usu ecclesiarum Orientalium, quæ hanc orationem immediatè post canonem, antequàm mysteria consummarentur, semper recitârunt, quemadmodùm apparet ex citato Cyrilli textu, et ex Græcis liturgiis ; tum à praxi apostolorum, qui eamdem orationem super panem et vinum consecratum proferebant. Gregorius verò, non ut Græcos quidem imitaretur, sed ut apostolicam consuetudinem, quæ in omnibus vel in quibusdam ecclesiis Occidentalibus mutata fuerat, restitueret, statûit ut Oratio Dominica mox post canonem super corpus et sanguinem Christi proferretur. Favet huic expositioni Joannes diaconus in vitâ Gregorii, lib. 2, c. 20 : *Orationem*, inquit, *Dominicam* (Gregorius) *mox post canonem super hostiam censuit recitari.* Favet ipse Gregorii textus ; neque enim in eo statuitur ut Oratio Dominica simpliciter et absolutè recitetur inter missarum solemnia ; sed tantùm, ut *mox post canonem dicatur.* Favet et ipsa statuti ratio quam Gregorius affert, videlicet à se statutum fuisse hanc orationem mox post canonem recitari, ut ea *super oblationem diceretur.*

Quid scriptores antiqui senserint de his sex libris.

Præfatis argumentis accedet veterum auctoritas, qui hos sex libros Ambrosio tribuerunt. Eos enim sub Ambrosii nomine citârunt : Petrus Lombardus, qui ab anno 1150 ad 1164 floruit, lib. 4 Sentent., dist. 8,10 et 12. Gratianus, in Decreto, quod ille perfecit anno 1151, de Consecr., dist. 2 et 4. Auctor Pannormiæ, seu Pannomiæ, qui exstat inter opera Yvonis, et post Innocentii II obitum, qui anno 1143 contigit, scripta est, lib. 1, cap. 49 et 51. Algerus, qui ab anno 1115 ad 1130 claruit, lib. 1 de Sacramento corporis, etc., cap. 7, 9, 12 et 16, lib. 2, cap. 3. Petrus Venerabilis, abbas Cluniacensis, qui floruit initio seculi XII, in opusculo quod inscribitur : *Nucleus de sacrificio Missæ*, cap. 14. Yvo, qui episcopus Carnutensis anno 1092 ordinatus est, in Sermone de Sacramentis neophytorum, et in decreto, parte 1, cap. 79, 106, 109, 111, 141, 142, et parte 2, cap. 7, 9 et 28. Durandus, abbas Troarnensis, qui floruit ab anno 1070 ad 1088, in tractatu de Corpore et Sanguine Christi. Guitmundus, archiepiscopus Aversanus, qui ex Trithemio claruit sub Henrico imperatore III anno 1060, et obiit ad annum 1080, lib. 1 et 3 de Veritate Corporis et Sanguinis Christi. Lanfrancus, qui anno 1059 electus archiepiscopus Cantuariensis, obiit anno 1089, in libro de Eucharistiæ Sacramento, ubi hos libros sub Ambrosii nomine semel et iterùm laudat ; et Berengario dicenti : *Per consecrationem altaris fiunt panis et vinum Sacramentum religionis, non ut desinant esse quæ erant, sed ut sint quæ erant, et in aliud commutentur quod dicit beatus Ambrosius in libro de Sacramentis* (citabat Berengarius librum sextum); respondet 1° hæc non haberi apud Ambrosium: *Si de Sacramentis seu cæteris de quibus Ambrosius scripsit, omnes revolvas libros, quos Ecclesia in usu nunc habet, tale quid ab Ambrosio dictum, taliterque expositum nusquàm reperire valebis.* Is igitur Ecclesiæ usus erat, ut libros de Sacramentis pro Ambrosianis haberet. 2° Haberi quidem, non in libro sexto quem Berengarius *mendaciter* producebat, sed in libro 4, cap. 4 : *Si igitur tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur !* Verùm hæc verba, quæ *tolerabiliter* dici possunt, à verbis à Berengario citatis longè differre. 3° In quibusdam codicibus præfatam

sententiam verbis aliis inveniri, hoc modo : *Si igitur tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant ; quantò magis operatorius est, ut quæ erant, et in aliud commutentur ! quæ litteratura plurimùm in sententiâ concordat in eâ quæ in libro de Mysteriis sive Initiandis* (cap. 9) *edito, in hæc verba reperitur : « Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere « quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare « quod non erant. »*

Eosdem libros Ambrosii nomine referunt Theoduinus Leodiensis, qui ejusdem civitatis episcopus sacratus est anno 1048, in epistolâ ad Henricum I, Francorum regem, quæ vulgò, sed non rectè, tribuitur Durando Leodiensi episcopo, quippe qui obierit anno 1025, annis omninò sex antequàm Henricus regnaret. Hugo, Lingonensis episcopus, qui floruit ab anno 1050 ad 1050 in tractatu de Corpore et Sanguine Christi, contra Berengarium. Bertramnus seu Ratramnus in libris contra Græcorum opposita, quos ille scripsit anno 867. Hincmarus, qui Remensis archiepiscopus electus est anno 848. Paschasius Ratbertus, in libro de Sacramento Corporis et Sanguinis Dominici, quem anno 818 composuit.

Amalarius denique in præfatione alterâ libris de ecclesiasticis Officiis præfixâ, ubi citat Ambrosium, et post ipsum ex primâ Pauli Epistolâ ad Timotheum, cap. 2, colligit quatuor genera precum, orationes, obsecrationes, postulationes et gratiarum actiones. De quibus videsis caput 5 libri 6 de Sacramentis.

Testatur quidem Augustinus, scripsisse Ambrosium libros de Sacramentis, sive de Philosophiâ, adversùs Platonem, quorum ipse meminit lib. 2 Retract., cap. 4, et lib. 2 de Doctrinâ christianâ, cap. 28, eosque petiit sibi mitti à S. Paulino, epistolâ 34. Sed illi vel perierunt, vel alicubi latent, longèque diversi sunt ab iis qui nùnc exstant, ut patet ex sententiis quas ex illis citat idem Augustinus, lib. 2 adversùs Julianum, cap. 3, 4, 5 et 6.

§ 5. *Commentarii in Epistolas Pauli, qui exstant inter Ambrosii Opera.*

Unum ex his Commentariis textum proferemus, brevem quidem, sed luculentum, qui materiam, effectum, ministrum et distinctionem Confirmationis à Baptismo apertè designet. Habetur in caput 6 Epist. ad Hebr., ad hæc verba versûs 2 : *Impositionis quoque manuum ;* quæ hujus operis auctor sic interpretatur : *Impositionis manuum, per quam Spiritus sanctus accipi posse creditur ; quod post Baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesiâ Christi à pontificibus fieri solet.* En Sacramentum Confirmationis, cujus materia est manuum impositio, effectus est infusio Spiritûs sancti ad confirmationem unitatis in Ecclesiâ Christi ; minister est pontifex, et cujus diversitas à Baptismo apertè asseritur.

Dubitatur quo tempore vixerit auctor hujus operis, quis ille fuerit, et cujus sit auctoritatis.

Quo tempore vixit auctor hujus operis.

Baronius, ad ann. 397, n. 39, illum facit posteriorem Cassiodoro, qui floruit seculo V desinente et incunte seculo VI ; sunt et qui longè inferiùs, nempe ad seculum IX, revocent. Sed Augustinus, lib. 4 contra duas Epist. Pelagiani, cap. 4, citat textum ex his Commentariis. Et ipsemet auctor hujus operis in caput 3 Epist. 1 ad Timoth., ad hæc verba : *Hæc tibi scribo*, testatur scribere se sub Damaso pontifice, *cujus*, inquit, *Ecclesiæ hodiè rector est Damasus.* Damasus verò super cathedram Petri sedit ab anno 367 ad 384. Accedit quòd auctor horum Commentariorum videatur idem esse, qui et quæstionum veteris et novi Testamenti, quæ exstant inter libros Augustini. Ea saltem opinio est censorum Lovaniensium in Notis ad Augustinum, et Bellarmini in lib. de Scriptoribus. Doctrina enim utriusque operis simillima est ; stylus videtur esse idem, et ætas mirificè consentit. Auctor enim Quæstionum, quæst. 44, scribit ab excidio Hierosolymitano usque ad sua tempora fluxisse annos trecentos ; quibus si addas annos à nativitate Christi usque ad excidium Hierosolymorum, erunt omnes anni 373 vel 374, quo tempore sedebat Damasus.

Quis fuerit auctor hujus operis.

Ambrosio illud aliqui asserunt ob Cassiodori auctoritatem : alii Pelagio, ut Jansenius Yprensis, ob nonnulla Pelagianorum dogmata, quæ in eo legi contendit ; alii Hilario Pictaviensi, vel Arelatensi, ob quamdam Augustini citationem ; alii denique Hilario diacono qui Luciferiano schismati adhæsit.

Cassiodorus quidem, lib. 1 divin. Instit., cap. 3 et 5, refert Ambrosium scripsisse *suavissimam Expositionem in omnes Pauli Epistolas.* Verùm hæc Expositio, quæ Cassiodori tempore desiderari cœperat, quæ tamen à Leone III citatur in epist. 9 ad Carolum Magnum (nec enim quæ Leo ibi refert, in hodiernis commentariis habentur), vel omninò deperdita est, vel alicubi latet ; eaque diversa erat à Commentariis de quibus agimus, quos non esse Ambrosianos apparet, tum ex stylo, qui purior et nitidior est Ambrosiano ; tum ex modo citandi Scripturam sacram, cujus frequens sensum rarò litteram refert ; Ambrosius è contrario Scripturam frequens laudat ad litteram ; tum ex ipsâ Vulgatâ, quam ab eâ, quâ usus est Ambrosius, diversam fuisse apparebit textus Paulinos ab Ambrosio citatos conferenti cum Vulgatâ quæ in his Commentariis explicatur ; tum ex diversitate sententiarum ; auctorem enim Commentariorum multa exponere contra sententiam Ambrosii planè perspiciet, qui hujus textûs expositionem ad Philip. 2 : *Cùm in formâ Dei esset*, etc., conferre voluerit cum explicatione Ambrosianâ, lib. 2 de Fide, cap. 4, lib. de Filii Divinitate, cap. 8, lib. 1 Epistolarum, epist. 8 ad Sabinum, et in concilio Aquileiensi, quod inter Opera Ambrosii refertur. Id etiam constabit expendenti doctrinam Commentariorum in illud 1 ad Timoth. cap. 1 : *Regi seculorum immortali*, eamque comparanti cum Ambrosii doctrinâ, lib. 2 de Fide, cap. 1, et lib. 3, cap. 2. Auctor enim Commentariorum ait hæc Pauli verba : *Ad Dei Patris personam pertinere, quem immortalem ideò solùm appellat, quia omnis immortalitas ab ipso est, ut ipsi soli magis competat in veritate.* Ambrosius con-

tra, lib. 3 de Fide, cap. 2, asserit immortalitatem in Scripturis æqualiter dici de Patre et Filio; negat hæc Pauli verba 1 ad Timoth., cap. 6 : *Qui solus habet immortalitatem*, pertinere ad solum Patrem; et quasi Arianos traducit, qui textum illum de solo Patre intelligunt. Auctor quoque Commentariorum scribit hunc Christi locum : *Nemo bonus, nisi unus Deus*, de solo Patre dictum fuisse; Ambrosius contra, lib. 2 de Fide, cap. 1, probat id de Patre et Filio æqualiter dictum esse, indeque Filii divinitatem concludit; cùm enim scriba dixisset : Magister bone, respondit Christus : *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus*, id est : Quid me dicis bonum, quem Deum non credis? nemo enim bonus, nisi unus Deus; aut igitur confitere me Deum esse, aut desine vocare me bonum. Ita disserit Ambrosius. Denique accedit auctoritas Augustini, qui locum ex his Commentariis petitum citat sub nomine Hilarii. Eos igitur non existimavit Ambrosianos esse.

Inde patet eos Pelagii non esse, sive quòd Augustinus eos Hilarii nomine laudet; sive quòd ex iis locum et auctoritatem desumat ad revincendos Pelagianos. Probat enim lib. 4 contra duas Epist. Pelagianorum, cap. 4, hæc Pauli verba : *In quo omnes peccaverunt*, intelligenda esse de Adami personâ, Adamique peccato, quod in posteros transfusum est. *Nam*, inquit, *et sic S. Hilarius intellexit quod scriptum est : « In quo « omnes peccaverunt; » ait enim :* IN QUO, *id est*, in Adam, OMNES PECCAVERUNT. *Deinde addidit : Manifestum est in Adam omnes peccâsse quasi in massâ. Ipse enim per peccatum corruptus omnes, quos genuit, nati sunt sub peccato.* Quæ sententia totidem verbis habetur in illis Commentariis, de quibus nunc agitur, in cap. 5 Epist. ad Rom., ad præfata Pauli verba.

Ex hâc Augustini citatione quidam inferunt hos Commentarios esse B. Hilarii Pictaviensis. Verùm huic opinioni repugnant, et styli diversitas, et Vulgata dissimilis, quâ Hilarius usus est, et Hieronymi catalogus, qui hujus operis non meminit in recensendis Hilarii libris, et ætas quâ Commentariorum auctor scripsit. Testatur enim scribere se sub Damaso papâ, qui mense septembri anni 367 electus est. Hilarius autem obiit anno 2 Valentiniani et Valentis ex Severo Sulpitio, vel eorumdem imperatorum anno 4 ex Gregorio Turonensi, id est, anno Christi 365 vel 367.

Feliciùs non ratiocinantur, qui ex hâc Augustini auctoritate colligunt, hos Commentarios esse B. Hilarii Arelatensis : ille si quidem Damasi tempore, aut non erat natus, aut adolescens erat.

Verisimilior est Lovaniensium et Bellarmini conjectura, qui ex his Augustini verbis conjiciunt opus illud esse Hilarii Ecclesiæ Romanæ diaconi, qui sub Liberio et Damaso floruit, quique glorià confessionis elatus, spernens eos qui ceciderant, Luciferi partibus adhæsit.

Duo tamen non nihil negotii facessunt. Augustinus enim hunc Hilarium appellat *sanctum*, ejusque auctoritatem adversùs Pelagianos adducit. Quis verò sibi persuaserit quòd Augustinus *sanctum* appellaverit schismaticum et hæreticum, ejusque auctoritatem adduxerit adversùs Pelagianos? Augustinus enim Luciferum ejusque discipulos inter hæreticos enumerat in libro de Hæresibus, et in libro de Agone christiano, cap. 30.

Respondet Bellarminus mirum non esse hunc Hilarium ab Augustino sanctum vocari, cùm hæc nuncupatio tunc satis communis fuerit Christianis, præsertim ecclesiasticis. Sanè concilium Arelatense III, in causâ Fausti abbatis Lerinensis congregatum, illum vocat *sanctum presbyterum*, quamvis factum ejus, quo Theodori Forojuliensis episcopi auctoritatem declinare volebat, uti scandalum condemnet. Augustinus fortè attendit ad præclaram fidei confessionem Hilarii, qui olim cum Lucifero ad Constantium imperatorem à Liberio papâ missus, verbera passus et vincula, eâdem quâ Lucifer sententiâ in exilium pulsus fuerat. Fortassis etiam Augustinus eodem modo Hilarium *sanctum* dixit, quo Hieronymus Luciferum *beatum* appellavit in Dialogo adversùs Luciferianos, cap. 7. Hilarius Pictaviensis de Lucifero, in libro ad Constantium Augustum, honorificè meminit; et Adrianus I, in Epistolâ pro synodo VII œcumenicâ, cap. 59, Gennadium, licèt Semipelagianum, *sanctum* nuncupavit. Fortè quoque, inquiunt Lovanienses in Scholiis citatis, ambiguitas nominis Hilarii, quem auctorem, Augustini tempore, hi Commentarii prætulisse videntur, Augustinum fefellit. Postremò, quid, si Hilarium schismati favisse, quod nos scimus, nescivit Augustinus? quid si Hilarium fortassè, quod nos nescimus, resipuisse scivit Augustinus? certè utrumvis facilè fieri potuit.

Quo tempore opus illud laudari cœperit sub Ambrosii nomine.

Cœpisse videtur initio seculi IX. Amalarius enim, capite 1 libri 1 de ecclesiast. Officiis, quæ ille scripsit ad annum 830, citat illud opus sub Ambrosii nomine, et ex eo textum refert. *Dicit Ambrosius : Ab his omnibus, quæ vitanda eadem tradit disciplina, cùm sciant unum coronandum, quantò magis observandum nobis est, quia omnibus promissa est salus!* Qui locus totidem verbis habetur Comment. in 1 ad Corinth., cap. 9, sub finem. Eumdem textum quasi ex Ambrosio refert auctor libri de divinis Officiis, qui sub Alcuini nomine circumfertur, capite de Septuagesimâ. Ex iisdem etiam Commentariis sub Ambrosii nomine textus referuntur anno 824 à conventu Parisiensi de imaginibus, et anno 859 ab Hincmaro Remensi, de Prædestinat., cap. 33, et anno 862 à synodo Aquisgranensi.

Cujus auctoritatis sit illud opus.

Opus illud nullius auctoritatis esse Jansenius in libris de Hæresi Pelagianâ contendit, quòd in eo plura legantur Pelagianorum et Semipelagianorum dogmata. Illud tamen Augustinus semel laudavit ad peccatum originis adversùs Pelagianos stabiliendum. Ex hoc etiam opere, videlicet ex Commentariis in 1 Corinth., cap. 5, ad hæc verba : *Et vos inflati estis*, etc., sententia de Judâ Iscariote, tacito licèt auctoris nomine, refertur in epistolâ 7 Damasi ad episcopos Italiæ, quam

Isidorus Mercator cum aliis pontificiis Epistolis supposuit circa medium seculi octavi. Quin etiam opus illud sub Ambrosii nomine citârunt seculo IX conventus Parisiensis de Imaginibus; Amalarius, auctor libri de divinis Officiis; Hincmarus Remensis, et concilium III Aquisgranense, ut dictum est; seculo XI, Ivo Carnutensis in Decreto, parte 2, cap. 6, parte 8, cap. 84, 92, 257 et alibi; seculo XII, Gratianus, de Consecrat., dist. 1, 2, 4, et alibi; Magister, lib. 1 Sentent., dist. 3; lib. 2, dist. 31; lib. 3, dist. 18; lib. 4, dist. 4, 11, 12, 32, 35, 42, et 43; seculo XIII, Alexander Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, etc.; quapropter, operis ejus auctoritas saltem valet ad fidem faciendam de cæremoniis aliisque usibus Ecclesiæ ætate suâ observari solitis.

§ 6. Auctor quinquaginta Homiliarum quæ exstant inter Opera Eusebii Emisseni.

Eusebii, Emisseni seu Emezeni episcopi, nomine circumferuntur Homiliæ in Evangelia totius anni, necnon Homiliæ 50 variorum argumentorum disertissimæ. In eâ verò, quæ est de Pentecoste, sic habetur: *Quod nunc in confirmandis neophytis* (1) *manûs impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritûs sancti descensio in credentium populos donavit universis. Sed quia diximus quòd manûs impositio et Confirmatio* (2) *ei qui jam renatus* (3), *qui jam regeneratus in Christo est, conferre aliquid possit; fortè cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post* (4) *mysterium Baptismatis, mysterium Confirmationis? nam, quantùm video, non totum* (5) *de fonte suscepimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus. Non ita est, dilectissimi: attendat charitas vestra; sic enim exigit* (6) *militaris ordo, ut cùm imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato* (7) *benedictio illa munitio est.* Et postea: *Paracletus* (8) *regeneratis in Christo custos et consolator et tutor est*, etc. Et paucis interjectis: *Ergo Spiritus sanctus* (9) *qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione* (10) *augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo totâ ætate victuris, inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in Baptismo* (11) *regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo* (12) *abluimur, post Baptismum roboramur: ac sic continuò* (13) *transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis* (14) *auxilia.* Hactenùs auctor ille, cujus verba (ejus tamen nomine prætermisso) partim exscripsit Rupertus, lib. 5 de divinis Officiis, cap. 16.

Ex his Homiliis una est de Paschate, quæ incipit: *Magnitudo cœlestium*, etc., quæque inter Homilias Cæsarii est num. 7, quam Algerus, lib. 1 de Sacramento Corporis et Sanguinis Domini, cap. 7 et 10, Guitmundus, lib. 3 de Veritate Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistiâ, Ivo Carnutensis, in Epistolâ de Corpore Domini, quam ille nondùm episcopus scripsit ad Haimericum, abbatem Aquitanensem, et Paschasius Ratbertus, in Epistolâ ad Frudegardum de Corpore et Sanguine Domini, Eusebii Emisseni nomine citârunt, ut Eucharistiæ realitatem et transsubstantiationem ejus auctoritate probarent. Has 50 tamen Homilias non esse Eusebii Emisseni apparet: 1° quia Eusebius ille, qui et ipse Arianus erat, vixit sub Constantio imperatore, ex Hieronymo in Catalogo, ad annum 340, quo tempore monasterium Lerinense nondùm constructum erat; cujus tamen mentio fit in hisce Homiliis; 2° quia ejusmodi Homiliæ Latinè scriptæ sunt: Eusebius verò Græcus erat; 3° stylus ejusmodi Homiliarum omninò diversus est ab Homiliis in Evangelia; 4° quia auctor ille fuit monachus Lerinensis: nam Homiliâ 5 ad monachos, indicat se fuisse abbatem monasterii in insulâ constituti; hanc autem insulam Lerinensem vocat in Homiliâ de S. Maximo; videtur etiam ex abbate Lerinensi factus episcopus, ut ipse subindicat in Homiliâ de S. Blandinâ; 5° auctor ille disputat contra Pelagianos in Homiliâ de Ferià 5 in Cœnâ Domini; 6° in recens obortas hæreses Nestorii et Eutychetis sæpiùs invehitur; 7° in illis laudat martyres Lugdunenses. Unde manifestum est auctorem illum non esse Eusebium Emissenum. Quid enim cum auctore Græco Homiliæ, quæ Latinè noscuntur esse conscriptæ? quid cum homine Ariano conciones, quæ omni ex parte pietatem redolent? quid auctor Gallicanus cum Syro, et Lugdunenses martyres cum Emezenis?

Has igitur homilias nonnulli tribuunt Eucherio episcopo Lugdunensi; alii Hilario Arelatensi, qui concilio Arausicano subscripsit anno 442; alii Cæsario Arelatensi, qui synodo Agathensi præfuit anno 506, et obiit anno 542. Bellarminus in catalogo testatur se vidisse unam ex his Homiliis prænotatam nomine Fausti, qui ex abbate Lerinensi fuit Regiensis episcopus; unde conjicit non esse improbabile omnes esse ejusdem Fausti. Baronius, ad ann. 441, primam opinionem amplectitur; à Lugdunensis enim ecclesiæ concionatore plurimas illarum esse dictas, martyres Lugdunenses, de quibus agit auctor ille, et alia plura planè demonstrant. Eucherii verò esse, qui ex senatore monachus Lerinensis, inde Lugdunensis episcopus factus est, manifestat earum stylus; cùm ipsum Eucherium in persuadendo efficacem fuisse, testetur Sidonius Apollinaris in Epistolâ ad Claudianum Mamertum, quâ singulorum fermè Patrum in scribendo proprietates notat. Adde et tempora quibus auctor vixit, qui in recens obortas Nestorii et Eutychetis hæreses invehitur.

Utut sit, hæ quinquaginta homiliæ antiqui sunt scriptoris, cujus testimoniis supra citatis Dallæus respondere conatur, lib. 3, cap. 4: *Auctor iste*, inquit, *de chrismatione verbum nullum facit. De manûs impositione omnis est ejus sermo. Atqui ea nulla nunc est apud Latinos.*

Refellitur. Hic enim auctor verbum facit de *Confirmatione*, quo quidem nomine censetur complexus esse quæcumque ad naturam Confirmationis attinent. Verbum etiam facit de manûs impositione, quod sufficit apud eos quibus manûs impositio est unica Con-

firmationis materia. Apud eos verò quibus chrismatio Confirmationi essentialis est, vel chrisma successit manûs impositioni ex potestate à Christo Domino Ecclesiæ concessâ; vel ei semper annexum fuit. Si prius, quod olim de manûs impositione dictum est, illud dictum puta de chrismate; si posterius, sufficienter chrisma commemoratum est, quando et Confirmatio et manûs impositio nominata sunt.

Subjicit Dallæus : *Quid enim hinc ad id probandum afferent? an quòd hic noster scriptor Spiritûs in manuum impositione donum, cum ejusdem in apostolos et credentes olim descensione comparat? at illa vetus Spiritûs sancti descensio nullum fuit propriè dictum Sacramentum. An quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum singulis tribui dicit? at et per chrisma Spiritum sanctum dari non parciùs dicunt; neque tamen chrisma canonistæ veteres verum ac propriè dictum Sacramentum apud illos fuisse concredebant. An quòd cum* Confirmationem *dicit? Atqui non tam id dicit quàm eâ Confirmationem significari innuit. Calice Eucharistiæ confirmari communicantes, dixêre interdùm Patres; nemo inde colligit integrum ac propriè dictum et ab Eucharistiâ distinctum calicis esse Sacramentum. An quòd per benedictionem illam, quæ fit per manûs impositionem*, munitionem *nostram esse ait? Atqui et oratio munitio quoque nostra est; neque tamen sacramentum ullum est. An quòd ait « in Baptismo nos regenerari ad vitam, « post Baptismum confirmari ad pugnam; in Baptismo « abluî, post Baptismum roborari? » Atqui et confirmari et roborari ab eodem illo Paracleto intelligit, à quo et regeneramur et abluimur; quod omnes verissimum esse confitentur. An denique quòd post Baptismum « in Con- « firmatione augmentum nobis ad gratiam præstari » scribit? Atqui idipsum à Spiritu quoque præstari ait, eodem scilicet gratiæ et donatore et conservatore, et quidem in Confirmatione, id est, dùm nos baptizatos confirmat. Cæterùm illius, quæ à Spiritu est, Confirmationis symbolum ac signum olim fuisse manûs impositionem, et hinc et aliundè constare confitemur; verum ac propriè dictum Sacramentum fuisse negamus. Itaque quòd* ei qui jam renatus est, aliquid conferri, *Spiritum sanctum ei tribui dicitur, id figuratè dicitur, ex eâ veterum loquendi ratione, quæ cæremonialibus ritibus ea tribuunt, quæ Sacramentorum propriè sunt, ad quæ ritus illi pertinent. Quanquàm et in manûs impositione hoc peculiare sit, quòd ea nihil aliud esset quàm oratio. Ea ergo dicatur efficere, dummodò ea efficere intelligatur, non ut Sacramentum propriè dictum, sed ut oratio. Denique omnem hanc manûs impositionis rationem ad Baptismum referendam esse satis eò docet, quòd « post « fontem adjectione novi generis indigere nos » negat, et adjicit Baptismi Spiritum esse qui in Confirmatione accipitur.* Hactenùs Dallæus.

Respondeo textum integrum in doctrinæ catholicæ probationem à nobis adduci. In eo enim manûs impositio, quæ fit super baptizatos, confert illis gratiam sanctificantem ei similem quam apostoli cæterique fideles ipsâ die Pentecostes acceperunt, ex num. 1. Præstat eis augmentum gratiæ, ex num. 10. Eos armis instruit, munit et confirmat ad pugnam, ex num. 6, 7, 11 et 12. Efficit ut Spiritus sanctus eorum sit custos, consolator et tutor, ex num. 8. Necessaria victuris auxilia præbet ad superandos dæmonis impetus, ex num. 14. Eadem quoque manûs impositio dicitur *benedictio*, num. 7, et *Confirmatio*, num. 2. Vocatur *Confirmatio* eodem modo quo Baptismus *regeneratio*, num. 13 et 14. Appellatur etiam *mysterium Confirmationis* eodem modo quo sacramentalis ablutio nuncupatur *mysterium Baptismatis*, num. 4. Distinguitur à Baptismo, num. 3, 4, 5, 9, 10, 11, 12 et 13; distinguitur, inquam, et ratione mysterii et ratione effectûs. *Mysterium* enim est à *mysterio Baptismatis* diversum, num. 4, et effectum à Baptismali diversum habet, num. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 et 13.

Ad singula verò Dallæi objecta respondetur. Ad primum : Confirmatoriam manuum impositionem esse Sacramentum, optimè colligitur ex eo quòd eumdem illa effectum habeat cum Spiritûs sancti in apostolos et credentes descensione, quamvis descensus ille non fuerit Sacramentum : quia, hoc effectu supposito, manûs impositio cæteras habet conditiones Sacramento necessarias, quæ tamen in illo descensu desiderantur. Ad secundum : Quando Patres aiunt Spiritum sanctum per chrisma conferri, nomine *chrismatis* intelligunt Sacramentum Confirmationis, usurpatâ nominis appellatione à chrismate sive quasi à materiâ, sive quasi à ritu et cæremoniâ. Antiqui contra canonistæ, dùm negant chrisma esse Sacramentum, *chrismatis* nomen alio sensu usurpant, nimirùm pro ritu Confirmationis (ut ipsis videbatur) accidentali. Ad tertium : Confirmationem esse Sacramentum, non arguitur ex solâ voce *Confirmationis*, sed ex aliis huic voci in textu præfato annexis. Ad quartum : Manuum impositionem esse Sacramentum, optimè colligitur ex eo quòd illa baptizatos ex opere operato muniat, eaque munitio sit gratia sanctificans seu permanens, in augmento gratiæ baptismalis constituta. Quæ quidem orationi minimè conveniunt. Ad quintum : Rectè quoque id colligitur ex eo quòd Confirmatio gratiæ baptismali superaddit gratiam confirmantem et roborantem ad pugnam. Neque obstat quòd effectus Baptismi et Confirmationis ab eodem Spiritu nobis conferantur. Duæ enim diversæ gratiæ sacramentales, à quibus Sacramenta omninò diversa specificantur, ab eodem Spiritu sancto præbentur, quemadmodùm apparet exemplo Baptismi et Eucharistiæ. Ad sextum : Auctor ille apertè docet quòd Confirmatio non pertineat ad Baptismum, sed effectum à baptismali diversum habeat. Ad septimum : 1° Dubitatur utrùm manûs impositio, de quâ loquitur Augustinus, lib. 3 de Baptismo, cap. 16, cùm ait eam repeti posse, confirmatoria sit, an reconciliatoria. Confirmatoriam enim repetî non posse docet Augustinus Expositione inchoatâ in Epist. ad Rom. 2° Licèt Augustinus de confirmatoriâ manûs impositione loqueretur, hæc tamen diceretur oratio ratione suæ formæ. Formulæ enim Sacramentorum vocantur ab

Augustino orationes seu deprecationes, ut patet ex libro 5 de Baptismo, cap. 20, et alibi. Atqui formæ Sacramentorum, quamvis deprecatoriæ, suis tamen conjunctæ materiis, agunt ex opere operato. Formæ siquidem deprecatoriæ, quæ secundùm se et quatenùs orationes præcisè spectatæ, agerent tantùm ex opere operantis, tamen consideratæ quatenùs à Christo institutæ sunt, ut Sacramentum aliquod efficiant, agunt ex opere operato. Ad octavum : Qui post fontem continuò moriuntur, adjectione novi generis gratiæ sanctificantis non indigent; sed qui victuri sunt, eâ indigent ad pugnam. Quamvis enim *continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessariæ sunt Confirmationis auxilia*, ex num. 13 et 14. Ad nonum : Spiritus Baptismi idem est qui Spiritus Confirmationis, si persona Spiritûs sancti attendatur, diversus verò si attendatur effectus, diversum enim in utroque Sacramento effectum præstat.

§ 7. Vita Basilii Magni.

In Vitâ Basilii Magni hisce verbis baptismus ejus et Eubuli describitur : *Baptizavit Maximinus episcopus Basilium et Eubulum, et vestivit albis, atque ungens eos sancto chrismate, tradidit eis vivificam communionem.* Tribuitur illud opus Amphilochio Iconii episcopo. Sed indignum est quod viro eruditissimo adscribatur, quem Basilio et Gregorio Nazianzeno parem doctrinâ facit Hieronymus in Epistolâ ad Magnum. Videsis Baronium in Annalibus.

§ 8. Liber de ecclesiasticis Dogmatibus.

Inter Augustini Opera, tomo 3, exstat liber de ecclesiasticis Dogmatibus, cujus capite 52, de Confirmatione ita disseritur : *Si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, et veniunt ad nos, recipiantur quidem ut baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio, vel confessio annulletur; sed doceantur ante et instruantur, quo sensu sanctæ Trinitatis mysterium in Ecclesiâ teneatur ; et si consentiunt credere vel acquiescunt confiteri, purgati jam fidei integritate, confirmentur manûs impositione. Si verò parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos offerunt, juxta morem baptizandi; et sic manûs impositione et chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur. Illos autem, qui non in sanctæ Trinitatis invocatione apud hæreticos baptizati sunt, et veniunt ad nos, baptizari debere pronuntiamus; noque enim credendum est eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti juxta regulam à Domino positam tincti sunt : ut sunt Paulini* (seu Paulianistæ), *Procliani, Borboritæ, Siphori, qui nunc vocantur Bonosiani, Photiniani, Montani* (seu Montanistæ) *et Manichæi.* Et cap. 74 : *Baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote ; hoc et martyr coram persecutore facit. Ille post confessionem aspergitur aquâ; hic aspergitur sanguine. Ille manûs impositione pontificis accipit Spiritum sanctum ; hic habitaculum efficitur Spiritûs sancti*, etc. *Ille communicat Eucharistiæ in commemorationem mortis Domini ; hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renuntiaturum ; hic ipsi renuntiat vitæ. Illi peccata omnia dimittuntur ; in isto extinguuntur.* In hoc textu et renuntiatio, quæ Baptismi cæremonia est, et peccatorum remissio, quæ per Baptismum comparatur, non modò post Confirmationem referuntur, sed et post Eucharistiam. Ideòne concludere licebit Eucharistiam ad Baptismum pertinere?

Citatur illud opus sub Augustini nomine ab auctoribus seculi XII, videlicet ab Algero, lib. 1 de Sacramento Corporis et Sanguinis Domini, cap. 22 ; à Gratiano, de Consecrat., dist. 2, cap. *Quotidiè ;* et à Magistro, lib. 2 Sentent., dist. 8 et 35. Verùm illud esse Gennadii, presbyteri Massiliensis, qui floruit ad annum 490, docet S. Thomas, Quodlib. 12, art. 11, et in Catenâ, ad cap. 1 Matthæi ; nec immeritò : illud enim sub Gennadii nomine citant Walafridus Strabo, capite 20 libri de Rebus ecclesiasticis, quem ille scripsit anno 819 : *Gennadius*, inquit, *Massiliensis presbyter in Dogmate ecclesiastico*, etc. Et Adrianus I, in Epistolâ pro VII concilio œcumenico, missâ ad Carolum Magnum, anno 787, cap. 59 : *In sacris prædictis conciliis decessorum meorum, hæc oblata sunt testimonia, videlicet sancti Gennadii, Massiliensis episcopi, qualiter veneranda sint corpora vel reliquiæ sanctorum, capitulo 40 : « Sanctorum corpora, et præcipuè beatorum « reliquias, ac si Christi membra sincerissimè honoranda, « et basilicas eorum nomine appellatas, velut loca di- « vino cultui mancipata, affectu piissimo et devotione « fidelissimâ adeundas credimus. Si quis contra hanc « sententiam venit, non christianus credatur, sed Euno- « mianus. »* Ad quæ verba observari debet : 1° Gennadium ab Adriano vocari *episcopum*, quem tamen presbyterum fuisse constat. 2° Non Adrianum modò, sed et ejus prædecessores citâsse hunc textum sub Gennadii nomine in synodis adversùs Iconoclastas congregatis, nempè Gregorium II in concilio Romano anni 726, Gregorium III in concilio Romano anni 732, Stephanum IV in concilio Romano anni 769, quæ quidem concilia perierunt, aut alicubi latent, sed eorum meminit Adrianus in eâdem Epistolâ, cap. 5 et 12. 3° Textum hunc ab Adriano citatum haberi in libro de Eccles. Dogmatibus. 4° Textum ab eo citari ex capite 40, in hodiernis tamen editionibus haberi cap. 73, quia ab Adriani tempore huic operi triginta et tria capita ex sententiis Augustini, Innocentii, Zozimi, Cœlestini et concilii Arausicani conflata, ab erudito quodam et recentiore scriptore inserta sunt, velut antidota adversùs latentes errores à Gennadio, qui Semipelagianis favebat, præcedentibus capitibus traditos.

Hodiernus enim liber capitibus 88 distinguitur. Quæcumque verò à fine capitis 21 ad initium capitis 52 referuntur, interjecta sunt; quæcumque item capitibus 60, 61 et 62 habentur, addita fuerunt, et desunt in antiquis manuscriptis.

§ 9. Rituale Severi patriarchæ.

Exstat in tomo 6 Bibliothecæ Patrum ritualis liber, de Ritibus Baptismi, ex Syriaco in Latinum conversus, et Severo patriarchæ Alexandrino adscriptus, in quo ritus Sacramentorum quæ neophytis simul

et semel conferebantur, Baptismi videlicet, Confirmationis et Eucharistiæ ritus, iique à Græcis et Latinis in omnibus ferè dissimiles, accuratè describuntur. *Sacerdos*, inquit, *continuò ducit eos in baptisterium, respiciens ad Orientem, et imponit manum suam dexteram super caput ejus qui baptizatur, et sinistrâ suâ ter tollit ex aquis, à fronte, à tergo et altero laterum ejus.* (Manuscriptum Syriacum, quod Joannes Morinus citat, lib. 8 de Pœnitentiâ, c. 19, num. 9, aliter habet: *Continuò ducit eos ad baptisterium, et imponit manum suam dexteram super caput ejus qui baptizatur, et effundit aquam cum sinistrâ super illius caput tribus vicibus*). *Et dicit* : « *Baptizatur talis N. in nomine Patris, amen ; et Filii, amen; et Spiritûs sancti, in vitam seculi seculorum, amen.* » *Et tunc educit eum ex medio aquarum* (idem habet manuscriptum Syriacum), *et dat eum susceptori suo, atque hanc vocem profert :* « *Duo sunt mundi,* » etc. *Tum qui adstant, ter hæc responsa dicunt :* « *Beati illi quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum* « *tecta sunt peccata ;* » *tunc erectus sacerdos precatur :* « *Hanc autem obsignationem in sancto nomine tuo reci-* « *piant isti servi tui,* » etc. *Signans omnia eorum membra, eorumque frontem tribus vicibus, ait :* « *Chri-* « *smate sancto, suavitate odoris Christi Dei, sigillo* « *veræ fidei complemento pignoris Spiritûs sancti obsi-* « *gnatur talis N. in nomine Patris, amen; et Filii,* « *amen; et Spiritûs sancti, in vitam seculi seculorum,* « *amen.* » *Et ungit omnia eorum membra, et manus, et pedes, et nares eorum. Tum demùm induuntur suis vestimentis; et ipse dicit hanc precationem inclinatus :* « *Be-* « *nedictus es, Domine,* » etc. Utriusque Sacramenti ut apparet, diversi sunt ritus, diversæ materiæ, diversæ formæ, et diversi effectus.

Deus, inquit Rituale, *omnipotens*, etc., *qui voluisti hosce servos tuos denuò generare per aquas in remissionem priorum peccatorum*, etc., *immitte super eos illius Spiritûs tui vivificantis gratiam, et eos imple ipsius sanctitate, serva eos*, etc., *confirma eos*, etc., *robora eos*, etc.

Quis autem ille fuerit Severus, et quo tempore floruerit, non satis constat. Hunc Severum præfuisse ecclesiæ Alexandrinæ episcopum sub Mahumeticâ tyrannide ad annum salutis 646 existimat Genebrardus in Cosmographiâ, atque hoc opus idiomate Syriaco christianis Ægyptiis mox post Mahumeticam tempestatem in captivorum solatium tradidisse. Verùm huic opinioni multa repugnant. Cyrus enim, episcopus Alexandrinus, sub quo Ægyptus in potestatem à Saracenis redacta, obiit anno Christi 640, cui successisse Petrum testatur Nicephorus in suo Chronico. Unde anno Domini 646, Petrus, non Severus, videtur Alexandriæ præsedisse antistes. Præterea nullus unquàm fuit, quod sciam, istius nominis Alexandrinus patriarcha. Deinde, quid Alexandrinis et Ægyptiis cum linguâ Syrâ ? Græcè et Ægyptiacè, sive Copticè cum iis erat agendum. Severus igitur ille videtur esse patriarcha Antiochenus, qui factus monachus Eutychianus, in sedem Antiochenam intrusus est anno 513, et ab eâdem expulsus est anno 519. Testatur enim Joannes Morinus, lib. 8 de Pœnit., cap. 19, num. 9, se reperisse antiquum manuscriptum Syriacum cui præfixus erat hic titulus : *In virtute sanctæ Trinitatis incipimus scribere ordinem Baptismi, diligenter correctum secundùm correctionem domini Severi patriarchæ Antiocheni.* Severus autem, licèt Eutychianus fuerit, nihilominùs et doctrinam et cæremonias Antiochenæ diœceseos in hoc rituali descripsit.

§ 10. Auctor Operum cardinalium.

Inter Opera Cypriani exstant sermones 12 de Operibus cardinalibus Christi, quorum octavus est de unctione chrismatis, cui tribuit virtutem sanctificandi, facultatem conferendi gratias actuales, et rationem Sacramenti. *Hodiè*, inquit, *in Ecclesiâ ad populum acquisitionis sanctificandum in participationem dignitatis et nominis sacrum chrisma conficitur ; in quo mixtum oleo balsamum, regiæ et sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitùs est unctio instituta*, etc. *Hodiè unguentum ad sanctificationem paratur, cujus fragrantia adolescentulæ et novellæ animæ accedentes ad fidem illectæ delectantur et exinanitionis ejus suavitate delibutæ, diligunt et sequuntur aromatum largitorem, et usque ad regis accubitum spiramine illo trahuntur, et post odorem illum ubique desiderio sancto perurgente sitibundæ discurrunt. Nihil hoc oleum commune habet cum liquoribus*, etc. *Non hæc medendis corporibus est unctio instituta, quia sanctificatis elementis, jam non propria natura præbet effectum, sed virtus divina potentiùs operatur, sed adest veritas signo, et Spiritus Sacramento, ut et ipsis rerum efficientiùs gratiæ dignitas pateat, et interiori homini quanta ex his detur auctoritas, Deiformi conversatione et cœlestibus moribus innotescat*, etc. *Ex hujus unctionis beneficio et sapientia nobis et intellectus divinitùs datur, consilium et fortitudo cœlitùs illabitur, scientia et pietas et timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritalibus nequitiis colluctamur*, etc.

Sermones illos non esse Cypriani, hæc probant : 1° Stylus humilior est quàm S. Cypriani ; 2° auctor ille in Præfatione Cornelium pontificem, cui dicat hæc Opera, *patrem* appellat; seque velut ejus filium considerat; Cyprianus verò Cornelium vocat *fratrem* et *collegam ;* 3° auctor ille Cornelio se doctrinâ et eloquentiâ inferiorem agnoscit; Cyprianus verò non ignorabat se non minùs doctum et disertum quàm Cornelium esse ; 4° auctor ille ait, *se vix intelligere, quæ* à profanis auctoribus *dicta sunt;* 5° fatetur se *sensu et eloquentiâ omninò eis imparem esse;* quæ certè de Cypriano nemo dixerit. Plura ex eâdem Præfatione colligi possunt, quibus appareat hæc Opera non esse Cypriani. Denique auctor ille, in sermone 5 de Tentatione et Jejunio, docet diabolum è cœlo cecidisse, antequàm homo crearetur; quod repugnat Cypriano in tractatu de Zelo et Livore, sub initium.

Catholici tamen ad finem usque postremi seculi, sermones illos Cypriano adscripserunt ; et ipse Calvinus ac Petrus Martyr, sermone 6 de Cœnâ Domini, Cypriani esse existimârunt. Scultetus verò Calvinista, quamvis hæc opuscula Cypriano abjudicet, *pietatis*

tamen religiosæ ea plena esse agnoscit, et mirè conducere concionatoribus; sunt enim, inquit, *declamationes populares, quæ spirant affectus à Dei Spiritu excitatos.* Ea quoque Gerardus Joannes Vossius laudat in tractatu de Baptismo, disput. 4.

Viri eruditi eos hodiè attribuunt Arnoldo Carnutensi, monacho Benedictino et abbati Bonævallis in diœcesi Carnutensium, ad quem D. Bernardus, morti jam proximus, epistolam 310 scripsit. Ita sentiunt è Catholicis cardinalis Bona, lib. 2 Rerum liturg., cap. 14, in fine, et auctor Gallicanus Traditionis Ecclesiæ circa Eucharistiam, in Indice historico et chronologico, num. 5 et 96; ex hæreticis verò Jacobus Usserius, archiepiscopus Armacanus, in Dissertatione de Ignatii Epistolis, cap. 12, ante medium, et Gerardus Joannes Vossius, tractatu de Baptismo, disput. 4, thesi 3, in margine. Momenta quibus hæc opinio fulciri potest, hæc sunt. 1° Exstant in bibliothecâ collegii Oxoniensis manuscripta in quibus hæc opuscula Arnoldo Bovillacensi seu Bonavillacensi abbati tribuuntur; et quibus hic titulus præfixus est: *De Operibus cardinalibus Christi ad Adrianum papam* (quartum scilicet hujus nominis pontificem, anno 1154 electum), non autem *ad Cornelium papam*, ut vulgatus titulus præ se fert. 2° Horum sermonum stylus idem est, qui tractatus de septem Verbis Domini in cruce prolatis, qui exstat in Bibliothecâ Patrum, tomo 1, pag. 379, et quem Arnoldi fuisse constat.

Duo tamen faciunt ut ab hâc opinione discedam. Unum est quòd auctor Operum cardinalium sub finem Præfationis agnoscat se reticuisse nomen suum. Alterum est quòd Paschasius Ratbertus, qui floruit imperante Ludovico Pio, sermonem 6 de Cœnâ Domini, sub Cypriani nomine laudet in Epistolâ ad Frudegardum. *Ita*, inquit, *et beatus Cyprianus confirmat in eo opere ad populum, ubi de Sacramento Corporis Christi et Sanguinis loquitur.* Quibus verbis sermonem de Cœnâ Domini indicat, præter quem nullus inter Opera Cypriani exstat, ubi de Sacramento Corporis et Sanguinis Christi ad populum disseratur. Horum igitur Sermonum auctor jam putabatur Cyprianus incunte seculo IX. Floruit enim Paschasius ab anno 816 ad 851. Quare Sermones illi seculum nonum præcesserint necesse est.

§ 11. Epistolæ Urbani, Fabiani, etc.

Epistolæ quæ Urbani, Fabiani, Eusebii, Melchiadis, Damasi et Joannis III nomine circumferuntur, quamvis suppositæ sint, seculi tamen VII vel VIII, quo ab Isidoro quodam confictæ creduntur, fidem et praxim nobis aperiunt.

Urbanus igitur, primus hujus nominis pontifex, in Epist. unicâ, quæ ipsi tribuitur, cap. 7, sic habet: *Omnes fideles per manûs impositionem episcoporum Spiritum sanctum post Baptisma accipere debent, ut plenè christiani inveniantur.*

Fabianus, in Epist. 2, cap. 1: *Ipsa lavatio pedum nostrum significat Baptismum, quando sancti chrismatis unctione perficitur atque confirmatur.*

Eusebius, in Epistolâ 3, ad episcopos Campaniæ et Tusciæ, sub finem: *Manûs quoque impositionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus, nec tempore apostolorum ab aliis quàm ab ipsis apostolis legitur aut scitur peractum esse: neque ab aliis* (sicut jam dictum est) *quàm ab illis qui eorum locum tenent, unquàm perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica unquàm reputabitur Sacramenta.*

Melchiades, in Epist. suâ unicâ ad omnes Hispaniæ episcopos, cap. 2: *De his verò super quibus rogitâstis vos informari, id est, utrùm majus esset Sacramentum, manûs impositio episcoporum aut Baptismus, scitote utrumque magnum esse Sacramentum. Et sicut unum à majoribus fit, id est, à summis pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita et majori veneratione venerandum et tenendum est. Sed ita conjuncta sunt hæc duo Sacramenta, ut ab invicem nisi morte præveniente nullatenùs possint segregari, et unum sine altero ritè perfici non potest.* Paucis verò interjectis, exscribit quæcumque supra descripsimus ex homiliâ de Pentecoste, quæ una est ex homiliis Eusebio Emisseno attributis.

Damasus I, in Epistolâ 5: *Quòd solis episcopis, eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber Actuum apostolorum docet; præsertim cùm nullus ex septuaginta discipulis, quorum isti* (chorescopi) *in Ecclesiâ speciem gerunt, legatur donum sancti Spiritûs per manûs impositionem tradidisse.* Idem habet Joannes III in Epistolâ ad episcopos Germaniæ et Galliæ, cap. 1.

Has verò et alias Epistolas, quæ pontificum Siricii tempora præcedentium nomine circumferuntur, suspectas esse, agnoscit Baronius ad annum 865, n. 8; falsas verò et suppositas esse consentiunt Joannes Bona, lib. 1 Rerum liturg., cap. 3, num. 1; Petrus de Marca, lib. 3 de Concordiâ, cap. 5, et lib. 7, cap. 20, aliique viri eruditi: 1° ob verborum sordes à seculi II quo pleræque scriptæ dicuntur, nitore et elegantiâ alienas; 2° ob styli similitudinem, qui in omnibus Epistolis occurrit, ita ut ab uno eodemque calamo scriptæ videantur; 3° ob usum frequentissimum Vulgatæ Scripturarum versionis; unde eas post Hieronymi ætatem suppositas fuisse necesse est; 4° ob silentium Eusebii, qui pontificum Epistolas suo loco et ordine recenset; 5° ob silentium Hieronymi, qui scriptorum ecclesiasticorum Catalogum texuit; 6° ob silentium Innocentii, Leonis, Gelasii, aliorumque pontificum qui frequenter laudant Epistolas prædecessorum suorum, nullam tamen præfatarum mentionem faciunt; 7° ob testimonium Dionysii Exigui, qui, cùm *præteritorum Apostolicæ sedis præsulum constituta, quâ valuit curâ et diligentiâ* ævo Justiniani *collegisset* (verba sunt ejusdem Dionysii in ejus Epistolâ ad Julianum Ecclesiæ Romanæ presbyterum), à Siricio pontifice initium suæ compilationis fecit; 8° ob Antonii archiepiscopi Tarraconensis observationem, qui omnium primus, in Notis ad capitula Adriani, observavit, ipsa legum imperatoriarum verba, et quæ sub Aniani nomine exstant ad codicem Theodosianum Scholia, in illis Epistolis usurpata fuisse; quamvis pontifices, quibus Epistolæ tribuuntur, duobus vel tribus seculis codicis Theodosiani editionem præcesserint. Denique Blondellus, eruditus Calvinista, in pseudo-Isidoro, edito anno 1628, accuratissimè demonstravit à quibus auctoribus petita sint verba et sententiæ ex quibus ejusmodi Epistolæ contextæ sunt; cui tamen in eo suffragari non possum, quòd atrocioribus verbis Epistolas dilacerat, quas è verbis et sententiis legum, canonum antiquorum, et sanctorum Patrum, qui IV, V et VI seculis floruerunt, (si pauca demas) concinnatas esse constat.

Sanè post Riculphi, archiepiscopi Moguntini, tempora, qui eas ex Hispaniâ in Gallias, desinente seculo VIII, attulit, sententiæ aliquot selectæ ex illis in sua ritualia à rerum ecclesiasticarum tractatoribus, et in canones suos à Gallicanis episcopis translatæ sunt. Quæ ab Ordine Romano, cap. *de Septuagesimâ*, à Carolo Magno, in Epistolâ de Ratione Septuagesimæ ad Alcuinum, et ab Amalario, lib. 1 de eccles. Officiis, cap. 1, ex Telesphoro constituta referuntur de continuitate jejunii quadragesimalis per septem hebdomadas Pascha præcedentes, excerpta sunt ex suppositâ Telesphori Epistolâ. Quæ de unctione olei infirmorum, seu chrismate quotannis consecrando in Cœnâ Domini in concilio Aquisgranensi, anno 836, parte 2, cap. 8, decernuntur *juxta statuta Decretalium*, è secundâ Epistolâ Fabiani hausta sunt. In tribus ultimis Capitularium libris, quos è scriniis ecclesiæ Moguntinæ Benedictus Levita jussu Autgarii ejusdem ecclesiæ episcopi in unum corpus redegit circa annum 850, passim è Clementis, Anacleti, Evaristi, Pii, Fabiani et aliorum pontificum apocryphis epistolis, quamvis suppresso eorum nomine, auctoritas

petitur.

Quis verò earum auctor fuerit, incertum est. Hincmarus, in epistolâ 7, cap. 12, auctorem facit Isidorum Hispalensem. Verùm ex mente Baronii, ad ann. 865, n. 5, sordes verborum, quæ aliquoties in illâ pontificiarum Epistolarum collectione occurrunt, in Isidorum Hispalensem, laudatissimum et eruditissimum virum, non sunt rejiciendæ. Nitidior est Isidori stylus quàm tota hæc apocrypharum Epistolarum farrago; neque viri pietate insignis probitas patitur, ut ementitæ et suppositiitæ Epistolæ illi tribuantur. Præterea hæc collectio synodi Toletanæ XI, anno 675, et synodi œcumenicæ VI, anno 682 coactæ meminit, quadraginta et ampliùs annis, post Isidori obitum, qui anno 636 contigit. Mentionem etiam facit Epistolarum Gregorii III et Zachariæ pontificum, quorum ultimus obiit anno 751. Verùm hæc serie temporum ab aliquo addita, et in eâ, quâ Hincmarus collectione usus est, desiderata fuisse, apparet ex eodem Hincmaro. *Isidorus Hispalensis episcopus*, inquit loco citato, *collegit cum Epistolis Romanæ Sedis pontificum à sancto Clemente usque ad beatum Gregorium*, etc.

Nonnulli codices manuscripti hanc collectionem Isidoro Peccatori, alii Isidoro Mercatori assignant. Posteriorem sententiam eruditi ferè omnes hodiè sequuntur. Blondellus existimat Isidorum hunc Mercatorem fuisse fratrem Eulogii Cordubensis, qui in Germaniam confugerat vitandæ Sarracenorum immanitatis causâ. Chronicon Juliani Toletani, quod à Laurentio Ramirezio Parisiis editum est, refert illum fuisse Setubiensem in Hispaniâ Tarraconensi episcopum (quæ civitas nunc Xativa dicitur), et ope monachi cujusdam Benedictini operam dedisse huic compilationi, atque obiisse anno 805, cùm annum ætatis ageret centesimum. Verùm chronicon illud falsi suspicione laborat apud eruditos. Blondelli verò conjecturæ repugnat ratio temporum. Isidorus enim ille vivebat anno 850, cùm diù ante hæc compilatio consarcinata fuisset. Quisquis igitur hujus compilationis auctor fuerit, certum mihi videtur eam circa medium seculi VIII in Hispaniis factam fuisse. Riculphus enim, qui Moguntiacam ecclesiam rexit ab anno 787 ad 814, eam ex Hispaniâ in Gallias desinente seculo VIII attulit; ejus etiam Epistolas citat (ut dictum est) Ordo Romanus; quare cujuscumque illa sit, morem et doctrinam sui temporis de Confirmatione nobis exhibet.

§ 12. Epistolæ Damasi I, Leonis I et Joannis III.

Damasus I, in Epist. 5 ad Prosperum, et alios antistites Africanos: *Quòd verò eis* (chorepiscopis) *non liceat sacerdotes consecrare, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare...., tam ex superioribus, quàm ex aliis Patrum constitutis, aut sacris canonibus edocti estis*. Et paucis interjectis: *Quòd autem solis apostolis, eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet; præsertim cùm nullus ex septuaginta discipulis, quorum isti* (chorepiscopi) *in Ecclesiâ speciem gerunt, legatur donum sancti Spiritûs per manûs impositionem* (ut prædictum est) *tradidisse*. Idem habent Leo I, in Epistolâ 88 (aliàs 86) ad episcopos Germaniæ et Galliæ; et Joannes III, in Epistolâ ad eosdem Germaniæ et Galliæ episcopos, cap. 1.

Verùm hæ tres Epistolæ, quas Aurelius in Anæretico laudavit, Sirmundo suppositiitæ jure merito visæ sunt. Prima quidem suspecta est: 1° stylus ejus barbarus indignus est qui et pontifici et poetæ eloquentissimo tribuatur; 2° puerilia quædam ratiocinia, quæ ibi referuntur, quale est argumentum à numero singulari et plurali petitum, non sapiunt pontificiam majestatem; 3° Damasus respondet episcopis Africæ velut ab iis de chorepiscopis consultus, et utrique supponunt in regionibus suis fuisse frequentissimos; atqui in tot Africanis conciliis ne semel quidem chorepiscoporum fit mentio, neque eorum meminit ulla synodus Occidentalis ante Regiensem, anno 439 habitam; 4° Damasus ait se nihil ad eorum quæstiones respondere posse, quàm quod olim sui prædecessores; atqui in prædecessorum ipsius Epistolis et Decretis, sive veris sive suspectis, de chorepiscopis ne verbum quidem, imò multa quæ eos hunc ordinem ignorâsse in animum inducere possint; 5° dicit eos nunc, ut in primitivâ Ecclesiâ, necessarios non esse; atqui in primitivâ Ecclesiâ sive Orientali sive Occidentali, nulla eorum memoria; 6° eos asserit non tantùm ab Apostolicâ sede, sed et *ab omnibus totius orbis episcopis, à pontificalibus fuisse remotos officiis*. Ubi, quæso, hæc synodus œcumenica ante Damasum? 7° Affirmat eorum ordinem *à prædecessoribus suis, ac reliquis totius orbis episcopis jam extinctum fuisse*. Ubinam concilium generale, quod hunc ordinem extinxerit? 8° Citat canonem 13 concilii Neocæsariensis, et canonem 10 concilii Antiocheni, ex versione Dionysii Exigui, qui floruit initio seculi VI; 9° hæc Epistola consarcinata est ex variis phrasibus Innocentii I, Zozimi, Cœlestini, Leonis I et Martini I, necnon ex capite 7 ferè integro concilii Hispalensis II, anno 619 celebrati.

Secunda verò Epistola nihil aliud est quàm canon 7 ejusdem concilii Hispalensis, miserè deformatus, cui additum est exordium puerile et inconditum. Petrus quidem de Marcâ, lib. 2 de Concordiâ, cap. 13, n. 2, contra contendit, *ejus Epistolæ verba à synodo Hispalensi post ducentos annos transcripta fuisse, quia ultima clausula canonis « ex auctoritate apostolicâ se illa definivisse » synodus testatur, Leonis rescriptum significando. Quæ omnia* (inquit synodus, sub finem canonis 7) *eis à Sede Apostolicâ prohibita esse noscuntur*. Verùm antiqua exemplaria, quibus Garcias istius synodi canones edidit, hæc verba non repræsentant, quo fit ut Labbæus in suâ editione hanc clausulam rescîverit.

Hæ duæ tamen Epistolæ sanctis Damaso et Leoni tributæ, Francorum episcopis seculo IX imposuerunt, ut videre est in concilio Parisiensi VI, c. 17, Meldensi, cap. 44, et in Capitularibus Caroli et Ludovici imperatorum, lib. 5, cap. 168, lib. 6, cap. 119 et 284, lib. 7, cap. 187, 328 et 329, et apud Isaacum Lingonensem, titulo 11, cap. 30 et 31, et in responso Leonis III ad episcopos Galliæ, relato in Capitularibus, lib. 7, cap. 187, et in concilio Metensi, can. 7. Unde liquet illas ante seculum IX confictas fuisse. Ex eodem calamo fluxisse videntur, quo cæteræ pontificum Epistolæ, quas Isidorus Mercator supposuisse creditur.

Tertia denique Epistola pluribus argumentis quàm duæ præcedentes, spuria probatur; neque Binius, præeunte Baronio, dissentit. Videsis Baronium, ad ann. 572, num. 3, et Binium, in hanc Epistolam.

Cæterùm, cùm illæ tres Epistolæ suppositæ fuerint, non velim ex iis argumentari tanquàm ex auctoritate Damasi, Leonis I et Joannis III, sed tanquàm ex auctoritate Leonis III eorum successoris, et episcoporum Galliæ et Germaniæ, qui Epistolas istas, undecumque sint, probaverunt, Damasi et Leonis esse crediderunt, et illis similia statuerunt, verbis plerùmque inde depromptis. Statutum enim à principe revisum, probatum et promulgatum, à promulgatione principis jussu factâ vim legis habet, quantùmlibet antea de eo fuerit dubitatum, atque etiamsi principis antecessori falsò fuerit attributum. Idem dicendum de aliis pluribus Epistolis, quæ pontificibus antiquis falsò tribuuntur. Vim enim et legis auctoritatem accipiunt, non ab iis pontificibus, quibus vulgò tribuuntur, sed ab iis pontificibus et conciliis quæ eas probaverunt, et corpori juris inseruerunt. Valent itaque ut jura à posterioribus condita, non secùs ac profana testimonia ab apostolis citata canonizantur: quo fit ut hæc suppositio non vim, sed antiquitatem argumento detrahat.

§ 13. Epistola Gregorii Magni ad Felicem Siciliæ episcopum.

In Collectione Isidori Mercatoris, quam Jacobus Merlinus anno 1524 Parisiis in-folio edidit, exstat paginâ 244, Felicis Messanæ in Siciliâ episcopi ad Gregorium Magnum Epistola cum rescripto Gregorii ad eumdem Felicem, quo ad ejus consulta respondet.

Rescriptum illud in hodiernis Gregorii editionibus Epistola est omnium postrema, ex quâ luculentus textus pro catholicâ de Confirmatione doctrinâ colligi potest. *Hoc vos ritè tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus, id est, ut quoties tam de Baptismo aliquorum vel Confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur; et nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur, utrùm baptizati vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sunt: ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonicè dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum.* Hæc igitur fuit Gregorii, ejusque antecessorum doctrina, 1° Confirmationem à Baptismo diversam esse; 2° illam, sicut et Baptismum, ex se suâque naturâ iterari non posse; 3° eam tamen, sicut et Baptismum, in dubio iterandam esse, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat. Hic textus sanè luculentus est.

Verùm illam Epistolam, ex quâ excerptus est, suppositam esse, multa suadent.

1° In eâ mentio fit rescripti Gregorii ad consulta Augustini Anglorum apostoli, quod exstat lib. 12 Epist., n. 31; atqui Gregorius rescripsit anno 601 ex Baronio, vel anno 603 ex aliis. Felix autem è vivis excessit anno 595. Sedente enim Gregorio, ecclesia Messanensis plures episcopos habuit, nempe Felicem, ad quem Gregorius quatuor Epistolas scripsit, unam indictione 9, anno suæ ordinationis primo, Christi verò 590, quæ exstat lib. 1, n. 38; alteram eodem anno, quæ exstat lib. 1, n. 64; tertiam indictione 13, anno suæ ordinationis quinto, Christi verò 595, quæ exstat lib. 5, n. 2; quartam de construendâ basilicâ à Januario subdiacono fundatâ, quæ refertur lib. 12, n. 10; sed extra locum; in hoc enim libro eæ tantùm Epistolæ referri debent, quas Gregorius sub finem vitæ scripsit. Felici successit Donus, ad quem Gregorius scripsit quatuor item Epistolas, unam, quâ pallii usum ei concessit indictione 14, anno suæ ordinationis sexto, Christi verò 596, quæ exstat lib. 5, n. 8; alteram eodem anno, quæ exstat lib. 5, n. 39; tertiam indictione primâ, anno suæ ordinationis octavo, Christi verò 598, quæ exstat lib. 7, n. 4; quartam indictione 4, anno ordinationis suæ undecimo, Christi verò 601, quæ exstat lib. 1, n. 46.

2° In hâc Epistolâ referuntur verba quædam petita ex capite 5 concilii Toletani XI, quod anno 675 celebratum est: *Nullis vita præsulum perturbari debet excessibus; quia valdè indignum est ut hi qui throni Dei vocantur, aliquâ motione turbentur.*

3° In eâdem decretum, quo matrimonium usque ad septimam generationem prohibetur, iisdem omniuò verbis refertur, quibus à Gregorio III sancitum est in Epistolâ 1 ad Bonifacium Germaniæ apostolum, cap. 5.

4° Uterque Gregorius II et III ab eodem Bonifacio consultus in quotâ generatione matrimonium Germanis recens conversis permittendum esset, neuter in suâ responsione adducit auctoritatem Gregorii Magni, qui tamen in simili causâ ab Augustino Angliæ apostolo consultus, *usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi conjugio copulari: Anglis recèns conversis, eò quòd firmâ radice in fide nondùm solidati essent*, permisit ut in tertiâ vel quartâ generatione matrimonium inirent. Refertur autem hoc responsum in assertâ Gregorii Epistolâ ad Felicem; quam si uterque Gregorius putavit esse Gregorii Magni, cur neuter in simili causâ ejus auctoritatem adduxit?

5° Integra ferè Epistola ex ipsissimis vel Gregorii in aliis Epistolis et in Pastorali, vel aliorum auctorum verbis contexta est. Hæc enim verba: *Caput nostrum*, etc., ad hæc usque: *mentionem faciemus*, quibus hæc Epistola inchoatur, excerpta sunt ex libro 7, parte 2, Epistolâ 111, initio. Hæc etiam verba, quæ proximè sequuntur: *Exegit dilectio tua*, etc., usque ad, *latiùs perquiratur*, eadem habentur initio Epistolæ 2, quæ Cornelio papæ tribuitur; item hæc verba, quæ nonnullis interjectis sequuntur: *Nihil per contentionem agentes*, usque ad, *pareamus*, referuntur in Epistolâ 88 Leonis Magni, cap. 2. Item hæc verba, quæ proximè sequuntur: *O quàm bona est charitas*, etc., usque ad, *jam nequeant*, exstant lib. 5, Epist. 50, initio. Item hæc verba, quæ paulò post sequuntur: *Si igitur in rebus secularibus*, etc., usque ad, *æquitati tribuitur*, habentur lib. 7, parte 2, Epist. 120, initio. Item hæc verba, quæ proximè sequuntur: *Multùm cor nostrum*, etc., usque ad, *acquirant*, deprompta sunt ex libro 7, parte 2, Epist. 94, initio. Item hæc verba, quæ proximè sequuntur: *Nullis vita præsulum*, etc., usque ad, *turbentur*, excerpta sunt ex concilio Toletano XI, cap. 5, initio. Item hæc verba, quæ paucis interjectis sequuntur: *Ne præpositorum suorum*, etc., usque ad, *recusent*, referuntur in Pastorali, parte 3, admon. 5, circa medium. Item hæc verba, quæ proximè sequuntur: *Quoniam facta suorum*, etc., usque ad, *videntur*, exstant in eodem Pastorali, ibidem, sub finem. Item hæc verba, quæ proximè sequuntur: *Quia cùm in præpositos delinquimus*, etc., usque ad, *contra Deum*, habentur in eodem Pastorali, ibidem, in fine. Item hæc verba, quæ paucis interjectis sequuntur: *Unde Redemptoris misericordiam*, etc., usque ad, *augetur*, deprompta sunt ex libro 7, parte 2, Epist. 94, post initium. Item hæc verba, quæ proximè sequuntur: *Progeniem verò suam*, etc., usque ad, *generationem*, recensentur in Epistolâ 1 Gregorii III ad Bonifacium, cap. 5. Item hæc verba, quæ proximè sequuntur: *Quamdiù se affinitate agnoscunt propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem præsumant*, excerpta sunt ex Epistolâ 13 Gregorii II ad Bonifacium, cap. 1. Item hæc verba, quæ paucis interjectis sequuntur: *Paternâ ergo vos dilectione*, etc., usque ad, *compleatis*, eadem habentur libro 7, parte 2, Epist. 94, in medio. Item hæc verba, quæ post nonnulla sequuntur: *Sunt enim mali segregandi à bonis*, etc., referuntur apud Hincmarum libro de Divortio Lothari et Teutbergæ. Item hæc verba, quæ sequuntur: *Manifesta quoque peccata*, etc., sententia est S. Isidori lib. 3 Sentent., cap. 46. Item hæc verba, quæ post pauca sequuntur: *Unde volumus omnes*, etc., usque ad, *excludimus*, exstant lib. 7, parte 2, Epist. 111, sub finem. Item hæc verba, quæ paucis interjectis sequuntur: *Circa subjectorum actus*, etc., usque ad, *videamur*, recensentur lib. 7, parte 2, Epist. 113, in fine. Postrema denique verba, quæ prioribus proximè subjiciuntur: *Omnipotens Deus*, etc., usque ad, *amen*, eadem sunt quibus concluditur Epist. 50 libri 4.

